BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXXVIII
H
22
NAPOLI
XXXVIII H 22
H
22

XXXVIII
4
22.

GRAMMATICA
LINGUÆ ANGLICANÆ.

Cui præfigitur

DE LOQUELA,

(*Sive* De Sonorum omnium Loquelarium Formatione,)

TRACTATUS

GRAMMATICO-PHYSICUS.

Anno 1653 primum edita.

NAPOLI

* B

authore Johanne Wallis

Oxoniae 1693
e theatro Sheldoniano

A D
Lectorem Præfatio.

C*UM morem obtinuiſſe videam, in operis veſtibulo lectorem alloquendi: quædam etiam & mihi præfanda judico, ut & Suſcepti operis Rationes, & quid hac in re præſtiterim, paucis oſtendam; ipſiuſque linguæ Anglicanæ originem & progreſſus tradam.*

Lingua Anglicana.

Lingua illa quam tradimus Anglicana, quæque nunc dierum non per Angliam modo ſed & in Scotia uſurpatur, non eſt vetuſta illa lingua Britannica qua primi olim Britones uſi fuerunt, neque ulla quidem ipſius propago, ſed alia prorſus aliunde advecta.

Antiqua lingua Britannica.

Obtinuit ſiquidem apud nos olim lingua vetuſta admodum atque eleganter venuſta; nobis quidem cum finitimis Galliæ incolis communis. Sive enim hæc Inſula cum Gallia olim fuerit iſthmo conjuncta; ſeu potius mari disjuncta ſemper, & non niſi propter viciniam loci commercio fruens: ſive etiam nos ab illis, ſeu illi à nobis primitus acceperint incolas; aut etiam utrobique cognatæ forſan coloniæ, à Phœnicibus puta, aut Trojanis, aut aliunde deductæ, ſedes hic poſuerint: Certe eadem olim utriſque lingua, iidem mores fuerunt. Et quidem, quantum ego judico, Gallis & Wallis, *hoc eſt Galliæ ſeu Franciæ, & Walliæ ſeu Cambro-Britanniæ populis communis eſt denominatio: Nam literarum* G & W *frequentiſſima eſt commutatio; & quidem* Walliam, *quam nos* Wales *appellamus, ipſi Galli* Gales *vocant; ipſoſque* Gallos *Germani* Walſhen *appellant; certe, qui* Walli & Wallones *nunc dicuntur,* Gallos *eſſe in confeſſo eſt; nempe Arteſiæ partiumque adjacentium incolas, ut & incolas Longobardiæ, hoc eſt Galliæ Ciſalpinæ;* & Gaſcoigne, *item* Vaſconia *dicitur: Sic Gallorum* guerre, garant, gard, gardien, garderobe, guiſe, guile, gage, guichet, guimblet, guerdon, (regard,) Guillaum, gaigner, gaſter, guetter, *&c. idem ſignificant ac Anglorum* Warre, warrant, ward, warden, wardrobe, wiſe, wile, wager, wicket, wimble, re-ward, William, to winne, to waſt, to wait, *&c. Sic* Juglandes *alibi in Anglia* French-nuts (*nuces Gallicas*) *alibi eodem ſenſu* Wall-nuts (*hoc eſt* Walſh-nuts) *appellamus.* Galatæ *item ſeu* Gallo-græci, *linguam ſuam ſecum ex Gallia deportaſſe dicuntur; & (referente Strabone) bilingues erant, ſua ſimul & Græcanica lingua utentes.* Gallovidia *etiam in Scotia ejuſmodi nominis originem forſan obtinuit.*

Magnam habet cum Orientalibus affinitatem.

Erat autem priſca iſthac Gallis & Britannis communis lingua, ultra omnium hiſtoriarum memoriam antiqua; ut non niſi ex conjecturis, aut dubiæ ſaltem fidei Hiſtoricis, ipſius ſive linguæ ſive etiam populi origines repetendæ ſint: & fortaſſe (ſicut & aliæ Matrices linguæ) ab ipſa confuſione Babylonica ortum duxit. Magnam certe cum linguis Orientalibus affinitatem retinet; non modo in vocum originibus, ut notant D. Johannes Davies *paſſim in* Dictionario *ſuo* Cambro-Britannico, & Samuel Bochartus *in ſua* Geographia Sacra; *qui ipſum* Britanniæ *nomen Arabicæ vel Punicæ originis eſſe putat, nempe* Βρετανικὴ *dici quaſi* ברת אנך barat anach, *hoc eſt,* ágrum *ſeu terram* ſtanni & plumbi; *Inſulaſque Bretanniças (à Pœnis dictas) eaſdem eſſe contendit quas Græci* κασσιτερίδας *(eodem ſignificatu) appellarunt: Sed etiam in Syntaxeos ratione, quæ* Præfixis, Affixis, & *varia* Statûs *permutatione peragitur; (ut enim habent Hebræi ſtatum Abſolutum & ſtatum Regiminis, ſic Cambro-Britanni* Status, *ut loquuntur,* Primarium, Mollem, Liquidum, & Aſpiratum, *prout varietas conſtructionis poſtulaverit;) ut liquet in linguæ Cambro-Britannicæ Grammaticis à* Johanne Daviſio, & à Johanne Davide Rheſo, *latine editis: Addo etiam, Perſonarum denominationes, adjunctis nempe Patris, Avi, aliorumque forſan majorum nominibus, morem Orientalem ſapere; nam v. g.* Johannes David Rheſus, *vel in eorum dialecto* Siôn ap Dafyd ap Rhys, *idem eſt ac* Johannes, filius Davidis, filii Rheſi:

Et quamvis nunc dierum habeant quidem, ad Anglorum imitationem, familiarum nomina; ſunt tamen ea plerumque mere Patronymica; ſunt enim Price, Powel, Bowel, Bowen, Pugh, Parry, Penry, Prichard, Probert, Proger, &c. nihil aliud quam Ap Rhys, Ap Howel, Ap Owen, Ap Hugh, Ap Harry, Ap Henry, Ap Richard, Ap Robert, Ap Roger, &c. Et Jones, Jenkin, Davyes, &c. ſunt mere patronymica; Gryffith, Morgan, Howel, Teudor, Lluellin, Lloyd, &c. ſunt majorum nomina omiſſa tamen voce ap (hoc eſt, mab filius:) & ſimiliter de aliis pleriſque apud eos nominibus judicandum eſt. Verum his de rebus non eſt prolixe nobis diſſerendum. Qui plura cupit, conſulat Pontici Virunnii Hiſtoriam Britannicam; Giraldi Cambrenſis Itinerarium & Deſcriptionem Cambriæ; & Annotationes D. Davidis Powel in duos illos authores ab ipſo Latine editos: item tractatus duos philologicos D. Johannis Daviſii, quorum alter ipſius Dictionario, alter ejuſdem Grammaticæ præfigitur; ſimileſque tractatus duos D. Johannis Davidis Rheſi Grammaticæ præfixos; (ſuum ipſius unum Cambrice ſcriptum, alterum Humphredi Prichard Latine;) Humphredi Lloyd Deſcriptionem Britanniæ. Item Guil. Camdeni Britanniam; Samuelis Bocharti Geographiam ſacram, (part. 2. lib. 1. cap. 39, 41, 42.) Item Jacobi Uſſerii, Armachani, Antiquitates Britannicas; Richardi Verſtegan Antiquitates Angliæ reſtitutas, Anglicè editas; Henrici Lloyd Hiſtoriam Cambriæ Chronologicam à Davide Powel Anglicè editam; Brerewoodi antiquas Inquiſitiones, Anglice item editas: alioſque conſimilis ſubjecti ſcriptores: apud quos multa reconditioris cognitionis monumenta reperiuntur. Et quamvis Fabulæ fortaſſe vetuſtiſſimis nonnunquam ſcriptis immiſceantur, prout in antiquiſſimi temporis hiſtoriis plurimis fieri conſuevit, multum tamen ſubeſſe veri non dubito.

Quomodo deſuevit in Gallia; & præſentis Gallicanæ origo.

Verum primæva hæc utriuſque Gentis lingua utrobique magna ex parte evanuit. Quod ad Galliam attinet; poſtquam ea in Romanorum poteſtatem devenerat, conati ſunt Romani Latinæ linguæ uſum introducere, ideoque edicta omnia aliaque ſcripta publica Latino idiomate ediderunt; adeoque, ut in Hiſpania vetus lingua Cantabrica, ita & in Gallia priſca Gallorum lingua paulatim deſuevit, quaſi ſimul cum populo ſubjugata; ejuſque loco rudis ut ſit Latiniſmus utcunque ſucceſſit, & Romance vel Romanſhe, hoc eſt lingua Romana, ſeu Romanica, vel Romanenſis, dicebatur: retentis tamen aliquot vocabulis ex antiqua lingua. Quum autem Franci ſeu Francones Germaniæ populus, ſub Faramondo duce, ex Franconia in Galliam devenerunt, ſuam etiam ſecum linguam attulerunt; ejuſdem quidem originis cum Germanica, noſtraque Anglicana, neque ab his admodum diverſam; quæ etiam aliquandiu ab illis retenta fuit & lingua Francica dicebatur; uſque dum, ipſis Gallis tandem cum Francis his in unum quaſi populum coaleſcentibus, Franci etiam rudem illum Latiniſmum edidicerunt: admiſcuerunt tamen proculdubio ex ſua lingua voces non paucas: verum & ſuam Syntaxeos rationem retinuerunt; (quam etiam moderni Græci, magna ex parte, imitantur, neglecta puritate veteris linguæ Græcæ; ut Itali, purioris Latiniſmi;) quæ eadem quidem eſt cum Teutonica, ſed tam à Romana quam à veteri Gallicana prorſus aliena, adeo ut nec à Romanis recepta nec ab antiquis Gallis tranſmiſſa cenſeri poſſit; (quod etiam de ejuſmodi ſyntaxeos ratione apud Italos & Hiſpanos dicendum videtur, eam Longobardos, Gothos, Vandaloſque ex Germania illuc attuliſſe:) Atque hinc defluxit hodierna lingua Gallica; quæ tamen, ut ipſe populus, denominationem à Francis adhuc retinet. Adeoque priſca illa Gallorum lingua per totam fere Galliam penitus obruta eſt, in ſola nunc Aremorica ſuperſtes, ubi lingua Aremoricana appellatur.

Quomodo deſuevit in Anglia.

Parem etiam fortunam in Britannia ſortita eſt. Pura ſiquidem manſit hæc priſca apud illos lingua uſque ad Romanorum tempora: Poſtquam autem Julius Cæſar, aliique poſt illum, Imperium Romanum huc uſque extenderunt, quanquam propter longiorem à Roma diſtantiam & minorem Romanorum huc confluentium numerum, minorem inde ſubierit mutationem antiquitus recepta lingua, quam apud Gallos, Hiſpanos, Longobardos, &c. utpote viciniores populos, contigerat; multa tamen Latina vocabula admiſit Lingua Britannica, quæ adhuc retinentur, ſed ita transformata & mutata ut nativas linguæ Britannicæ leges & ſyntaxin omnino ſubierint, neque inſignem aliquam ipſius mutationem præſtiterint: nec dubito è contra quin & Romani, ſive ex Britannia ſive ex Gallia, verba Britannica reportaverint, (quorum non pauca apud Cambdenum, Bochartum, alieſque, collecta videmus.) Poſtea vero, quum Anglo-Saxones, Germaniæ

maniæ

maniæ item populus, (ſi ſaltem Germaniæ fines, quod aliqui faciunt, eo uſque extendere liceat ut Danos etiam & Norwegios comprehendant,) in Britanniam pervenerunt, eodem circiter tempore quo Franci in Galliam, & poſt diuturna bella rerum potiti ſunt, Britannos, cum ſua lingua Britannica, expulerunt; qui tamen montanas Cambriæ ſeu Walliæ regiones adhuc obtinent, Cambri & Walli dicti, ſuamque linguam retinent; ut & Cornubienſes aliquot in extremis Cornubiæ ſive Cornwalliæ partibus, linguamque Cornubicam appellant: ſed & Hiberni, (quo nec Romani, quod ſciam, nec Saxones olim pervenerunt,) ut & Inſulares atque Monticolæ in Scotia, (Iſlanders & Highlanders vulgo dicti,) quorum lingua ab Hibernica parum differt, linguam adhuc retinent Cambro-Britannicæ affinem, quæ & olim omnino eadem fortaſſis erat, quamvis nunc dierum à Cambrica magis aliquanto differat quam vel Cornubica, vel Aremoricana, vix autem magis quam hodierna Germanica ab Anglicana. Scaliger tamen (de linguis Europæ) & eum ſecuti Merula (in ipſius Coſmographia) aliique manifeſto errore, linguam Hibernicam pro Matrice diſtincta reputant, nullamque cum Britannica cognationem habere ſentiunt; at rem ſecus eſſe & Camdenus antehac obſervavit, & res ipſa loquitur. An autem cum lingua Cantabrica Hiſpaniæ, affinitatem ullam ſortiatur, fateor me penitus ignorare, nec impræſentiarum vacat penitius inquirere, & potius contrarium ſentio; in paucis ſaltem illis quæ apud Merulam extant linguæ Cantabricæ ſpeciminibus, nulla quidem linguæ Cambricæ veſtigia notare poſſum: fieri tamen poteſt ut Hiberni nonnullas voces Cantabricas retineant, ſi ſaltem Hiberni ab Iberis, ut creditur, deſcenderint; habent certe Hiberni voces non paucas quæ Britannicam originem non ſapiunt, at unde habuerint neſcio. Verum Cambriæ appellatio, quanquam quoad ſonum Cantabriæ videatur non abſimilis, majorem forte cum Cimbris vel Cimmeris, (Cimbricæ Cherſoneſi incolis,) quam cum Cantabris, cognationem ſortiri poſſit; nam Cambro-Britannus lingua ſua, Cymro (ſeu Cumro) dicitur, & à Gomero (uno ex Japheti poſteris) denominationem olim accepiſſe poſſe creditur. Sed & Gallos etiam Cimbros vel Cimeros antiquitus dictos fuiſſe, Camdenus oſtendit.

Quod autem in Gallia factum diximus, nempe quod Galli poſt Francorum adventum, ſuam tamen linguam (non quidem primigeniam, ſed quæ ipſius loco ſucceſſerat) tandem quaſi poſtliminio (mutato tamen nomine) reduxerint, ideo quidem quod in unum cum Francis populum coaluerint: hoc in Anglia neutiquam obtinuit. Nam Britanni, quanquam mille mala paſſi, Religioni tamen ſuæ (Chriſtianiſmo ſcilicet) & patriis ritibus addictiſſimi, nunquam ſuſtinuerunt ejuſmodi cum Saxonibus (tunc quidem Ethnicis) conſortium aut coalitionem, ſed infenſiſſima odia per multa ſecula coluerunt, quæ quidem vixdum penitus depoſuere.

Lingua Anglo-Saxonica.

Anglo-Saxones autem, antiquas ut dictum eſt Britonum ſedes nacti, partem illam quam obtinuerunt Britanniæ, Angliam dixerunt; eamque quam ſecum attulerunt linguam Anglicam; quam nunc Saxonicam vel Anglo-Saxonicam vulgo dicimus, ut ab hodierna Anglicana diſtinguamus. Erat autem illa Anglo-Saxonum lingua, antiquæ Teutonicæ propago, (niſi antiquæ Gothicæ ſeu Geticæ potius dixeris, unde forſan ipſa Teutonica duxerit originem,) ut & Francica illa in Galliam advecta, & hodierna Germanica, Belgica, Danica, Suevica, Boruſſica, aliæque affines linguæ. Et fere pura manſit in Anglia, ſeu impermixta, uſque ad Normannorum tempora; niſi quod voces aliquot Cambricas admiſerit, ut & Cambrica vice verſa ex hac nonnullas. Quamvis enim Dani interim hic pedem poſuerint, nulla tamen inde linguæ inſignis immutatio ſecuta eſt, nam & eorum lingua vel plane eadem erat vel ſaltem maxime affinis.

Quouſque Normanni linguam Anglicanam mutaverint.

Quum vero Gulielmus Normanniæ dux, Conqueſtor dictus, Normannos ſuos huc advexerat; Angliam nactus, Anglicanæ linguæ mutationem aggreſſus eſt, Gallicanam inducere ſatagens, qua ipſe in Normannia uſus erat. Quamvis enim Normanni ſive Northmanni, dum antea Norwegiæ populus fuerant, eadem olim lingua uſi fuerunt qua & Anglo-Saxones (populus olim vicinus) ea nempe quæ tunc in Anglia obtinuit; poſt eorum tamen in Neuſtriam (Normanniam deinceps dictam) adventum, nativa ſua lingua Gallicanam (nempe, Romanicam, ſeu Franco-Gallicam) permutarunt, quam etiam Conqueſtor ſecum nunc in Angliam inducere voluit; & propterea Diplomata & edicta publica, ut & res juridicas, lingua Neuſtrica ſeu Gallicana peragi curavit. Non autem quod aggreſſus erat, eſt aſſecutus; quippe quod Normannorum qui huc advenerant, ſi ad Anglos quibus immiſcebantur, comparentur, exiguus erat numerus, qui

ideo ſuam citius amiſerunt linguam quam Anglicanam immutare potuerint. Quamvis autem, hac de cauſa, prius recepta lingua Anglica permanſerit: Illud ſaltem inde inſecutum eſt, ut multa vocabula Gallica, ſed Latinæ ut plurimum originis (nam quæ Galli retinent Germanicæ originis, à Francis illuc deducta, quanquam Gallis forſan nobiſcum nunc communia, nobis tamen quam illis potius nativa cenſenda ſunt: & quæ ex priſca ſua lingua retinuerunt, ipſis nunc cum Cambris communia, nos etiam ex antiqua Britannica retinuiſſe, vel à Cambris potius quam à Gallis accepiſſe cenſendum eſt,) in linguam Anglicanam irrepſerint, multaque Anglicana ſenſim deſueverint. Nec quidem temere contigiſſe puto, quod Animalia viva, nominibus Germanicæ originis vocemus, quorum tamen Carnem in cibum paratam, originis Gallicæ nominibus appellamus; puta, Bovem, Vaccam, Vitulum, Ovem, Porcum, Aprum, Feram, &c. an Ox, a Cow, a Calf, a Sheep, a Hog, a Boar, a Deer, &c. ſed Carnem Bubulam, Vitulinam, Ovinam, Porcinam, Aprugnam, Ferinam; Beef, Veal, Mutton, Pork, Brawn, Veniſon, &c. Sed hinc id ortum putaverim, quod Normanni milites Paſcuis, Caulis, Haris, lociſque quibus vivorum animalium cura agebatur, parcius ſe immiſcuerint, (quæ itaque antiqua nomina retinuerunt;) quam Macellis, Culinis, Menſis, Epulis, ubi vel parabantur vel habebantur cibi, qui itaque nova nomina ab illis ſunt adepti.

Ex eo autem tempore admiſta fuit exoticarum vocum farrago ſatis ſuperque numeroſa: Non, quod lingua Anglicana ex ſe ſterilis ſit & verborum inops, eſt enim & verborum & elegantiarum ſatis abunde plena, & (ſi libet) ad luxuriem copioſa, nec quicquam deeſt quin ex propria ſupellectili acutiſſimos ſenſus valeamus ſignanter exprimere & ἐμφατικῶς· ut vel ex unius Spenſeri poematis abunde liquet, cujus phraſis terſa ſatis & eleganter compta, & copiæ plena, caſta tamen & exotico ornatu minus adulterata: Sed partim quod, propter varia cum exteris commercia, & frequentia præſertim in Regiis familiis connubia, ægre potuerit evitari; partim etiam quod nimia innovandi affectatio (hoc ſaltem ſupremo ſeculo) inordinata prurigine multos irritaverit peregrinas voces præter neceſſitatem conquirendi, qui nihil vel eleganter vel emphatice dici poſſe exiſtimant quod non inſolitum quiddam aut peregrinum ſonum ſapiat.

Hodierna lingua Anglicana.

Atque hiſce partim miſturis, partim longiori temporis tractu, qui etiam in aliis linguis inſignem mutationem præſtare ſolet, factum eſt, ut lingua illa Anglo-Saxonica in præſentem linguam Anglicanam ſenſim mutata fuerit.

Et Scotica.

Neque Anglia ſola concluſa eſt hæc lingua, ſed Angliæ fines egreſſa præcipuas etiam Scotiæ partes occupavit. Quod eo præſertim tempore factum puto, cum Normanni Angliam invaſerunt: nam Anglorum Regia familia, & ex nobilibus non pauci, præter alios etiam ex plebe, Anglia pulſi in Scotiam recepti, linguam ſuam ſecum portarunt, quæ continuis ſubinde commerciis confirmata eo uſque invaluit ut eadem nunc ſit Anglorum & Scotorum lingua: Niſi potius dicendum videatur, cultiorem hanc Scotiæ partem & Angliæ proximam eoſdem cum Anglia incolas nactam eſſe, ex Saxonibus oriundos, & fuiſſe olim Regni Nordanhumbrorum partem: Nam Scoti Montani (Highlanders dicti) hos (qui vocantur Lowlanders) non minus quam Anglos, Saſſons (hoc eſt Saxones) appellant: ſe vero Gael & Gaiothel dixerunt olim. At Montani illi Scoti, & Inſulani, (variarum adjacentium inſularum incolæ,) qui magnam quidem, ſed incultiorem, Scotiæ partem occupant, ad Septentrionalem & Occidentalem Scotiæ partem poſiti, antiquam linguam Britannicam, ſeu potius Hibernicam, magna ex parte, etiamnum retinent: ſunt enim Pictorum (hoc eſt, antiquiſſimorum Britonum, jugum Romanum dedignantium, in montoſas haſce & aſperrimas regiones pulſorum) reliquiæ, admiſtæ Scotis (à Scythis forſan, aut Gothis, olim oriundis) ex Hibernia huc advectis: Nam & Hiberniæ incolæ olim dicebantur Scoti.

Eſt igitur illa quam trado lingua Anglicana, antiquæ Teutonicæ propago, ſicut & hodierna Germanica, Belgica, Danica, aliæque affines; & quidem pari modo ab his differt, quo & ipſæ inter ſe.

Operis ſuſcepti ratio.

Hujuſce autem linguæ Grammaticam inſtitutionem ideo aggreſſus ſum, quod ipſius cognitionem videam ab exteris non paucis maxime deſideratam: quo poſſint varia illa & maximi momenti ſcripta intelligere, quæ apud nos noſtro extant idiomate. Multi nempe ſunt, præſertim ex Theologis exteris, qui Theologiam Practicam, prout à noſtris tradi conſuevit, ſummopere cupiunt intueri; qua in re Concionatores noſtros, faventibus Divini numinis auſpiciis, profectus non vulgares feciſſe in confeſſo eſt; partim quidem

dem quoniam minor fuerit neceſſitas de rebus Controverſis ad populum verba faciendi, quam ubi Pontificii Reformatis paſſim immiſcentur; & partim etiam quod multi ex populo Anglicano ſerio pii, ſincero cordis affectu pietatis ἐνέργειαν amplexi, & (pro more populi) εὐσεβέστεροι, ſeveriorem Religionis praxin & intelligere deſideraverint & exercere, unde & ejuſmodi Concionatorum avidi auditores fuerint qui Theologiæ praxin efficacius tradiderunt, eorumque ſcripta diligentius evolvere conſueverint. Sed & præterea, non Theologica tantum, verum etiam omnigenæ literaturæ ſcripta, paſſim exſtant Anglicano idiomate edita; adeo ut ſine faſtu dicere liceat, vix quicquam ſolidioris eruditionis eſſe, quod non ſit nunc dierum etiam in ipſa lingua Anglicana ſaltem mediocriter traditum; & multa quidem quotidie ſcripta prodeunt deſideratiſſima.

Cum autem ea quæ jam dicta ſunt hujuſce linguæ deſiderium apud multos faciant, conqueruntur tamen exteri non raro, linguæ noſtræ difficultatem tantam eſſe ut illam non facile aſſequi valeant; ſed & ex noſtratibus aliqui, quod tamen mirandum eſt, neſcio quam perplexam ſomniant & intricatiorem linguæ noſtræ rationem, ut ægre poſſit Grammaticæ leges ſubire; adeoque tam qui diſcere quam qui docere volunt, confuſe plerumque rem aggrediuntur, unde & tædii multum & moleſtiæ conſequi neceſſe eſt. Cui ego malo ut remedium ferrem, hoc quicquid eſt operis ultro ſuſcepi, ut linguam in ſe faciliimam brevibus præceptis traderem, unde & exteri facilius illam addiſcere valeant, & noſtrates veram nativæ ſuæ linguæ rationem penitius perſpiciant.

Non ignoro alios ante me hoc aliquando aggreſſos eſſe, & aliquid etiam non contemnendum præſtitiſſe, nempe Doctorem Gill *Latine*, Benjaminum Johnſon *Anglice*, & nuper non male Henricum Hexham *Belgice*, (quem tamen mihi non prius videre contigit quam totum opus conſummaveram, & quidem ultimæ paginæ, editionis primæ, ſub prelo erant.) At nemo eorum, quantum ego exiſtimo, illa inſiſtit via quæ huic negotio maxime eſt accommodata: omnes enim ad Latinæ linguæ normam hanc noſtram Anglicanam nimium exigentes, (quo etiam errore laborant fere omnes in aliis modernis linguis tradendis,) multa inutilia præcepta de Nominum Caſibus, Generibus, & Declinationibus, atque Verborum Temporibus, Modis, & Conjugationibus, de Nominum item & Verborum Regimine, aliiſque ſimilibus tradiderunt, quæ à lingua noſtra ſunt prorſus aliena, adeoque confuſionem potius & obſcuritatem pariunt, quam explicationi inſerviunt.

Tractandi methodus.

Et propterea nova prorſus methodo incedendum eſſe mihi viſum eſt, quam non tam uſitata Latinæ linguæ, quam peculiaris linguæ noſtræ ratio ſuadet: (quam, poſt hæc primum edita, imitati videntur Gallorum aliqui in ſua Grammaire Univerſelle; quæ Latine poſt edita, Grammatica Univerſalis *dicitur*; methodo meæ multum conformis:) tota nempe Nominis Syntaxi Præpoſitionum fere auxilio præſtita, & Verborum Conjugatione facili Auxiliarium ope peracta, illud leviſſimo negotio peragitur, quod in aliis linguis ingentem ſolet afferre moleſtiam.

Sunt quidem & apud Latinos nonnulla, tam Subſtantiva quam Adjectiva, quæ Aptota *ſunt & plane Indeclinabilia, ut* pondo, nihil, inſtar, ſat (*ſubſtantive poſitum*) frugi, nequam, præſto &c. *quæ tamen ad aliorum imitationem, Genera & Caſus habere finguntur, licet, per Caſus omnes omniaque Genera, invariata prorſus maneant: At vero, ſi eorum Subſtantiva omnia Aptota eſſent, & Adjectiva plane indeclinabilia; certo certius de* Caſibus & Generibus *Nominum omnino altum fuiſſet ſilentium, & magna ſimul eorum pars, quæ de Nominum Syntaxi jam neceſſario traduntur, nuſquam conſpiceretur. Atque idem etiam de variis verborum* Modis & Temporibus *formandis plane eveniret, ſi omnia utriuſque vocis Tempora ejuſmodi ſolum circumlocutionibus exprimenda eſſent, quales in quibuſdam Paſſivæ vocis Temporibus conſpiciuntur. Apud nos igitur, ubi res omnino ſecus ſe habet quam apud Latinos, cur hujuſmodi* Caſuum, Generum, Modorum, Temporumque *fictam & ineptam plane congeriem introducamus citra omnem neceſſitatem, aut in ipſa lingua fundamentum, nulla ratio ſuadet.*

Recepta tamen apud Latinos artis vocabula, quanquam linguæ noſtræ non uſquequaque accommodata, retinenda cenſui; partim quod ſignificationis jam notæ ſint, partim etiam quod nollem præter neceſſitatem quidpiam innovare. Ut autem tædium quantum fieri poteſt evitetur, ſuccincta phraſi uſus ſum, & ea quæ minoris momenti & κριτικώτερα videri poſſint, diſtincto charactere ſecernenda curavi.

De Pronunciatione & Sonorum formatura.

Pronunciationem, ſive Literarum Sonum quod attinet, conatus ſum eodem modo explicare quo in aliis linguis fieri ſolet; collatis ſcilicet ſimilibus aliarum linguarum ſonis

cum noſtris; ut, cum e *Anglicum eodem ſono efferri dico, quo Gallorum* é *maſculinum; Aliaque ſimilia.*

Quoniam vero nonnunquam contingat, ut hoc modo ignotum per ignotius explicare videar, cum alii fortaſſe non magis intelligant ſonum Gallicum quam Anglicanum; neque tamen aptior modus occurrere ſoleat in hujuſmodi ſcriptis, quo, ſine viva voce, literarum ſoni explicentur; nova etiam & hic via incedendum eſſe cenſui: ideoque variam literarum formationem ore aliiſque loquelæ inſtrumentis peractam tradidi; unde non minus accurate debiti ſoni indicari poſſe videantur, quam ſi viva voce proferantur.

Hoc autem fuſius aliquanto, & peculiari Tractatu præfixo, tradere mallem, quam ipſi Grammatices Syſtemati immiſcere, partim quod non magis ad linguam Anglicanam ſpectare videatur quam ad quamvis aliam; partim etiam quod omnino novum ſit, nec ab aliis, quod ſciam, ante me, tentatum: Quamvis enim quarundam literarum formatura ſparſim apud nonnullos tradita conſpiciatur, neſcio tamen an quiſpiam (me prior) totam loquelæ rationem conjunctim & Syſtematice tradiderit. Dum autem hoc aggredior, novam me præter aliorum methodum, literarum diſtributionem inducere, lector non mirabitur.

Muti Loquelam edocti. *Eam vero quam hic trado Sonorum Formationem (Anno 1653 primo editam) poſtquam attentius perpenderam; non modo hinc ex noſtratibus nonnullos, ad ſonos præſertim aliquot literarum, ſeu hæſitantes, ſeu balbutientes, docuerim clare atque expedite illos eloqui; atque exteros aliquot de ſonis quibuſdam ut difficillimis aut (ſibi ſaltem) impoſſibilibus conqueſtos, docuerim extemplo eoſdem facile & abſque ulla moleſtia proferre; (monſtrato tantum, quo organorum poſitu, proferri debeant ſoni; aut corrigi, quam ſive organorum vitio ſive prava conſuetudine contraxerant, hæſitantia:) Sed duos etiam (eo quod ſurdi fuerint) plane Mutos, Loqui docui & nulla non vocabula (ſive ex noſtris, ſive quæ exteri ut omnium difficillima propoſuerint,) diſtincte proferre; ſed & (quod huc tamen non ſpectat) animi ſui ſenſa aut verbis eloqui aut ſcripto conſignare, atque ab aliis ſcripta legere & intelligere. Nec dubito idem in quovis alio me præſtiturum (modo ſani cerebri ſit, & cui loquelæ organa non ſint vitiata aut prave formata,) utut ſurdus ſit vel maxime.*

De Etymologia. *Tandem, ſub calcem operis, adjunxi de* Etymologia *tractationem breviuſculam; qua vocum cognatarum invicem tam Convenientiam quam Diſcrepantiam breviter adnotavi, & ſimul præcipuarum apud nos ſervilium Terminationum uſum; atque voces exoticas in linguam noſtram inſerendi morem; denique & frequentem apud nos* ὀνοματοποιΐαν, *ſeu vocum, ipſo ſui ſono varias rerum ſignificatarum affectiones indicantium, formationem inſinuavi; non quidem ejuſmodi voces omnes recenſendo, ſed ejuſmodi ſaltem aliquot monſtrando, qualium ingentem quilibet numerum obſervare poterit.*

Si quis autem, ex noſtratibus præſertim, hoc totum quicquid eſt operis penitus omitti poſſe credat, neque rem magnam eſſe dicat vernaculam linguam callere, ejuſque minutias obſervare: hoc ſolum regero; Multa eſſe quæ, quamvis cognita non magnam mereantur laudem, eadem tamen ignorata, non leve poſſunt dedecus imprimere.

Atque hæc fere ſunt (ſaltem ſi id quod de Mutis dictum eſt excipias) quæ Lectorem monueram in Editione Prima Anno 1653, Oxoniæ. In Secunda, ibidem, 1664, adjeci nonnulla, nec tamen multa. Quam ſecuta eſt Hamburgi Tertia, 1671. In Quarta, 1674, auctiora multa ſunt; præſertim Capitibus 14 & 15. Quæque ad calcem ibi ſequitur Praxis Grammatica, *tum primum prodiit. Quinta hæc, quam præcedentes, eſt adhuc auctior.*

INDEX.

Tractatus Procœmialis.

De Loquela; ſive Literarum omnium genuino Sono, earumque in ore aliiſque vocis organis Formatione.

SECT. 1. *De Loquela in genere, ejuſque affectibus.*
2. *De Vocalibus, earumque formatione.*
3. *De Conſonantibus, earumque formatione.*
4. *De Sonis Compoſitis.*

Grammatica Anglicana.

CAP. 1. De Linguæ Anglicanæ Pronunciatione; ſive literarum Sono apud Anglos.
SECT. 1. *De Literis in genere, & primo de Conſonantibus.*
2. *De Vocalibus.*
3. *De Diphthongis.*
4. *De Conſonis aliquot Conjunctis.*
CAP. 2. De Nomine Subſtantivo.
3. De Articulis, *A* & *The*; eorumque uſu.
4. De Præpoſitionibus, earumque uſu.
5. De Adjectivis.
6. De Gradibus Comparationis.
7. De Pronominibus; ſeu Nominibus Perſonalibus.
8. De Verbo.
9. De Verbis Auxiliaribus mutilis; *Do, ſhall, will, may, can,* & *muſt*; eorumque uſu.
10. De Verbis Auxiliaribus integris, *Have* & *Am*; eorumque uſu.
11. De ſede Vocis Nominativæ & Accuſativæ; aliiſque ad Verborum Syntaxin ſpectantibus.
12. De Verbis Anomalis.

13. De Adverbiis, Conjunctionibus, Præpoſitionibus, & Interjectionibus.
14. De Etymologia; ſive Vocum Derivatione, ſeu cognatione mutua.
15. De Poeſi, (nunc multo fuſius quam ante.)

Praxis Grammatica.

Prima; Oratio Dominica.
Secunda; Symbolum Apoſtolicum.
Tertia.

Tractatus

Tractatus Proœmialis
DE LOQUELA,

SIVE

Literarum omnium Formatione & genuino Sono.

SECT. I.

De Loquela in genere, ejuſque affectibus.

EX conjunctis *Vocibus* Sententias, ex conjunctis *Syllabis* Voces, & ex conjunctis *Literis* Syllabas, fieri; Sententias item in Voces, Voces in Syllabas, eaſque tandem in Literas, reſolvi; notius eſt quam ut dictu opus ſit. Cum autem in Literis terminetur analyſis, ſeu vocum reſolutio, tanquam in primis Elementis non ulterius reſolvendis, (quare & στοιχεῖα Græcis dicuntur:) *Litera* dicenda eſt *Sonus in voce ſimplex ſeu incompoſitus, in ſimpliciores indiviſibilis.* Et peculiari plerumque Charactere deſignatur. *Litera, quid.*

Sin malit aliquis non *Sonum* ipſum ſimplicem, ſed *Characterem* ſoni ſimplicis indicem, Literam appellare, fruatur, per me licet, arbitrio ſuo: ego hac ex parte, nullam movebo litem. Fateor enim Græcorum γράμμα à *ſcribendo*, & Latinorum *Literam* vel à *lineando* (ut Scaligero videtur) vel potius (ut ipſa *linea*) à *linendo* dici: ut illud ſignificet vox utraque quod chartæ *inſcriptum* eſt vel *illitum*. Nec video cur per geminum *tt* ſcribi debeat *littera*, niſi cum carminis ratio poſtulat ut prima ſyllaba (quæ ſit natura brevis) facienda ſit longa, ut in *Relligio*, *Relliquiæ*, & ſimilibus. *Unde dicatur.*

Quod ſi occurrat aliquando Character aliquis ſonum exprimens non omnino ſimplicem, ſed ex duobus pluribuſve conflatum, & in totidem reſolubilem; non tam *Litera* dicendus eſt Character iſte, quam *literarum aliquot abbreviatura*, ſive in unam notam contractio, tot revera literas in ſe continens quot ſunt ſimpliciores illi ſoni ex quibus conflatur poteſtas ejus. Hoc in Latinorum &, *x*, Græcorum ξ, ψ, ς, Hebræorum צ, aliiſque aliquot, notiſſimum eſt: conflantur enim ex *et*, *cs*, κς, πς, στ, טס.

E contra vero, Sonus ſimplex, quamvis pluribus fortaſſe Characteribus deſcribatur, pro unica litera cenſendus eſt. Sunt enim *th*, *ph*, non minus quam θ, φ, *f*, literæ ſimplices.

Literas proferendi, & univerſam quidem Loquelam perficiendi, Inſtrumenta ſunt præcipua, Pulmo & Larynx, cum adjacente Aſpera Arteria; item Lingua, Nares, Labia, variæque Oris partes. *Inſtrumenta loquelæ, eorumque uſus.*

Ex Pulmone per Aſperam Arteriam efflatur Spiritus, ſive inſpiratus aër, qui quaſi vocis ſive loquelæ Materiam ſubminiſtrat. Ex hujus enim varia colliſione Sonorum oritur varietas, tam quoad Tonos, quam quoad Articulationem. Hæc autem diverſificatio non ab ipſo Pulmone, ſed aliunde, provenit; ut mox dicetur. Nulla enim alia à pulmone provenit Sonorum variatio, niſi quatenus majori minorive violentia ſpiritum extrudit; unde vox evadit (cæteris paribus) magis minuſve fortis & ſonora. Illud enim præſtat in loquela Pulmo, quod in Muſicorum Organis pneumaticis Folles. *Sonorum fortitudo & debilitas, unde.*

Tonorum varietas, quoad *Gravitatem* ſcilicet & *Acumen*, partim ex Trachæa, ſive aſpera arteria, ortum habet: nam, ut tubus, ſic trachæa, longior & ſtrictior Sonum efficit magis Acutum, brevior autem & magis dilatata Graviorem: *Tonorum Gravitas & Acumen, unde.*

 (Unde,

(Unde, ſaltem ex parte, oritur Tonorum varietas in diverſorum hominum vocibus, aut quidem ejuſdem hominis in variis ætatibus:) Sed præcipue ex Larynge, ſeu nodo gutturis: Prout enim Laryngis rimula magis minuſve aperitur; ita & vocis Tonus magis Gravis eſt aut Acutus. Eſtque hæc totius modulationis Muſicæ ſedes.

Suſurrus ab aperta loquela, quomodo differat. Ex eadem etiam ſede petenda eſt ratio diverſitatis, mollioris *Suſurri*, ab aperta Loquela. Nam, ſi inter loquendum tremula fiat Laryngis & Trachææ concuſſio, (nempe propter tenſionem,) fit aperta Loquela; Sin minus, fit Suſurrus, (*Whiſpering*, vulgo dicimus,) laxiori nempe Trachæa & minus tenſa.

In quibus literis ſentiatur. Non ſunt autem literæ omnes hujuſce diverſitatis capaces; ſed eæ ſolummodo quas Vocales, Semivocales & Semi-mutas infra dicimus, (& quæ ex Semimutis ortum ducunt:) Nam quæ ſimpliciter Mutæ ſunt *p*, *t*, *c*, (vel *k*) earumque aſpiratæ, concuſſionem illam nunquam admittunt; nec differt earum ſonus in aperta Loquela, ab eo quem in Suſurro habent.

Raucedinis cauſa. Ad eandem etiam ſedem referenda eſt Raucedo, catarrhi ſæpe comes, Laryngis illam & Trachææ concuſſionem impediens.

Vocis Articulatio, ubi fiat. Vocum *Articulatio*, ſive diverſarum *Literarum* formatio, tunc incipit, poſtquam Spiritus extra Laryngem pervenit: Et, Naribus, Ore, Lingua, Labiis, fere tota perficitur.

Literarum diviſio in Vocales & Conſonas. Literarum autem aliæ *Vocales*, aliæ *Conſonæ*, dici ſolent.

SECT. II.

De Vocalibus.

Vocalium Diſtributio & Numerus. VOcalium numerus, apud diverſas gentes, (ſaltem ſi Characteres ſpectemus,) omnino idem non eſt. Plures autem audiri Vocalium ſonos, quam ſunt Characteres vulgo adhibiti, apud omnes fere in confeſſo eſt. Ego illas omnes in tres omnino claſſes diſtinguendas eſſe judico; *Gutturales*, *Palatinas*, & *Labiales*; prout in Gutture, Palato, aut Labiis formantur.

Quibus reſpondent totidem Arabum Vocales; *Phatha*, *Keſra*, *Damma*; iiſdem ſedibus formatæ: Hebræorum item tres literæ א ו י quas *Matres lectionis* vocant; atque olim omnium vocalium inſtar, ante inventa puncta vocalia, fuiſſe creditur.

Si vero pro numero Sonorum vocalium, qui nunc dierum audiuntur, Vocalium Numerus (ut par eſt) cenſeatur, omnino *Novem* eſſe, dicendum erit: tres in Gutture, tres in Palato, & in Labiis totidem; pro triplici nimirum, in ſingulis ſedibus, oris apertura, *Majori*, *Mediocri*, *Minori*.

Gutturales. Gutturales in ſummo *Gutture* formantur, ſeu poſteriori linguæ & palati parte, aëre moderate compreſſo.

â, ŏ, aperta. Et quidem, ſi *apertura Majori*, ſeu pleno rictu, ſpiritus exeat; formatur Germanorum *â*, vel noſtrum *ŏ* apertum.

Neque Germani ſolum, ſed & Galli, aliique non pauci, eodem ſono ſuum *a* plerumque proferunt. Angli ſonum illum correptum, per *ŏ* breve; productum vero, plerumque per *au*, vel *aw*, rarius per *â* exprimunt. Nam, in *fâll*, *folly*; *bâll*, *baul*, *bolly*; *câll*, *collar*; *laws*, *loſſe*; *cauſe*, *coſt*; *aw'd*, *odd*; *ſaw'd*, *ſod*; aliiſque ſimilibus; idem prorſus Vocalium ſonus auditur in primis ſyllabis, niſi quod illic producatur, hic corripiatur. Atque hinc eſt quod Hebræi ſuum *camets longum*, & *camets breve* ſeu *camets chatuph*, (hoc eſt, noſtrum *â* apertum, & *ŏ* breve,) eodem charactere ſcribunt. Nam, eorum כָל & כָּל ſeu כָּל־ non aliter differunt quam noſtrum *câll* & *coll*.

e fœmininum. Eodem loci, ſed apertura faucium *Mediocri*, formatur Gallorum *e* fœmininum; ſono nempe obſcuro. Non aliter ipſius formatio differt à formatione præcedentis *â* aperti, quam quod magis contrahantur fauces, minus autem quam in formatione Vocalis ſequentis.

Hunc ſonum Angli vix uſpiam agnoſcunt: niſi cum vocalis *e* brevis immediate præcedat literam *r*; (atque hoc quidem non tam quia debeat ſic efferri, ſed quia vix commode poſſit

poſſit aliter; licet enim, ſi citra moleſtiam fieri poſſit, etiam illic ſono vivido, hoc eſt maſculo, efferre;) ut, *vertue*, virtus; *liberal*, liberalis; *liberty*, libertas; &c.

Ibidem etiam, ſed *Minori* adhuc faucium apertura ſonatur *ò* vel *ŭ* obſcurum: *ò, ŭ, obſcurum.* Differt à Gallorum *e* fœminino, non aliter quam quod, ore minus aperto, labia propius accedant.

Eundem ſonum fere proferunt Galli in poſtrema ſyllaba vocum *ſerviteur*, *ſacrificateur*, &c. Angli plerumque exprimunt per *ŭ* breve, in *turn*, verto; *burn*, uro; *dull*, ſegnis, obtuſus; *cut*, ſeco; &c. Nonnunquam *o* & *ou* negligentius pronuntiantes eodem ſono proferunt, ut in *còme*, venio; *ſòme*, aliquis; *dòne*, actum; *còmpany*, conſortium; *country*, rus; *couple*, par; *còvet*, concupiſco; *lòve*, amo; aliiſque aliquot; quæ alio tamen ſono rectius proferri deberent. Cambro-Britanni ubique per *y* ſcribunt; niſi quod hanc literam in ultimis ſyllabis plerumque ut *i* proferant.

Vocales Palatinæ in *Palato* formantur; aëre ſcilicet inter palati & linguæ medium moderate compreſſo: Dum nempe concavum palati, elevato linguæ medio, minus redditur, quam in gutturalibus proferendis. Suntque hæ in triplici gradu, prout concavum magis minuſve contrahitur. *Palatinæ.*

Quæ quidem diverſitas duobus modis fieri poteſt: vel fauces contrahendo, manente lingua in eodem ſitu; vel faucibus in eodem ſitu manentibus, linguæ medium altius & ad anteriores palati partes elevando: utrovis enim modo fiat, vel etiam ſi utroque, perinde eſt.

Majori apertura formatur Anglorum *a*, hoc eſt, *á* exile. Quale auditur in vocibus, *bat*, veſpertilio; *bate*, diſcordia; *pal*, palla Epiſcopalis; *pale*, pallidus; *Sam* (Samuelis contractio;) *ſame*, idem; *lamb*, agnus; *lame*, claudus; *dam*, mater (brutorum;) *dame*, domina; *bar*, vectis; *bare*, nudus; *ban*, exſecror; *bane*, pernicies; &c. *á exile.*

Differt hic ſonus à Germanorum *á* pingui ſeu aperto; eo quod Angli linguæ medium elevent, adeoque aërem in Palato comprimant; Germani vero linguæ medium deprimant, adeoque aërem comprimant in Gutture. Galli fere ſonum illum proferunt ubi *e* præcedit literam *m*, vel *n*, in eadem ſyllaba, ut *entendement*, &c. Cambro-Britanni, hoc ſono ſolent ſuum *a* pronunciare: Italique ſuum.

Ibidem item, ſed *Mediocri* oris apertura, formatur Gallorum *é* maſculinum: Quo modo Angli, Itali, Hiſpani, aliique hanc literam proferre ſolent; vivido & acuto ſono. Eſt enim ſonus medius inter vocalem præcedentem, & eam quæ mox ſequetur. *é maſculinum.*

Hunc ſonum Angli non modo per *e*, ſed & (ubi producitur) non raro per *ea*, & aliquando per *ei*, exprimunt. Ut, *the*, (articulus;) *there*, ibi; *theſe*, hi; *ſell*, vendo; *ſeal*, ſigillum; *tell*, nuncio, numero; *teal*, querquedula; *ſteal*, furari; *ſet*, ſiſto; *ſeat*, ſella; *beſt*, optimus; *beaſt*, beſtia; *red*, rubicundus; *read*, lego; *receive*, recipio; *deceive*, decipio; &c. Quanquam revera voces per *ea* ſcriptæ rectius pronunciarentur, ſi, præter ſonum ipſius *e* producti, etiam ſonus Anglici *a* (raptiſſime pronunciati) adjungeretur; prout olim pronunciatas fuiſſe veriſimile eſt, atque in aliquibus locis, præſertim ſeptentrionalibus, etiamnum pronunciantur. Quæ vero per *ei* ſcribuntur, rectius item per conjunctum utriuſque literæ ſonum proferri poſſent.

Ibidem etiam, ſed *Minori* adhuc oris apertura, formatur *ı* exile; Gallis, Hiſpanis, Italis; & pleriſque aliis familiare. *ee, ı, exile.*

Hunc ſonum, quoties correptus eſt, Angli per *i* breve exprimunt; quum vero producitur, ſcribunt ut plurimum per *ee*, non raro tamen per *ie*, vel etiam per *ea*. Ut, *ſit*, ſedeo; *ſee't*, id video; *fit*, idoneus; *feet*, pedes; *fill*, impleo; *feel*, tactu ſentio; *field*, ager; *ſtill*, ſemper, quietus; *ſteel*, chalybs; *ill*, malus; *eel*, anguilla; *in*, in; *inne*, hoſpitium; *ſin*, peccatum; *ſeen*, viſum; *friend*, amicus; *fiend*, cacodæmon; *near*, prope; *dear*, charus; *hear*, audio; &c. Quanquam revera, eorum quæ per *ea* ſcribuntur, nonnulla etiam (& quidem melius) ſcribuntur per *ee*, alia potius per *é* maſculum proferuntur, adjuncto etiam ſi libet exilis *á* ſono raptiſſime pronunciati. Cambro-Britanni ſonum hunc, non modo per *i*, & (in ultima ſyllaba) per *y*, ſed & per *u* ſcribunt, quam literam hoc ſono ſemper efferunt, adeoque diphthongos *au eu* omnino ut *ai ei* pronunciant.

Vocales Labiales, in ipſis *Labiis* (in rotundam formam collectis) formantur; aëre ibidem moderate compreſſo. Suntque hæ etiam in triplici gradu, ſeu differentia. *Labiales.*

ô rotundum.

Majori labiorum apertura formatur ô rotundum; quo ſono plerique proferunt Græcorum *ω*.

Hoc ſono Galli plerumque proferunt ſuum *au*. Angli ita fere ſemper proferunt *o* productum, vel etiam *oa*, (ipſo *a* nimirum, nunc dierum, quaſi evaneſcente; de quo idem hic judicium ferendum eſt, ac ſupra de *ea*:) Ut, *one*, unus; *none*, nullus; *whole*, totus; *hole*, foramen; *coal*, carbo; *boat*, cymba; *oat*, avena; *thoſe*, illi; *choſe*, elegi; &c. At ubi *o* breve eſt, ut plurimum per *ŏ* apertum, (de quo ſupra,) rarius per *ô* rotundum pronunciatur.

oo, û pingue.

In labiis item, apertura *Mediocri* formatur Germanorum *û* pingue: quo ſono etiam Hiſpani, Itali, aliique non pauci utuntur.

Galli per *ou*: Cambro-Britanni per *w*: Angli plerumque per *oo*, (rarius per *u* vel *ou*,) exprimunt; ut, *foot*, pes; *ſhoot* (arcu vel bombarda) projicio; *full*, plenus; *fool*, ſtultus; *pull*, vellu; *pool*, piſcina; *good*, bonus; *ſtood*, ſteti; *wood*, lignum; *woo'd*, procatus ſum; *mood*, modus; *mourn*, lamentor; *courſe*, curſus; *ſource*, ſcaturigo; *could*, poſſem; *would*, vellem; *ſhould*, deberem; &c. At, *doe*, ago; *goe*, eo; *move*, moveo; & ſiqua ſunt ſimilia; rectius, per *ô* rotundum, quam per *û* pingue, efferuntur.

ú exile.

Ibidem etiam, ſed *Minori* adhuc apertura, formatur *ú* exile; Anglis ſimul & Gallis notiſſimum.

Hoc ſono Angli ſuum *u* longum ubique proferunt; (nonnunquam etiam *eu* & *ew* quæ tamen rectius pronunciantur retento etiam ſono *e* maſculi:) Ut, *muſe* muſa, *tune* modulatio, *lute* barbitum, *dure* duro, *mute* mutus, *new* novus, *brew* miſceo, (cerviſiam coquo,) *knew* novi, *view* aſpicio, *lieu* vice, &c. Hunc ſonum extranei fere aſſequentur, ſi diphthongum *iu* conentur pronunciare; nempe *i* exile literæ *u* vel *w* præponentes, (ut in Hiſpanorum *ciudad* civitas.) Non tamen idem eſt omnino ſonus, quamvis ad illum proxime accedat; eſt enim *iu* ſonus compoſitus, at Anglorum & Gallorum *ú* ſonus ſimplex. Cambro-Britanni hunc fere ſonum utcunque per *iw*, *yw*, *uw*, deſcribunt; ut in *lliw* color, *llyw* gubernaculum navis, *Duw* Deus, aliiſque innumeris.

Hos ego novem ſonos vocales eſſe agnoſco; nec ſcio plures. (Anglorum enim *ī* latum, ſonum eſſe ſimplicem, haud exiſtimo; ut poſt dicetur.)

Vocalium Numerus, quo pacto augeri poſſit.

Non nego tamen, in qualibet vocalium ſede, ubi ego tres tantum gradus aperturæ propoſui, fieri poſſe, ut plures fortaſſe, vel nunc dierum alicubi, vel ſaltem poſteris aliquando ſeculis, obſerventur; adeoque poſſe ſonos quoſdam intermedios efferri, (qualis forſan eſt Gallorum *e* neutrum, inter vocales Palatinas *á* & *é*:) eſt enim aperturæ menſura, inſtar quantitatis continuæ, diviſibilis in infinitum. Ut enim, in Ventis enumerandis, olim quatuor, deinde duodecim, tandem triginta duo numerantur: Ita etiam, cum Arabes, & forſan Hebræi antiquiores, non niſi tres vocales (hoc eſt, in ſingulis ſedibus unam) habuerint, noſtro autem ſeculo in ſingulis ſedibus, ſaltem tres manifeſte diſtinguendas obſervemus; quid impedit, quin poſteri etiam hiſce intermedias quotlibet interponant?

Syllabarum longitudo & brevitas, unde.

Sunt autem hæ vocales omnes tam productionis quam contractionis capaces, (unde ſyllabarum *longarum breviumque* diſcrimen oritur.) Licet quædam rarius producantur, (ut *ŭ* obſcurum & *e* fœmininum;) aliæ rarius corripiantur, (ut *ô* rotundum, & *ú* exile, ſaltem apud nos.) Sed & conſonæ etiam productionis capaces ſunt, (illæ præcipue quæ ad vocalium naturam propius accedunt:) præter *p*, *t*, *k*, (vel *c* durum,) quæ abſolute Mutæ ſunt; nec ullum per ſe ſonum edunt, ſed ſolummodo ſonum (ſive præcedentem, ſive ſubſequentem) modificant.

SECT. III.

De Conſonantibus.

Conſonantium diſtributio.

Conſonas item in tres Claſſes diſtribuimus, non ſecus ac vocales, *Labiales*, *Palatinas*, & *Gutturales*; prout labiis, palato, aut gutture formantur: Nempe dum ſpiritus, ex pulmonibus emiſſus, his in ſedibus vel *Intercipitur*, vel ſaltem fortius *Comprimitur*.

Notandum autem eſt inſuper, triplicem obſervari poſſe *ſpiritûs Directionem.* *Spiritûs directio triplex.*
Dirigitur nempe vel 1 totus *ad fauces*; per labia ſcilicet egreſſum appetens; vel 2 *ad nares* fere totus dirigitur, inde exitum quærens; vel denique 3 quaſi æqualiter *inter fauces nareſque* dividitur. Hujus autem Directionis diverſitatem, ex varia Uvulæ poſitione, totam provenire credo.

Cum vero ſpiritus ſingulis hiſce tribus Modis emiſſus, poſſit etiam in ſingulis illis tribus ſedibus penitus *Intercipi*; Novem diverſæ Conſonantes hinc originem ſortiuntur, quas Primitivas ſive *Clauſas* appellare libet: Si vero non penitus intercipiatur ſpiritus hiſce ſedibus, ſed ſolummodo arctius *Comprimatur*, viam nempe (ægre licet) exeundi inveniens; pro vario compreſſionis modo, varii adhuc alii conſonarum ſoni efficiuntur, quas conſonas Derivativas ſive *Apertas* appellabimus. *Conſonæ Primitivæ ſeu clauſæ.*

Si Spiritus *per fauces ad labia directus*, occluſis *Labiis* intercipiatur; formatur *Mutæ*
litera *P*; Græcorum π; Hebræorum *Pe* dageſſatum. *P.*

Arabes hanc literam non agnoſcunt (ſed ipſius loco ſubſtituunt vel *Be* vel *Phe*;) Perſæ tamen agnoſcunt, qui præter Arabum *Phe* habent & ſuum *Pe*, quod à *Be* tribus ſubſcriptis punctis diſtinguitur.

Si vero ad Labia non perveniat, ſed in *Palato* penitus intercipiatur, (admoto nempe linguæ extremo ad palati partem anteriorem, ſeu, quod idem eſt, ſuperiorum dentium radices;) formatur conſona *T*; Græcorum τ; Hebræorum *T.*
ט, vel ת dageſſatum; Arabum *Te* (vel etiam *Ta.*)

Si vero ne huc quidem pertingat, ſed ſummo *Gutture* intercipiatur, (admota linguæ parte poſteriori ad poſteriorem palati partem;) formatur *K*, (vel *C* *C.*
durum;) hoc eſt, Græcorum κ; Hebræorum כ dageſſatum, & ק; Arabum *Ceph*, & *Kaph*. Atque hoc ſono Cambro-Britanni ſuum *C* ſemper proferunt.

Has autem tres Conſonas abſolute *Mutas* dicimus; nullum enim per ſe ſonum edunt, aut quidem edere poſſunt, ſpiritu nuſpiam in liberum aërem exeunte; nam ad nares non pervenit, per fauces non exit.

Si Spiritus, *inter nares & fauces æqualiter diviſus*, occluſis *Labiis* intercipiatur; *Semi-mutæ.*
formatur conſona *B*; Græcorum β; Hebræorum ב dageſſatum; Arabum *Be*. *B.*

Si, in *Palato*; formatur *D*; Græcorum δ; Hebræorum ד dageſſatum; Ara- *D.*
bum *Dal* (ut & *Da* & *Dad.*)

Sin intercipiatur in *Gutture*, (nempe inter poſteriorem linguæ & palati partem;) formatur *G*; Græcorum γ; Hebræorum ג dageſſatum; Arabum (non *G.*
Gjim, quamvis ea ſit affinis litera, ſed) *Gain*. Cambro-Britanni ſic ſemper proferunt ſuum *g*.

Atque has ego *Semi-mutas* appello; exiguum enim ſonum in naribus efficiunt, qui per ſe quidem audiri poteſt nullo alterius literæ ſono accedente.

Si vero Spiritus totus, (vel ipſius, ſi ita placet, pars præcipua,) *ad nares dirigatur*, (aërem in oris concavo manentem ſolummodo in tranſitu concutiens;) *Semi-vocales.*
obturatis tantum *Labiis* formatur *M*; Græcorum μ; Hebræorum מ; Arabum *M.*
Mim.

Sin obturatio in anteriori *Palato* fiat, formatur *N*; Græcorum ν; Hebræo- *N.*
rum & Arabum *Nun*.

Si autem in *Gutture* (hoc eſt, in poſteriori palati parte) ſit obturatio, formatur ſonus ille, quem exprimunt Græci per γ ante κ, γ, χ, ξ.

Latini vero olim aliquando per *g*, ut *Agchiſes*, *agceps*, *aggulus*, &c. (teſtibus Priſciano & Varrone:) at nunc (ſicut & aliæ nunc dierum gentes) per *n* ante ejuſmodi conſonas (præſertim in eadem ſyllaba) puta *k*, *q*, *x*, item *c*, *g*, *ch*, duro (hoc eſt, genuino) ſono prolatas. Alius enim auditur ſonus literæ *n* in vocibus *thin*, dilutum; *ſin*, peccatum; *in*, in: alius in *thing*, res; *think*, cogito; *ſing*, cano; *ſingle*, ſimplex; *ſink*, ſubſido; *ink*, atramentum; *Lynx*, &c. Item in *hand*, manus; *band*, ligamentum; *ran*, currebam; aliter ſonatur *n*, quam in *hang*, pendeo; *bank*, collis; *rank*, ſeries; &c. Imo in iiſdem vocibus, prout varie dividuntur ſyllabæ, alius atque alius erit iſtius literæ ſonus: aliter ſonabitur *n* in *lon-ger*, *ſtron-ger*, *an-ger*, *drin-ker*, *in-gruo*, *con-gruo*: aliter vero in *long-er*, *ſtrong-er*, *ang-er*, *drink-er*, *ing-ruo*, *cong-ruo*. Item, dum dicunt alii *in-quam*, *tan-quam*, *nun-quam*, &c

alios

alios audiemus ita loquentes acſi ſcriberetur *inq-wam, tanq-wam, munq-wam*, vel *ink-wam, tank-wam, nunc-wam*. In prioribus ubique, dum *n* ſonatur, extremitas linguæ anteriorem palati partem prope ſuperiorum dentium radices ferit; in poſterioribus, eadem linguæ extremitas potius ad inferiorum dentium radices deflectit, poſterior vero linguæ pars ad palati partem poſteriorem elevatur, ſonumque illic intercipit: eodem nempe modo in ore formatur quo *G*, at illam ſpiritus directionem ſortitur quam habet *N*. Eſtque hic, ni fallor, ſonus ille quo multi vellent Hebræorum *ע* pronunciari; dum per *ng, ngh, gn, nghn*, &c. proferendum docent: innuunt nempe ſonum quendam qui nec literæ *n*, neque literæ *g*, perfecte reſpondeat, ſed quiddam habeat quaſi cum utraque commune. Eundem etiam ſonum neſcio an Hiſpani proferant quoties literam *ñ* ſuperne notatam ponunt; & Galli ſuum *gn*.

Has ego tres conſonas, *Semi-vocales* appello; majorem quippe ſonum ſortiuntur quam quas Semi-mutas nuper diximus.

Fiunt autem hæ novem (quas jam recenſui) conſonæ, ſpiritu prorſus *intercepto*, ne nempe per os omnino exeat: quas igitur *Clauſas* diximus.

Conſonæ Derivativæ, ſive Apertæ; vel Aſpiratæ; tam Subtiliores quam Pinguiores.

Eadem vero manente formatura, *ſi Spiritus, arcte compreſſus, exitum* (*ægre licet*) *inveniat*; formantur Conſonæ quas *Apertas* dicimus; illarum nempe omnium à quibus *derivantur* (Semi-vocalibus exceptis) *Aſpirationes*: *Subtiliores* quidem ſeu Tenuiores, ſi per rimulam oblongam; Craſſiores vero ſeu *Pinguiores*, ſi per rotundum quaſi foramen, ſpiritus exeat. Referuntur autem ad eaſdem claſſes cum Clauſis ſeu Primitivis quibus ſunt affines.

Semi-vocalibus vero, quas diximus, nullas literas *Aſpiratas* ſubjungo; non quod, ſi illas pronunciaturo ſpiritus erumpat, nullus audiretur ſonus; ſed quod ſonus qui ſic efficitur, nondum (quod ſciam) in literarum cenſu locum obtinuerit: vel enim boum *mugitum*, vel *gemitum* humanum refert; illum nempe ſi in Labiis, hunc præſertim ſi in Palato vel Gutture, fiat.

Labiales. F. Literam *P* pronunciaturo, *ſi ſpiritus erumpat*, fit ipſius Aſpiratio *F*, vel *Ph*; hoc eſt, Græcorum φ; Arabum *Phe*; Hebræorum *Phe* raphatum; Cambro-Britannorum *ff*.

Nec multum refert utrum per *rimulam*, an per *rotundum foramen* exeat: Quamvis enim eo modo ſubtilior, hoc pinguior, ſonus audiatur; tantillum tamen eſt utriuſque diſcrimen, ut neſcio an ullibi pro diſtinctis literis habeantur.

V. Literam *B* pronunciaturo, ſi ſpiritus *per rimulam exeat*, formatur Anglorum V conſonans; Hebræorum *Bheth* raphatum.

Hiſpani eodem ſono etiam *b* non raro efferunt, literas *b* & *v* promiſcue uſurpantes. Cambro-Britanni hunc ſonum per *f* deſignant (ſonum autem præcedentem per *ff*.) Anglo-ſaxones vel ſonum hunc non habebant, vel per *f* ſcribebant, nam *v* conſonam non agnoſcunt, variaque paſſim per *f* ſcribebant (ut & poſt illos Angli per aliquot ſecula) quæ nunc per *v*, non minus quam quæ nunc per *f* ſcribuntur; ut *gif, heofon*, &c. quæ nunc *give, heaven*, &c. ſcribuntur. Arabes & Perſæ hunc ſonum non habent: Turcæ tamen ſic proferunt ſonum *Vaw*; ut & non pauci *Vau* Hebræorum (quod alii potius ut Arabum *Waw*, ſeu *W*, rectius proferri putant.) Atque hoc ſono Æolicum Digamma *F*, pronunciatum fuiſſe non dubito; cum enim antea habuerint Græci characterem φ, non opus erat ut eidem ſono exprimendo novum characterem *F* excogitarent. Quid quod, & Priſcianus agnoſcit Latinorum *F* ita fuiſſe olim pronunciatum; eodem nempe ſono quo poſtea *V* conſona prolata fuit, adeoque tandem literam *f* ad ſonum φ, ſeu *ph*, tranſiiſſe.

Si vero ſpiritus *per foramen rotundum exeat*, (genis nempe contractis, & ore
W. rotundato,) formatur Anglorum *W*; Arabum *Waw*. Quo ſono & Hebræorum *Vau* pronunciandum eſſe multi ſentiunt.

Germanorum *W* apud pleroſque ſic proferri puto; apud alios tamen, ni fallor, ſonum exhibet compoſitum ex hoc & præcedente, illum nempe huic præponendo; nempe quod illi per *Wa*, Angli per *Vwa* ſcriberent.

Non multum differt hic ſonus ab Anglorum *oo*, Gallorum *ou*, Germanorum *ů* pingui, rapidiſſime pronunciatis: adeoque à quibuſdam pro vocali fuit habita, cum tamen revera conſona ſit, quanquam ipſi vocali admodum ſit affinis. Cambro-Britanni tam vocalem illam quam hanc conſonam eodem charactere *w* ſcribunt; nempe, cum accentu ſuperne notatur, vocalis eſt, & producto ſono effertur; alibi ſæpe pro conſonante habetur correpto ſono prolata:

lata: ut *gw'ydd* (diſſyllabum) anſer, *gwy'dd* (monoſyllabum) arbuſta; ſic *gw'yr* curvus, *gwy'r* viri. In vocibus Latinis quoties hic ſonus literis *ſ, q, g,* ſubjungitur, ut in *ſuadeo, quando, lingua,* &c. à pleriſque pro vocali habitus eſt; & quidem ab illis fortaſſe qui in Anglorum *wade, perſwade, ſway,* &c. conſonam agnoſcerent: utrobique tamen idem omnino ſonus eſt. Sed & in diphthongis, *au, eu, ou,* rite pronunciatis, vocalis quæ dicitur ſubjunctiva, non alia eſt quam hæc conſona: qua de re videatur tractatus ille quem *de Bivocalibus* edidit acutiſſimus *Gatakerus* noſtras.

Quum vero idem Vir Clariſſimus contendit (ut & alii magni viri) eodem ſono Latinorum V conſonam *ſemper* olim fuiſſe pronunciatam (quomodo etiamnum alicubi gentium pronunciatur:) Ego quidem hactenus ſaltem aſſentio; illo nempe ſono in multis ſaltem vocabulis fuiſſe pronunciatam: At vero an in omnibus ita fuerit pronunciata, non auſim affirmare. Exiſtimo potius utrumque ſonum, non modo nunc dierum, ſed & olim (non autem ab initio) eidem characteri affixum fuiſſe; quædam nempe vocabula hoc, quædam illo ſono, fuiſſe prolata, fortaſſe & eadem nonnunquam vocabula variis in locis, aut à variis hominibus, utroque ſono promiſcue prolata: Hoc præſertim argumento ductus, quod videam Latina nomina per conſonam *V* ſcripta, cum in Græcam linguam transferuntur, quandoque per β, quandoque vero per ου Græce ſcribi; atque illud quidem jam olim obtinuiſſe: Nulla enim mihi apparet ratio cur non (verbi gratia) Latinorum *Flavius* Græce Φλαύιος (& quidem ſemper) ſcriberetur, potius quam Φλάβιος, (quod & de innumeris vocabulis dici poteſt,) niſi conſona illa *V* propius accederet ad ſonum Æolici Digamma: Præſertim, cum illam *V* conſonam in multis quidem vocabulis ab ipſo Digamma Æolico ortum duxiſſe, ſit in confeſſo: Quis enim aliam cauſam aſſignat cur in Latinorum *video, vis, veſper, vinum, venter, veſtis, veſcor, Venetus,* &c. conſpiciatur *V* conſona, (quæ in Græcorum ἰδέω, ἴς, ἕσπερος, οἶνος, ἔντερον, ἐσθὴς, ἐσθίω, Ἐνετος, non conſpicitur,) quam, quod ſoliti fuerint Æoles ſuum Digamma hujuſmodi vocibus præfigere? Neque mirum videri debet, ſi lingua Latina, quæ tunc ipſis erat vernacula, parem cum aliis linguis vernaculis ſortem obtinuerit; ut nempe ejuſdem literæ non ſit eadem ubique & conſtans pronunciatio. Fortaſſe etiam & Hebræorum *Vau* non erat idem ubique ſonus, ideoque Græce Δαυίδ, potius quam Δαβίδ, legitur: Quod de ש certum eſt, Jud. 12. 6. Sed genuinum ſonum Latinorum *V* conſonæ, eundem eſſe puto cum noſtro *W*; indeque factum eſſe, quod in vocabulis Antiquis Latinorum *V* conſona tranſit in noſtrum *w*; ut via *way*, vinum *wine*, ventus *wind*, vado *wade*, venio veni *wend went*, virtus *worth*, vulnus *woon wound*, vallum *wall*, aliiſque innumeris. *Antiquis* inquam. Nam *vain* vanus, *vein* vena, *vally* vallis, *vertue* virtus, atque his ſimilia, ſunt voces novitiæ.

Literam *T* pronunciaturo, ſi ſpiritus *pinguius exeat*, & quaſi *per foramen*; for- *Palatina.*
matur Græcorum θ; Hebræorum *Thau* raphatum; Arabum *The*; hoc eſt Anglo- Th.
rum *Th* in vocibus *thigh*, femur; *thin*, tenuis; *thing*, res; *thought*, cogitatio;
throng, caterva; &c.

Anglo-Saxones olim ſcribebant hac nota þ quam *Spinam* vocabant. Cambro-Britanni per *Th* ſemper ſcribunt.

Si vero *ſubtilius exeat*, & quaſi per *rimulam*, (elevata paulum ea linguæ S.
parte quæ extremitati proxima eſt, ut ſpiritus in tenuiorem quaſi laminam ſeu
bracteam comprimatur, in formam nempe latiorem ſed minus craſſam) formatur Græcorum σ; Hebræorum *Samech* & *Sin*; Arabum *Sin* & *Sad*; Latinorum & Anglorum *ſ* vero (hoc eſt, ſtridulo & acuto) ſono pronunciatum.

Ut in vocibus *yes*, ita (affirmandi particula;) *this*, hic; *us*, nos; *thus*, ſic; *hiſs*, ſibilo; *leſs*, minor; *ſend*, mitto; *ſtrong*, fortis; &c. Hoc etiam ſono pronunciamus *c* mollius, (nempe ante *e, i,* & *y,*) ut in *grace*, gratia; *mercy*, miſericordia; *peace*, pax; *ſince*, poſtquam; *principal*, principalis; &c. Galli eodem ſono proferunt *c* nonnunquam etiam ante alias vocales, (at tunc plerumque caudam affigunt,) ut ça, *adeſdum*; garçon, *puer*; &c.

Literam *D* pronunciaturo, ſi ſpiritus erumpat modo *pinguiori*, & quaſi *per* Dh.
foramen; formatur Arabum *Dhal*; Hebræorum *Daleth* raphatum; Hiſpanorum
d mollius, qualiter nempe proferri ſolet ea litera in medio & fine vocabulorum, ut *Majeſtad, Trinidad,* &c.

Hunc ſonum Angli eodem prorſus modo ſcribunt quo ſonum alium paulo ſupra nominatum, nempe per *th*, ut in vocibus *thy*, *thine*, tuus; *this*, hoc; *though*, quamvis; &c.
Anglo-Saxones olim ſonum illum per þ, hunc vero per Ð, ð, ſcripſiſſe puto, prout ex eo- Ð ð
rum ſcriptis liquet, (quanquam & ipſi characteres illos non raro promiſcue uſurpabant:)
Sequentibus autem ſeculis Angli eundem characterem þ utrique ſono adhibuerunt, qui

paulatim degeneravit in characterem ꝥ, qui in libris quamplurimis manu-ſcriptis perpetuo conſpicitur in iis vocabulis quæ nunc per *th* ſcribuntur: Atque hinc eſt quod mos olim invaluerit, qui etiam adhuc non raro retinetur, ſcribendi yᵉ, yᵗ, yᵘ, pro *the*, *that*, *thou*, &c. Cambro-Britanni ſonum illum per *th*, hunc per *dd* perpetuo ſcribunt; niſi quod aliqui melius ſcribi poſſe contendunt per *dh*, qui non tamen obtinuerunt ut mos olim receptus immutetur.

Nos autem (ut dictum eſt) utrumque ſonum promiſcue ſcribimus per *th*: Sed male quidem; cum neuter eorum ſit ſonus compoſitus, ſed plane ſimplex, à ſonis literarum *t* & *d* eodem fere modo deflectentes quo *f* & *v* à ſonis literarum *p* & *b*. Fateor tamen qua ratione pro *f* ſcribitur *ph*, eadem etiam *bh*, *th*, *dh*, ſcribi poſſe: ut nempe literarum aſpiratarum Affinitas ſimul & Deflectio ab iis à quibus oriuntur aliquatenus innuatur. Compoſitum autem ex his literis genuinum ſonum, omnino alium eſſe quam qui eſt literarum aſpiratarum, patet ex vocibus *Cob-ham*, *Chat-ham*, *Wit-ham*, *Mat-ham*, *Wad-ham*, *Wood-houſe*, *ſhep-heard*, *Clap-ham*, *Mep-ham*, &c. (Item in *Oc-ham*, *block-head*, *hog-heard*, *Cog-hil*, *houſ-hould*, *diſ-honour*, *miſ-hap*, *diſ-honeſt*, *diſ-hearten*, *Maſ-ham*, *Cauſ-ham*, *Wiſ-heart*, &c. alios omnino ſonos audimus quam quos vulgo ſcribimus per *ch*, *gh*, *ſh*.)

Utrumque autem ſonum quem nos per *th* ſcribimus, Galli, Belgæ, aliique non pauci, vix aut ne vix proferunt; dum illum autem proferre conantur, Galli plerumque *t*, Belgæ *d*, alii nonnunquam *s* ſubſtituunt. Neutiquam tamen eſt difficile genuinos hoſce ſonos proferre ſiquis eorum formationem paulo attentius obſervet; nempe, omnibus eodem modo manentibus acſi prolaturus quis eſſet literas *t*, *d*, niſi quod ſpiritus erumpere permittatur: caveatur autem ne, etiam non attendenti, aſſurgat aliquantulum linguæ pars extremitati proxima, adeoque literas *S* & *Z* efficiat: ut enim *S* ad *t*, ſic *Z* ad *d*; ut jam dicemus.

Z. Si eandem literam *D* pronunciaturus, ſpiritum *ſubtiliori* forma & quaſi *per rimulam* protrudat, (elevata quidem in illum finem linguæ parte extremitati proxima,) formatur Latinorum *Z*; Græcorum ζ; Hebræorum *Zain*; Arabum *Ze*: quem ſonum etiam Angli per *Z* exprimunt.

Nonnunquam tamen Angli etiam literam *S* (ſicut & Galli) eodem ſono proferunt; præſertim ubi inter duas vocales ponitur, & in fine dictionis: ut in *pleaſure*, voluptas; *eaſe*, otium; *laws*, leges; &c. Et, quod fere ſolenne eſt, ubi ex Nomine per *ſ* durum in ultima ſyllaba pronunciato, fit Verbum; hoc verbum per *s* molle (hoc eſt, per *z*) pronunciatur: Sic *a houſe*, domus; *a lowſe*, pediculus; *a mowſe*, mus; *a price*, pretium; *adviſe*, conſilium; *cloſe*, contiguum; *braſſe*, æs; *glaſſe*, vitrum; *graſſe*, gramen; *greaſe*, pinguedo; *a fleece*, vellus; per *ſ* durum: at *to houſe*, in domum recipere; *to louse*, pediculos captare; *to mouse*, captare mures; *to priſe*, æſtimare; *to advise*, conſulere; *to close*, conjungere; *to braze*, obærare; *to fleeze*, deglubere; per *s* molle proferuntur.

Sed & eodem modo etiam aliæ literæ analogam alleviationem ſortiuntur; nam ex Nominibus *Wife*, uxor; *life*, vita; *ſtrife*, lis; *half*, ſemiſſis; *calf*, vitulus; *ſafe*, ſalvus; *breath*, ſpiritus; *cloth*, pannus; per ſonos duriores prolatis: fiunt Verba *to wive*, uxorem quærere; *to live*, vivere; *to ſtrive*, litigare; *to halve*, biſecare; *to calve*, vitulum parere; *to ſave*, ſalvum reddere; *to breathe*, ſpirare; *to clothe*, veſtire.

Itali literam Z (præſertim geminatam) non raro fortius proferunt, ut Hebræorum צ vel *tz*; atque eodem ſono proferunt non pauci in vocibus Latinis *t* ante *i*, ſequente etiam alia Vocali: Nempe *Piazza*, *Venetiæ*, &c. efferuntur *Piatza*, *Venetziæ*, &c.

Eidem literæ *D*, vel (ſi placet) literæ *N*, ſubjungere etiam licet duas alias literas eadem ſede, nempe in Palato, formatas: *L* & *R*. Has autem literis *D* aut *N*, potius quam literæ *T*, ſubjungo; propter laryngis concuſſionem, & ſpiritus ad nares emiſſionem, quæ his proferendis fiunt; quarum litera *T*, & quæ ab ea deſcendunt omnes, ſunt incapaces.

L. Litera *L* formatur, ſi literas *D* vel *N* prolaturus *ſpiritum à latere* (ſive altero, ſive utroque) *in buccam leviter emittat*, & per buccarum anfractus ad aperta labia, adjuncto etiam linguæ tremore. Eſtque hujus literæ apud omnes (ni fallor) gentes idem ſonus: nempe ut Hebræorum ל; Græcorum λ.

LL. Habent autem Cambro-Britanni alium etiam ſonum huic quidem affinem, ſed fortiorem, (quem per *ll* ſcribunt, ut à litera *l* diſtinguant;) ſpiritu nempe multo fortius in buccas extruſo: Unde fit ſonus ſpumoſior, & quaſi ex *lh* conflatus. Apud alias gentes ſonus ille (quantum ſcio) non auditur, niſi forte apud Hiſpanos.

R. Litera *R* (quæ canina dici conſuevit) formatur etiam in Palato: ſi nempe extremitas linguæ, literam *D* vel *N* pronunciaturæ, introrſum flexa ſpiritum

exiturum forti quidem & frequenti concuſſione verberet: Ex quo conflictu tremulo, horridus ille ſonus auditur. Eſtque hujus literæ ſonus apud omnes idem: Nempe ut Hebræorum *Reſh*; Græcorum *ρ*.

Cambro-Britanni huic literæ frequenter ſubjungunt *h*; eorumque *Rh* reſpondet Græcorum *ῥ* aſpiratæ. Americanos ferunt, *Novangliæ* conterminos, (aut eorum ſaltem magnam partem,) literas *L* & *R* pronunciare non poſſe, ſed ipſorum loco *N* ſubſtituere; adeoque *Nobſtan* dicere pro *Lobſtar*. Rh.

Literam *K*, vel *C* durum, pronunciaturo, ſi ſpiritus *ſubtilius erumpat*, & ſtrictius compreſſus, formatur Græcorum *χ*; Hebræorum *Cheth*; Arabum *Cha* (recte pronunciata;) & forte *Caph* raphatum, ſed vix à Noſtratibus: ſonus nempe medius inter *C* & *H*. *Gutturales.* Ch.

Eſtque hic ſonus Germanis familiaris, ut & Cambro-Britannis; utrique per *ch* ſcribunt. Apud Anglos penitus deſuevit; noſtrum enim *ch* alio longe ſono profertur, ut poſt dicetur.

Si vero *pinguius* exeat ſpiritus, & minus compreſſus (ob laxiorem linguæ poſitionem & latiorem exitum,) formatur Latinorum *H*; Hebræorum & Arabum *He*; Græcorum ſpiritus aſpiratus. H.

Eſtque hic ſonus pleriſque gentibus familiaris. Galli ſæpe ſcribunt *h*, ſed raro pronunciant. Non differt à ſono prioris literæ, niſi quod illic ſpiritus fortiori conatu & per anguſtiorem quaſi rimulam exeat (ideoque Aſpiratio duplex dici ſoleat;) hic vero liberius & quaſi per foramen latius.

Græci, quaſi non eſſet litera (quoniam exiguus quidem ſonus eſt) *Aſpirationem* dixerunt & (ſaltem nunc dierum) in literarum directa linea non ſcribunt ſed literæ vertici imponunt; verum olim in ipſa literarum ſerie vocalibus præponebant, (at conſonæ *ρ*, ni fallor, poſtponebant;) atque hinc eſt quod apud eos *H* eſt centenarii numeri nota; quod enim nunc ἑκατὸν ſcribitur, olim ſcribebant HΕΚΑΤΟΝ.

In aliis linguis nil video cur non pro conſona habeatur: Non enim, quia ipſius ſonus ab aliquibus (præſertim Gallis) inter pronunciandum aliquando omittatur, ideo litera cenſenda non eſt; illud enim & multis literis eſt commune, præſertim Hebræorum (aliorumque Orientalium) literis quieſcentibus & *Am*, (ne opus ſit Gallorum hac in re nimiam licentiam attingere;) Neque etiam quod, apud Latinos Poetas, ipſius interventio, vocalium eliſionem non impediebat; nam neque *M*, nec (olim) *S*, impedimento erant quo minus ejuſmodi contractio fieret. Fateor tamen Latinos hac in re eouſque Græcorum æmulos fuiſſe, ut merito dubium videri poſſit num ipſi *h* pro litera habuiſſe cenſendi ſint necne; præſertim cum Grammaticos reclamantes videam.

Literam *γ* (ſeu *G* durum) pronunciaturo, ſi ſpiritus *arctius* compreſſus per ſubtiliorem quaſi *rimulam* exeat; formatur ſonus qui per *gh* exprimitur. Gh.

Hunc ſonum Angli in vocibus *light*, lux; *night*, nox; *right*, rectum; *daughter*, filia; &c. olim protuliſſe ſentio: at nunc dierum, quamvis ſcripturam retineant, ſonum tamen fere penitus omittunt: Boreales tamen, præſertim Scoti, fere adhuc retinent, ſeu potius ipſius loco ſonum *h* ſubſtituunt. Hiberni in ipſorum *gh* hunc ſonum exacte exhibent, ut in *logh*, lacus; &c. Differt à Germanorum *ch* ſicut ipſum *g* à *c*; directione nempe ſpiritus partim ad nares, quam nec *c* nec *ch* omnino patiuntur. Germani tamen eaſdem voces fere per *ch* ſcribunt, quas Angli per *gh*; eorum enim **nacht**, **recht**, **liecht**, **fechten**, **tochter**, reſpondent noſtris *night*, *right*, *light*, *fight*, *daughter*; aliaque ſunt ſimilia non pauca. Latini, Græci, Hebræi, & Arabes ſonum hunc non agnoſcunt, niſi forte Hebræorum *Ghimel* raphatum ſic proferri debeat. Perſæ eo ſono ſuum *Ghaf* pronunciant, quod tribus ſuperne punctis ab Arabum *Kef* diſtinguitur.

Si vero *liberius* & quaſi *per latius foramen* exeat ſpiritus; formatur Anglorum *y conſona*; Germanorum *J conſona*; Arabum *Ye*; quo ſono etiam Hebræorum *Jod* ſeu *Yod* multi pronunciandum contendunt. Sono nempe vocalis *i* exilis raptiſſime pronunciatæ admodum affinis eſt. Y

Ideoque Diphthongi (ut vocantur) *ai*, *ei*, *oi*; vel *ay*, *ey*, *oy*, fere promiſcue ſcribuntur per *i* & *y*: apud Anglos præſertim & Gallos. Eſt autem ſonus ille, qui pro vocali ſubjunctiva cenſetur, revera Conſona; eodem nempe prorſus modo ſonabitur litera *y* in *ſaying*, *praying*; &c. ſive ad priorem ſyllabam (ubi pro vocali habebitur) ſive ad poſteriorem (ubi

habebitur pro conſona) referatur; nempe ſive ſit *ſay-ing*, *pray-ing*, ſive *ſa-ying*, *pra-ying*. Parem ſcilicet affinitatem agnoſcimus inter *oo* (ſeu *û* pingue) & *w*, quæ eſt inter *ì* exile & *y*. De utriſque videatur acutiſſimus *Gatakerus* in tractatu ſupra citato.

Sed & alibi etiam *y* pro *i* non raro ponitur, ubi ſcilicet *i* vocalis eſt, (præſertim in dictionum fine:) quo caſu non modo antiquiores Anglo-Saxones, ſed & per multa ſecula qui ipſis ſucceſſerunt Angli, literam *y*, quoties pro vocali *i* poneretur, puncto ſuperne poſito ſemper notabant, hoc modo *ẏ*.

Affinitatem autem maximam eſſe hujus literæ cum *g* & *gh*, inde manifeſtum eſt, quod ea quæ nunc per *gh* ſcribimus *light*, *might*, *thought*, &c. in manuſcriptis libris ſæpiſſime per *y* conſonam ſcripta legimus, eodem nempe charactere quo *yet*, *yonder*, &c. Triplicem nempe habuerunt figuram; unam þ pro qua nunc ſcribitur *th*, ut ſupra dictum eſt; alteram ẏ quæ loco *i* vocalis ſolebat pingi, & à priori non niſi puncto ſupra polito diſtinguebatur; & tertiam ȝ quam pro *y* conſona perpetuo ſcribebant, quæ etiam in illis vocibus (ut dictum eſt) reperitur quæ nunc per *gh* ſcribuntur: Hunc autem characterem, prout tunc pingi ſolebat, neſcientes forſan poſteriores librarii, ipſius loco characterem literæ *z* fœdiſſimo errore ſubſtituerunt; unde monſtra illa vocabulorum thouȝt, ſouȝt, &c. pro *thought*, *ſought*, &c. ſeu potius pro *thouyt*, *ſouyt*, &c. (prout tunc nempe per *y* conſonam ſcribi ſolebant) in impreſſis Chauceri aliorumque veterum poetarum libris conſpiciuntur. Longe melius doctiſſimus *Wheelocus* (linguarum Arabicæ & Saxonicæ apud Cantabrigienſes olim Profeſſor) ejuſmodi voces per *h* ſcribit, in Venerabilis *Bedæ Hiſtoria Eccleſiaſtica*, aliiſque ſcriptis, Saxonice ab illo editis: ubi (cnihte, mihte, ðurh, &c.) paſſim occurrunt quæ nunc *knight*, *might*, *through*, &c. ſcribuntur. Addo etiam, ea ipſa vocabula non pauca quæ nunc apud nos per *y* ſcribuntur, à Saxonibus olim (atque etiamnum ut plurimum à Germanis) per *g* ſcripta reperiuntur; noſtra enim *ſlay*, occido; *ſayl*, velum; *ſay*, inquam; *day*, dies; *rain*, pluvia; aliaque innumera, partim apud Anglo-Saxones, partim à Germanis dicuntur *ſchlagen*, *ſegel*, *ſegen*, *ſag*, *tag*, *regen*, &c. Et contra, multa quæ nunc per *g* ſcribuntur, fuerunt olim per *y* ſcripta; ut *agayn*, iterum; *agaynſt*, contra; *given*, datum; &c. olim *ayen*, *ayenſt*, *yeoven*, &c. Et ab Anglo-Saxonum Ȝenoȝ, ȝenoh, (ſatis) factum eſt primo Anglorum *yenough*, poſtea *ynough* ſcriptum; atque jam tandem promiſcue *inough*, vel *enough*.

Atque ita literarũm ſonos ſimplices, quos ſcio, omnes enumeravi, eorumque formaturam tradidi, eoſque in ſuas familias ſeu claſſes diſtribui. Quos omnes uno aſpectu ſic intueri licet.

Literarum omnium Synopſis.

Vocales	Apertura *majori.*	Apertura *media.*	Apertura *minori.*
Gutturales	â ô *aperta.*	e *fœmininum*	û ò *obſcurum*
Palatinæ	à *exile.*	é *maſculinum*	ee, ì *exile.*
Labiales	ô *rotundum*	oo, û *pingue.*	ú *exile.*

Conſonæ			*Aſpiratæ* Subtiliores	*Aſpiratæ* Pinguiores	
Labiales	*Muta*	P	F	F	
	Semi-muta	B	V	W	
	Semi-vocalis	M	*mugitus*		
Palatinæ	*Muta*	T	S	Th	
	Semi-muta	D	Z	Dh	L. R.
	Semi-vocalis	N	*gemitus*		
Gutturales	*Muta*	C	Ch	H	
	Semi-muta	G	Gh	Y	
	Semi-vocalis	ñ	*gemitus*		

SECT.

Sect. IV.

De Sonis Compoſitis.

RElíqui ſoni omnes ſunt plane Compoſiti; quamvis eorum nonnulli pro ſimplicibus vulgo habeantur. *Literæ Compoſitæ.*

Diphthongi, quæ vocantur, *ai*, *ei*, *oi*, *au*, *eu*, *ou*, vel *ay*, *ey*, *oy*, *aw*, *ew*, *ow*, recte pronunciatæ, componuntur ex Vocalibus Præpoſitivis, & Conſonantibus *y* & *w*, quæ tamen pro Vocalibus Subjunctivis vulgo habentur. ay, ey, oy, aw, ew, ow.

Nempe in *ai*, *au*, vel *ay*, *aw*, præponitur *á* exile: in *ei* vel *ey*, *e* fœmininum; in *eu* vel *ew*, *é* maſculinum: in *oi*, *ou*, vel *oy*, *ow*, præponitur aliquando *ó* apertum, (ut in Anglorum *bóy*, puer; *tóy*, nuga; *ſóul*, anima; *bówl*, poculum;) aliquando *ò* obſcurum, (ut in Anglorum *bòil*, coquo; *tòil*, labor; *òil*, oleum; *bòul*, globus; *òwl*, bubo; &c. quanquam non negem etiam horum nonnulla à quibuſdam per *o* apertum pronunciari.)

Quod autem contendant aliqui Conſonas *y*, *w*, nihil differre à Vocalibus *i*, *ŭ*, ſeu (ut noſtri ſcribunt) *ee*, *oo*, raptim pronunciatis; manifeſtum eſſe errorem facile deprehendet, qui formationem Vocum *yee* & *woo* curioſius attenderit, (præſertim ſi eandem repetat aliquoties;) quippe obſervabit, à ſono Conſonæ ad ſequentis Vocalis ſonum non tranſiri, niſi Organorum manifeſto motu (adeoque nova poſitione) interveniente, quod in iterandis ſonis *ee ee*, *oo oo*, non fit.

Has autem (vulgo dictas) Diphthongos in variis linguis varias ſortiri à genuino ſono deflectiones non ignoro; de quibus nunc agendum non eſt: poterunt autem illi omnes inter ſonos à nobis traditos (ab iis quorum id intereſt in ſingulis linguis) reperiri, adeoque ad ſuos locos referri.

Anglorum *ī* longum ſeu pingue, eſt plane ſonus compoſitus ex *e* fœminino & *y* conſona; eſtque idem omnino ſonus cum Græcorum *ει*. ī.

Anglorum *j* conſona vel g molle, vel etiam *dg*; componitur ex conſonis *dy*. *j conſona.* dy.

Nam eorum *jar*, diſcordia; *joy*, gaudium; *gentle*, generoſus; *lodging*, habitatio, ſeu locus commorandi; &c. ſonant *dyar*, *dyoy*, *dyentl*, *lodying*, &c. Atque eodem ſono profertur Arabum *Gjim*; (quæ litera quamvis ab Hebræorum *Ghimel* deſcendat, non tamen ipſius ſonum retinet:) & Italorum *Gj*.

Gallorum *j* conſona, vel g molle, componitur ex conſonis *zy*. zy.

Nam eorum *je* ego, *age* ætas, &c. ſunt *zye*, *a-zye*, &c. Hunc ſonum Perſæ per ſuum *zye* ſcribunt; quod tribus ſuperne punctis ab Arabum *ze* dignoſcitur.

At Germanorum *j* conſona, eſt ſonus plane ſimplex; idem nempe cum Anglorum *y*: ut ſupra dictum eſt.

Anglorum *ſh*; Gallorum *ch*; Germanorum *ſch*; Hebræorum & Arabum *ſhin*; ſonant *ſy*. ſh, ch, ſch, ſy.

Nam Gallorum *chambre* camera; Anglorum *ſháme*, & Germanorum *ſcham*, pudor; ſonant *ſyâmbre*, *ſyáme*, *ſyâm*. Cambro-Britanni hunc ſonum per *ſi* ſcribunt, cum nota productionis in vocali ſequente: ideoque apud illos *Siôn* (Johannes) eſt vox monoſyllaba; at *Sion* (Sionis mons) eſt vox diſſyllaba.

Anglorum *ch* vel *tch*, ſonat *ty*. ty.

Nam *orchard*, hortus; *riches*, divitiæ; &c. ſonant *ort-yard*, *rit-yes*, &c. Hoc ſono Itali ſuum *c* proferunt ante vocales *e* & *i*. Perſæ huic ſono exprimendo, præter Arabum alphabetum, aſſumunt ſuum *che*, quod tribus inferne punctis ab Arabum *Gjim* diſtinguunt. Si voci Anglicanæ *yew* taxus, ſigillatim præponantur *d*, *t*, *ſ*, *z*, fiunt *dyew*, *tyew*, *ſyew*, *zyew*, hoc eſt, Anglorum *Jew* Judæus, *chew* maſtico, *ſhew* oſtendo; & Gallorum *jeu* luſus. Qui ſyllabis *yan yer*, præpoſuerit *ſ*, *z*, formabit Gallorum *changer*, hoc eſt *ſyan-zyer*; at ſi præpoſuerit *t*, *d*, formabit Anglorum *changer*, hoc eſt *tyan-dyer*.

Non ignoro, eſſe qui velint, in Anglorum *che* & *ge* audiri ſonum *ſ*, (quaſi *changer* ſonaretur *tſyandſyer* ;) verum ego, in *changer* non alios ſonos audio quam *tyan-dyer* ; atque ad aliorum aures provoco, num non, qui hos protulerit, Anglorum *changer* exacte pronunciaverit.

Germani ſcribunt per *ſch* : Quibus *Tſchirnhaus* profertur ut noſtrum *Chirn-houſe.*

X. Latinorum (& aliarum fere gentium) X, & Græcorum ξ, componuntur ex *cſ*, *κσ*.

Hanc literam Hebræi, aliique Orientales, non agnoſcunt, ſed ipſius loco literas ſimplices ſcribunt ex quibus componitur : Quod etiam non raro faciunt Germani ; eorum nempe *ochs* bos, *wachs* cera, *Jechs* ſex, *ſechſt* ſextus, &c. ſunt Anglis *ox*, *wax*, *ſix*, *fixt*. Cambro-Britanni hunc ſonum, per *cſ*, ſemper ſcribunt.

K. Latinorum *K* olim pro *Ca* ponebatur : ſcribebant enim promiſcue *calendæ* & *klendæ* ; item *cariſſimus* & *kriſſimus* ; &c.

Nunc apud pleraſque gentes eundem plane ſonum ſimplicem obtinet quem Græcorum κ (unde defluxit,) aut Latinorum *C* : eſſetque litera plane ſuperflua ſi *C* genuinum ſuum ſonum ſemper retineret ; ideoque Cambro-Britanni (quibus literæ *c* ſonus ubique conſtans eſt) literam *k* non habent ; ut nec alii aliqui. Galli pro eo ponunt *q* vel *qu*.

Q. Latinorum *Q* olim pro *Cu*, vel potius *Cw*, ſcriptum fuiſſe recte contendit *Gatakerus*.

At nunc dierum (ubi ſubjungitur litera *u*) plane idem ſonat ac *C* vel *K*, eſtque litera ſuperflua. Cambro-Britanni hanc literam non agnoſcunt ; ſed pro *qu* ſemper ponunt *cw* vel *chw*. Et Anglo-Saxones ſcribebant *Cpen* (hoc eſt *Cwen*) quod nos *Queen* ſcribimus.

wh. Anglorum *wh* pronunciatur omnino ut *hw*.

Idem nempe ſonant Anglorum *whit* & Gallorum *huict*, ſed ſenſu longe diverſo. Anglo-Saxones olim literam *h* priori loco poſuerunt ; (quî autem factum ſit ut Angli poſtponant, plane neſcio :) ſic pro eorum (hpæt, hpilc,) dicunt Angli *what*, *which* : at Scoti etiam *quhat*, *quilk*.

Eſt autem obſervatu non indignum, conſonas *y* & *w* (licet non attendentibus, & inobſervatas,) plerumque inter pronunciandum ſubjungi conſonis affinibus ante affines vocales.

Nempe *y* ſubjungitur ſæpe Gutturalibus conſonis, *c*, *g*, ſequente vocali palatina : ſonantur enim *can* poſſum, *get* acquiro, *begin* incipio, &c. acſi ſcriberentur *cyan*, *gyet*, *begyin* : ægrius enim tranſire poteſt lingua ab his gutturalibus conſonis ad vocales palatinas formandas, quin quis, etiamſi nolit, pronunciabit *y* : (ſic, pro *can*, poſſum, audies Scotos & Boreales Anglos, dicentes, *kan* ; Meridionales, *kyan* : & ſic in aliis :) At ante alias vocales non item ; ut in *câll* voco, *gâll* fel, *go* eo, *gun* bombarda, *gooſe* anſer, *come* venio, &c.

W ſubjungitur nonnunquam conſonis labialibus *p*, *b*, præſertim ante *o* apertum, ut in *pot* olla, *boy* puer, *boile* coquo, &c. quæ ſonantur acſi ſcripta eſſent *pwot*, *bwoy*, *bwoile*, &c. ſed neque ſemper, neque ab omnibus ſic efferuntur.

Latinorum *æ*, *œ* ; Anglorum *ea*, *oa*, *ee*, *oo*, & quandoque *ei*, *ie*, *ou*, *au*, item *th*,
æ, œ, ea, oa, ee, oo. *ph* ; (quibus ſimiles apud alias gentes reperiuntur ;) quanquam duplicibus characteribus ſcribantur, ſunt tamen (ſaltem prout nunc dierum pronunciari ſolent) ſoni ſimplices : prout ſuis in locis ſupra oſtendimus.

Atque hactenus ſonos literarum omnes, qui ubique fere gentium occurrunt, tam ſimplices quam compoſitos, quantum mihi ſufficere videtur, expoſui : & vix quidem ullos audiri credo quin poſſint ad explicatorum aliquos reduci.

Notandum tamen eſt, apud varias gentes nonnihil diverſitatis inter pronunciandum reperiri, quæ non tam ſingularum literarum, quam totius potius loquelæ communis eſt affectio. Angli nempe totam pronunciationem quaſi promovent verſus anteriorem oris partem, & faucibus apertioribus loquuntur ; unde & ſoni fiunt diſtinctiores. Germani potius retrahunt verſus poſteriorem oris partem & gutturis imum ; unde fortius & magis ſtrenue pronunciant. Galli propius ad palatum omnia formant, & faucibus minus dilatatis ; unde pronunciatio evadit minus diſtincta, & quaſi admiſto murmure confuſa.

Item ;

Item; Itali, & præſertim Hiſpani, productiori tenore loquuntur; Galli magis properantur; Angli tenore medio. Galli, (& Scoti eorum æmuli,) periodorum & clauſularum poſtremas ſyllabas elevant ſeu acuunt; Angli deprimunt ſeu gravant; quæ non tam ſingularum vocum, quam totius ſententiæ tenoris eſt affectio. Aliaque hujuſmodi etiam apud alias Gentes diſcrimina, cuilibet, prout ſe res offert, obſervanda, relinquo.

GRAM-

GRAMMATICA *Linguæ Anglicanæ.*

CAP. I.
De linguæ Anglicanæ pronunciatione.

SECT. I.
De Literis in genere, & primo de Conſonantibus.

SERMONIS Anglicani rudimenta traditurus, à *Literis*, earumque apud nos pronunciatione, exordium ſumendum eſſe duco. Ideoque ex generali qui præceſſit *De Loquela* tractatu quædam ſeligenda ſunt, aliaque quæ ad hanc linguam ſpeciatim ſpectant adjungenda.

Sunt apud nos Literarum characteres hi qui ſequuntur.

a. b. c. d. e. f. g. h. i, j. k. l. m. n. o. p. q. r. ſ, s. t. u, v. w. x. y. z.

Conſonarum pleræque nihil difficultatis habent quo minus à quibuſvis pronuncientur, cum eundem habeant apud nos ſonum, quem & alibi fere ubique gentium obtinent: præſertim *b, d, f, h, k, l, m, n, p, q, r, z*. De paucis tamen quædam ſunt monenda.

C ante vocales *e, i, y*, (aut etiam Apoſtrophum abſentis *e* non raro indicem,) ubique mollius ſonatur; ut litera *ſ*, genuino ſono prolata: alibi ſemper durius, & ſuo ſono; nempe ut Græcorum *κ*. C.

Galli *c* mollius, quandoque per ç ſcribunt, quem characterem etiam apud nos non incommode adhiberi poſſe ſentio: eo tamen minor eſt novi characteris neceſſitas, quia regula tradita nullam (quam ſcio) patitur exceptionem; quoties enim *c* durum ſonandum occurreret ante vocales *e, i, y*, perpetuo vel adjungitur vel ſubſtituitur *k*; ut in *keep* ſervo, *skin* pellis, *skil* ſcientia, *publike*, *publick*, publicus, &c. (nam *publique* &c. eſt potius ſcriptio Gallica quam Anglicana; Galli vero ideo ſubſtituunt *qu* quia literam *k* non habent.)

Hinc eſt quod à Latino *ſcio*, jam olim factum eſt (dum Latinorum *c* ſonum ſuum fortem & genuinum retinebat) *skil* (ſcientia, peritia,) tranſeunte *c* in *k* (ne, ſi *ſcil* ſcriberetur, legeretur *ſil*; ut, pro *ſcio*, jam *ſio* dicimus:) at in *ſcience* (ſcientia) quanquam ab eodem vocabulo Latino, & ſenſu fere eodem, retinemus Latinorum *c* literam, quia jam mollius proferendam, ut *ſ*. Sic, in *publication* (publicatio) retinemus *c* literam (licet fortius proferendam, ut *k*,) quoniam ſequitur *a* litera: at vero (à *publico*) ſi ſcriberetur *publice* (tranſeunte terminatione Latina in Anglorum *e*,) legeretur *publiſe*; quapropter vel pro *c* ſubſtituunt *k*, ſcribuntque *publike*, (quo retineatur fortior ſonus literæ *c*;) vel eidem ſufficiunt, ſcribuntque *publick*; (ut alibi *Arithmetick*, *Muſick*, *Phyſick*, aliaque multa.) Sic à *Cato*, felem dicimus *Cat* (retento *c*,) ſed catulum, *a kitten* (ſubſtituto *k*, quoniam ante vocalem *i*.) Sic *Candelam* dicimus *a candle*, ſed (accendere) *to kindle*. At vero (à *computo*, ſeu *recomputo*; aut, quod ego malim, à *recenſeo*,) male ſcribunt plurimi *to reckon* (per *ck*,) cum nulla ratio ſuppetit cur, pro *c*, ſubſtitueretur *k*, ante vocalem *o*. Scribendum itaque vel *recon* (quaſi à *recognoſco*,) vel (ſi *ck* retentum velimus) *recken* (quaſi à *recenſeo*) quod & olim factum puto:) Quippe in nullo (quod memini) vocabulo Anglicano, occurrit *k* ante vocales *a, o, u*; nec *c* durius proferendum ante *e, i, y*. Sed, illic ſemper *c*; atque hic *k*.

Si vero *c* alibi forſan mollius ſonare vellent, (puta in fine ſyllabæ, vel ante conſonam, aut vocales *a, o, u*) adjungunt *e* mutum, quo ſonus mollior indicetur : ut *chance* caſus, *advancement* promotio, *forceable* (*forcible*) violentus, &c. Quod & poſt *g* factum eſt, mollius proferendam ante *a, o,* & *u,* (ut in *George,* quo à *gorge* diſtinguatur,) pro quo Itali, ſubjungunt *j*; ut in *gjudice, gjovene,* & ſimilibus.

S. *S* acuto & ſtridulo ſono profertur ubi genuinum ſuum ſonum obtinet: At ubi dictionem claudit, fere ſemper; & ubi media inter duas vocales aut diphthongos occurrit, non raro, obſcurius ſeu mollius profertur; ut *z*.

Hanc ego literam, quoties mollius proferenda eſt, breviori charactere non male ſcribi poſſe putaverim, ut *his* ſuus, *advise* conſulo; alibi longiori, ut *hiſſe* ſibilo, *adviſe* conſilium.

Quatuor monoſyllaba (nec enim plura memini) *s* finale durum habent; *yes* ita (affirmandi particula,) *this* hoc, *thus* ſic, *us* nos. Nam qui ſcribunt *needles, coynes, lightnes,* &c. pro *needleſſe* non neceſſarium, *coyneſſe* delicatia, *lightneſſe* levitas, &c. vel ſaltem pro *needleſs, coyneſs, lightneſs,* omnino errant; ex diſſyllabis enim faciunt monoſyllaba, ſunt enim *needles* acus, *coynes* monetæ, *lightnes* (vel *lightneth*) fulgurat, monoſyllaba per *e* mutum. At qui ſcribunt *greenes, fines,* &c. pro *greenneſſe* viriditas, *fineneſſe* accuratio, ſubtilitas, &c. adhuc errorem duplicant.

T. *T* ante *i*, ſequente alia vocali, ſonatur ut *ſ* ſtridulum: Alibi ſuum ſonum retinet.

Illud potiſſimum in vocibus quæ à Latinis deſcendunt, non tamen in ſolis illis, conſpicitur. Sic *nation* natio, *potion* potio, *meditation* meditatio, *exſpatiate* exſpatior, &c. ſonantur *naſion, poſion, meditaſion, exſpaſiate,* &c. At in *queſtion* quæſtio, *mixtion* mixtio, *combuſtion* combuſtio, *fuſtian* goſſypium, & ſicubi alias *t* ſequatur literas *ſ* vel *x*, genuinum ſuum ſonum obtinet.

X. *X* ſonatur, ut *cſ*, vel ξ Græcorum.

Qua de re Gallos præſertim monendos vellem, qui ſolent ſonum *c* ſupprimere. Sed & Hiſpani mollius quam par eſt eam literam proferunt; fere ut noſtrum *sh*. Sic Hiſpanorum *Xeres* noſtri pronunciant *sherry*.

W. *W* ſonatur, ut *u* in vocibus Latinis *quando, lingua, ſuadeo,* aliiſque poſt *g, q, ſ*.

Hanc literam nos pro conſona ſemper reputamus; ſono tamen non multum differt (differt tamen) à Germanorum vocali *ü* pingui, raptiſſime pronunciata. Præcedit, apud nos, non modo quaſvis vocales, (ſi ſaltem *u* excipias,) ſed & conſonam *r*. Subjungitur conſonis *ſ* & *th*; ut *want* careo, *went* ibam, *winter* hyems, *wont* ſolebam, *wrath* ira, *write* ſcribo, *wry* curvatus, *ſwim* no, *perſwade* ſuadeo, *thwart* perverſus; (at poſt *g* & *q* potius ſubſtituitur *u*, ut *acquaint* aſſueſco, *anguiſh* angor, ſeu dolor acris, &c.) Sequitur etiam vocales *a, e, o,* cum quibus quaſi in diphthongum coaleſcit, eodem prorſus modo quo *u*, ut *ſow* ſus, *ſôw* ſero, *ſaw* vidi, *few* pauci, &c. Præcedit etiam literam *h*, ſed revera poſt illam ſonatur; *when* quando, *what* quid, &c. ſonantur *hwen, hwat,* &c.

Y. *Y* conſona, apud nos, ſonatur ut Germanorum *j* conſona; ſono nempe quam proxime accedente ad ſonum vocalis *ĭ* raptiſſime prolatæ.

Arabes *y* per ſuum *ye*, ſicut & *w* per ſuum *waw*, exprimunt. Præcedit (in ſyllabæ initio) ſolas vocales, (præſertim *a, e, o*;) eaſque ſequitur & cum illis quaſi diphthongeſcit, eodem modo & ſono quo *i*: idem nempe ſonant *ay, ey, oy,* ac *ai, ei, oi*; ſed in fine dictionis frequentius per *y* ſcribuntur, in medio ſæpius per *i*.

Sed & *y* nonnunquam vices ſuſtinet vocalis *i*; præſertim in dictionum fine. Nam promiſcue ſcribimus *mercy* miſericordia, *pity* commiſeratio, &c. ac *mercie, pitie,* &c. In medio dictionis rarius pro *i* occurrit, niſi in vocibus quæ à Græcis deſcendunt per υ ſcriptis. Quoties autem pro vocali cenſenda eſt hæc litera, ſuperne puncto notari optaverim, hoc modo *ẏ*, ut à conſona *y* diſtinguatur; quod olim factum fuiſſe video; ſaltem apud Anglo-Saxones, & (poſt eos) antiquiores Anglos; ut in Manuſcriptis libris liquet.

V. *V* conſona profertur apud nos eodem ſono quo apud Gallos, Hiſpanos, Italos, alioſque: ſono nempe ad literam *f* proxime accedente.

Differunt enim *F* & *V*, eodem modo quo *P* & *B*. Scribitur nunc dierum fere ſemper diverſo charactere *v*, ut ab *u* vocali diſtinguatur. Præcedit apud nos ſolas vocales, & quidem omnes; non autem conſonam *r* ut apud Gallos, nec *l* ut apud Belgas: ſequitur non modo vocales, ſed & conſonas *l*, *r*, in ejuſdem ſyllabæ parte poſteriori, (ſed ſequente *e* muto, aut ipſius vice apoſtropho, ne vocalis cenſeretur;) ut *vain* vanus, *vein* vena, *virtue* virtus, *vice* vitium, *voice* vox, *vulgar* vulgaris, *have* habeo, *leave* linquo, *live* vivo, *love* amo, *carve* ſculpo, *calves* vituli, &c.

J conſona durius apud nos ſonatur quam apud pleroſque alios; nempe ut *dy*. J.

Productiori charactere nunc dierum pingi ſolet, hoc modo, *j*; ut diſtinguatur ab *i* vocali. Syllabam ſemper inchoat, & ſolis vocalibus immediate præponitur: *James* Jacobus, *Jeoffray* Galfridus, *jolly* Jovialis, *jump* ſalto. Nam ſiquando ſonus ille in ſyllabarum fine pronunciandus occurrit, per *g* molle, aut etiam *dg* exprimitur, ſequente tamen *e* muto ut mollior ſonus literæ *g* innuatur; ut *age* ætas, *rage* furor, *knowledge* ſcientia, &c.

G genuino ſono prolatum ſonat ut Græcorum γ: Sed ante vocales *e*, *i*, *y*, (aut apoſtrophum abſentis *e* indicem) plerumque, nec ſemper tamen, mollius effertur; eodem nempe ſono quo *j* conſona. G.

Quoties autem molliori ſono proferendum ſit, optarem ego ut puncto ſupra poſito notetur, hoc modo *ġ*, quo à *g* duro diſtinguatur: quod exteris linguam noſtram addiſcentibus maximo eſſet adjumento.

In vocibus *give* dono, *forgive* condono, *get* acquiro, *forget* obliviſcor, *beget* gigno, *geld* caſtro, *begin* incipio, *together* ſimul, eorumque derivatis, genuinum ſonum retinet; aliiſque vocibus Germanicæ originis. Item in *anger* ira, *hunger* fames, *linger* moras necto, *eager* acris, *vineger* acetum, *ſwagger* Thraſonice glorior, *ſtagger* ebriorum more vacillo, *dagger* ſica, & ſiqua ſint alia quæ per *gger* ſcribuntur. Item in derivatis à *long* longus, *ſtrong* fortis, *big* magnus, *beg* mendico, *ſing* cano, *bring* affero, aliiſque quorum primitiva in *g* duro terminantur. In quibuſdam ſubjungitur *u* vel *h* (ſicut apud Gallos) ut ſonus fortior literæ *g* innuatur, ut *guift* donum, *guide* ductor, *guilt* reatus, *guile* dolus, *guild* deauro, *leaguer* caſtra, *tongue* lingua, *gueſt* hoſpes, *gheſſe* conjecturam facio, *Ghoſt* ſpiritus, *Guilbert*, *Guifford*, (propriis nominibus,) aliiſque forſan aliquot; in quibus *u* nihil ſonat, ut neque in *buy* emo, *build* ædifico.

B nonnunquam reticetur; ut in *debt* debitum, *doubt* dubito, &c. B.

L ſæpe excidit; ut in *talk*, *walk*, *chalk*, *calk*, *balk*, *Halk*, (*halkin*, *halkins*,) *falcon*, *Fulk*, *Tolk*, *malt*, *ſalt*, *ſhalt*, *qualm*, *calm*, *pſalm*, *ſhalm*, *halm*, *balm*, *palm*, *halſer*, *ſalcer*, *Calcot*, *Halſe*, *half*, *Ralf*, *could*, *would*, *ſhould*, aliiſque aliquot, quæ ſæpe (nec ſemper tamen nec ab omnibus) proferuntur *tauk*, *wauk*, *chauk*, *cauk*, *bauk*, *Hauk*, (*haukin*, *haukins*,) *faucon*, *Fowk*, *To'ke*, *maut*, *ſaut*, *ſha't*, *quawm*, *caum*, *pſaum*, *ſhaum*, *haum*, *bawm*, *paum*, *hauſer*, *ſaucer*, *Caucot*, *Haws*, *hauf*, *Rafe*, *cou'd*, *wou'd*, *ſhou'd*, &c. L.

S e c t. II.

De Vocalibus.

VOcalium Characteres ſunt *a*, *e*, *i*, *o*, *u*; & *y* pro *i*. Quæ plerumque cum ſyllabam claudunt, producuntur; ſecus autem ut plurimum corripiuntur.

Et quidem, hac in re, videmur Hebræos imitari; quibus quoties ſyllaba in vocali deſinit, eſt ea vocalis (plerumque) longa (niſi accentu forte ſublevetur;) ſin conſonante claudatur ſyllaba, vocalis (ut plurimum) brevis eſt (ſaltem niſi intercedat accentus.) Atque hæc videtur genuina linguæ noſtræ ratio antiqua.

Verum, prout nunc dierum ſe res habet, plurima hic monenda veniunt.

Et primo quidem, Plurima vocabula quæ vel nunc deſinunt, vel deſinebant olim, in *e* fœminino, (quod jam degenerat in *e* mutum,) plurium erant ſyllabarum quam nunc ſunt. Ut *ta·ke*, *ma·ke*, *ſi·ne*, *bo·ne*, *ſto·ne*, *wil·le*, diſſyllaba fuerunt, quæ nunc habentur pro monoſyllabis; adeoque vocalis prior ſyllabam terminabat, eratque igitur cenſenda longa. Atque hinc etiamnum obtinet, (utut jam pro monoſyllabis habeantur,) quod vocalis prima in *one*, *wile*, *mile*, *bare*, *ware*, *ſtare*, *fare*, *fire*, *fore*, &c. produci cenſeatur propter *e* finale; quæ in *on*, *wil*, *mil*, *bar*, *war*, *ſtar*, *far*, *fir*, *for*, &c. corripiuntur; eo quod in illis ſyllabam olim terminaverit;

terminaverit; in his, non item. Et quidem ſi in his retinendum vellent illud *e* finale (quod & fieri ſolebat) geminabant conſonam, (ut *wille*, *mille*, *barre*, *warre*, *ſtarre*, *ſirre*, &c.) nempe, quo ſit quæ primam ſyllabam terminaret conſona, aliaque quæ ſequentem inchoaret. Pariterque facit Hebræorum dages; duplicando, poſt vocalem brevem, ſequentem conſonam.

Monendum porro; Linguæ Græcæ genium, eum à Grammaticis cenſeri, ut intermediæ conſonæ, quantum fieri poſſit, ad ſequentem vocalem ſint referendæ; adeoque ſi vel unica ſit (ut in *πα-τήρ*) vel duæ pluresve, modo tales ſint ut ſyllabam poſſint inchoare (nt in *πα-τρὸς*, *ἄ-σθμα*, *τύ-πτω*,) ad ſequentem ſyllabam ſpectare cenſeantur, (ſaltem niſi compoſitorum ratio, aut tale quidpiam, contrarium in paucis ſuadeat:) Eoſque ſecuti, idem docent Grammatici Latini, (ut in *u-xor*, *o-mnis*, *ma gnus*, &c.) quoniam *x*, *mn*, *gn*, vocem inchoare poſſint; (nt in *xanthus*, *mna*, *gnatus*, &c.) adeoque ſyllabam multo magis.

Verum in Cymbrorum ſeu Cambro-Britannorum lingua, ſeu antiquorum apud nos Britonum, res plane contraria videtur: Ut qui, pronunciando ſaltem, (quidni igitur & ſcribendo?) conſonas intermedias ad præcedentem vocalem (quam fieri commode poteſt) retrahunt. Quod, ſi Cymbros, ſeu Wallos, diſtincte legentes audias attente, non inficiaberis. Quos ſi imitari dixerim præſentes Anglos; non miraberis, ubi dicentes audias *let-er*, *mat-er*, *gen er-al*, *Ox-on*, *mag-nify*, *pub-like*, *Doct-or*, &c. (retracta conſona intermedia ad præcedentem vocalem:) utut Latine dicendum ſit (ſi Grammaticos audiamus) *li-tera*, *ma teria*, *ge ne-ra-lis*, *O xonium*, *ma-gnus*, *pu-blicus*, *Do-ctor*, &c.

Quicquid igitur ſit de diſpertiendis ſyllabis in Lingua Græca Latinave; in Anglicana ſaltem noſtra, (quæ non tam ad Græcorum aut Latinorum normas exigenda eſt, quam ad loquentium ſonos auribus perceptos,) putaverim potius (aurium judicio) ita diſpeſcendas ſyllabas, ut nunc ad antecedentem, nunc ad conſequentem vocalem referatur conſonans intermedia, prout præcedens vocalis vel corripienda ſit vel producenda; aut etiam, ſi plures concurrant intermediæ conſonæ, ſic diſtribuantur ot ſuaſerit loquendi ratio, (quam par eſt ut ſcripto imitemur.) Sic, verbi gratia, in voce *later*, ſi correptam vellem priorem ſyllabam, ſcriptum putaverim *lat-er*; ſi productam, *la-ter*; (eodem quippe ſenſu utrumque dicitur.) Sic *doc-tor*, *doc-trine*, ſcribendum dixerim (ſi diſpeſcendæ ſint ſyllabæ) quia ſic loquimur. Sed mos aliter obtinet. Sic *ab-out*, *ab-ound*, *ab-ove*, *ab-ide*, *with-in*, *with-out*, *in ure*, *un-uſual*, *un-eaſy*, *in-able*, *un-able*, *ab-uſe*, *diſ-uſe*, *miſ-uſe*.

Qui autem hoc vel non attendunt, vel non admittunt; ſed ad Græcorum aut Latinorum Grammaticorum normam diſtributas volunt ſyllabas Anglicanas, (quod à pleriſque factum videmus;) neceſſe habent (quo auribus aliquatenus faveatur) ut intermediam conſonam (obi corripienda eſt vocalis præcedens) non raro geminent; etiam refragante originis ratione: Hinc eſt quod *matter*, *letter*, *vallew*, *forrain*, aliaqne iſtiuſmodi multa ſcribimus; quæ, ſi originem ſpectemus, ſcribenda potius eſſent *mat-er*, *let-er*, *val-ew*, *for-ain*, à vocibus Latinis *materia*, *litera*, *valor*, *foraneus*, &c. Item *written*, *bitten*, *ſhotten*, *bidden*, *ridden*, *ſmitten*, pro *writ en*, *bit-en*, *ſhot-en*, *bid-en*, *rid-en*, *ſmit-en*, à verbis *to write*, *to bite*, *to ſhoot*, *to bide*, *to ride*, *to ſmite*. Sed res non tanti eſt ut ſimus de diſpeſcendis ſyllabis admodum ſolliciti. Id ſaltem inſinuatum vellem; Regulam de producenda vocali quæ ſyllabam terminat, ſed corripienda quæ conſonante clauditur; intelligendam eſſe, de ſyllabis ſic diviſis nt loquendo (magis quam ſcribendo) factum obſervamus.

A. *A* plerumque pronunciatur ſono magis exili quam apud alias pleraſque gentes: eodem fere modo quo Gallorum *e* ſequente *n* in voce *entendement*, ſed paulo acutius & clarius; ſeu ut *a* Italorum.

Non autem ut Germanorum *â* pingue; quem ſonum nos plerumque exprimere ſolemus per *au* vel *aw*, ſi producatur; aut per *ŏ* breve ſi corripiatur.

Pauca tamen ſunt in quibus *a* ſono illo pingui efferri ſolet: nempe cum in fine dictionis *a* præcedit geminum *ll*; ut *âll* omnes, *tâll* procerus, *bâll* aula, *câll* voco, *wâll* murus, *bâll* pila, *fâll* cado, &c. cum eorum Derivatis & Compoſitis; ut *âlthough* quamvis, *âllwayes* ſemper, *âllmoſt* fere, *tâllneſſe* proceritas, *câlling* vocatio, *wâll-flower* luteola, &c. Quo caſu ſuaderem ego ut accentu circumflexo ſuperne notetur, ut pinguior ille ſonus innuatur. At *walk* ambulo, *talk* colloquor, &c. rectius per *a* Anglicum efferuntur; quæ tamen negligentius loquentibus ſonantur *wau'k*, *tau'k*, &c. quo ſono Gallos imitamur qui pro *al* (ante conſonam) non raro ſubſtituunt *au*; & Scoti etiam ubi non ſequitur conſona.

E. *E* profertur ſono acuto claroque, ut Gallorum *é* maſculinum.

Vix unquam profertur ſono obſcuro ut Gallorum *e* fœmininum, niſi forte cum *e* breve præcedit literam *r*, ut in *vertue* virtus, *ſtranger* extraneus, &c. ubi non tam requiritur ſonus ille quam ægre evitatur; difficilius enim tranſit lingua ab *é* maſculino ad *r*.

At *E*, quotieſcunque in fine dictionis ſimplex occurrit, omnino mutum eſt, nec quicquam (nunc dierum) ſonat: Ut in *make* facio, *have* habeo, &c. E *mutum.*

Præterquam in Articulo demonſtrativo *the*, quod per *e* ſimplex ſcribitur (ut diſtinguatur à Pronomine *thee* te) & Nominibus aliquot Propriis, aliunde deductis, ut *Phœbe*, *Penelope*, &c. Vix enim alias uſquam pronunciatur *e* ſimplex in dictionum fine. Nam *he* ille, *ſhe* illa, *be* eſſe, *we* nos, *me* me, & ſiqua ſunt ſimilia, rectius ſcribenda putem, (prout etiam pronunciantur) per *ee* geminum, *hee*, *ſhee*, *bee*, *wee*, *mee*; contra quam fieri ſolet. Quoties autem vox aliqua terminanda occurrit ejuſmodi ſono; vel ſubjungitur aliud *e* mutum, ut in *Phariſee* Phariſæus; vel ſubjungitur *a*, ut in *ſea* mare, *flea* pulex, *plea* argumentatio judicialis, *pea* piſum, *yea* ita (affirmativa particula,) nec, quod ſciam, in pluribus; vel denique ſubjungitur *y*, ut in *Marſhalſey*, *Winchelſey*, *Langley*, *Hendley*, & paucis forſan aliis nominibus propriis.

Originem vero hujus *e* muti, neqnis miretur unde devenerit, hanc eſſe judico. Nempe, quod antiquitus pronunciatum fuerit, ſed obſcuro ſono, ſicut Gallorum *e* fœmininum: adeoque voces *take* accipio, *one* unus, *wine* vinum, &c. quæ nunc ſunt monoſyllabæ, fuerint olim diſſyllabæ, *ta-ke*, *o-ne*, *wi-ne*, &c. ideoque etiam vocalis prior ſyllabam terminaverit, fueritque propterea longa. Sonus autem ille obſcurus, finalis *e*, ſenſim evanuit, uſque adeo ut tandem prorſus negligeretur (quod & de Gallorum *e* fœminino ſæpiſſime accidit;) retenta tamen præcedentis vocalis quantitate, reliquiſque omnibus literis eodem prorſus modo pronunciatis acſi etiam ipſum *e* pronunciandum foret. Sic *commandement* (quadriſyllabum) etiamnum dicitur; quia fuerat *comman-de*, triſſyllabum. (Nuperrime enim factum eſt, ætate noſtra, quod *Commandment*, triſſyllabum, dici cœperit, neque hoc ab omnibus; cum ante quadriſyllabum omnibus fuerit.) Sed &, parentum noſtrorum ætate, dicebant *Baptiſ-me*, *Chatechiſ-me*, *beas-tes*, *pries-tes*, *clo-thes*, aliaque iſtiuſmodi, (quæ a vetulis quibuſdam etiamnum audiuntur:) & in Pſalmis metricis (Pſ. 126. 1.) etiamnum habetur *mou-thes* Diſſyllabum. Sed & utrumque dici ſolitum, *babe*, *clemence*, *excellence*, *eminence*, &c. atque *ba-be*, *clemen-ce*, *excellen-ce*, *eminen-ce*, &c. quæ tandem ſcribi cœperunt, *baby*, *clemency*, *excellency*, *eminency*, &c. (ne ſcilicet *e* finale periiſſe putaretur.) Sic *naught*, & *naughty*, (quod olim erat *naugh-te.*) Sic etiamnum Maurum dicimus *a blackamore*, (hoc eſt, *blac-kemore*) retento veſtigio priſtini *e*: quod (eliſo *e* muto) potius eſſet *black more*. Atque huc etiam ſpectat, quod *lucre*, *theatre*, *chambre*, *numbre*, *acre*, *Whitacre*, *Gatacre*, *eagre*, *vinegre*, *ſepulchre*, aliaque quæ olim per *e* fœmininum ſcriberentur (quod jam in mutum tranſiit) nunc potius ſcribantur *luker*, *theater*, *chamber*, *number*, *aker*, *Whitaker*, *Gataker*, *eager*, *vineger*, *ſepulcher*, &c. *Ipſius origo.*

Atque hoc eo magis patet, quia ejuſmodi *e* mutum antiquitus videmus perpetuo annecti vocabulis plurimis, ubi jam plerumque omittitur, ut *darke* obſcurus, *marke* noto, *ſelfe* propria perſona, *leafe* folium, *waite* exſpecto, aliiſque innumeris, in quibus nnlla patet vel probabilis conjectura cur annecteretur, niſi quod pronunciarentur *dar-ke*, *mar-ke*, *ſel-fe*, *lea-fe*, *wai-te*, &c. Nam ad producendam ſyllabam (qui præcipuus nunc eſt ipſius *e* uſus) omnino inutile eſt: vel enim ſyllaba non producitur, vel diphthongo illud ſatis innititur. Quid quod & in vocibus *have* habeo, *crave* peto, *live* vivo, *love* amo, *dove* columba, &c. conſona *v* conſpicitur ante *e* finale mutum, quæ tamen nuſquam invenitur ſyllabam claudere. Item in vocibus *force* vis, *ſpace* ſpatium, *ſtrange* extraneus, *rage* iracundia, aliiſque multis, ante *e* finale mutum, repertuntur *c* & *g*, molliori ſono prolata; nulla vero conjectura ſuppetit cur naturalem ſuum ſonum exuerent niſi propter ſonum ſequentis *e*. Præſertim cum hujuſmodi vocum magna copia ad nos à Gallis devenerint, apud quos etiamnum manet non modo eadem ſcriptura, ſed & prolatio *e* finalis fœminini: Quamvis & apud eos parcius nunc dierum quam olim prolatum videatur; & quidem à celeriter loquentibus ſæpiſſime ſupprimatur, (licet eorum Grammaticæ nondum doceant ſupprimendum;) eaque prolatio, quæ quotidie parcior evadit, brevi fortaſſe tam apud illos, quam apud nos, penitus evanitura eſt.

Certiſſimum autem hnjus rei indicium eſt ex antiqnis Poetis petendum; apud quos reperitur illud *e* promiſcue vel conſtituere vel non conſtituere novam Syllabam, prout ratio carminis poſtulaverit; (qnod & de Gallorum *e* fœminino aliquatenus verum eſt, quod, etiam non ſuadente Grammatica, poëſeos ratione ſæpe abjicitur:) Unde colligitur, ipſnm olim pronunciatum quidem, quia quandoque, ſed debilius, quia non ſemper, ſyllabam conſtituat; nempe, ut fit nunc dierum in *heaven* cœlum, *ever* ſemper, &c. quæ promiſcue vel pro monoſyllabis vel pro diſſyllabis apud Poetas occurrunt, ultimo ſcilicet *e* vel prolato vel quaſi per Syncopen extrito prout carminis ratio poſtulaverit. Sic *nation*, *ſtation*, aliaque iſtiuſmodi multa, nunc pro diſſyllabis, nunc pro triſſyllabis occurrunt, prout opus fuerit.

Quanquam vero nunc dierum non ſonetur illud *e* mutnm, non tamen prorſus otioſum eſt. Nam, præterquam quod indicio eſt voces illas pluribus olim ſyllabis, quam nunc, *Ejus uſus.*

ſuiſſe pronunciatas; his tribus ſaltem uſibus adhuc inſervit: r: Ut præcedentis vocalis quantitas conſervetur, quæ ſi producta olim fuerit, (vel nunc futura eſſet, ſi pronunciaretur *e* finale,) manet etiamnum productum quamvis illud *e* nunc ſit mutum: Ita vocabula *bat* veſpertilio, *mat* teges, *hat* pileus, *fil* impleo, *mil* mola, *wil* voluntas, &c. corripiuntur; at *bate* contentio, *mate* ſodalis, *hate* odi, *file* lima, *mile* milliare, *wile* ſtratagema, &c. producuntur; utraque tamen monoſyllaba. 2. Ut literarum *c*, *g*, & *th*, ſonus mollior innuatur, quæ ſecus fortius pronunciandæ forent: ut *huge* grande, *ſince* poſtquam, *breathe* ſpiro, *ſeethe* coquo, *wreathe* torqueo, &c. quæ ſi *e* deeſſet fortius eſſent pronuncianda, ut *hug* amplector, *ſink* mergor; *breath* ſpiritus, *ſee'th* videt, &c. 3. Ut *v* conſona poſt vocalem, diſtinguatur ab *u* vocali, ut in *have* habeo, *crave* precor, *ſave* conſervo, &c. ne putentur ut *hau*, *crau*, *ſau*, pronuncianda: cum autem nunc dierum *v* conſona ab *u* vocali, diſtincto charactere ſcribatur, fieri poteſt ut *e* mutum hoc in caſu poſthac aliquando omittatur.

Quando redundat.

Quando autem nulla prædictarum rationum urget continuationem ipſius *e*, ab accuratioribus typographis nunc dierum omittitur: niſi quod poſt *l*, & *r*, alii conſonæ ſubjunctum, à pleriſque adhuc retineatur, ut in *candle* candela, *handle* tracto, *tittle* punctulum, *fiddle* fidicula, *wrangle* litigo, *poſſible* poſſibilis, *legible* legibilis, &c. in quibus nulli nunc inſervit uſui, adeoque non incommode omitti poterit: At in *îdle* otioſus, *trîfle* nuga, *tîtle* titulus, *fable* fabula, *table* tabula, *able* potis, *nôble* nobilis, &c. potius retinendum videtur, ut præcedentis vocalis productionem notet. Sic in *lucre* lucrum, *acre*, acra, ager; atque, olim, in multis aliis, ut *theatre*, *vinegre*, &c. quæ nunc potius ſcribuntur *theater*, *vineger*, &c. Verum *child* puer, *wild* ſylveſtris, immanſuetus, *mild* mitis, & ſimilia, rectius ſine finali *e* ſcribuntur; quamvis enim producatur vocalis î, non poteſt tamen illud ex appoſito *e* finali ſatis inſinuari; ſi enim illud *e* non modo apponeretur, ſed & pronunciaretur, non tamen *i* ſed *l* clauderet priorem ſyllabam, acſi ſcriberentur *chil-de*, *wil-de*, *mil-de*, quare & *i* nihilominus pro vocali brevi reputanda videretur, utpote quæ ſyllabam non terminet; non autem *chi-lde*, *mi-lde*, *wi-lde* cum *ld* nunquam inchoent ſyllabam? Atque idem dicendum eſt de *mind* mens, *find* invenio, *bind* ligo, &c. Verum in voce *Chriſt* (quæ apud nos producto ſono proferri ſolet) productio vocalis ex appoſito *e* ſatis innui poterit, acſi ſcripta ſupponatur *Chri-ſte*; nam & ejuſmodi diviſionem patitur analogia linguæ Anglicanæ, & in *Xer-ſte*, unde deſcendit, ejuſmodi agnoſcitur ſyllabarum diviſio; ſed hîc mos aliter obtinuit ut *Chriſt* ſcribatur; & quidem ipſius derivata, *Chriſtian*, &c. pronunciantur per *i* exile ſeu breve; quin & ipſum *Chriſt* apud Scotos.

Quando manet in medio.

Vocabula per *e* mutum terminata, quamvis (ſive in derivatis, ſive in compoſitis) incrementum finale adſciſcant, retinent tamen, ſi opus eſt, ſuum *e* mutum, quod eodem nunc munere quo prius fungitur.

Vix autem uſpiam in medio dictionis reperitur *e* mutum quod non ab origine fuerat finale. Sic *miles* milliaria, *wiles* ſtratagemata, *graves* ſepulcra, *lives* vitæ, *defiles* polluit, *beleeves* credit, *rarely* rare, *finely* accurate, *chargeable* ſumptuoſus, *changeable* mutabilis, *unchangeableneſs* immutabilitas, *likeneſs* ſimilitudo, *enducement* argumentum, *enforcement* coactio, *commencement* principium, comitia, *advancement* promotio, *improvement* melioratio, *candle-ſtick* candelabrum, aliaque innumera, retinent *e* mutum; quia in *mile*, *wile*, *grave*, *life*, *defile*, *beleeve*, *rare*, *fine*, *charge*, *change*, *unchangeable*, *like*, *enduce*, *enforce*, *commence*, *advance*, *improve*, *candle*, &c. ejuſmodi *e* mutum eiſdem rationibus adſcriptum fuerat quæ adhuc manent; ideo tamen in illis non ſonatur, quia nec in his; utrobique tamen non dubito fuiſſe aliquando pronunciatum, non minus quam in voce *Commandement* mandatum, ubi adhuc pronunciari ſolet.

Quando fit ſonorum.

Siquando tamen voces per *e* mutum terminatæ ejuſmodi augmentum finale aſſumant, ut accidentalis literarum illigabilium neceſſitas poſtulaverit interventum vocalis, illud *e* quod prius mutum erat nunc ſonabitur, vel (ſiquis ita loqui malit) *e* ſonans ipſius loco interſeretur. Atque hoc præſertim accidit in formando Nominum numero plurali, Adjectivis poſſeſſivis, & in tertiis perſonis Verborum; ut in *Churches* Eccleſiæ, *houſes* domicilia, *priſes* pretia, *boxes* pyxides, *vices* vitia, *rages* furit, *chooſes* eligit, &c. ubi non tam analogia flexionis, quam concurſus literarum illigabilium, ſonum illum poſtulat: (Vix poteſt enim ſonus finalis *s*, immediate ſequi conſonas *ſ*, *z*, *x*, *ſh*, vel etiam *c*, *g*, *ch*, mollius prolatas:) Nam, ubi hæc neceſſitas non poſtulat, *e* vel non apparet, vel ſaltem non ſonatur; ut in *hands* manus, *lands* terræ, *miles* milliaria, *tends* tendit, *makes* facit, &c. At in *tendeth*, *maketh*, &c. ſonatur *e*, non quod erat mutum, ſed quod eſt terminationis *eth*.

Quando eliditur.

Quando terminatio, poſt *e* mutum aſſumpta, à Vocali incipit, illud *e* plerumque prorſus evaneſcit, & conſona præcedens in eandem ſyllabam cum ſequente terminatione coaleſcit. Ideoque melius ſcribuntur *ha-ving* habens, *gi-ving* dans, *lo-veth* amat, *dan-ceth* ſaltat, &c. quam *have-ing*, *give-ing*, *love-eth*, *dance eth*, &c. Pertinent enim conſonæ finales non proprie ad ſyllabam præcedentem, quamvis propter defectum propriæ vocalis ad illam neceſſario

relegatæ

relegatæ fuerunt, (ut cum Græce *μὲν* vel *μεν'* per Apocopen, vel Apoſtrophum, pro *μενὲ* ſcribitur,) ideoque, adveniente vocali nova, cum illa potius coaleſcit.

Quod etiam apud Hebræos (quos hac in re imitamur) perpetuo fit: ut in voce טוב *tobh* bonus, conſona ב propter defectum propriæ vocalis vocali præcedenti ſubjungitur, ſed coacte quidem quum ו *holem* ſit vocalis longa, quæ (etiam apud illos) deberet potius ſyllabam claudere; ideoque in טובה *to-bha* bona, טובים *to-bhim* boni, ubi advenit nova vocalis, conſona ב in unam cum illa coaleſcit ſyllabam, priorem vocalem deſerens cui non ſine quadam quaſi violentia fuerat annexa; quod ſi conſona brevis fuiſſet, quæ ſuapte natura conſonam ad ſe trahit, vocalis de novo adveniens poſtularet vel præcedentis vocalis productionem (ut illa ſyllabam clauderet,) vel *Daghes* finali conſonæ inſeribendum, ut, duplicata conſonâ, non deſit vel quæ priorem claudat, vel quæ novam inchoet ſyllabam; prout ex illius linguæ analogia ſatis liquet.

Ubi autem (apud nos) vocalis ultimæ ſyllabæ brevis eſt, poteſt ea ſuapte natura conſonam unam vel plures poſt ſe admittere, eaſque in ſua ſyllaba retinere, quantumvis alia accedat vocalis. Sic *long* longus, incremento accedente fit *long-er* vel *lon-ger*, longior; nam analogia linguæ utrumvis patitur; at potior videtur hæc ſyllabarum diviſio *long-er*, partim quia ſonus literæ *n* ita ab uſitato ipſius ſono paulum deflectit, ut ſolet ante literas (recte pronunciatas) *c*, *g*, *k*, *x*, in eadem ſyllaba; partim quia *g* ſonum fortiorem nacta eſt, ideoque *e* mutum poſt ſe non habuiſſe credendum eſt: ſi enim radix fuiſſe putetur *longe*, per *g* molle potius prolata foret, ut in voce *ſtrange* extraneus. Sic à *drinke* vel *drink* poto, fit *drin-ker* potator, tanquam à *drin-ke*, vel *drink-er*, ut ab origine *drink*; ſed poſterius videtur potius eligendum, quia *n* ita profertur ut quando *k* ſequitur in eadem ſyllaba. Sic, *barking* latrans vel à *bar-ke* vel à *bark* duci poteſt, ut ſit vel *bar-king*, vel *bark-ing*. At *dan-ger* periculum, *ſtran-ger* extraneus, dicendum eſt; non *dang-er*, *ſtrang-er* propter molliorem ſonum literæ *g*. In *changeable* mutabilis, dici poteſt vel *change-able* (quæ videri poſſit ſcriptio potior, propter retentum *e* mutum,) vel etiam *chan-geable*, ut maneat *e* ſolummodo ut index mollioris ſoni, ſed quoad alia quaſi ſyncopata habeatur; quod fieri videtur in voce *George*, ſi nempe pro monoſyllaba habeatur; quodque fit perpetuo apud Italos in vocibus à *Gi* inchoatis, ſequente *a*, *o*, vel *u*, in eadem ſyllaba. Atque hactenus de *e* muto diximus.

I vocalis, quoties brevis eſt, ſonatur plerumque (ut apud Gallos alioſque) exili ſono. I.

Ut in *bit* morſus, *will* volo, *ſtill* ſemper, *win* lucro, *pin* acicula, *ſin* peccatum, *fill* impleo.

At quoties longa eſt, plerumque profertur ut Græcorum *ει*.

Ut *bite* mordeo, *wile* ſtratagema, *ſtile* ſtilus, *wine* vinum, *pine* tabe conſumor, &c. eodem fere modo quo Gallorum *ai* in vocibus *main* manus, *pain* panis, &c. nempe ſonum habet compoſitum ex Gallorum *è* fœminino, & *i* vel *y*. Hunc autem ſonum ſuaſerim ego ſic ſemper pingi *î* ſuprapoſito Latinorum accentu circumflexo, ut à ſono exiliori diſtinguatur.

Si quando ſonus *i* exilis occurrat producendus, ſcribitur plerumque non per *i*, ſed per *ee* vel *ie*; ut in *ſteel* chalybs, *ſeen* viſum, *feel* tactu ſentio, *field* ager, *ſhield* ſcutum, &c.

O breve eodem modo pronunciatur quo Germanorum *a*, vel *o* apertum ſeu pingue, niſi quod corripiatur. O.

Eundem ſonum productum exprimunt Angli per *au* vel *aw*, rarius per *â*: Idem enim eſt ſonus primæ vocalis in *mollify* emollio, *maul* malleus; *fond* indulgens, *fawn* hinnulus; *folly* ſtultitia, *fâll* caſus, &c. niſi quod hic productus, illic correptus ſit.

Non raro tamen (ſed male) pro *ŏ* brevi, ſonatur *ŭ* obſcurum, ore nempe minus aperto, (in quo ſolo ab illo differt,) ut cum *condition* conditio, *London* Londinum, *compaſſe* circuitus, &c. negligentius efferuntur, acſi ſcripta eſſent *cundition*, *Lundun*, *cumpaſſe*, &c. & ſic fere proferri ſolent *còme* venio, *dòne* factum, *ſòme* aliquis, *ſònne* filius, *lòve* amo, *dòve* columba, & pauca forſan alia. Sonus hic, ſi quando opus ſit, notari poterit vel aliquantulum mutato charactere literæ *o*, vel, propter characterum defectum, accentu gravi ſupra poſito, *ò*.

O longum profertur ore rotundo; ut Græcorum *ω* & Gallorum *au*.

Ut in vocibus *ſôle* ſolus, ſolea, *chôſe* elegit, *môre* magis, plus, &c. Diſtinctionis gratia accentu circumflexo ſuperne notari poteſt.

U vocalis, quando corripitur, effertur ſono obſcuro. U.

Ut in *but* ſed, *cut* ſeco, *bur* lappa, *burſt* ruptus, *curſt* maledictus, &c. Sonum hunc Galli proferunt in ultima ſyllaba vocis *ſerviteur*. Differt à Gallorum *e* fœminino, non aliter

quam

quam quod ore minus aperto efferatur. Diſcrimen hoc animadvertent Angli dum pronunciant voces Latinas *iter, itur*; *ter ter, turtur*; *cerdo, ſurdo*; *ternus, Turnus*; *terris, turris*; *refertum, furtum*; &c.

V longum effertur ut Gallorum *ú* exile.

Ut in *lúte* barbitum, *múte* mutus, *múse* muſa, meditor, *cúre* cura, &c. Sono nempe quaſi compoſito ex *ĭ* & *w*. Hunc à ſono ſuperiori diſtinguere licet vel punctulo, vel accentu acuto ſupra poſito; ſic *u̇, ú*.

Sect. III.

De Diphthongis.

ai, ay. *Ai* vel *ay*, ſonum exprimit compoſitum ex *á* Anglico (hoc eſt, exili) correpto, & *y*.

Ut in voce *day* dies, *praiſe* laus, &c.

au, aw. *Au* vel *aw*, recte pronunciatum; ſonum exhiberet compoſitum ex Anglorum *á* brevi, & *w*. Sed à pleriſque nunc dierum effertur ſimpliciter ut Germanorum *á* pingue: ſono nempe literæ *á* dilatato, & ſono literæ *w* prorſus ſuppreſſo.

Eodem nempe ſono efferunt *áll* omnes, *aul, awl*, ſubula; *câll* voco, *caul, cawl*, omentum, vel etiam tiara muliebris; &c.

ea. *Ea* effertur nunc dierum ut *é* longum: ſono ipſius *a* penitus ſuppreſſo, & ſono literæ *e* producto.

Nempe illud ſolum præſtat *a*, ut ſyllaba reputetur longa. Ita, *met* obviam factus, *meat* victus; *ſet* ſiſto, ſedere facio, *ſeat* ſella; &c. non ſono differunt niſi quod vocalis illic correpta, hic producta intelligatur.

ee, ie. *Ee* vel *ie*, effertur ut Gallorum *i* (hoc eſt, *i* exile) productum.

Eundem nempe ſonum quem ſcribunt Galli *fin, vin*, ſcriberent Angli *feen, veen*, vel forte *fien, vien*. Hoc modo ſcribunt *fiend* cacodæmon, *ſeen* viſum, &c.

ei, ey. *Ei* vel *ey* ſonatur per *é* clarum ſeu maſculinum, & *y*: vel etiam ſimpliciter per *é* clarum, ſuppreſſo ſono *y*.

Ut in *receive* recipio, *ſeize* apprehendo, *deceit* dolus, &c. Nonnulli tamen plenius efferunt, acſi per *ai* ſcripta eſſent.

eu, ew, eau. *Eu, ew, eau*, ſonantur per *è* clarum & *w*.

Ut in *neuter* neutralis, *few* pauci, *beauty* pulchritudo. Quidam tamen paulo acutius efferunt acſi ſcriberentur *neiwter, fiew, bieuty*, vel *niwter, fiw, biwty*; præſertim in vocibus *new* novus, *knew* ſciebam, *ſnew* ningebat. At prior pronunciatio rectior eſt.

oo. *Oo* ſonatur ut Germanorum *û* pingue, ſeu Gallorum *ou*.

Ut in vocibus *good* bonus, *ſtood* ſtabam, *root* radix, *foot* pes, *looſe* laxus, *looſe* laxo, amitto, &c.

oi, oy. *Oi, oy*, efferuntur per *o* apertum ſeu clarum ſed correptum, & *y*.

Ut in *noiſe* ſtrepitus, *boys* pueri, *toys* nugæ, *toyl* labor, *oil* oleum. Nonnulli tamen in quibuſdam ſaltem vocabulis potius per *ò* vel *ǒ* obſcurum efferunt, ut *tòil, òil*, vel *tŭyl, ŭyl*.

ou, ow. *Ou* & *ow*, duplicem ſonum obtinent; alterum clariorem, alterum obſcuriorem.

In quibuſdam vocabulis effertur ſono clariori per *o* apertum, & *w*.

Ut in *ſóul* anima, *ſóuld* vendebam, venditum, *ſnów* nix, *knów* ſcio, *ſów* ſero, ſuo, *ów* debeo, *bówl* poculum, &c. quo etiam ſono & *ó* ſimplex nonnunquam effertur, nempe ante *ld*, ut in *góld* aurum, *ſcóld* rixor, *hóld* teneo, *cóld* frigidus, *óld* ſenex, antiquus, &c. & ante *ll* in *póll* caput, *róll* volvo, *tóll* vectigal, &c. Sed & hæc omnia ab aliis efferuntur ſimpliciter per *ô* rotundum, acſi ſcripta eſſent *ſôle*, *ſôld*, *ſnô*, &c.

In aliis vocabulis Obſcuriori ſono efferuntur; ſono nempe compoſito ex *ò* vel *ù* obſcuris, & *w*.

Ut in *hòuſe* domus, *mòuſe* mus, *lowſe* pediculus, *bòwl* globulus, *òur* noſter, *òut* ex, *òwl* bubo, *tòwn* oppidum, *fòul* immundus, *fòwl* volucris, *bòw* flecto, *bòugh* ramus, *ſòw* ſus, &c. At *would* vellem, *ſhould* deberem, *could* poſſem, *courſe* curſus, *court* aula, curia, & pauca forſan alia, quamvis (ut proxime præcedentia) per *òu* pronunciari debeant, vulgo tamen negligentius efferri ſolent per *oo*.

Optandum eſſet, in exterorum gratiam, ut Typographi ſonum illum clariorem ab hoc obſcuriori diſtinguerent; quod fieri poteſt, ſi non diſtinctis characteribus, ſaltem ſi vel illum ſemper accentu acuto, (vel ſi libet circumflexo,) notarent; vel hunc accentu gravi: Aut etiam ſi illum per *ow*, hunc per *ou* ſemper ſcriberent.

SECT. IV.

De Conſonis aliquot conjunctis.

Gh in vocum principio ut nudum *g* durum pronunciatur. Gh.

Ut in *Ghóſt* ſpiritus, *Gheſſe* conjecturam facio.

Alias vero nunc dierum fere prorſus omittitur; ſyllabam tamen producendam innuit: A quibuſdam tamen (præſertim Septentrionalibus) per molliorem ſaltem aſpirationem *h* effertur.

Ut in *might* poteſtas, *light* lux, *night* nox, *right* rectus, *ſight* viſus, *ſigh* ſingultus, *weigh* pondero, *weight* pondus, *though* quamvis, *thóught* cogitatio, *wróught* operatus eſt, *bróught* attulit, *taught* docuit, *ſaught* quæſivit, *fraught* refertus, *nought* nihil, *naught* malus, &c. In paucis vocabulis effertur plerumque per *ff*; nempe *cough* tuſſis, *trough* alveolus, *tough* tenax, *rough* aſper, *laugh* rideo, proferuntur *cóff*, *tróff*, *tuff*, *ruff*, *laff*. *Inough* (ſingulare) ſat multum, ſonatur *inuff*; at *inough* (plurale) ſat multa, ſonatur *enow*.

Ch effertur ut Italorum *c* ante *e* & *i*; ſono nempe compoſito ex *ty*. Ch.

Excipe vocabula à Græcis & Hebræis deducta (præſertim nomina propria, & ubi ſequitur conſonans;) hæc enim durius, ut per *c* vel *k* efferuntur. Dicimus tamen *Rachel*, *Cherub*, *Archbiſhop*, (cum paucis aliis) admodum Anglorum.

Sh effertur ut Gallorum *ch*, vel *ſy*. Sh.

Ph effertur ut *f*: uſurpatur vix alibi quam in vocibus à Græcis per φ ſcriptis. Ph.

Th duplicem admittit ſonum; alterum Molliorem, affinem literæ *D*; alterum Fortiorem, affinem literæ *T*. Th.

Molliorem habet in Pronominibus, Relativis, & Conjunctionibus, omnibus.

Ut *thou* tu, *thee* te, *thy*, *thine*, tuus, *the*, *this*, *that*, hic, ille, *theſe*, *thoſe*, hi, illi, *they* illi, *them* illos, *their* illorum, *there* illic, *thence* inde, *thither* eo, *whither* quo, *either* ſive, *whether* utrum, *neither* neque, *though*, *although*, quamvis.

In paucis item nominibus & verbis, præſertim in *ther* finitis.

Ut *Father* pater, *mother* mater, *brother* frater, *leather* corium, *weather* tempeſtas, *feather* pluma, *neather* inferior; *Smooth* lævis, *Seethe* coquo, *wreathe* torqueo, *breathe* ſpiro, *bequeath* (teſtamento) lego, *clothe* veſtio.

Alibi fere ſemper Fortiorem ſeu Duriorem ſonum obtinet.

Ut in Præpoſitionibus *with* cum, *without* ſine, *within* intra, *through* per: in verbis *think* cogito, *thrive* creſco, diteſco, *throw* projicio, *thruſt* trudo, &c. *loveth* amat, *teacheth* docet, *hath* habet, *doth* agit, &c. in Subſtantivis *thought* cogitatio, *thigh* femor, *thing* res, *throng* turba, *death* mors, *breath* halitus, *cloth* pannus, *wrath* iracundia, *length* longitudo, *ſtrength* fortitudo, &c. & Adjectivis *thick* craſſus, denſus, *thin* rarus, dilutus, tenuis, &c.

Atque hactenus, quæ ad puram & genuinam linguæ Anglicanæ pronunciationem ſpectare videntur, ſatis prolixe tradidi. Singulas vero variorum locorum dialectos, aut affectatas mulierculariım ineptias, alioſve barbariſmos, operæ pretium non eſt ut tradam; ut neque negligentiores quorundam ſonorum prolationes, ſive quæ paſſim apud vulgus, ſive quæ etiam apud Aulicos, aut affectato delicatulos obtinuerunt; hæc enim ego omnia dediſcenda potius quam imitanda duco. Quamvis enim non exiſtimem linguam noſtram à Gallicanæ linguæ ſive elegantia ſive morbo penitus immunem eſſe, quin ut inter celeriter loquendum litera nonnunquam una aut altera vel omittatur vel negligentius proferatur: illud tamen (ubi mos obtinuit) patimur magis quam jubemus; & pro tolerando potius errore, quam laudanda praxi ducimus; adeoque ſiquis accuratius loqui velit, id ei laudi potius quam vituperio cedet.

Si cui autem nimis hac in re prolixus videar; ſciat ille me non hoc velle, ut quilibet extráneus, dum linguam noſtram addiſcere ſatagit, ſingulos minoris notæ apices exacte calleat, aut ſe diſcendo fatiget: ſufficiet enim ad laudabilem hac in re progreſſum, ut ſelectiores quaſdam magiſque generales regulas, eaſque non adeo multas, obſervet: Cætera vel exercitatio docebit, vel ſine magno incommodo ignorari poterunt. Atque idem etiam de ſequentibus judicium ferendum eſt, quoties ad minutiora deſcendo.

Cap. II.

De Anglicanæ Linguæ ſtructura; & primum De nomine Subſtantivo.

Anglicanæ linguæ facilitas. HActenus de Pronunciatione egimus: ſequitur ut de tota Anglicani Sermonis ſtructura agatur. Hæc autem lingua quanquam à quibuſdam extraneis difficilior habita fuerit, (ideo forſan quia vel nullis, vel non bene ordinatis præceptis in diſcendo uſi fuerint;) eſt tamen revera omnium, quas ſcio, linguarum facillima; & pauciſſimis regulis tota ipſius fabrica tradi poterit.

Has autem dum traditurus ſum, nollem exſpectetis ut ſingula artis vocabula, quæ Grammaticæ Anglicanæ cum aliarum linguarum Grammaticis ſunt communia, ſigillatim explicarem; ut Quid ſit *Nomen*, *Pronomen*, *Verbum*, *Participium*, &c. Quid *Subſtantivum*, *Adjectivum*, *Simplex*, *Compoſitum*, *Primitivum*, *Derivativum*, *Activum*, *Paſſivum*, *Tranſitivum*, *Intranſitivum*, &c. Quid *Genus*, *Caſus*, *Numerus*, *Perſona*, *Modus*, *Tempus*, &c. aliaque ſimilia. Eſſet enim plane ſupervacaneus labor; cum nemo ſit, Latinæ linguæ non prorſus ignarus, qui iſthæc ignorare poſſit.

Neque tamen exſpectetis vellem, ut in hac lingua noſtra omnia Latinorum linguæ penitus reſpondeant. Eſt enim tum in hac, tum in modernis fere omnibus, à Græcæ Latinæque linguæ ſyntaxi immanis diſcrepantia; (inde præſertim orta, quod Caſuum diverſitates haud agnoſcamus.) Quam rem dum pauci animadvertunt, in noſtra pariter & aliis modernis linguis tradendis, plus intricati laboris ſuſcipiunt quam opus eſt.

Genera, Caſus, & Numeri. Nomina Subſtantiva, apud nos, nullum vel *Generum* vel *Caſuum* diſcrimen ſortiuntur. Adeoque multum tædii, quod in linguis aliis, præſertim Græca & Latina, his de rebus reperitur, prorſus abſcinditur. *Numerorum* tamen diſcrimen agnoſcimus in Subſtantivis, atque etiam in Verbis.

Sexuum diſcrimen ſi quando velimus exprimere, non fit illud variis nominum Generibus; Maſculino puta, Fœminino, & Neutro; quæ ne quidem apud Latinos ſexus diſtinguunt: ſunt enim *Scortum*, *mancipium*, *amaſium*, &c. Neutrius Generis, at Sexum vel Maſculum vel Fœmineum referunt; & contra, *Gladius*, *vagina*, *arcus*, *ſagitta*, aliaque innumera, quanquam neutrius Sexus ſint, ſunt tamen Generis vel maſculini vel fœminini. Sed nos Sexus eodem plane modo quo Ætates (aliaque accidentia) diſtinguimus; diſtinctis vocabulis, vel adjunctis Adjectivis, (ſicut & Latini non raro faciunt;) ut vir *a man*, mulier

lier *a woman*, juvenis *a youth*, virgo *a mayd*, puer *a boy*, puella *a girle*: Equus *a horſe*, equa *a mare*, equus caſtratus *a gelding*, pullus *a colt*: Lepus mas *a male hare*, lepus fœmina *a female hare*: Dama *a deer*, dama mas *a buck*, dama fœmina *a do*: Cervus *a ſtag*, *a hart*, cerva *a hind*; damula, hinnulus, *a fawn*: Anſer mas *a gander*, anſer fœmina *a gooſe*, anſerculus *a goſlin*: Caper *a hee-goat*, capra *a ſhee-goat*, capella *a kid*.

Subſtantiva ſingularia fiunt Pluralia addendo *s*: cui etiam aliquando præfigitur *e*, quoties nempe neceſſitas pronunciandi illud poſtulat. *Numerus Pluralis.*

Neceſſitas autem pronunciandi hoc poſtulat quoties immediate præcedunt *ſ, z, x, ſh*; vel etiam *c, g, ch*, ſono molliori prolata.

Ut *a hand* manus, *a tree* arbor, *a houſe* domus, *a fox* vulpes, *a fiſh* piſcis, *a maze* labyrinthus, *a prince* princeps, *an age* ætas, *a tench* tinca; pluraliter *hands, trees, houſes, foxes, fiſhes, mazes, princes, ages, tenches*. Eſtque hæc ſola (nunc dierum) pluralis numeri regularis formatio.

At olim etiam per *en* vel *yn* formabant pluralia; quorum pauca admodum adhuc retinemus. Ut *an ox* bos, *a chick* pullus (avium,) pluraliter *oxen, chicken*; (ſunt qui dicunt in ſingulari *chicken*, & in plurali *chickens*.) Item *a fere* filix, pluraliter *fern*; (verum nunc plerumque *fern* utroque numero dicitur, ſed & in plurali *ferns*; nam *fere* & *feres* prope obſoleta ſunt.) Dicunt etiam nonnulli (ſed rarius) *houſen, eyn, ſhoon*, &c. pro *houſes, eyes, ſhooes*, &c. Dicunt nonnulli *a peaſe* piſum, pluraliter *peaſen*; at melius, ſingulariter *a pea*, pluraliter *peas*.

Sunt etiam & alia quædam hujus formationis veſtigia, ſed quæ alio etiam nomine ut plurimum ſunt irregularia; ut *a man* (olim *manne*) homo, vir, *a woman* mulier, pluraliter *men, women*, (*wemen, weomen*,) per ſyncopen pro *manen, womanen*; (Saxonice olim dicebant *a man* homo, *a weaponman* vir, *a wyfman* vel *wombman* mulier.) Sic *a brother* frater, *a child* puer, pluraliter *brethren, children*. Item *a cow* vacca, pluraliter *keen* vel *kine* (quaſi *cowin*.) Sic & *ſwine* ſues (quaſi *ſowin*) à ſingulari *ſow*; (at nunc *ſow* tantum de ſue fœmina dicitur; *ſwine* vero in utroque numero, de utroque ſexu.) Sed & harum nonnulla retinent etiam formationem analogam; ut *brothers, cows, ſows*.

Sunt & alia pauca irregularia; *a mouſe* mus, *a lowſe* pediculus, *a foot* pes, *a gooſe* anſer, *a tooth* dens; pluraliter *mice, lice*, (vel *meece, leece*,) *feet, geeſe, teeth*: & vix plura. *Sheep* ovis, *hoſe* caliga, promiſcue dicuntur in utroque numero; ſicut etiam *ſwine, chicken, fearn, peas*, ut ſupra dictum eſt.

Finita in *f* plerumque alleviantur in plurali numero, ſubſtituendo *v*; ut *wife* uxor, *life* vita, *knife* culter, *ſheaf* faſciculus, *ſhelf* abacus, vel ſcamnum cui aliquid imponitur, *wolf* lupus, *ſelf* propria perſona, *half* ſemiſſis, *calf* vitulus, &c. pluraliter *wives, lives, knives, ſheaves, ſhelves, wolves, ſelves, halves, calves*, &c. Eademque alleviatio eſt etiam in *ſ* & *th*, quamvis retento charactere, in *houſe* domus, *clōth* pannus, *path* ſemita, &c. pluraliter *houſes, clōthes, pathes*, &c.

C A P. III.

De Articulis.

SUbſtantivis non raro præfigimus duos (quos vocant) Articulos *A* & *The*. *Articuli.*

Sunt autem revera nomina Adjectiva, & eodem plane modo uſurpantur quo reliqua adjectiva. His reſpondent Gallorum articuli *un* & *le*; Germanorum *ein* & *der*.

A (ſeu, ante vocales, *an*,) eſt articulus Numeralis; atque idem omnino ſignificat ac *one* unus, ſed minus emphatice. *A, an.*

Notat vocis generalis particulari cuidam (ſive ſpeciei, ſive individuo, ſaltem vago) applicationem: (ut *Patience is a vertue* patientia eſt virtus, vel quædam virtus:) Ideoque ſoli numero ſingulari præfigitur (neceſſitate materiæ, non formæ) ut & vox *unus*. Si vero pluribus particularibus (ſive ſpeciebus ſive individuis) vox generalior applicetur, illud numero Plurali innuitur; (eſtque hic revera ſolus numeri Pluralis uſus:) ſic *men* homines, de individuis dici manifeſtum eſt; & *vertues* virtutes, de virtutis vel ſpeciebus vel individuis.

The. *The* eſt articulus Demonſtrativus, idemque ſignificat ac *that* illud, ſed minus emphatice.

Notat Particularium unius pluriumve (quibus actu applicatur vox Generalis) Determinationem. Sic [Terram] dicimus *earth* ubi ipſam ſpeciem, ſeu elementum terræ deſignamus; at *the earth* ſi globum terrenum (quod Individuum quoddam determinatum eſt) intelligamus. Attribuitur tam numero Singulari quam Plurali; quia tam de uno quam de pluribus individuis poſſumus determinate loqui.

Neuter horum articulorum præfigitur vel voci generali generaliter ſignificanti, (utpote cujus ſignificatio particularibus actu non applicatur;) vel nomini proprio, (quod ex ſe ſatis innuit & individuum & quidem determinatum;) vel etiam ubi aliud aliquod adjectivum adeſt quod hos articulos virtualiter contineat, (redundarent enim,) ut vir *a man*, vir unus *one man*, vir aliquis *ſome man*, vir quilibet *any man* : Mundus *the world*, hic mundus *this world*: Ubi *one*, *ſome*, *any*, virtualiter includunt *a*; & *this* etiam virtualiter includit *the*. Fluviorum tamen & Montium nominibus Propriis, aliquando præfigimus *the*; ut Thameſis *the Thames*, Danubius *the Danube*, Alpes *the Alps*.

Peculiares ſunt phraſes *many a man*, *never a man*; differunt enim ab his *many men*, *no men*, ſicut *every man* ab *all men* : priores enim ſignificant *multos homines*, *nullos homines*, *omnes homines*, ſigillatim ſive diſtributive acceptos, poſteriores ſaltem conjunctim ſeu collective acceptos. Nec hiſce prorſus abſimiles ſunt, ubi (poſt *ſuch* talis, & adverbia comparationis *as*, *ſo*, tam, *too* nimis, at vix alia,) articulus *a* Subſtantivo & ſuo Adjectivo præcedenti interponitur (qui ſolet alias utrique præponi:) ut *ſuch a guift, is too ſmâll a reward, for ſo great a labour, and as great a benefit*; Tale munus, eſt nimis exigua merces pro tanto (tam magno) labore, tantoque etiam beneficio.

Cap. IV.

De Præpoſitionibus.

Præpoſitionum uſus. Diverſitatem Caſuum (quos habent præſertim Græci & Latini) Anglicana Lingua (ut dictum eſt) neutiquam agnoſcit: Sed Præpoſitionum auxilio rem omnem illam præſtamus, quam Græci & Latini, partim Præpoſitionibus, partim Caſuum diverſitate perficiunt.

Ideoque Præpoſitionum doctrinam, dum de nominibus Subſtantivis ago, (ſolis enim Subſtantivis, aut Subſtantive poſitis, præfiguntur, ſuntque horum quaſi communis affectio,) præter aliorum methodum placuit interſerere. Paucarum enim harum vocularum ſignificatu cognito, tota fere Nominum ſyntaxis ſimul intelligitur.

Præpoſitio enim, Subſtantivo quod regitur præfixa, oſtendit quem habeat illud reſpectum ad vocem illam (ſive verbum ſit, ſive nomen, aliave orationis pars) à qua regitur. Præpoſitiones enim ut plurimum Argumentis (ut loquuntur) Logicis ſive Locis Topicis innuendis inſerviunt.

Vox Nominativa, & Accuſativa. Vox Subſtantiva *Verbo præfixa* ut Latinorum caſus Nominativus, (quam igitur *vocem Nominativam*, diſtinctionis ergó, vocabimus;) Aut etiam *Abſolute poſita* (ut loquuntur Latini;) Aut denique *Verbo tranſitivo poſtpoſita* ut Latinorum caſus Accuſativus (quam igitur *vocem Accuſativam* dicemus;) nuda ſolet poni ſine præfixa Præpoſitione.

Notandum autem eſt, Subſtantivum apud nos Abſolute poni, non modo ut Latinorum caſus Ablativus abſolute poſitus, qui nempe à nullo regitur: Sed etiam ut eorum caſus Nominativus Abſolute poſitus, qui nempe nulli verbo præponitur; puta in librorum titulis, ut cum poema Virgilianum inſcribitur *Æneis*; & ubi caſus Nominativus quaſi ſuſpenditur, alio nempe ante Verbum interſerto, ut *Alexander magnus, ille quidem orbem vicit*; qualis contructio in Latina lingua rarius occurrit, in Græca Helleniſtica ſæpius, in Hebraica ſicut & noſtra Anglicana ſæpiſſime.

Of. Præpoſitio *Of* idem omnino innuit quod Latinorum caſus Genitivus, & eandem cum illo ſignificationis varietatem admittit, ſive Subſtantivis, Adjectivis, aut Verbis poſtponatur.

Ut Opera Ariſtotelis, *The Works of Ariſtotle.* Pro illo autem non raro ponitur Adjectivum Poſſeſſivum, de quo ſuo loco dicetur.

Sed & ſignificat Objectum circa quod, ut Latinorum *De*; ut & Materiam ex qua, ut Latinorum *Ex.*

Ut, Tractatus de virtute, *A treatiſe of virtue*, (aut *concerning virtue*;) Poculum ex auro, *A cup of Gold.*

Off ſeparationem ſignificat; ut aliquando Latinorum *abs*, *ex*; ut *abſcindo*, *exuo*: Cui opponitur *On*, continuationem innuens: (exuo *to put off*, induo *to put on*:) hinc *up-on* ſuper. Off, On.

From innuit terminum à quo; ut Latinorum *Ab.* From.

To vel *unto*, innuit terminum ad quem, atque item terminum Relationis; quæ Latini partim per caſum Dativum, partim per præpoſitionem *Ad* inſinuant. To, unto.

Notandum autem eſt hanc præpoſitionem nonnunquam tam inter loquendum quam ſcribendum omitti; ut quum dicimus *like mee* mihi ſimilis, *give mee* da mihi, *tell mee* dic mihi, *near mee* mihi propinquum, &c. ubi ponitur *mee* ellyptice pro *to mee.*

Till, *un-till*; Uſquedum. Tantum de tempore dicitur, ſaltem apud *Anglos.* Sed *Scoti* nonnunquam utuntur pro *to* & *unto.* Till, until.

For innuit finem cui, vel pro quo: idemque valet quod Latinorum *pro*, & quod (nonnunquam) caſus Dativus. For.

Quod mihi (ſeu pro me) paratur, alteri datur; *What is prepared For mee, is given To another.*

By innuit Latinorum *per*; ut & Ablativum cauſæ efficientis (tam principalis, quam inſtrumentalis, & moralis,) cui non raro præponunt Latini præpoſitionem *Ab*: Item *juxta* vel *præter*, (non modo in ſignificatione locali, ſed & exceptiva.) By.

Hoc in compoſitione fit *be*. Unde, *Be-ſide* juxta, præter, (quaſi, juxta latus;) *be-neath*, *be-low*, infra, (quaſi, in humili;) *be-fore* ante; *be-hind* poſt, à tergo; *be-yond* ultra; *be-hither* (*on this ſide*) citra; *be-tween*, *be-twixt*, inter, (ſaltem de duobus dicitur; at *among* inter, non niſi de pluribus.)

Ab hoſte occiſus eſt per (juxta, prope,) aquæ fontem, ſed primum ſuo ipſius metu, deinde hoſtis gladio vulneratus, *Hee was ſlain By his enemy, By* (*beſide*, *near*) *a ſpring Of water, but wounded firſt by his own fear, then By his enemies ſword.*

With indicat inſtrumentum, ut Latinorum Ablativus Inſtrumenti: atque etiam concomitantiam, ut Latinorum *Cum.* With.

Gladio occiſus, *ſlain with a ſword*; mecum moratur, *he abideth with mee.*

Through indicat Medium; & proprie quidem medium Locale; ſed & etiam medium Phyſicum, & Morale. Through.

Radii ſolis, incredibili pernicitate tranſeunt, à cœlo, per aerem, ad terram, calore & lumine præditi, quibus nos oblectat, & plantas vivificat, quas Deus nobis paravit, nobiſque dedit, in uſum noſtrum & ipſius gloriam. *The beames Of the ſun With incredible ſpeed, paſſe From heaven Through the air To the earth, indued With light and heat, By* (*with*, *through*) *which it comforteth us, and quickeneth the plants, which God hath prepared For us, and given To us, For our uſe and his glory.*

After poſt, *againſt* contra, *among*, *amongſt*, inter; *near*, *nigh*, prope; unde *next* (quaſi *nigh'ſt*) proxime; *under*, *below*, ſub, infra; *over*, *above*, ſuper, ſupra. After, &c.

In reſpondet Latinorum præpoſitioni *in* cum Ablativo; & ſignificat quaſi præſentiam in loco. In.

Unde, *within* intra, εν τοις εσω.

Into reſpondet Latinorum præpoſitioni *in* cum caſu Accuſativo; & ſignificat quaſi motum in locum. Into.

Out. *Out* vel *out of* valet *ex*. Unde *with-out* extra, *ab-out* circa.

At, &c. *At* (apud) indicat exiſtentiam in loco.

Pro quo in compoſitione ſæpe ponitur *a*, & (ante vocalem) *ab*; ut *a-bed* in lecto, *a-broad* foras, (quaſi, in lato;) *ab-ove* (*over*) ſupra; *a-low*, *a-fore*, *ab-aft* (pro *below*, *before*, *after*;) *a-board* in navi, (quaſi, ſuper tabulatum;) *ab-out* circa, (quaſi, in extremitatibus;) *a-gain* iterum, (quaſi, in lucro;) *a-doing*, faciens, facturus, in faciendo; *a-dying* moriens, in moriendo; *a-ſtayd*, *a-feard*, territus, in timore poſitus; *to a-fright* terrefacio, *at-length*, *at-laſt*, tandem, (quaſi, ad longitudinem, ad extremum;) *at-leſt* ſaltem, (quaſi, ad minimum;) &c. Forſan & *a-gainſt* contra, (quaſi, in victoria;) *a-mong*, *a-mongſt*, inter, (quaſi, in miſtura;) hinc etiam deduci poſſunt.

Ward. *Ward* verſus, ſemper poſtponitur.

Ut *to-ward* erga, adverſus; *hither-ward* huc, huc-verſus; *up-ward* ſurſum, ſus-verſum; *down-ward* deorſum, de-verſum; *fore-ward* prorſum, antrorſum, præ-verſum, anterius-verſum; *back-ward* retrorſum, retro-verſum; *heaven-ward*, *to-ward heaven*, *to-heaven-ward*, cœlum verſus.

Touching, &c. *Touching*, *concerning*, (ſpectans, attingens, concernens,) proprie ſunt Participia, at uſurpantur ſæpe ut Præpoſitiones: Sic *according to* conſonans, *belonging to* attinens, aliaque forſan aliqua participia.

Præpoſitiones non raro degenerant in Adverbia: Sicut & Latinorum, ſine ſuis caſibus poſitæ.

Cap. V.

De Adjectivis.

Adjectivorum uſus. *Eorum ſedes.* Adjectiva, ſine omni vel Caſuum, vel Generum, vel etiam Numerorum diſcrimine, ſuis Subſtantivis adjunguntur: Eodem plane modo quo Adverbia Verbis aliiſve orationis partibus. Et quidem plerumque immediate præfiguntur, ſi ſaltem ſola veniunt nec ſuo (quod regunt) ſatellitio comitata.

Ut vir bonus *a good man*, bona mulier *a good woman*, res bona *a good thing*, pluraliter *good men*, *good women*, *good things*.

Subſtantivum autem cum ſuo Adjectivo (ſicut & vox rectrix quæcunque cum toto ſuo quantocunque ſatellitio) habetur quaſi una vox compoſita: unde illud Aggregatum non raro aliud aſſumit Adjectivum (vel etiam aliam quamvis affectionem) eodem prorſus modo acſi eſſet una vox: (atque hoc demum tertium, & ſic deinceps.) Ut vir *a man*, vir ſenex *an old-man*, ſenex prudens *a wiſe old-man*, ſenex valde prudens *a very-wiſe old-man*, tres prudentes ſenes *three wiſe old men*. Ubi Subſtantivo *man* præfigitur articulus Adjectivus *a*; deinde eidem ſubſtantivo *man* præfigitur adjectivum *old*, & ſubſtantivo *old-man* articulus *an*; item Subſtantivo *old-man* Adjectivum *wiſe*, aut etiam Adjectivum Adverbio modificatum *very-wiſe*, & toti item huic aggregato Adjectivum *a* vel (pluraliter) *three*.

Ubi vero vel plura ſunt Adjectiva quaſi collateraliter copulata, vel etiam unum cum ſuo ſatellitio, plerumque poſtponuntur Subſtantivo.

Ut vir prudens pariter & fortis, *a man both wiſe and valiant*; vir ſumme prudens, *a man exceeding wiſe*; vir multis rebus peritus, *a man skilfull in many things*: Sed etiam dicimus *A wiſe and valiant man*, *An exceeding wiſe man*, *A skilfull man in many things*.

Duo tamen ſunt Adjectivorum genera, à Subſtantivis immediate deſcendentia, quæ ſemper Subſtantivis ſuis præponuntur. Eademque omnium fere præpoſitionum vices ſupplent.

Adjectiva Poſſeſſiva. Primum quidem Adjectivum *Poſſeſſivum* libet appellare. Fit autem à quovis Subſtantivo (ſive ſingulari ſive plurali) addito *s* (aut *es*, ſi neceſſitas pronunciationis poſtulaverit.) Illud autem innuit quod præpoſitio *of*, quum Latinorum Genitivo Poſſidentis aut etiam Efficientis reſpondet.

Ut

Ut *Mans nature, the nature of man*, natura humana vel hominis; *mens nature, the nature of men*, natura humana vel hominum; *Virgils poems, the poems of Virgil*, poemata Virgilii vel Virgiliana.

Atque idem omnino fit ubi ſubſtantivum aggregatum occurrit, (hoc eſt, ſubſtantivum primarium cum ſuo quaſi ſatellitio,) toti nempe aggregato poſtponitur *s* poſſeſſivi formativum. *The Kings Court*, Aula Regia, vel Regis; *The King of England's Court*, Aula Regis Angliæ; (vel *the Court of the King, the Court of the King of England*:) toti nempe illi aggregato *the King of England*, tanquam uni Subſtantivo, poſtponitur litera formativa *s*.

Neque id mirum cuiquam videri debeat, quod ex vocum aggregato formetur vox Derivativa; quippe illud in ipſa Latina lingua (ne alias memorem) ſæpe fit. Nempe à *trans-Alpes, cis-Alpes*, formantur *Tranſalpinus, Ciſalpinus*; ſimiliterque *Subterraneus, Supercœleſtis, Ultramarinus, Antemeridianus, Poſtmeridianus, Antelucanus, Anteſignanus, Intercolumnium, Intertignium, Intermuralis, Internodium, Intramuranus, Extramuranus, extemporaneus, extraordinarius, aborigines, ingeniculus, præcordia, præludium, ſubdialis, ſubjugis, ſubjugare, ſuburbia, ſuburbanus, ſummœnium, ſummœnianus, ſupplanto, ſuperliminare, præliminaris, circumforaneus*, aliaque multa, formantur ab his vocum aggregatis, *ſub terra, ſuper cœlum, ultra mare, ante meridiem, poſt meridiem, ante lucem, ante ſigna, inter columnas, inter tigna, inter muros, inter nodos, intra muros, extra muros, ex tempore, extra ordinem, ab origine, in genua, præ corde, præ ludo, ſub dio, ſub jugo, ſub jugum, ſub urbe, ſub mœnibus, ſub planta, ſuper limine, præ limine, circum fora*, &c.

Si tamen Subſtantivum Plurale exeat (ut plerumque fit) in *s*; duo *s* (nempe formativum pluralis, & formativum poſſeſſivi,) in unum coincidunt, ſeu potius prius (euphoniæ gratia) eliditur: ut *the Lord's House, the Houſe of Lords*, Domus Dominorum, ſeu Magnatum; *the Common's Houſe, the Houſe of Commons*, Domus Communium; pro *the Lords's Houſe, the Commons's Houſe*.

Quod idem etiam fieri non raro ſolet in numero Singulari, quoties nomen Proprium exit in *s*: ut *Priamus Daughter, the Daughter of Priamus*, Priami filia; *Venus Temple, the Temple of Venus*, Veneris templum: pro *Priamus's Daughter, Venus's Temple*.

Sed & plena ſcriptio retinetur (& quidem nunc dierum frequentius quam olim;) ut *King Charles's Court*, Aula Regis Caroli; St. *James's Park*, vivarium ſancti Jacobi, ſeu, ad Sti. Jacobi (ædes.)

Qui autem arbitrantur illud *s*, loco vocis *his*, adjunctum eſſe, (priori ſcilicet parte per Aphæreſin abſciſſa,) ideoque Apoſtrophi notam ſemper vel pingendam eſſe vel ſaltem ſubintelligendam; omnino errant. Quamvis enim non negem quin Apoſtrophi nota commode nonnunquam affigi poſſit, ut ipſius literæ *s* uſus diſtinctius, ubi opus eſt, percipiatur; ita tamen ſemper fieri debere, aut etiam ideo fieri quia vocem *his* innuat, omnino nego. Adjungitur enim & Fœminarum nominibus Propriis, & Subſtantivis Pluralibus, ubi vox *his* ſine ſolœciſmo locum habere non poteſt: atque etiam in poſſeſſivis *ours, yours, theirs, hers*, ubi vocem *his* innui nemo ſomniaret: & quidem ipſa vox *his*, ut & interrogativum *whoſe*, nil aliud ſunt quam *hee's, who's*, ubi *s* idem omnino præſtat quod in aliis poſſeſſivis: Scribitur autem *his* pro *hee's*, eodem errore quo nonnunquam *bin* pro *been*; item *whoſe* pro *who's*, eodem errore quo *done, gone, knowne, growne*, &c. pro *doen, goen, knowen, growen*, vel *do'n, go'n, know'n, grow'n*; utrobique contra analogiam linguæ; ſed uſu defenditur.

Alterum Adjectivorum (quod innuebatur) genus eſt, quod Adjectivum *Reſpectivum* (quoniam aptius non occurrit vocabulum) appellare libet: Quo Reſpectus alii fere omnes (præter eos qui adjectivo Poſſeſſivo innuuntur) innui ſolent: Qui tamen multo diſtinctius, ubi illud requiritur, per Præpoſitiones exprimuntur. Eſt autem nihil aliud quam ipſa vox Subſtantiva adjective poſita: & quidem non raro ſequenti voci per *Hyphen* conjungitur, quaſi fieret vox compoſita. *Reſpective*

Sic *a Sea-fiſh, a fiſh of the Sea*, piſcis marinus, vel maris, (in mari, ex mari, ad mare pertinens;) *a river fiſh* piſcis fluvialis; *a wine-veſſel, a veſſel for wine*, vas vinarium, ſeu vino deſtinatum; *a Turky-voyage, a voyage to Turky*, navigatio Turcica, ſeu in Turciam; *a ſea-voyage, a voyage by ſea*, iter marinum, ſeu per mare; *home-made, made at home*, domi factum, vel apud domum; *ſelfe-love* φιλαυτία, ſui amor; *ſelf-murder*, αὐτοχειρία, ſui cædes; *man-ſlaughter, the ſlaughter of man*, homicidium, humana cædes, cædes hominis; *a gold-ring, a ring of gold*, annulus aureus, vel ex auro, & infinita alia.

Neque ſolis Subſtantivis, ſed & Adjectivis, Participiis, aliiſve forſan orationis partibus, hujuſmodi Adjectiva Reſpectiva adjiciuntur: ut *a ſun-ſhiny day*, dies ἡλιακὸς, ſolis ſplendore clarus;

clarus; *a ſelf-tormenter*, vel *ſelf-tormenting man*, Heautontimorumenus, ἑαυτὸν τιμωρούμενος.
Cum autem Adjectiva non niſi Subſtantivis adjungi ſoleant; Dicendum eſt, vel illa hic loci (ut alia etiam Adjectiva) in Adverbia degenerare; vel potius ſupponenda ſunt cum Subſtantivis primo conflari, ut *ſun-ſhine* ſolis ſplendor, *ſelf-torment* αὐτοτιμωρία, ſui tormentum; & deinde ex his aggregatis formari Adjectiva, *ſun-ſhin-y*, *ſelf-torment-ing*.

Si quis autem hæc omnia pro Compoſitis haberi contendat; ego non prorſus abnuo, modo talia compoſita dicat eſſe qualia ſunt ὥστε, ὅτιπερ, ἐκεῖν, τοιγαροῦν, *etjam*, *quare*, *quamobrem*, *quandoquidem*, *nihilominus*, *reſpublica*, *ſenatuſconſultum*, *hujuſmodi*, &c. in quibus & voces ipſæ & Syntaxis manet integra.

Materialia. Notandum autem eſt, quod hujuſmodi Adjectiva nonnulla, quoties Materiam ſignificant, (& *Materialia* igitur dici poſſunt,) terminationem *en* aliquando aſſumunt: ut *a gold-ring*, *a golden ring*, annulus aureus; *a braſs-veſſel*, *a brazen veſſel*, vas æneum; *a horn top*, *a hornen top*, trochus corneus: Sic *a leaden pipe* tubus plumbeus; *a wooden beam* trabs lignea; *Woollen cloth* pannus laneus; *Linen cloth*, *flaxen cloth* pannus lineus; *hempen cloth* pannus cannabinus; *an earthen veſſel* vas fictile, vas terreum; & raro alia.

Sed nec hæc Adjectiva Materialia tam ſtrictam ſubeunt legem quin aliquando poſſint ſuis ſubſtantivis poſtponi: Ut nec alia Adjectiva (præter duo jam enumerata genera) ſive primitiva ſint, ſive à Subſtantivis aut aliunde formata; quorum non pauca genera ſuo loci recenſebuntur.

Adjectiva Subſtantive poſita (hoc eſt, omiſſo ſuo Subſtantivo,) pro Subſtantivis habentur: Et, Adverbialiter poſita, adverbiaſcunt.

Cap. VI.

De Comparationibus.

Nomina Adjectiva (ut apud Latinos) Comparationem ſortiuntur; Gradus nempe adſciſcunt Comparativum & Superlativum.

Gradus Comparationis. **Gradus Comparativus formatur à Poſitivo addendo *er*; Superlativus addendo *eſt*.**

Ut *fair* formoſus, *fairer* formoſior, *faireſt* formoſiſſimus. Sed & uterque gradus per circumloquutionem formantur, ut apud Latinos; ut, *more fair*, *moſt fair*, *very fair*, magis formoſus, maxime formoſus, valde formoſus.

Tria quidem (& vix plura) formantur irregulariter. *Good* bonus, *better*, *beſt*, (pro *bet'ſt*;) *Bad*, *ill*, malus, *worſe*, (& *worſer*,) *worſt* (pro *wors'ſt*;) *Little* parvus, *leſs* (& *leſſer*,) *leſt* (pro *les'ſt*.)

Multi pro *leſt* ſcribunt *leaſt*, (ut diſtinguatur à conjunctione *leſt* ne, ut non,) verum omnino contra analogiam Grammaticæ. Mallem ego Adjectivum *leſt*, Conjunctionem *leaſt* ſcribere.

Ex quibuſdam ſive Præpoſitionibus ſive Adverbiis formantur (ut apud Latinos) Adjectiva Comparativa & Superlativa. Sic *Before*, *former*, *formoſt*, (& *firſt*, quaſi *for'ſt*) præ, prior, primus: *Ab-ove*, *over*, *overmoſt*, vel *up*, *upper*, *upmoſt*, & *uppermoſt*, ſupra, ſuperior, ſupremus: *Be-neath*, *neather*, *neathermoſt*, infra, inferior, infimus: *Behind*, *hinder*, *hindmoſt*, & *hindermoſt*: *Late*, *later*, *lateſt*, *la'ſt*, poſt, (ſero,) poſterior, poſtremus: *Much* multum, & *many* (olim *moe*) multi, faciunt *more*, *moſt*, quaſi *mo'r*, *mo'ſt*.

Ut alia Adjectiva, ita præſertim Comparativa & Superlativa ſæpiſſime adverbiaſcunt.

Ut *ill-done* male factum, *much leſs* multo minus, *leſs pleaſant* minus volupe, *moſt learned* maxime doctus.

Cap. VII.

De Pronominibus, ſeu Nominibus Perſonalibus.

Nomina quædam *Perſonalia*, vulgo *Pronomina* dici ſolent; ideo quia alterius Nominis quaſi vicem ſupplent.

Sunt quidem revera Nomina, ſed aliquantum irregularia.

Hæc autem, tam ſingularia quam pluralia, duplici fere forma ſeu ſtatu occurrunt: alterum ego *Rectum* appello, alterum *Obliquum*. Habentque ſua adjectiva Poſſeſſiva, licet peculiari plerumque modo formata. *Pronominum ſtatus duplex.*

In ſtatu recto uſurpantur quoties vel Abſolute ponuntur; vel Verbo præcedunt, ut Latinorum caſus rectus: In ſtatu vero obliquo, ubivis alias; quippe cum Verbo, Præpoſitioni, aliive voci rectrici poſtponuntur.

Primam perſonam deſignat in Recto Singulari *I* ego, in Obliquo *mee*, cujus Poſſeſſivum *my*, *mîne*, meus; in Recto Plurali *wee* nos, in Obliquo *us*, cujus Poſſeſſivum *our*, *ours*, noſter. *Pronominum enumeratio.* I.

Secundam perſonam deſignat *thou* tu, in obliquo *thee*, unde Poſſeſſivum *thy*, *thîne*, tuus; Pluraliter (tam in recto quam obliquo) *yee*, *you*, vos, unde Poſſeſſivum *your*, *yours*, veſter. Thou.

Tertiam perſonam, ubi de Maribus fit ſermo, *hee* ille, in obliquo *him*, (pro *heem*,) unde Poſſeſſivum *his* (pro *hee's*.) Sin de Fœminis agatur, *ſhee* illa, in obliquo *her*, Poſſeſſivum *her*, *hers*: Si autem de neutro ſexu agatur, *it* illud, (tam in ſtatu recto quam obliquo,) unde Poſſeſſivum *its*. In plurali (ſive de maribus, fœminis, aut neutris agatur,) *they* illi, illæ, illa; in obliquo *them* (*theim*;) Poſſeſſivum *their*, *theirs*, ſuus. Hee. Shee. It.

Interrogativum, in utrovis numero, de Perſonis eſt, *who* quis, in obliquo *whom*; De Rebus (tam in recto quam obliquo) *what*; Poſſeſſivum *whoſe*, (vel potius *who's*,) cujus. Quod tamen de rebus rarius uſurpatur, ſed potius *whereof*. Who.

Notandum autem Poſſeſſiva *my*, *thy*, *her*, *our*, *your*, *their*, tunc uſurpari quando Subſtantivis conjunguntur; ut *this is my houſe*, hæc eſt mea domus: ut *mine*, *thine*, *hers*, *ours*, *yours*, *theirs*, ubi Subſtantivum ſubintelligitur; ut *this houſe is mine*, domus hæc eſt mea: ſed & *mine*, *thine*, dicimus nonnunquam ubi Subſtantivum exprimitur, ſed ſolummodo ante Vocalem; ut *my arm* vel *mine arm*, brachium meum. Nonnulli etiam *hern*, *ourn*, *yourn*, *hisn*, dicunt, pro *hers*, *ours*, &c. ſed barbare, nec quiſquam (credo) ſic ſcribere ſolet.

Notandum item apud nos morem obtinuiſſe, (ſicut apud Gallos alioſque nunc dierum,) dum quis alium alloquitur, ſingularem licet, numerum tamen pluralem adhibendi; verum tunc *you* dicimus, non *yee*. Singulari vero numero ſiquis alium compellet, vel dedignantis illud eſſe ſolet, vel familiariter blandientis.

Hæc

Hæc autem omnia Pronomina ſimul conſpicienda proponit hæc Synopſis.

			Pronom. Primitiva, in ſtatu		Eorum Poſſeſſiva	
			Recto.	Obliquo.	Cum Subſtantivo.	Sine Subſtantivo.
Perſ. 1.	Singularis.		*I*	*mee*	*my*	*mine*
	Pluralis.		*Wee*	*us*	*our*	*ours*
Perſ. 2.	Singularis.		*Thou*	*thee*	*thy*	*thine*
	Pluralis.		*Yee*	*you*	*your*	*yours*
Perſ. 3.	Sin.	Maſ.	*Hee*	*him*	*his*	
		Fœ.	*Shee*	*her*	*her*	*hers*
		Neu.	*It*		*Its*	
	Pluralis.		*They*	*them*	*their*	*theirs*
Interrogativum.	Perſonarum.		*Who*	*whom*	*who's.*	
	Rerum.		*What*		*whereof*	

This, that. Demonſtrativa *this*, *that*, hic, ille; pluraliter *theſe*, *thoſe*; Item *the ſame* idem; & Relativum vel etiam Interrogativum *which* qui; nulla ratione dicenda puto Pronomina, ſed plane nomina Adjectiva.

Non enim pro nomine Subſtantivo poni ſolent, ut nempe ipſius locum ſuppleant, (quod in Pronominibus fieri debere ipſa Denominatio oſtendit:) ſed Subſtantivis adjiciuntur, eodem plane modo quò alia quælibet Adjectiva; ut *this man*, *that man*, *which man*, *the ſame man*, homo hic, ille, quis, idem. Si enim aliquando ſine ſuis ſubſtantivis occurrant, quod quidem non raro fit, ipſa tamen Subſtantiva ſubintelliguntur; prout in omnibus fere Adjectivis fieri ſolet. Dicimus enim Latine *unus*, *multi*, *omnes*, *alii*, *docti*, *indocti*, &c. Anglice, *one*, *many*, *all*, *others*, *the learned*, *the unlearned*, &c. omiſſis Subſtantivis: Nec tamen hæc Adjectiva in Pronominum numerum accenſeri ſolent.

Which. Relativum *which* qui, uſurpatur etiam interrogative; ut in aliis linguis fieri ſolet: & (de perſonis) *who* & *whom*.

Eſt autem nomen Adjectivum.

De his autem notandum eſt, dici non raro *hereof*, *thereof*, *whereof*; *hereby*, *thereby*, *whereby*, &c. pro *of this*, *of that*, (*of theſe*, *of thoſe*,) *of which*; *by this*, *by that*, (*by theſe*, *by thoſe*,) *by which*, &c.

What. Notandum item vocem *what* (interrogative, aut indefinite ſumptam) aliquando Adjective poni; ſed non eodem ſenſu quo inter Pronomina ſupra retulimus: Nam *what* Pronomen, ſignificat *Quid* (Subſtantive ſumptum;) at *what* Adjectivum, potius eſt *qualis*; ut *what man*, qualis homo.

Pro Relativo *which*, non raro ponitur *that*.

Own. Vox *own* quæ poſſeſſivis non raro ἐμφατικῶς ſubjungitur, eſt plane nomen Adjectivum, & valet Latinorum *Proprium*.

Sic *my own houſe*, *your own lands*, *Alexanders own ſword*, &c. [mea ipſius domus, veſtri ipſorum fundi, Alexandri ipſius enſis, &c.] ſunt ad verbum *mea propria domus*, *veſtri proprii fundi*, *Alexandri proprius gladius*, &c.

Self. Vox *ſelf*, pluraliter *ſelves*, quamvis etiam Pronomen à quibuſdam cenſeatur, (quoniam ut plurimum per Latinum *ipſe* redditur;) eſt tamen plane nomen Subſtantivum, cui quidem vix aliquod apud Latinos Subſtantivum reſpondet; proxime tamen accedit vox *perſona*, vel *propria perſona*.

Ut

Ut *my ſelf, thy ſelf, our ſelves, your ſelves,* &c. [ego ipſe, tu ipſe, nos ipſi, vos ipſi, &c.] ad verbum *mea perſona, tua perſona, noſtræ perſonæ, veſtræ perſonæ,* &c. Fateor tamen *himſelf, it ſelf, themſelves,* vulgo dici pro *his-ſelf, its-ſelf, their-ſelves*; at (interpoſito *own*) *his own ſelf, its own ſelf, their own ſelves,* ipſius propria perſona, illorum propriæ perſonæ. Eodem ſenſu apud Græcos Poetas occurrunt ἴς, βίη, κράτος; ut βίη Ἡρακλῆος, vel Ἡρακλῆος βίη, Hercules ipſe, vel propria Herculis perſona; *Hercule's ſelf, Hercules himſelf, Hercule's own ſelf.* Sic illud *Pſal.* 99. 4. עז מלך *robur Regis juſtitiam amat,* reddi non incommode poterit, *the Kings ſelf* (vel *the Kings Majeſty*) *loveth righteouſneſs*; Rex ipſe, Regia Majeſtas, Regis perſona propria, juſtitiam amat.

Cap. VIII.

De Verbo.

Verborum flexio ſeu conjugatio, quæ in reliquis linguis maximam ſortitur difficultatem, apud Anglos leviſſimo negotio peragitur.

Nos duo tantum habemus Tempora in quovis verbo, Præſens & Præteritum Imperfectum: Duo item Participia, Activum & Paſſivum, quæ plane Adjectiva ſunt, aliorumque Adjectivorum naturam omnino obtinent. Quod ſupereſt, verborum aliquot auxiliarium adjumento fere totum perficitur. *Tempora.*

Præſens eſt ipſum thema; ut *Burn* uro: Atque illud innuit quod jam cum loquimur *præſens eſt.* *Præſens.*

Præteritum Imperfectum themati regulariter adjungit *ed*; ut *Burned* urebam: Illud autem innuit quod illo quidem tempore (de quo fit ſermo) *præſens erat,* ſeu (ut loquuntur) *in fieri.* Atque eadem etiam vox eſt Participium Paſſivum regulariter formatum; ut *Burned* uſtus. *Præteritum Imperfectum. Participium Paſſivum.*

Præteriti Imperfecti, & Participii Paſſivi Anomaliæ poſt tradentur.

Participium Activum themati adjungit *ing*; ut *Burning* urens. Eademque vox Subſtantive poſita eſt Nomen Verbale, atque etiam Gerundiorum vices ſupplet; ut *in burning this* in urendo hoc, *in burning of this* in uſtione hujus. *Activum.*

Verbo infinite poſito præfigi ſolet particula *to.* (Quæ tamen nonnunquam omittitur; ut poſt dicetur.) *Infinitum.*

Uſurpatur autem poſt alia (non pauca) verba, & Adjectiva; ut etiam ubi Subſtantive ponitur: omnino ut Latinorum modus infinitivus.

Perſonarum & Numerorum diſtinctio, per præfixa nomina Perſonalia, (vel, in tertia perſona, alia quævis Subſtantiva,) inſtar Latinorum caſus Nominativi, maxime indigitatur; ut *I burn* uro, *they burn* urunt. *Perſonæ.*

In ſecunda tamen perſona ſingulari, utriuſque Temporis, additur terminatio *eſt*; & in tertia ſingulari, præſentis Temporis, terminatio *eth*, vel ipſius loco *s*, (aut, ſi neceſſitas pronunciandi poſtulet, *es.*) *Thou burneſt, He burneth* (vel *burns,*) *thou burnedſt*; uris, urit, urebas.

Dicimus autem (verbis auxiliaribus *will, ſhall,*) *wilt, ſhalt,* per Syncopen, pro *will'ſt, ſhall'ſt*: Item *haſt, hath,* hoc eſt *ha'ſt ha'th,* pro *hav'ſt, hav'th,* (ut & *had* pro *hav'd.*) Et in verbis auxiliaribus *will, ſhall, may, can,* terminatio *eth,* prorſus omittitur.

Omittitur etiam utraque terminatio in Imperando; &, poſt Conjunctiones *if* ſi, *that* ut, *though, although* quamvis, *whether* utrum, & aliquando etiam poſt alias aliquot Conjunctiones & Adverbia; tunc ſcilicet ubi Latini modum Imperativum aut Subjunctivum adhibent.

In Terminationibus *eſt, eth, ed,* (& *en,* de qua poſtea dicetur, ot & paſſim alias) vocalis *e*, fere ad placitum, per Syncopen tollitur, (niſi forſan aſperitas pronunciandi aliquando impediat;) ejuſque defectus, ubi opus eſt, Apoſtrophi nota innuitur; ut *do'ſt* pro *doeſt* agis; *do'th, doth,* pro *doeth* agit; *did'ſt, didſt,* pro *diddeſt* agebas; *plac'd* pro *placed* locatus; *burn'd, burnd,* pro *burned* uſtus; *know'n, known,* pro *knowen* notus.

Cap. IX.

De Verbis Auxiliaribus Mutilis.

Auxiliaria mutila. VErbis infinitis (ſed omiſſa particula *to*) præponuntur hæc Verba Auxiliaria *Do, will, ſhall, may, can,* cum eorum Præteritis Imperfectis *Did* (pro *doed,*) *would, ſhould,* (ab antiquis *wolle, ſholle,*) *mîght* (olim *mought,*) *could*: Item *muſt*, quod extra tempus præſens vix reperitur.

Sed & Verba *let* permitto, *bid* jubeo, *dare* audeo, *help* adjuvo, & fortaſſe alia nonnulla, (quaſi eſſent verba Auxiliaria,) præponuntur etiam verbis infinitis, omiſſa nonnunquam particula *to*.

Hæc autem verba Auxiliaria, ideo *mutila* nominanda cenſeo, quoniam ultra tempus Præteritum Imperfectum non uſurpantur: Participia nempe non habent, nec verba Auxiliaria ſibi præfixa admittunt.

Duo tamen *Do* ago, & *Will* volo, quoniam depoſita auxiliarium natura non raro ut verba Abſoluta occurrunt, integre formantur, nempe tam participia habent (*doing, do'n, willing, willed,*) quam verba auxiliaria admittunt; ubi ſcilicet ſunt verba abſoluta, non autem ubi ſunt Auxiliaria.

Do. *Do* & *did* indicant emphatice tempus Præſens, & Præteritum Imperfectum. Uro, urebam; *I burn, I burned*, vel (emphatice) *I do burn, I did burn.*

Shall, will. *Shall* & *will* indicant Futurum. Uret, *It ſhall burn, It will burn.*

Quoniam autem extraneis ſatis eſt cognitu difficile, quando hoc vel illud dicendum eſt; (non enim promiſcue dicimus *ſhall* & *will*;) neque tamen alii quos vidi ullas tradidere regulas quibus dirigantur: has ego tradere neceſſarium duxi, quas qui obſervaverit hac in re non aberrabit.

Quomodo differunt. In primis perſonis *ſhall* ſimpliciter prædicentis eſt; *will*, quaſi promittentis aut minantis.

In ſecundis & tertiis perſonis, *ſhall* promittentis eſt aut minantis; *will* ſimpliciter prædicentis.

Uram, ures, uret, uremus, uretis, urent: *I ſhall burn, you will,* (*thou wilt,*) *he will, we ſhall, ye will, they will burn*; nempe hoc futurum prædico: vel *I will, you ſhall,* (*thou ſhalt,*) *he ſhall, wee will, yee ſhall, they ſhall burn*; nempe, hoc futurum ſpondeo, vel, faxo ut ſit.

Would, ſhould. *Would* & *ſhould* illud indicant quod erat, vel eſſet, futurum: cum hoc tamen diſcrimine; *Would* voluntatem innuit ſeu agentis propenſionem; *ſhould* ſimpliciter futuritionem.

Urerem; urere debebam, deberem, volebam, vellem; *I ſhould, or would, burn.*

May, can. *May* & *can,* cum eorum Præteritis Imperfectis *might* & *could,* potentiam innuunt: cum hoc tamen diſcrimine: *may* & *might* vel de Jure vel ſaltem de rei poſſibilitate dicuntur; at *can* & *could,* de viribus agentis.

Poſſum (ſive potis ſum) urere, *I can burn*; poteram vel poſſem (potis eram vel eſſem, urere, *I could burn*; poſſum urere (nempe poſſibile eſt, aut licet,) *I may burn*; poteram vel poſſem urere (poſſibile vel licitum erat vel eſſet) *I might burn.*

Muſt. *Muſt* neceſſitatem innuit. Debeo, oportet, neceſſe eſt, urere, *I muſt burn.*

Aliquando, ſed rarius, in præterito dicitur *muſt* (quaſi ex *muſt'd* ſeu *muſt't* contractum.) Sic, ſi de præterito dicatur, *he muſt* (ſeu *muſt't*) *be burnt*, oportebat uri, ſeu neceſſe habuit ut ureretur.

C A P. X.

De Verbis Auxiliaribus Integris.

ALia duo verba auxiliaria *Have*, & *Am* (ſeu *bee*,) præponuntur Participiis Paſſivis; eodem plane modo quo aliis quibuſvis vel Adjectivis vel etiam Subſtantivis. *Auxiliaria integra.*

Eodem plane modo quo Gallorum *j'ay*, *je ſuis*; aliaque ejuſdem ſignificationis in linguis aliis modernis; quibus hæc noſtra reſpondent.

Integra vero ideo appello, quoniam non modo duo tempora, (præſens & imperfectum,) ſed & participia habent, & verba auxiliaria ſibi præfixa admittunt (dummodo ipſa tamen adhuc maneant auxiliaria) non ſecus ac alia quævis Verba abſoluta.

Auxiliaria tamen dico, quia non modo Præteritorum perfectorum & pluſquam perfectorum omnium, ſed & totius vocis Paſſivæ vices ſuſtinent.

Have (participio paſſivo junctum) indicat Præteritum Perfectum; illud nempe quod nunc eſt præteritum, ſeu (ut loquuntur) in facto eſſe: *Had*, præteritum pluſquam perfectum; illud nempe quod tunc erat præteritum, (eo ſcilicet tempore de quo fit ſermo.) *Have, had.*

Uſſi *I have burned*, uſſeram *I had burned*, uſſiſſe *to have burned*, *καύσας having burned*, loquutus *having ſpoken*. Sic *ſhall have*, *will have*, illud indicant quod erit præteritum; quod Græci fortaſſe per ipſorum paulo-poſt-futurum, vel mox-futurum exprimere poſſunt: Latini vero ægrius exprimunt niſi in verbis formæ Paſſivæ; ut loquutus ero, *I ſhall have ſpoken*, loquutus eſſem, *I ſhould have ſpoken*; nam *I ſhall have burned*, *It will have burned*, difficilius Latine redditur, niſi forſan *uſſero*, *uſſerit*, tantundem ſignificare dicamus: At *I ſhould have burned*, *I would have burned*, Latine dicimus, *Uſſiſſem*, *uſſiſſe vellem*.

Am vel *bee* ſum, (participio paſſivo junctum,) totius vocis Paſſivæ (ut loquuntur Latini) vices gerit. *Am, bee.*

Prout etiam in aliis nunc dierum linguis: & quidem ex parte in lingua etiam Latina.

Eſt autem hoc verbum ſatis anomalum; & duplicem quidem formam habet.

In Præſenti { *Am*, *art*, *is*, pluraliter *are*.
{ *Bee*, *bee'ſt*, *bee*, pluraliter *bee*.

In Præterito { *was*, *waſt*, *was* } pluraliter
imperfecto { *were*, *wert*, *were* } *were*.

Infinitum *to be*. Participium Activum *being*; Paſſivum *been*.

Prior forma (tam in Præſenti, quam in Præterito Imperfecto) illic plerumque adhibetur, ubi Latini modum Indicativum ponerent; alibi fere ſemper ſecunda.

Uror, uſtus ſum, *I am burned*; ſi urar, ſi uſtus ſim, *if I be burned*; urebar, uſtus eram, *I was burned*; quamvis urerer, quamvis uſtus eſſem, *although I were burned*; uſtus fui, *I have been burned*; uſtus fueram, fuiſſem, *I had been burned*; urar, *I ſhall be burned*; uſtus ero, *I ſhall have been burned*; uſtus eſſem, fuiſſem, *I ſhould be burned*, *I ſhould have been burned*; uſtus eſto *be burned*; uri *to be burned*; uſtus eſſe vel fuiſſe *to have been burned*.

Atque ad hanc formam nos omnem Modorum & Temporum varietatem, quæ apud Latinos conſpicitur, facile abſolvimus. Amo, *I love*, *I do love*; Amabam, *I loved*, *I did love*, Amavi, *I have loved*; Amaveram, *I had loved*; Amabo, *I ſhall love*, *I will love*; Ama, *love thou*; Amem, *I may love*, *I can love*; Amarem, *I might love*, *I could love*, *I ſhould love*, *I would love*; Amaverim amavero, *I ſhould have loved*, *I will have loved*; Amaviſſem, *I ſhould have loved*, *I would have loved*, *I could have loved*, *I might have loved*; Amare, *to love*; Amaviſſe, *to have loved*; Amandi, *of loving*; Amando, *in loving*; Amandum, *to loving*; Amatum, *to love*;

love; Amatu, *to be loved*; Amans, *loving*; Amaturus, *being to love*; Amatus, *loved*; Amandus, *being to be loved*. Et pariter in Paſſiva voce, mediantibus Auxiliari *Am* ſeu *Bee*, & Participio Paſſivo.

Cap. XI.

De ſede Vocis Nominativæ & Accuſativæ, aliiſque ad Verborum ſyntaxin ſpectantibus.

Sedes vocis Nominativæ.

INterrogando & Imperando, vox Nominativa ſuo Verbo poſtponitur; (nempe Auxiliarium primo, ſi quod adſit; vel, ſi non adſit auxiliare, ipſi verbo Abſoluto:) Alibi plerumque (nec ſemper tamen) præponitur.

Ubi autem *Imperando* dixi, etiam intelligendas vellem Permiſſiones, Conceſſiones, &c. quæ à Latinis per modum Imperativum efferuntur.

Uro, uris, urit, &c. *I burn, thou burneſt, he burneth*, &c. vel *I do burn*, &c. Uro? uris? urit? &c. *Burn I? burneſt thou? burneth he?* &c. vel *Do I burn? doſt thou burn? doth he burn?* &c. Uram, uras, urat, &c. vel ure, urito, &c. *Burn I, burn thou, burn he*, &c.

Notandum autem quod ubi in ſecundis perſonis fit Imperium ſeu Conceſſio, vox nominativa ſæpiſſime omittitur; ut ure, urite, *burn*; pro *burn thou, burn yee*: In reliquis vero perſonis fit ſæpe circumlocutio per vocem *let* (permitte, ſine,) ut uram, uras, uramus, urant, *let me burn, let him burn, let us burn, let them burn*; hoc eſt, ad verbum *ſine me urere*, (*permitte ut uram*,) *ſine eum urere*; &c. Quod ipſum quidem apud Latinos fit; nam cum *urat, uramus*, &c. (quæ ſunt revera modi Subjunctivi) Imperative uſurpantur, ponuntur elliptice, pro *eſto ut urat, licet ut urat, licet urat, ſine urat*, aut alia ejuſmodi formula.

Nec mirum ſit, me primam perſonam ſingularem modi Imperativi recenſuiſſe, quod pauci faciunt; nam qui hujuſmodi formas Imperativas eſſe conceſſerit, [Petat quoties velit, nunquam obtinebit; Petamus quoties velimus, nunquam obtinebimus, &c.] *Ask he* (vel *let him ask*) *as oft as he will, he ſhall never obtain*; &c. idem etiam de hac, eadem ratione, concedere debet, [Petam ego quoties velim, nunquam obtinebo;] *Ask I* (vel *let me ask*) *as oft as I will, I ſhall never obtain.*

Eadem fere forma nonnunquam poſtpoſitio vocis Nominativæ, (poſt Præteritum Imperfectum, præſertim verborum auxiliarium,) ſupplet defectum conjunctionis *if* ſi. Si petiiſſet, obtinuiſſet: *Had he asked*, (pro *if he had asked*,) *he had obtained.*

Sedes vocis Accuſativæ.

Vox Accuſativa Verbis Tranſitivis (nunc dierum) plerumque poſtponitur; ut Urit me, *he burneth mee.*

At olim ſolebat ſæpe præponi, *hee mee burneth, mee hee burneth*; prout adhuc apud Germanos & Belgas uſu fit; & aliquando etiam apud Anglos, præſertim Poetas.

Sedes particulæ Negativæ.

Adverbium negandi *not* (non,) Verbo poſtponitur, (nempe auxiliari primo, ſi quod adſit; aut, ſi non adſit auxiliare, Verbo principali:) aliis tamen orationis partibus præfigi ſolet.

Non urebat, *it burned not, it did not burn*; non me *not me*, me non-urebat *it burned me not, it burned-not mee, mee it burned-not*; non-me urebat *it burned not-me, me it burned not.*

Latinorum Participia in rus & dus.

Latinorum Participia Futuri temporis (in *rus* & *dus*) nos plerumque efferimus per Verbum Infinitum.

Præfixo tamen (aut per Ellipſin omiſſo) Adjectivo aptæ ſignificationis (vel aliquando Præpoſitione) ut fiat circumlocutio. Moriturus *to dy*, vel *about to dy* (quaſi, circiter ipſum mori,) *ready to dy* (mori paratus,) *like to dy* (morti vicinus, veriſimiliter moriturus,) *condemned to dy*, (morti damnatus.) Sic, occidendus, *to be killed, ready to be killed, like to be killed*, aut alia non abſimili forma.

Eſt (ut loquuntur) tertii adjecti, innuitur præfixa voce *there*, & poſtpoſita voce Nominativa. Ut Eſt (datur) calor in ſole, *there is heat in the Sun*: Non ſunt (non dantur) orbes ſolidi, (nulli dantur orbes ſolidi,) *there are no ſolid orbs*, &c.

Verba

Verba Imperſonalia proprie non habemus; ſed quæ Latini Imperſonaliter efferunt, nos efferimus perſonaliter, præfixa voce Nominativa *it.* *Verba Imperſonalia.*

Placet, juvat, oportet me, juſtum eſſe; *It pleaſeth, it delighteth, it behoveth me, to be juſt.* Ubi tamen ſiquis dicat [*juſtum eſſe*] caſum eſſe Nominativum verbis *placet, juvat, oportet*, ideoque ipſa eſſe Perſonalia; ego neutiquam infietas ibo. Conſtructio Anglicana ſic accipienda eſt, *To be juſt, it pleaſeth me*; (juſtum eſſe, id mihi placet:) Ubi vel prior vox Nominativa, (*to be juſt*, juſtum eſſe) abſolute ponitur; vel poſterior (*it*, id) redundat; ſaltem emphatica vel exegetica fit reduplicatio.

C a p. XII.

De Verbis Anomalis.

Reſtat ut de Verborum aliquot Anomalia pauca tradam. De quibus hæc duo primitus monenda ſunt.

1. Tota quæ ſequitur Anomalia non niſi præteriti Imperfecti temporis, & Participii Paſſivi formationem ſpectat. *Duo Præmonenda.*

Nam in ipſis quidem Verbis Irregularibus nihil aliud irregulare eſt.

2. Tota illa quantacunque Anomalia, Verba Exotica vix omnino attingit; ſed illa ſola quæ Nativa ſunt.

Exotica vero illa appello quæ à Latinis, Gallicis, Italicis, Hiſpanicis, aut etiam Cambro-Britannicis deduximus, quæ quidem multa ſunt: Nativa vero illa voco quæ ab antiquâ lingua Teutonica, ſeu Saxonica, originem ducunt; quæ quidem omnia ſunt Monoſyllaba, (aut ſaltem à Monoſyllabis deducta,) & plerumque nobis cum Germanis, Belgis, Danis, &c. communia ſunt, (levi ſaltem immutatione facta;) quorum nempe ſive Linguæ ſive Dialectus ejuſdem cum noſtra Anglicana ſunt originis.

Anomalia prima, quæ maxime generalis eſt, ex celeritate pronunciandi originem duxit: nempe, (poſt ſyncopen vocalis *e* in regulari terminatione *ed*,) relicta conſona *d* ſæpiſſime mutatur in *t*; quoties ſcilicet pronunciatio ſic evadit expedition. (Et quidem contractio potius dicenda videtur, quam Anomalia.) *Anomalia Generalis.*

Nempe poſt *c, ch, ſh, f, k, p, x,* & poſt conſonas *ſ, th*, durius pronunciatas, & aliquando poſt *l, m, n, r*, modo præcedat vocalis brevis: hæ enim literæ facilius poſt ſe recipiunt *t* quam *d*. Ut, *plac't, ſnatch't, fiſh't, wak't, dwel't, ſmel't, burn't*, &c. pro *plac'd, ſnatch'd, fiſh'd, wak'd, dwel'd, ſmell'd, burn'd*, vel *placed, ſnatched, fiſhed, waked, dwelled, ſmelled, burned*, à Verbis *to place* loco, *to ſnatch* rapio, *to fiſh* piſcor, *to wake* evigilo, *to dwell* habito, *to ſmell* olfacio, *to burn* uro.

Sed & vocalis longa præcedens non raro abbreviatur, vel in cognatam breviorem tranſit; quæ & ipſa conducunt ad celeriorem pronunciationem. Sic *kept, ſlept, wept, crept, ſwept, lept*, à Verbis *to keep* ſervo, *to ſleep* dormio, *to weep* fleo, *to creep* repo, *to ſweep* verro, *to leap* ſalto.

At poſt conſonas *b, g, v, w, z*, atque *s, th*, mollius prolatas; & *l, m, n, r*, præcedente vocali longa, manet *d*: facilius enim coaleſcunt cum *d*, propter ſimilem ſpiritus ad nares directionem, quam cum *t*. Sic *liv'd, ſmil'd, raz'd, beleev'd*, &c. à Verbis *to live* vivo, *to ſmile* ſubrideo, *to raze* deleo, *to beleeve* credo.

Niſi cum vocalis longa abbreviatur ante, *l, m, n, r*; & ubi *b, v*, in *p, f*, ſonuſque mollior literarum *s, th*, in earundem ſonum duriorem tranſit. Ut *felt, delt, dreamt, meant, left, bereft, beleft*, &c. à Verbis *to feel* tactu ſentio, *to deal* diſtribuo, *to dream* ſomnio, *to mean* intendo, *to leave* linquo, *to bereave* orbo, *to beleeve* credo.

Ubi autem *d* vel *t* præceſſerat, litera addititia *d* vel *t* (in hac contracta forma) cum *d* vel *t* radicali in unam literam coaleſcunt. Nempe ſi *t* radicalis eſſet; coeunt in *t*; ſin *d* eſſet radicalis, tum vel in *d* vel in *t* coeunt, prout hæc vel illa litera promptius proferri poſſit. Ut *read, led, ſpred, ſhed, dread, ſhred, tread, bid, bid, chid, fed, bled, bred, ſped, ſtrid, ſlid, rid*, &c. (ſeu potius *readd, bidd*, &c. quaſi *read'd, bid'd*, &c.) à Verbis *to read* lego, *to lead* duco, *to ſpread* expando, *to ſhed* effundo, *to dread* revereor, *to ſhread* minutim ſeco, *to*

tread

tread conculco, *to bid* jubeo, *to bide* abſcondo, *to chide* objurgo, *to feed* paſco, *to bleed* ſanguinem emitto, *to breed* pario, educo, *to ſpeed* expedio, *to ſtride* paſſum extendo, *to ſlide* labor, *to ride* equito. Sic, *caſt*, *hurt*, *coſt*, *burſt*, *eat*, *beat*, *ſweat*, *ſit*, *quit*, *ſmit*, *writ*, *bit*, *hit*, *met*, *ſhot*, *cut*, *put*, &c. (aut fortaſſe melius *eatt*, *bitt*, *hitt*, &c. quaſi *eat't*, *bit't*, *hit't*,) à Verbis *to caſt* projicio, *to hurt* lædo, *to coſt* conſto, (de precio dictum,) *to burſt* rumpo, *to eat* edo, *to beat* verbero, *to ſweat*. ſudo , *to ſit* ſedeo, *to quit* libero, *to ſmite* percutio, *to write* ſcribo, *to bite* mordeo, *to hit* percutio, *to meet* occurro, *to ſhoot* ex machina projicio, *to cut* ſeco, *to put* pono. Item *lent*, *ſent*, *rent*, *girt*, &c. (pro *lend'd*, *ſend'd*, &c. vel *lendt*, *ſendt*, &c.) à Verbis *to lend* mutuo do, *to ſend* mitto, *to rend* lacero, *to gird* cingo.

Verba autem hanc Anomaliam ſeu contractionem paſſa, admittunt ut plurimum etiam formam regularem, non minus eleganter quam hanc contractam; ut *placed*, *fiſhed*, *believed*, *bereved*, *girded*, *burned*, &c. vel *plac'd*, *fiſh'd*, &c. Niſi fortaſſis cacophonia nonnunquam impediat ſyncopen paſſa, (ut *gird'd*;) aut etiam (in Verbis frequentiſſimi uſus) celeritas pronunciandi contractiorem formam in quibuſdam ut plurimum ſuadeat; unde *kept*, *wept*, fere ſemper dicimus ; *keeped*, *weeped*, rarius.

Participia in en. Anomalia ſecunda etiam frequens eſt, ſed ſolummodo Participium Paſſivum ſpectat: Nempe Participium Paſſivum olim ſæpiſſime formabatur in *en*: Cujuſmodi ſatis multa adhuc retinemus, præſertim ubi Præteritum Imperfectum inſignem aliquam anomaliam patitur. (Atque hæc quidem Altera Participii Formatio, potius quam Anomalia, non incommode dici poteſt.)

Ut *been*, *taken*, *given*, *ſlay'n*, *know'n*, &c. à Verbis *to be* eſſe, *to take* accipio, *to give* do, *to ſlay* occido, *to know* cognoſco.

Et quidem nonnunquam poſt Præteriti Imperfecti & Participii Paſſivi communem ſive contractionem ſive anomaliam, etiam hæc Participii Paſſivi peculiaris anomalia accedit. Scilicet tam *written*, *bitten*, *eaten*, *beaten*, *bidden*, *chidden*, *ſhotten*, *rotten*, *choſen*, *broken*, &c. quam *writ*, *bitt*, *eat*, *beat*, *bidd*, *chidd*, *ſhott*, *rott*, *choſe*, *broke*, &c. in Participio Paſſivo (at non item in Præterito Imperfecto) promiſcue efferuntur; à Verbis *to write* ſcribo, *to bite* mordeo, *to eat* edo, *to beat* verbero, *to bide* abſcondo, *to chide* objurgo, *to ſhoot* projicio, *to rot* putreſco, *to chooſe* eligo, *to break* frango; aliaque ejuſmodi multa.

Item promiſcue formantur Participia *ſow'n*, *ſhew'n*, *hew'n*, *mow'n*, *loaden*, *laden*; atque *ſow'd*, *ſhew'd*, *hew'd*, *mow'd*, *loaded*, *laded*; à Verbis *to ſow* ſero, *to ſhew* oſtendo, *to hew* dolo, *to mow* meto, *to load* vel *lade*, onero. Aliaque forſan aliquot ſimilia.

Anomaliæ Speciales. Sunt & aliæ Anomaliæ non paucæ, præſertim in Præterito Imperfecto; ſed quæ magis ſpeciales ſunt, nec quidem adeo multæ quam ut poſſint ſigillatim recenſeri.

Verba auxiliaria, eorumque anomaliam, ſupra tradidimus. Alia ſequuntur, quæ in ſuas claſſes diſtribuemus, præmiſſis illis quæ utrobique eandem vocem retinent, adjunctis deinde aliis quæ aliter in Præterito Imperfecto, aliter in Participio Paſſivo efferuntur.

1. *Win* lucro, *ſpin* neo, *begin* incipio, *ſwim* no, *ſtrike* percutio, *ſtick* hæreo, *ſing* cano, *ſting* aculeis pungo, *fling* jacio, *ring* campanam pulſo, *wring* torqueo, *ſpring* germino, *ſwing* pendulus agitor, *drink* bibo, *ſink* mergor, *ſhrink* contrahor, *ſtink* fœteo, *hang* pendeo, *come* venio, *run* curro, *find* invenio, *bind* ligo, *grind* contero, *wind* convolvo; tam in Præterito Imperfecto, quam in Participio Paſſivo, dant *wonne*, *ſpun*, *begun*, *ſwum*, *ſtruck*, *ſtuck*, *ſung*, *ſtung*, *flung*, *rung*, *wrung*, *ſprung*, *ſwung*, *drunk*, *ſunk*, *ſhrunk*, *ſtunk*, *hung*, *come*, *run*, *found*, *bound*, *ground*, *wound*: Sed & eorum pleraque formantur etiam in Præterito Imperfecto per *a*, Ut *wan*, *began*, *ſang*, *rang*, *ſprang*, *drank*, *came*, *ran*; & quædam alia, ſed rarius. Quædam in Participio Paſſivo aſſumunt etiam *en*, ut *ſtricken*, (*ſtrucken*,) *drunken*, *bounden*. Sed & utrobique forma analoga fere in omnibus retinetur, ut *ſpinned*, *ſwimmed*, &c.

2. *Fight* pugno, *teach* doceo, *reach* extendo, *ſeek* quæro, *beſeech* oro, *catch* capio, *buy* emo, *bring* affero, *think* cogito, *work* operor: faciunt utrobique *fought*, *taught*, *raught*, *ſought*, *beſought*, *caught*, *bought*, *brought*, *thought*, *wrought*. Sed & ex his non pauca analogiam retinent, ut *teached*, *reached*, *beſeeched*, *catched*, *worked*, &c.

3. *Take* capio, *ſhake* quatio, *forſake* deſero, *wake* (*awake*) evigilo, *ſtand* (olim *ſtead*) ſto, *break* frango, *ſpeak* loquor, *bear* fero, pario, *ſhear* tondeo, *ſwear* juro, *tear* lacero, *wear* induo, tero, *weave* texo, *cleave* hæreo, *cleave* (olim *clive*) findo, *ſtrive* contendo, *thrive* diteſco, *drive* pello, *ſhine* ſplendeo, *riſe* (*ariſe*) ſurgo, *ſmite* percutio, *write* ſcribo, *bide* (*abide*) maneo, *ride* equito, *chooſe* (*chuſe*) eligo, *tread* conculco, *get* acquiro, *beget* gigno, *forget* obliviſcor, *ſeethe* coquo: faciunt utrobique *took*, *ſhook*, *forſook*, *woke*, *awoke*, *ſtood*, *broke*, *ſpoke*, *bore*, *ſhore*, *ſwore*, *tore*, *wore*, *wove*, *clove*, *ſtrove*, *throve*, *drove*, *ſhone*, *roſe*, *aroſe*, *ſmote*,

ſmôte, wrîte, bôde, abôde, rôde, chôſe, trod, got, begott, forgott, ſod. Sed & utrobique dicimus etiam *thrive, riſe, ſmitt, writ, abidd, ridd.* In Præterito imperfecto quædam etiam formantur per *a*; ut *brake, ſpake, bare, ſhare, ſware, tare, ware, clave, gat, begat, forgat,* & fortaſſe quædam alia, ſed rarius. In Participio Paſſivo formantur eorum non pauca per *en*; ut *taken, ſhaken, forſaken, brôken, ſpôken, bôrn,* (*bôr'n,*) *ſhôr'n, ſwôr'n, tôr'n, wôr'n, wôven, clôven, thriven, driven, riſen, ſmitten, written, ridden, chôſen, trodden, gotten, begotten, forgotten, ſodden.* Multa etiam utrobique retinent analogiam; ut *waked, awaked, beared, ſheared, weaved, cleaved, thrived, abided, chooſed, ſeethed,* &c.

4. *Give* do, *bid* jubeo, *ſit* ſedeo, faciunt in Præterito Imperfecto *gave, bad, ſate*: In Participio Paſſivo, *given, bidden, ſitten.* Sed & utrobique *bidd, ſitt.* Atque huc referenda ſunt multa ex prima & tertia claſſe, quæ formant præteritum imperfectum etiam in *a*.

5. *Draw* traho, *know* ſcio, *ſnow* ningo, *grow* creſco, *throw* jacio, *blow* flo, *crow* cano (inſtar galli,) *fly* volare, *ſlay* occido, *ſee* video, *ly* jaceo, faciunt Præterita Imperfecta *drew, knew, ſnew, grew, threw, blew, crew, flew, ſlew, ſaw, lay*; Participia Paſſiva per *en*; *draw'n, know'n, ſnow'n, grow'n, throw'n, blow'n, crow'n, flyen,* (*flow'n,*) *ſlay'n, ſeen, ly'n,* (*lay'n.*) Sed & utrobique *draw'd, ſnow'd, throw'd, crow'd.* At a *flee* fugio, fit *fledd.* *A go* eo, fit *went* (ab Antiquo *wend*) & participium *go'n.*

Suntque hæc (quæ memini) omnia linguæ Anglicanæ Verba Anomala: Alia vel nulla ſunt, vel certe pauciſſima.

Cap. XIII.

De Adverbiis, Conjunctionibus, Præpoſitionibus, & Interjectionibus.

ADverbia eandem ſortiuntur naturam apud nos, quam apud Latinos, aliaſque gentes: Nempe non Verbis tantum, ſed & aliis orationis partibus adjiciuntur. *Adverbia*

Quorum præcipua ſequuntur.

Adverbia Temporis; Quando *when*, nunc *now*, tunc *then*, hodie *to day*, cras *to morrow*, heri *yeſterday*, perpetuo *ever*, nunquam *never*, dum *while*, diu *long*, *a great while*, donec *till, un-till*, dudum *ſince, agoe, long ſince, long agoe*, antehac *here-to-fore*, poſthac *here-after*, jamjam *allready.*

Numeri; Quoties *how-oft*, toties *ſo oft*, ſemel *once*, biſ *twice*, ter *thrice, three-times*, quater *four-times*, ſæpe, multoties, *oft, often, often-times, many-times*, raro *ſeldome*, ſemper *allwayes*, (quaſi omnibus vicibus, à Cambrica voce *gwaith* vices: niſi forte Italorum hic imitemur *tutte-via*; aut ſaltem Germanorum *all-weg.*)

Ordinis; Primo *firſt*, deinde *afterward*, proxime *next*, ſecundo *ſecondly*, tertio *thirdly*, ultimo *laſtly*, tandem *at-laſt, at length*, &c.

Loci; Ubi *where*, hic *here*, illic *there*, ubique *every-where*, nuſquam *no-where*, uſpiam *any-where*, alicubi *ſome-where*, alibi (alicubi alias) *elſe-where*, *ſome-where-elſe*, intus *with-in*, foris *with-out*: Quo *whither*, huc *hither*, illuc *thither*, aliquo *ſome-whither*, nullo *no-whither*, intro *in*, foras *out*: Quorſum *which way*, horſum *this way*, eorſum *that way*, nullorſum *no-way*, ſurſum *up-ward*, deorſum *down-ward*: Unde *whence*, (*from whence*,) hinc *hence*, inde *thence*: Simul *together*, ſeorſim *a-ſunder, in-ſunder*, prope *near, hard-by*, longe *far-off, a great way off.*

Affirmandi; etiam *yea, yes, I*; forte *perhaps, perchance, peradventure, it may be.*

Negandi; non (abſolute poſitum) *no*, (conjuncte poſitum) *not.*

Monſtrandi; En *lo, behold.*

Similitudinis, & Comparationis; Quam, quomodo, *how*; tam, ſic, *ſo*; ut *as*, quantum (quam multum) *how much*, magis *more*, minus *leſſe*, maxime *moſt*, minime *leſt*, valde *very*, *very much*, omnino *altogether, wholly*; ferme *allmoſt, well-nigh*; ſolummodo *only, but*; potius *rather*, quam *than*, vix *ſcarce*, ægre *hardly*, bene *well*, male *ill*, melius *better*, pejus *worſe*, optime *beſt*, peſſime *worſt*, docte *learnedly*, fortiter *valiantly*, cito *quickly*, &c.

Reliqua fere Adverbia (& ex enumeratis non pauca) ſunt vel Periphraſes; ut diu *a long while*, jamdudum *a great while ago*, ſæpenumero *many-times*, &c. Vel Præpoſitiones aut Adjectiva Adverbiaſcentia; ut ante *before*, prope *near*, præter *beſide*, infra *under, below*, &c. multum *much*, parum *little*, magis *more*, &c. Vel denique à quibuſvis fere Adjectivis formantur, adjuncta terminatione *ly*; ut docte *learnedly*, fortiter *valiantly*, ſubito (ſubitaneè) *ſuddainly*, tertio *thirdly*, &c.

Conjunctiones. Conjunctiones item eundem habent uſum, quem apud Latinos, alioſque.

Quarum hæ ſunt præcipuæ; Et *and*, quoque *allſo*, *likewiſe*, nec *nor*, *neither*, utrum *whether*, ſive *or*, *either*, ſed *but*, nam *for*, quia *becauſe*, quare *why*, *wherefore*, ergo *therefore*, ſi *if*, tum *then*, quamvis *though*, *all-though*, *not-with-ſtanding*, tamen *yet*, ut *that*, quod *that*, cum *ſeeing*, *ſince that*, *when as*, niſi *but*, *except*, *unleſſe*, ſaltem *at-leſt*, vel *even*.

Si quis tamen harum aliquot voces potius Adverbia eſſe dicat; aut etiam ex Adverbiis aliquot ad Conjunctionum claſſem referre malit: non tanti eſt ut hac de re quis contendat, cum, & apud Latinos, eadem non raro vox nunc pro Adverbio, nunc pro Conjunctione cenſenda eſt. Neque aliquod grave detrimentum pateremur, ſi tam Adverbia quam Conjunctiones & Interjectiones, ad eandem claſſem redigerentur. Eſt quidem nonnihil diſcriminis, ſed leviuſculum.

Præpoſitiones. Præpoſitiones etiam eandem ſortiuntur naturam, quam in aliis linguis: Sed frequentiori apud Anglos uſu occurrunt quam apud Latinos, eo quod nos Caſuum diſcrimina non agnoſcamus.

Verum de hiſce quicquid dicendum erat, ſupra, ubi de Nomine Subſtantivo agebatur, tradidimus.

Interjectiones. Interjectiones non ita multas habemus. *O*, *oh*, *ah*, *fi*, *ha ha he*, *ſt*, nobis ſunt cum Latinis communes. Heu *alas*, dolentis eſt: Vah *tuſh*, contemnentis: *Foh*, fœtorem abominantis. Væ *wo*, potius nomen eſt.

Cap. XIV.

De Etymologia.

Sect. I.

Analogice Formata.

POſtquam ſingulas orationis partes ſeorſim conſideravimus: operæ pretium eſſe duxi, earum aliquam inter ſe convenientiam & affinitatem obſervare; ſive Etymologiam qua una ab alia originem ducit, ſeu cognationem. Et primo quidem quæ per regularem Flexionem fiat, quam non male (cum *Gerardo Voſſio*) *Analogiam* dicas.

Adjectivum Poſſeſſivum. Ex quolibet nomine Subſtantivo, aut Subſtantive poſito, (ſive Singulari ſive Plurali,) formatur Adjectivum *Poſſeſſivum*, addendo *s*. Ut ſupra dictum eſt.

Eſt tamen alia antiquior formatio Adjectivi Poſſeſſivi, ſive (quod eodem recidit) Genitivi Poſſeſſivi; cujus adhuc ſpecimina quædam retinemus. Nempe, prout nos *s* ſubjungimus ſubſtantivis, antiquitus *r* ſeu potius *re* ſubjungebant, quo caſum illum Poſſeſſivum, ſeu Adjectivum Poſſeſſivum formabant. Quod & etiamnum faciunt Belgæ (utut id ipſi forte minus animadvertunt) in quibuſdam vocabulis: ſic (v. g.) à rivo *Amſtel* dicto, formatur vox *Amſtelre dam*, (urbis nomen,) hoc eſt *Amſteli-agger* (fluvio ſcilicet illi objectus) ſeu *Amſteli-vallum* (ſic enim & nobis & illis *damme* ſignificat, in *Amſter-dam*, *Roter-dam*, & multis aliis;) unde vox illa varie deformatur in *Amſtelredamus*, *Amſtelodamus*, *Amſterodamus*, *Amſterledamus*, &c. ſed vox primigenia videtur *Amſtelre-dam*, hoc eſt, ut nos jam loquimur *Amſtels-dam*, i. e. *Amſteli vallum*. Sic ab *you* vos, dicimus *youre*, *your*; à *they* illi, *theyre*, *theire*, *their*; à *ſhee*, quod Saxones ſcribebant *ſeo*, & *heo*, (ex quo, alicubi in Anglia etiamnum dicunt *hoo* pro *ſhee*,) formatur *heore*, *here*, *her*: item ab Anglo-Saxonico pi hoc eſt *wi*, (pro quo jam *we* dicimus,) formabant illi *ure* (quaſi *wire*) unde Germanorum *uor*, & noſtrum *oure* (ut olim ſcribebant) ſeu (ut nunc, abjectis quoties fieri poſſit finalibus *e*) *our*. Idem fere conſpicitur in *Huſband-ry*, *Huſwife-ry*, *midwif-ry*, *nurſe-ry*, *ribald-ry*, *caval-ry*, *chirurge-ry*, (ſeu contracte, *ſurgery*,) *Jew-ry* ſeu *Jury* (Judea, Judæorum habitatio, Judaiſmus,) *forge-ry*, *ſculle-ry*, *image-ry*, *knave-ry*, *wagge-ry*, *mocke-ry*, *pant-ry*, *cooke-ry*, & multis aliis ejuſdem formæ; item in *treaſure-ry*, *armour-ry*, *alme-ry*, (quod contractim dicimus *ambry*,) *lecher-ry*, *adulter-ry*, *collier-ry*, *chandler-ry*, *tailer-ry*, *broker-ry*, *liver-ry*, *ſouldier-ry*, *gunner-ry*, *infant-ry*, *batte-ry*, aliiſque ejuſmodi, in quibus duorum *r* ſolemus alterum elidere, *treaſury*, *Armory*, &c.

His

His adde, *Butcher-ry*, *debauche-ry*, *botele-ry* (contracte *Butlery*, *butry*,) *drudge-ry*, *ſpice-ry*, *dow-ry*, *paſte-ry*, *maſter-ry*, *vint-ry*.

Quodlibet etiam Subſtantivum, Adjective poſitum, degenerat in Adjectivum; quod Adjectivum *Reſpectivum* ſupra diximus. *Adjectivum Reſpectivum.*

Subſtantiva item non pauca, aut etiam Adjectiva, (& aliæ nonnunquam orationis partes,) Verbaliter poſita, degenerant in Verba: Et innuunt iſtius rei qualemcunque applicationem: Accedente tamen non raro Vocalis productione, atque etiam Conſonantis alleviatione. *Verba ſonnia.*

Ut *a houſe* domus, *to houſe* (domum adhibere) in domum recipere: *braſs* æs, *to braze* obærare: *glaſſe* vitrum, *to glaze* vitrum applicare: *graſſe* gramen, *to graze* gramine veſci: *price* precium, *to prize*, *to praiſe* æſtimare: *breath* ſpiritus, *to breathe* ſpirare: *ſhade*, *ſhadow*, umbra, *to ſhade*, *to ſhadow*, obumbrare: *a fiſh* piſcis, *to fiſh* piſcari: *oyl* oleum, *to oyl* oleo oblinere: *rule* regula, regimen, *to rúle* regulare, regere: *love* amor, *to love* amare: *life* vita, *to live* vivere: *ſtrife* contentio, *to ſtrive* contendere: *Further* ulterius, *to further* promovere: *forward* antrorſum, *to forward* promovere: *hinder* poſterior, *to hinder* retardare. Atque alia innumera.

Nonnunquam tamen (præſertim Adjectivis) adjungitur terminatio *en*: Ut *haſt* celeritas, *to haſt*, *to haſten* accelerare: *length* longitudo, *to lengthen* prolongare: *ſtrength* vires, robor, *to ſtrengthen* roborare, vires addere: *ſhort* breve, *to ſhorten* abbreviare: *faſt* fixum, *to faſten* figere: *white* album, *to white*, *to whiten* album reddere: *black* nigrum, *to black*, *to blacken* denigrare: *hard* durum, *to harden* indurare, durum facere: *ſoft* molle, *to ſoften* mollire: *thick* craſſum, *to thicken* incraſſare: *great* grandis, *to greaten* grandiorem facere: *leſs* minus, *to leſſen* minuere: *wide* amplum, *to widen* ampliare: *light* lumen, *to lighten*, *to inlighten* illuminare: *light* levis, *to lighten* alleviare: *life* vita, *to enliven* vitalem facere: *bright* ſplendidum, *to brighten* ſplendorem inducere: *fright* terror, *to affright*, *to fright*, *to frighten* terrere: Aliaque multa.

A Verbis autem (ſive hiſce, ſive aliis quibuſcunque) formantur *Participia*: nempe Paſſivum unum, (addita plerumque terminatione *ed*, vel *en*;) alterum Activum, (adjuncta ſemper terminatione *ing*;) quod etiam, Subſtantive poſitum, *Gerundiorum* & *Nominis Verbalis* (Actionem ſignificantis) vices gerit: ut ſupra oſtenſum eſt. At adjecta terminatione *er* fit Nomen Verbale, Agentem ſignificans. *Participia & Nomina Verbalia; in ed, en, ing, er.*

To hear audio, *hear'd* auditum, *hearing* audiens, auditus, auditio, *a hearer* auditor. *To give* do, *given* datum, *a guift*, *a gift* (pro *giv'd*) donum, *giving* dans, donatio, *a giver* dator. Aliaque innumera, & ad libitum formata.

Ex Subſtantivis fiunt *Adjectiva Copiæ*, addita terminatione *y*: facta item nonnunquam, ſed rarius, Vocalis productione, & alleviatione Conſonantis. *Adjectiva Copiæ, in y.*

A lowſe pediculus, *lowſy* (pediculis ſcatens) pediculoſus: *Wealth* divitiæ, *wealthy* (divitiis abundans) dives: *Health* ſanitas, *healthy* (ſanitate præditus) ſanus: *Might* vis, poténtia, *mighty* potens, validus: *Worth* valor, excellentia, *worthy* dignus, excellens: *Wit* ingenium, *witty* ingenioſus: *Luſt* cupido, concupiſcentia, *luſty* robuſtus, ſtatu athletico, libidini proclivis: *Water* aqua, *watery* aquoſus: *Earth* terra, *earthy* terreus: *Wood* lignum, *a wood* ſylva, *wooddy* lignoſus, ſylvoſus: *Air* aer, *airy* aereus: *A heart* cor, *hearty* cordatus, fortis: *A hand* manus, *handy* habilis, dexter: Aliaque multa. Huic terminationi reſpondet Germanorum terminatio *ig*.

Ex Subſtantivis fiunt *Adjectiva Plenitudinis*, addita terminatione *full*; hoc eſt, plenus. *Adjectiva plenitudinis, in full.*

Joy gaudium, *joyfull* lætus; *Fruit* fructus, *fruitfull* fructuoſus; *Youth* juventus, *youthfull* (juventa plenus) juvenilis; *Luſt* libido, *luſtful* libidinoſus; *Care* cura, *carefull* ſolicitus, diligens; *Uſe* uſus, *uſeful* utilis; *Delight* delectatio, *delightfull* jucundus, delectabilis; *Plenty* copia, plenitudo, *plentiful* copioſus; *Help* auxilium, *helpful* auxiliaris: Aliaque multa.

Nonnunquam, eodem fere ſenſu, ſed cum aliquali diminutione, additur terminatio *ſome*, hoc eſt, aliquid. *In ſome.*

Delight delectatio, *delightſome* delectabilis, delectationem ſaltem mediocrem parens; *Game*

luſus, *gameſome* hilaris, luſui proclivis; *Irk* tædet, *irk-ſome* ingratus, moleſtus; *Burden* onus, *burdenſome* oneroſus; *Trouble* moleſtia, *troubleſome* moleſtus; *Light* lux, *lightſome* lucidus, ſublucidus; *Full* plenus, *fulſome* nauſeam creans; *Hand* manus, *handſome* dextre factus, bellus; *Alone* ſolus, *loneſome* ſolitarius; *Whole* ſanus, *wholeſome* ſalubris; (quæ olim, & quidem rectius, ſcriberentur *hole*, *holeſome*, utpote ab *hal* ſanus, aut *heal* ſano:) *toil* labor, *toilſome* laborioſus; *big* grandis, *bigſome* grandiuſculus: Aliaque ejuſmodi.

Adjectiva inopiæ, ſeu defectus, in leſſe. Contra vero terminatio *leſſe* Subſtantivis addita, Adjectiva facit *inopiam* ſignificantia.

Ut *worthleſs* nullius precii; *witleſs* ingenio vacuus; *heartleſs* dejectus, timidus, excors; *joyleſs* gaudio plane deſtitutus; *careleſſe* negligens; *uſeleſs* inutilis; *helpleſs* auxilio deſtitutus. Sic *comfort* conſolatio, *comfortleſs* conſolatione deſtitutus; *ſap* ſuccus, *ſapleſſe* ſucci vacuus: *to ſhrive* confiteri (ſc. apud ſacerdotem,) *ſhriveleſſe* minime ſolicitus, ſuſque deque habens, (ut de quo confiteri nihil penſi habeant;) pro quo, corrupte, *ſleeveleſs* dicitur. Aliaque quamplurima.

Un, in. Idem etiam ſæpiſſime innuitur præfixa particula privativa *un* adjectivis quamplurimis, vel etiam *in*; ſed hoc poſterius non niſi vocibus à Latinis deductis, quæ eandem compoſitionem apud Latinos admittunt.

Ut *pleaſant* gratus, placidus, *unpleaſant* ingratus: *wiſe* ſapiens, *unwiſe* inſipiens: *profitable* utilis, *unprofitable* inutilis: *patient* patiens, *impatient* impatiens: Sic *unworthy* indignus: *unhealthy* non ſanus: *unfruitful* infrugiferus: *unuſeful* inutilis: Aliaque multa.

En. Notandum tamen eſt, quod, ut non omnia Latina ab *in* compoſita privationem ſignificant; ita nec omnia Anglicana per *in* ſcripta: Multa enim à Gallis habemus, ſed utplurimum Latinæ originis, quæ per *in* vel *en* promiſcue ſcribuntur, ubi retinetur genuina ſignificatio Latinæ præpoſitionis *in*. Ut *ingender* ingenero, *implant* implanto, *ingrave* inſculpo, aliaque multa: quæ tamen etiam promiſcue per *en* ſcribuntur, *engender*, *emplant*, *engrave*, &c. ut & eorum participia, *engendered*, *emplanted*, *engraven*, &c. Et quidem optandum eſſet (in exterorum gratiam) ut hujuſmodi vocabula à Gallis accepta, Gallorum *en* perpetuo retinerent, potius quam ut reſtitueretur Latinorum *in*, unde illud *en* deductum eſt; ut omnis de illius particulæ ſignificatione dubitatio tolleretur. Nam particula *un* ſemper privativa eſt: *en* vero nunquam; at *in* nunc eſt, nunc non eſt: in illis enim dictionibus quæ promiſcue per *in* & *en* ſcribuntur, non eſt privativa; in aliis utplurimum privativa eſt, nempe quæ à Latinis pariter ſignificantibus deductæ ſunt.

Diſ. miſ. Particulæ item præpoſitivæ *diſ* & *miſ*, (ut Gallorum *des* & *mes*, & Anglo-Saxonum *mis*,) idem fere ſignificant quod *un*.

Cum hoc tamen diſcrimine; *dis* potius Contrarietatem innuit quam Privationem, (reſpondet ſiquidem Latinorum præpoſitioni *de*, prout in compoſitione non raro uſurpatur:) *mis* quaſi Errorem quendam inſinuat, & per *male* vel *perperam* utplurimum reddi poteſt. Originemque habere puto à Verbo *to miſs* errare, aberrare à ſcopo; quod factum puto à Latinorum *mitto*, *miſſum*, ut ſit quaſi *omittere*, *amittere*, *miſſum facere*, *prætermittere*; (quippe nos non raro, pro Latinorum compoſitis, ſimplicia ſubſtituimus; ut in *to mend* emendo, & multis aliis:) Galloſque à nobis mutuatos ſuum *mes*, potius quam nos ex illis noſtrum (itemque Anglo-Saxonum) *mis*.

To like approbare, *to diſlike* improbare: *honour* honor, decus, *diſhonour* dedecus: *to honour*, *to grace*, honorare, decorare; *to diſhonour*, *to diſgrace*, dedecorare: *to deign* dignor, *to diſdeign* dedignor: *chance*, *hap* fortuna, caſus; *miſ-chance*, *miſ-hap* infortunium: *to take* capere, *to miſtake* errare, perperam accipere: *deed* opus, *miſ-deed* malefactum: *to uſe* uti, conſueſcere, *to diſ-uſe* deſueſcere, *to miſuſe* abuti: *to imploy* impendere, *to miſ-imploy* male impendere: *to apply* applicare, adhibere, *to miſ-apply* perperam applicare. Aliaque hujuſmodi.

Quæ à Latinis per *de*, vel *diſ*, ſcriptis deducuntur, eandem quam prius habebant ſignificationem retinent; ut *diſtinguiſh* diſtinguo διαστίζω, *detract* detraho, *defame* defamo, *detein* detineo, &c.

Adjectiva ſimilitudinis, in ly. Terminatio *ly* Subſtantivis addita, (& nonnunquam Adjectivis,) Adjectiva format *Similitudinem* quandam ſeu convenientiam innuentia.

A giant gigas, *giantly* (*giant-like*) giganteus: *earth* terra, *earthly* terrenus: *heaven* cœlum, *heavenly* cœlicus: *world* mundus, *worldly* mundanus: *God* Deus, *godly* pius, quaſi Deo conformis: *good* bonus, *goodly* eximiæ ſtaturæ ſeu magnitudinis, quaſi [illegible]. Aliaque ſimilia. Reſpondet Germanorum & Belgarum terminationibus *lich*, *lick*.

Eadem

Eadem terminatio *ly* Adjectivis addita, format Adverbia cognatæ ſignificationis; ut Latinorum, in *è*, *ò*, & *ter*. Ut ſupra dictum eſt. *Adverbia ſimilitudinis, in ly.*

Terminatio *iſh* Adjectivis præcipue addita (ſed & non raro Subſtantivis) *Diminutionem* innuit. *Adjectiva Diminutiva, in iſh.*

Green viridis, *greeniſh* ſubviridis: *white* albus, *whitiſh* albicans, ſubalbus: *ſoft* mollis, *ſoftiſh* aliquantulum mollis: *a thief* fur, *thieviſh* quaſi-fur, ad furandum proclivis: *a Wolf* lupus, *wolviſh* quaſi-lupus, lupinæ ferociæ proclivis: *a child* puer, *childiſh* puerilis. Aliaque multa, & fere ad libitum formata.

Habemus tamen & alias diminutivorum formulas in Subſtantivis (ſed rarius occurrentes.) *Subſtantiva Diminutiva.*

Ut *a hill* mons, *a hillock* monticulus: *a part* pars, *a parcel* particula: *a cock* gallus gallinaceus, *a cockrel* galliculus: *a pike* lucius piſcis, *a pickrel* luciolus: *a ſack* ſaccus, *a ſatchel* ſacculus: *a poke* ſaccus, *a pocket* ſacculus, (quæ terminatio Gallica eſt:) *a gooſe* anſer, *a goſling* anſerculus, (quæ eſt terminatio Germanica:) *a lamb* agnus, *a lambkin* agnellus: *a chick* gallinæ pullus, *a chicken* pullulus: *a man* homo, *a minikin* homunculus: *a a pipe* dolium, *a pipkin* (quaſi doliolum) exiguum vas fictile culinarium: ſic *Halkin* Henriculus, (unde patronymicum *Hawkins*:) *Wilkin* Wilhelmulus: *Thomkin* Thomulus: Aliaque, ſed pauca, ſimilia occurrunt.

Verum adhuc alia eſt Diminuendi formula apud Anglos, ſonum ipſum (vocalium præſertim) extenuando; ſicut & Augendi formula eundem ampliando, aut etiam protrahendo; (idque aliquando non tam mutatis literis, quam earum pronunciatione.) *Diminutiva alia & Augmentativa.*

Ut *ſup* ſorbeo, *ſip* ſorbillo, ſed *ſoop* haurio, affatim ſorbeo; *ſop* offa (puta panis juſculo intinctus,) *ſippet* offula, minuta panis particula ſic intincta, (ubi, præter vocalis extenuationem, accedit Gallica terminatio *et*;) *top* culmeo, *tip*, *tippet* apex, apiculus, *tap* (utriſque medium) epiſtomium; *pour* effundo, *peer* (alicubi locorum) decanto, minutim effundo: *Long* longus, *to long* valde deſidero, prægnantium inſtar, (qui minimam moram, *longam* ducunt,) *to linger* longaturio, ceſſo, moror, in longum protraho, protelo. *Lame* claudus, *to limp* ſubclaudicare. *Swallow* bolum deglutio, *ſwill* liquorem ſorbillo. *Sweep* ſcopis verro, *ſwop* uno ictu aufero, ut Aquila pullum, Milvuſve. *Suck* ſugo, *ſoke* macero, multum exſugo, exſucco. *Spit* ſpuo, *ſpout* quaſi pleno buccis evomo; *babe*, *baby* infans, puerulus, *booby* [illegible], inepte grandis; *great* magnum, idemque protracte pronunciatum (præſertim ſi & craſſiori ſono) *grea-t* per-magnum: *little* parvum, minutum; ſed protracte prolatum, *lee--tle* minutulum, valde exiguum: *prity* bellus, ſed *pree--ty* bellulus: *tong* campanæ majoris bombus, ſed *ting* tinnitus minoris; imo *ting tang tong*, ſucceſſivos minores mediocres majoreſque ſonos innuit; ſimileſque in *jingle jangle*, *tingle tangle*, aliiſque multis fictitiis vocibus obſerves.

Ex Concretis Adjectivis fiunt Subſtantiva Abſtracta, addita terminatione *neſſe*; aliaque in *hood*, vel *head*. *Abſtracta, in neſſe.*

White albus, *whiteneſs* albedo: *hard* durus, *hardneſs* durities: *great* magnus, *greatneſs* magnitudo: *skilful* peritus, *skilfulneſs* peritia, *unskilfulneſs* imperitia: aliaque innumera.

Huic reſpondet Germanorum terminatio *heyt*: unde Anglorum *head* vel *hood* deſcendunt, in *Godhead* Deitas, *Manhood* humanitas, virilitas, fortitudo, *childhood* infantia, pueritia, *maidenhead* virginitas, *widdowhood* viduitas, *Knighthood* ordo equeſtris, *Prieſthood* ſacerdotium, *likelihood* veriſimilitudo, *falſhood* falſitas, *neighbourhood* vicinia. *In head & hood.*

Sunt tamen & alia Abſtracta (partim ab Adjectivis, partim à Verbis deducta) quæ fiunt adjecta terminatione *th*: (levi nonnunquam immutatione ſimul facta.) *In th.*

Long longus, *length* longitudo: *ſtrong* ſtrenuus, fortis, validus, *ſtrength* vires, fortitudo: *broad*, *wide*, latus, *breadth*, *width*, latitudo: *deep* profundus, *depth* profunditas: *high* altus, *height* (ſeu potius *heighth*) altitudo: *true* verus, *trueth* veritas: *warm* calidus, *warmth* calor: *dear* charus, *dearth* (caritas) fames: *ſlow* tardus, *ſlowth*, *ſloth*, tarditas, deſidia: *merry* lætus, *mirth* lætitia: *hail* ſanus, *health* ſanitas: *well* bene, *weal* bonum, *wealth* divitiæ: *dry* ſiccus, *drowth*, *droughth*, *dry'th*, ſiccitas: *young* juvenis, *youth* juventus: Sic *Moon* Luna, *month* menſis: item *room* & *roomth* ſpatium, capacitas.

Quibus affines ſunt voces quædam à Verbis deductæ: *dy* morior, *death* mors: *till* aro, colo,

colo, *tilth* agricultura : *grow* creſco, *growth* incrementum : *mow* meto, *mow'th* meſſis, *later-mow'th* poſterior meſſis, *after-mow'th* poſt-demeſſum : *ſteal* furor, *ſtealth* furtum : *bear* pario, *birth* partus : *bear* audio, *bear'th* auditus : *rue* luo, *ruth* luctus (vox fere antiquata ;) unde *ruthful, rufful, a rueful caſe*, conditio luctuoſa, deploranda ; *ruthleſs*, immiſericors, [illegible], qui nullius miſeret. Sic, *ſee* video, *ſight* viſus : *sigh* ſingultio, *sigh* (vel *ſight*) ſingultus : *flee* fugio, *fly* volo, *flight* fuga, volatus : *weigh* pondero, *weight* pondus : *fray* terrefacio, *fright* terror : *to draw* traho, haurio, delineo, *to drink* bibo ; *draught* tractio, hauſtus, delineatio : *defray* ſolvo (à Gallico *frais*) *fraight* naulus ; quæ potius ſcribenda eſſent *flighth, ſighth*, &c. (prout à quibuſdam etiam pronunciantur ;) niſi quod mos aliter plerumque obtinuerit, ne *h* bis ſcriberetur.

Eandem formam retinent *faith* fides, *ſpight* malitia, *wreathe* ſpira, *wrath* ira, *broth* juſculum, *moth* tinea, *froth* ſpuma, *breath* ſpiritus, *ſooth* veritas, *worth* pretium, *light* lux, *laith* flamma, *wight* res, perſona, (vox antiqua, unde) *nought* nihil, *ought* aliquid, aliaque forſan ſimilia : quorum primitiva vel plane deſueverunt, vel ſaltem rarius occurrunt, & fere latent : Deſcendunt forte à *fey* (vel *foy*,) *ſpy, wry, wreak, brew, mow, fry, bray, ſay*, &c.

In ſhip. **Quædam in *ſhip* terminata, munus, officium, ſeu conditionem innuunt.**

Ut *Kingſhip* munus regium ; *wardſhip* pupillatus ; *guardianſhip, wardenſhip*, tutoris munus, vel cuſtodis ; *fellowſhip, partnerſhip*, ſocietas, ſodalitium, participatio ; *Stewardſhip*, diſpenſatoris munus ; *chancellourſhip* cancellariatus ; *headſhip* præfecti munus ; *lordſhip* dominium ; aliaque his ſimilia. Sic *worſhip* (hoc eſt *worthſhip*) dignitas ; unde *worſhipful* dignus, colendus, honorandus, *to worſhip* colo, dignitatem agnoſco, honorem exhibeo.

In dome, rick, wick. **Pauca in *dome, rick, wick*, dominium præſertim deſignant : ſaltem ſtatum ſeu conditionem.**

Ut *Kingdome* Regnum, *Dukedome* Ducatus, *Earldome* Comitatus, *Princedome* principatus, *Popedome* papatus, *Chriſtendome* Chriſtianorum regio , *freedome* libertas , *thraldome* captivitas , *wiſdome* ſapientia, *whoredome* fornicatio, adulterium : *Biſhoprick* Epiſcopatus, *Bailywick* Ballivatus.

Monger. ***Monger*, eſt terminatio eos innuens qui rebus illis quibus ſuffigitur ſe intermiſcent, eiſve occupantur.**

Ut *Fiſh-monger, Cheeſe-monger, Wood-monger* ; Piſcium , caſeorum, lignorum venditor. *Iron-monger*, ferri, rerumque ferrearum venditor. *Fell-monger*, Pellio, qui pellibus detergendis occupatur. *Whore-monger*, fornicator, meretricibus aſſueſcens. *News-monger*, novellarum ſectator. *Maſs-monger*, miſſificator. *Mony-monger*, fœnerator.

Ejuſdem eſſe originis videtur cùm vocibus *a-mong* (inter, quaſi in miſtura, intermiſtus,) *minge, mingle*,(miſceo,) à Græco μιγνύω , μίγνυμι ; ut vox *to mix*, à Latinorum *miſceo, mixtus*.

Ment, age. ***Ment* & *age*, ſunt terminationes nobis cum Gallis communes ; idemque apud nos innuunt ac apud illos. A Latinis utplurimum deductæ.**

Ut *commandment* ſeu *commandement* mandatum ; *Ornament* ornamentum ; *Government* regimen, gubernamentum. Aliaque plurima ; à Latinorum *-men*, & *-mentum* deducta, aut ad eorum imitationem formata.

Quæque in *age* exeunt, Latinorum imitantur terminationem *-atus*, ſeu *-atio* ; ut *uſage* conſuetudo (quaſi uſatio ſeu uſitatio ;) *Pupillage* pupillatus , pupillorum conditio ; *vicarage* vicariatus ; *heritage* hæreditatio ; *paſſage* (quaſi paſſatio) tranſitus ; *mariage* (quaſi maritatio) matrimonium ; *linage* (quaſi lineatio) linealis deſcenſus ejuſdem familiæ ; *ſtage* ſtatio ; *umbrage* (umbratio, obumbratio,) umbraculum ; *œuvrage* (vox Gallica) operatio; *foliage* (foliatio) *frutage* (fructuatio) foliorum & fruticum delineatio in pictura ; *Peerage* (quaſi pariatio ſeu pariatus) ſtatus Parium, hoc eſt Magnatum regni ; *Language* (quaſi linguatio) lingua, loquela ; *Outrage* (quaſi ultratio) exceſſus ultra moderatos limites, præſertim in malis inſerendis ; indeque forſan (truncato capite) *rage*, exceſſus iræ , (niſi hoc potius fuerit immediate à *Rabie*, ſeu *Rave* ; ut *age* & *ay* ab αἰὼν, unde Latinorum *ævum*, atque hinc noſtrum *ever* :) *Voyage* (quaſi viatio, ſeu vectitatio) itineratio, præſertim maritima : & *coinage* (quaſi cuneatio) monetarum cuſio ſeu percuſſio ; ſic *cabbage* (quaſi capitatio) braſſica capitata, & *cabbage-lettice* lactuca capitata ; *forage* (quaſi foratio) pabulum foris captum : quippe *to forage* militibus noſtris dicitur, quod Cæſari dicebatur *pabulatum ire*, (hoc eſt, foras procedere ſeu in viciniam ad conquirendum equis pabulum ; ut *lignatum ire*, & *materiatum ire*, eſt ſic procedere ad conquirendum Lignum, & Materiam, quod jam *Timber* & Latine *mæremium* dicimus ; Galli *mereſme*) aliaque plurima.

Sed

Sed & eadem terminatio Latinnrum *-atio* manifeſtius retinetur (ut & alinrum verbalium in *-tio*, *-ſio*, *-ctio*, *-xio*) in vocibus innumeris, quæ nos & Galli inde deducimus addita litera *n* ; niſi malis dicere, ampntata obliquorum terminatinne ; quippe tantundem eſt ſive voci *natio* addatur *n*, ſive à *natione* auferatur *e* ; atque hoc forte potius dicamus ; nam Itali (credn) prius inde fecerunt ſuum *natione*, quam nos & Galli noſtrum *nation*. Atque hinc ingens farragn vocum Latinarum, ſive à Latinis immediate, ſive mediantibus Italis Gallisve, in noſtram linguam acceſſerunt, atque accedunt indies. Ut *nation*, *termination*, *determination*, *diſcretion*, *completion*, *condition*, *diſpoſition*, *notion*, *devotion*, *devolution*, *confuſion*, *colluſion*, *queſtion*, *combuſtion*, *intention*, *ſuſpenſion*, *comprehenſion*, *inſtruction*, *deſtruction*, *conſtruction*, *direction*, *collection*, *refraction*, *reflexion*, *complexion*, *concuſſion*, *diſcuſſion*, *oppreſſion*, aliæque voces innumeræ ; & quidem pro arbitrin deſumptæ : Cum levicula nonnunquam commutatinne, ut cum, prn *declinatione* dicimus tum *declination*, tum (cum Gallis) *declenſion* : item, à *ratione* formantur tum Gallorum *raiſon*, tum noſtrum *reaſon*. Et quidem, prnut à Latinnrum *ratione* formarunt Itali *ragione*, indeque Galli *raiſon*, & nos *reaſon* ; pariter à Latinnrum *occaſione* fnrmarunt Itali *cagione*, & Galli *çaiſon* ſeu *ſaiſon*, & nos *ſeaſon*, quando prn tempore npportuno dicitur, (quippe hoc malim quam à *ſatione* derivare ;) ſed ubi *to ſeaſon* pro *ſale condire* dicitur, putaverim à *ſalitione* dictum, unde *ſalſon* & (extrito *l*) *ſaiſon* & *ſeaſon* facile deſcendant. Indeque ad Ligna (metaphorice) transfertur vox : nam, ut ſale conditæ carnes humore ſuperfluo liberantur, firmiores factæ ; ſic Ligna (*timber*) aquis macerata (depoſito ſucco ſuperfluo) dicuntur *well ſeaſoned* ; ut *bene ſalitæ* carnes. Sed hæc nbiter.

Sect. II.

Derivata Remotiora.

PRæter ea quæ *Analogice Formata* diximus vocabula ; ſunt & apud nos (ut in aliis linguis) copioſæ Vocum Affinium ſeu Cognatarum familiæ, ab eodem quaſi communi Themate varie flexæ. Cum autem Monoſyllabis maxime delectetur hæc lingua ; non tam facile determinatu videatur, quænam ſit totius familiæ vox primitiva à qua deſcendunt reliquæ, quam voces eas eſſe congeneas & cognatæ ſignificationis, communem originem indicantes.

Ut, *to beat* ferio, percutio ; *a bat* (*batoon*) baculum ; *a battel* pugna, prælium ; *a beetle* malleus ligneus (quo cuneos feriendo adigimus ;) *a battle-door* feriterium ; *to batter* feriendo comminuo, *a battery* oppugnaculum militare (bombardis inſtructum pro adverſis mœnibus demoliendis ;) *batter* eduliorum qunrundam materia (ex farina, aqua, & ovis, frequenti ſpatulæ percuſſione enmmiſtus :) Quæ ſunt cognatæ ſignificationis omnia ; à Latinorum *Batuo* forte deducta. Beat.

Sic, *to take* manu capio, prehendn ; *to touch* tango, contingn ; *tick* tactin levis ; *to tickle* titilln (crebris minutiſque tactionibus ;) *a tack* clavus (cui aliquid appenditur ;) *to tack* conſuo ; *a tach* uncina (qua res connectuntur ;) *tackle* armamenta navis : Quæ nmnia contiguitatem ſeu localem conjunctionem innuunt ; à Græcorum forte θίγω, θιγγάνω, unde Latinnrum *tango*, *tetigi*, *tactum*, *tignum*, *contingo*, *contiguum*. Take.

Sic, *a lett* impedimentum ; *to lett* impedio ; *leaſt* ne ; *late* tardus, ſerus, (quaſi impeditus ;) *later*, *latter* poſterior ; *lateſt*, *laſt* poſtremus ; *to loiter* tardare, otiari, ſegneſcere ; *leaty*, *laſy*, ſegnis, delidioſus ; *leaſure* (*loiſir*) otium, (niſi hoc potius ſit *l'oiſir*, otiari.) Lett.

Item, *to gurd* ſeu *gird* cingo, ſtringn, (à *gyro* forte dictum ;) & (metaphnrice) dicteriis perſtringn ; *girt* (*gird'd*) cinctus ; *a girt* cingulum (potiſſimum equeſtre, qun ephippium conſtringitur ;) *to girt* cinguln cnnſtringere ; *a girdle* zona, cingulum ; *a garter* (cingulum cruris) periſcelis ; *a garth* (ſic nlim, & etiamnum apud Septentrionales, quod alibi *yard* dicitur) atrinm, ſeu locus circumſeptus, circumcinctus ; *kirk-garth*, *church-yard*, cœmiterium, (templn adjacens area ;) *a garden* hortus circumſeptus ; *a guard* ſatellitium (item veſtium oris aſſutum phylacterium ne lacerentur ;) *to guard* ſatellitio ſtipare, milite cuſtodire ; *guardian*, *warden*, cuſtos ; *ward-robe* (Gallice *guard-robe*) veſtium repoſitorium ; *a ward* pupillus (orphanus guardiani ſeu cuſtodis curæ ſubjectus ;) *ward-ſhip* pupillatus, pupilli conditin ; *ward-land* pupillnrum terra ; *to ward* defendere, protegere ; *ward* præſidium diurnum (ut *watch* vigiliæ, præſidium nocturnum ;) *a ward* pinnula in ſera (qua cavetur ne aliena clave reſeretur ;) *a warden-pear* pyri genus firmum & durabile : neſcio an *warrant* (Gallice *guarand*) hinc dicatur, unde *guarantizo* (vox Latino-barbara) ſecurum Guird.

rum præſto; forte & *ware*, *wary*, *aware*, *beware*, *unawares*, *warn*, *warning*, &c. niſi hæc potius dicta ſint à *cavere*.

Two. Ex Græcorum *δύο*, ſeu Latinorum *duo*, fit noſtrum *two* (Scotis *tway* & *twea*) duo; *twain* bini; *twice* bis; *twenty* viginti; *twelve* duodecim; *twins* gemelli; *to twine* fila bina (tanquam gemellos) contorquere; *to twiſt* bina (plurave) contorquere; *to twirl* rapide contorquere (ubi ſpectatur literarum *rl* ſonus;) *a twig* virgultum (tortu facile;) *to twitch* raptim divellere; *to twinge* eum acuto dolore vellicare; *be-tween*, *be-twixt* inter duo (ſicut *a-mong*, *a-mongſt*, inter plura;) *twi-light* diluculum; *twi-bill* bypennis.

Dy. *To dy* morior; *death* mors; *dead* mortuus; *deadly* mortiferum, lethale; *to dive* urinor, aquam ſubeo; *to dip* intingo; *to dop* demitto; *to dowſe* alium demergo; *to dy* tingendo coloro; *down* deorſum; *to drown* (quaſi *drive down*) mergo, ſubmergo; cognata videntur omnia, deſcenſum innuentia; quaſi à Græcorum *δύω*, *δύνω* ſubeo, ſeo Latinorum *De*, unde *deorſum* & *ſuſque deque*.

Sn. *Sn*, naſum eoque ſpectantia in plurimis vocabulis inſinuare videtur. Nempe à Latinorum *naſus*, deſcendunt Gallorum *nes*, & noſtrum *noſe* naſus; & *noſtril* naris; ſed & *neſſe* promontorium (quod naſi inſtar in mare prominet) in plurimis promontoriorum in Anglorum & Scotorum littore nominibus conſpicuum, in *neſs* terminatis; *Cath-neſs*, *Holder-neſs*, *Foul-neſs*, *Denge-neſs*, *the Neſs-point*, &c. Sed & (quaſi ex *naſo* deſumptis conſonis *ns*, & tranſpoſitis quo aptius cohæreant) *ſn* naſum innuit, indeque multa videntur deſumi vocabula naſum ſpectantia invicem cognata; ut *ſnout* roſtrum (quaſi naſutum;) *to ſneeze* ſternutare; *to ſnore* ſtertere; *to ſnort* ronchos edere; *to ſneer*, *to ſnicker*, adunco naſo ridere; *ſnot*, *ſnivel*, mucus narium; *to ſnite* nares emungere; *to ſnuff*, *to ſnuffle*, naribus ſufflare; *a ſnaffle* frænum lupatum (ejus pars equorum roſtro indita;) *to ſnarle* hirrire (quod faciunt canes convulſis naribus;) *to ſnug*, *to ſnudge*, naſo quaſi in ſinum depreſſo jacere ſeu incedere.

Sn. Eſt & aliud *ſn*, qood forte à Latinorum *ſinuo* deductum putemus; ut *ſnake* anguis, humi ſerpens, & ſinuando repens; *to ſneak* ſe clanculum ſubducere, inobſervatum & ſine ſtrepitu, ſerpentis inſtar; *a ſnail* limax, tacite repens; *a ſnare* laqueus, clam poſitus; *to enſnare* illaqueare: eſtque *to ſnear* adunco naſo ridere, ſed quaſi claneulum; & *to ſnudge* ſe tacite ſubducere; item *to ſnap* eſt ſubito atque ex improviſo mordere; & *ſnatch* ſimiliter captare; item *to ſnib*, *to ſnub*, quaſi tacite increpare, non magno clamore.

Sh. *Sh*; in *ſhy* cautus, vitabundus; *to ſhun* vitare; *ſhame* pudor; *ſhield* ſcutum; *to ſhield* ſcuto protegere; *ſhade*, *ſhadow*, umbra; *to ſhade*, *to ſhadow*, *to ſhelter*, obumbrare, protegere, (quaſi ex *σκιά* fuerint omnia,) ſubterfugium & protectionem innuunt. Sic *a ſhift* evitatio, effugium, techna; *to make a ſhift* ægre vitare; ſed & *to ſhift* permutare, ſubmovere; & *to ſhove* trudo; *a ſhovel*, *a ſhowl*, batillum, ligo. Item *to ſhrink* retrahere ſe; *to ſhrivel* corrugare; *to ſhroud* protegere, veſtire; *a ſhroud* involucrum, præſertim ſepulcrale: Sed *r* in his, durjuſculum quid innuit & aſperum; ut in *ſhrew*, *ſhrive*, *ſhread*, *ſhreek*, *ſhril*, *ſhrimp*, *ſharp*.

Bl. *Bl*, flatum innuit (deſumptum credo ex Latinorum *Flo*, tranſeunte *f* in *b*, ut ſæpe;) ut *blow* flo; *blaſt* flatus; *to blaſt*, *to blighten*, flatu noxio plantas afflare; (& metaphorice, *to blaſt ones reputation*, calumnia quaſi flatu noxio famam alicujus lædere, *to blaſt a deſign, or undertaking*, cœptum alicujus irritum reddere;) *bleat*, *bleak*, flatui expoſitus; *a bleat place* dici ſolet locus editus & indefenſus, ventorum flatui obnoxius; *bleak* ſubpallidus, ut qui flatibus fuerit expoſitus; (*to look bleak, or weather-beaten*, dicitur is qui frigidis flatibus itinere expoſitus propterea ſubpalleſcit;) *a bleak*, *a blay*, piſciculus quidam ſubpallidus; *to bleach* linteamina ad ſolem & ventum exponendo alba reddere; *to bluſter* tumultuoſe & cum ſtrepitu flare, item (metaphorice) crepare, tumultuari; *to blurt* efflare, effutire, (uno impetu, quo differt à *bluſter* quod eſt frequentativum;) *to blab* garrire, effutire; *a bladder* veſica (inflata, ſaltem apta inflari;) *a bleb* veſicula ſeu bullula in vitro; *a bliſter* veſicula, phlyctæna, (in extrema cuticula quaſi afflatu exſurgens;) *a blain* puſtula, inflatio; *blabber-lip't* craſſis labiis & quaſi inflatis, *blubber-cheek't*, *bloted*, inflatis buccis; *blote-herrings* haleces infumatæ & quaſi inflatæ; *a blaſt*, *a blaze*, ſplendidior flamma, (ſed & *flamma* eſt à *flo*, utpote incenſi aeris flatus;) *to blaze* in flammam prorumpere. *To bleat* (inſtar ovium) à *balatu* dicitur; ſed & *flatu* fit. Eſt & *to blow* floreſcere, flores emittere, (ſive à *flos*, ſive à *flo*, dum flores quaſi flando aperiuntur;) *a bloom*, *a bloſſom*, arboris floſculus. Huc forte referenda *bloud* ſanguis, *bluſh* erubeſco, ob colorem floridum.

Soni rerum indices. Notandum autem eſt, in vocibus linguæ noſtræ nativis, magnam utplurimum literarum reique ſignificatæ conſenſum reperiri.

Adeoque literarum ſoni tenuiores, acutiores, craſſiores, obtuſiores, molliores, fortiores, clariores, obſcuriores, magiſque ſtriduli, &c. pares non raro in rebus ſignificatis affectus innuunt, & quidem plures nonnunquam in eadem voce licet monoſyllaba.

Str. Sic voces ab *Str* inchoatæ, fortiores rei ſignificatæ vires & conatus innuunt; ut *ſtrong* fortis, validus, (ex *σθένω*, *σθένος*, ut, à *ſterno*, *ſtrenuus*;) *ſtrength* ſtrenuitas, vires; *to ſtrow*

ſterno, ſtravi, item ſpargo; *to ſtrike* ferio, *a ſtroke* ictus, *a ſtreake, ſtrake, ſtroke* crena, ſtria, vibex (ictus indicium;) *a ſtripe* plaga, verber, vibex, (metaphorice, tranſverſi ductus in panno verſicolores; unde, *ſtriped ſtuffes*, veſtes his plagulis diſtinctæ;) *ſtrife* lis, contentio, *to ſtrive* conor, contendo, *to ſtruggle* luctor; *to ſtrout, to ſtrut* prætumeſco, diſtendor; *to ſtretch* extraho, extendo, *ſtrech't, ſtreight*, extentum, extractum, rectum; *ſtrict, ſtreight* ſtrictum, arctum; *ſtreight* anguſtia; *to ſtrain* violenter extendo, contendo, exprimo, diſtraho, luxo; *to ſtrain, to diſtrain*, ſtringo, diſtringo, *ſtreſs, diſtreſſe*, ſtrictura, diſtrictio, coerctio, anguſtia; *ſtring* vinculum, ligula, ligamen, *ſtrap* lorum, ligamen fortius; *ſtream* fluentum, fluminis violentior decurſus, (unde *ſtreamer* vexillum undulans,) *ſtrand* ripa, littus, (flumen coercens;) *to ſtrip* nudare, ſpoliare veſtibus, aut ipſa cute; *to ſtray, to ſtraggle* palo, extravago; *ſtrange* extraneus; *ſtride, ſtraddle* diſtentis pedibus varicari. Neque obſtat, quod in horum aliquot manifeſte compareant Latinæ originis veſtigia: quippe Angli, ut ad hujuſmodi ſonos formant ipſi vocabula, ita & aliunde ſic formata avidius arripiunt.

St vires item, ſed minores, innuit: quantæ ſcilicet parta tuendo potius quam nova acquirendo ſufficiant: (quaſi eſſet ex *ſto* deſumptum:) Ut *to ſtand* ſto, *to ſtay* maneo, item fulcio, *a ſtay* fulcrum, *a ſtaff* ſcipio: *to ſtay* obſto, ſiſto, *to ſtop* obſto, obſtipo, obturo; *to ſtuff* obturo, infercio; *to ſtifle* ſuffoco: *to ſtay* deſiſto, *ſtay* obſtaculum, retinaculum, mora, *to ſtay* moror: *to ſtick* hæreo, hæſito, *to ſtut, ſtutter, ſtammer* lingua hæſito, *to ſtagger* titubo, *to ſtickle* auxiliis adſto, adhæreo: *to ſtick* figo, item jugulo, *a ſtake* ſudes humo defixa, maceriem ſtatuminans, &, metaphorice, *a ſtake* pignus luſorium ludo depoſitum: *ſtock* ſtirps, metaphorice progenies, *ſtem* ſtirps, progenies, *a ſting* aculeus, *to ſting* pungo; *a ſtink, ſtinch* fœtor (quod nares pungat,) *ſtitch* punctura: *a ſtud* clavus prominens, *a ſtud, a ſtanchion* poſtis ſeu ſudes in muro: *a ſtub* ſtipes, *ſtubble* ſtipula, *to ſtub up* radicitus extirpo: *a ſtump* truncus, unde *ſtumble* titubo, (ut, à cæſpite, ceſpito:) *ſtalk* caulis, (*to ſtalk* pedetentim ire, graſſari,) *to ſtep* greſſum figo, *to ſtamp* conculco, terram pede tundo, (unde *to ſtamp* ferro imprimere, *ſtamp* impreſſio, imago percuſſione facta;) *ſtow* locus, ſpacium, *to ſtow, to beſtow* locare, *ſteward* (*ſtow-ward*) ſeneſchallus, loci cuſtos; *ſtead* locus, ſtatio, *ſteady* firmus, *ſtedfaſt* conſtans: *ſtable* conſtans, ſtabilis, *a ſtable*, *a ſtall* ſtabulum, *to ſtall* ſtabulo ſaturare, *a ſtalled ox*, bos ſtabulo paſtus; *a ſtool, a ſtall* ſedile, *a ſtill, ſtall, ſtallage* ſcamnum, quali vaſa cerviſiaria imponunt; *a ſtall, a ſtage* pegma, contignatio: *ſtill* quietus, *ſtill* ſemper, perpetuo, *ſtale* vetus, antiquus, aut etiam antiquatus: *ſtout* audax, pertinax, *ſturdy* protervus, *a ſteed* equus audax, generoſus, *a ſteed, ſtoat, ſtallion* equus admiſſarius; *ſtiff* rigidus, inflexilis; *ſtark* rigens, *ſtark dead* mortuus jam rigens: *to ſtarve* (apud nos, inedia vel frigore mori; ſed in cognatis linguis ſimpliciter) mori; *a ſtone* lapis, *ſteel* chalybs; *ſtern* auſterus, *ſtanch* firmus, ſolidus, item de vaſe dictum quod non effluit, *to ſtanch blood* ſanguinem ſiſtere; *to ſtare* intente ſpectare, *ſteep* erectus, acclivis, *ſteeple* turris, campanile, *ſtair* greſſus ſcanſorius; *a ſtandard* ſtatum exemplar authenticum, ad quod alia examinanda ſunt; *a ſtandard* vexillum regium, ſtatarium; *ſtately* pompoſum, magnificum, ſuperbum: in quibus omnibus (aliiſque forſan aliquot) *ſt* firmum quid & fixum innuit.

Thr violentiorem motum innuunt: Ut *to throw* projicio, *to thruſt* violenter trudo, *a throng* turba denſa, *to throng* conſtipo, (de caterva dici ſolet,) *to throb* violenter palpito, (de corde acerrimis doloribus agitato dicitur,) *through* penitus, per totum, *to threat, to threaten* minitor, *thrall, thralldome* captivitas, *throws* ὠδῖνες, labores puerperæ, &c. Nec abludit Græcorum θρ in θρέω, θράω, θραύω, θρῦλος, θρύλλος, θρύπτω, θρώσκω, &c. Thr.

Wr obliquitatem quandam ſeu diſtortionem innuunt: Ut *Wry* obliquum, *to wreathe* contorqueo, *to wreſt* violenter extorqueo, *to wreſtle* colluctor, *to wring* torqueo, *wrong* injuria, *to wrench* luxo, *wrench* (vox fere obſoleta) injuria violenter illata, *to wriggle* ſinuoſe flecto, *to wrangle* rixor, *a wrinkle* ruga, *wrath* iracundia, *to wreak* ulciſcor, *wrack* naufragium, *wretch* miſerrimus; *wriſt* carpus, qui nempe quaquaverſum, tam ſe quam alia, contorquet, *to wrap* complico. Wr.

Br Fragorem, ſeu rupturam violentam innuit, præſertim ſonoram: Ut *to break, brake, broke, breach*, frango, fregi, fractum, fragor, fractio; (omnia à ῥήγνυμι, ῥήσσω, ῥαγῶ) *breech* anus (ob aperturam,) *brittle, brickle* fragilis; *to bruſt, to burſt*, crepo, rumpo; *brunt* violentus impetus, (*the firſt brunt, a ſore brunt*, primus impetus, ſeverus impetus;) *a bruſh* verriculum, *a broom* ſcopæ; *to bruiſe* contero, *to bray* pinſo, in mortario contero; *to broche* dolium perforo; *the brink* crepido amnis; *a brook* torrens; forte & *a briar, a bramble* tribulus, ramnus; item *to brawl, brabble, brangle*, altercari, *a broil* altercatio. Br.

Cr Ruptum quid (præſertim cum crepitu & fragore,) ſaltem incurvatum ſeu luxatum innuit, (quaſi ex *crepo* aut *curvo* deſumptum, aut etiam ex κράζω:) Ut *to crack* crepere, cum fragore rumpi; item *to crack* crepare, jactitare ſe, *to crake* (utriuſvis augmentativum, propter productum ſonum) magno continuoque fragore crepere, magnopere jactitare; *creak, creek* (diminutiva) ſtrepitum innuunt ſubtiliorem; *to croke* (augmentativum) coaxo, clamore rauco, *to crackle* (frequentativum) crepitare, aut etiam *to crickle* ſi ſonus ſit exilior, vel *cruckle* ſi obſcurior. Sed & *to cry* clamo, ploro; *to crave* imploro, flagito, *to cry-out* exclamo, Cr.

 vociferor,

vociferor, *an out-cry* exclamatio, vociferatio; *to crow* cano (de galli cantu dictum) & (metaphorice) glorior, inſulto, (ut ſolet gallus victor.) Item *craſy* fragilis, infirmus, ruptu facilis, & (metaphorice) valetudinarius; *to crack* (ſenſu tranſitivo) cum ſtrepitu confringere (ut nucem nucifrangibulo;) *to crack* (ſenſu intranſitivo) dehiſco, rimas ago (utut ſine ſtrepitu,) *a crack*, *a creaſe*, *a creviſe*, *a cranny*, rima; *a crag* rupes prærupta (ut ipſa *rupes* à *rumpo rupi*,) *craggy* locus ſeu regio prærupta, aſpera, altis rupibus horrida; *crag*, *craig* (vox Scotis præſertim uſitata) collum, cervix (ob inciſuram qua caput à reliquo corpore quaſi disjunctum videtur; ob quam forte cauſam idem Anglis *neck* dicitur, cui affines ſunt voces *nick*, *neech*, *notch*, *nock*, *nook*, *nuke*, quæ omnes ejuſmodi excavationes innuunt;) *crock*, *cruiſe*, *crewet*, *crevet*, vaſa fictilia & vitrea ſtricto collo; *crup*, *crip*, *criſp*, *crump*, eſu friabile; *cruſt* cruſta, ſeu cortex panis friabilis; *crum*, *crumb* mica panis, *to crumb*, *to crumble* micatim comminuo; *to crop* ſumma carpere, decerpere; *a crop* decerpta meſſis; *a croud* turba conferta, conſtipata, *to croud* comprimo, conſtipo, *to cram* farcio, infercio, *to cruſh* opprimo, comprimo, (etiam ſilenter, propter obſcuram vocalem,) *to craſh*, *to cranch* (cum clariore vocali) cum ſtridore frango, (dentibus præſertim;) *a crick*, *a creek* crepido, ſinus, (ubi per fiſſuram terræ rivulus fluviuſve in mare ſe aperit.) Quæ omnia vel fractionis aliquid vel fragoris crepituſve (quaſi inde orti) videntur inſinuare.

Alia à *Cr* inchoata, non tam abſolutam fractionem, quam ſaltem curvaturam ſeu incurvationem inſinuant, (quaſi ex *Curvo* deſumptum eſſet *Cr*:) Ut *a crook* uncus, *crooked* curvus, *a crook* pedum paſtoris (ob curvedinem ſic dictum,) *to crouch* ſubmiſſe ſe incurvare, *to cringe* ſerviliter incurvando venerari, *to creep*, *to crawl* humi repere, *a cripple* claudus, humi repens, *to crinkle*, *to crumple*, *to rumple*, comprimendo corrugare, *crump-ſhouldered*, *crook-backed*, qui eſt gibbis humeris, dorſoque incurvato; *cricket* puerorum luſus, quo curvatis baculis pilam feriunt, (ob baculorum formam, quaſi à *crook*,) *a cricket* ſcamnulum humile (quaſi à *creep*,) *a cricket* grillus, animalculum ſtridulum, nomen habet à ſono (quaſi à *crick*.) Sed & *a crib*, *a cratch* præſepe, *a cradle* cunæ, curvedinem habent concavam; *a crotchet* (nota muſica breviſſimi temporis) nomen habet ab incurvata cauda, indeque (metaphorice) *a cratchet* phantaſma ſubtile parvique momenti.

Alia, quaſi ex *cruce* deſumerent *Cr*, decuſſationem innuunt: Ut *a Croſs* crux, indeque *a croſs* cruciatus, adverſitas, infortunium, *to croſs* decuſſare, (quod ſic dicitur propter formam literæ X decennarii numeri notam,) *croſs* adverſus, perverſus; *to croſs*, *to cruiſe*, tranſverſim huc illuc ferri, *to croſs* adverſari, intercipere, alterius propoſito tranſverſum ire eoque impedire ne effectum obtineat; *a crutch* claudicantis fulcrum, ſcipio tranſverſim capitatus, (ob crucis formam, ab Italico *croce*, quod apud illos pronunciatur ut apud nos *croche*;) *a croſier* pedum epiſcopale ſeu archi-epiſcopale, ob crucis formam in eo conſpicuam; *croſs-grained*, proprie de ligno dicitur, cujus fibræ tranſverſim poſitæ faciunt ut minus aptum ſit ſive ad findendum ſive ad dedolandum; ſed & metaphorice ad mores transfertur, non bene tractabiles: Hinc item *croiſado* de militibus dicebatur ad bellum (quod vocant) ſanctum conſcriptis (pro recuperanda terra ſancta) qui à tergo geſtabant formam Crucis; & *Richardus* olim Rex Angliæ dicebatur *crouch backed*, non quod dorſo fuerit incurvato, ſed quod à tergo geſtare geſtiebat formam Crucis. Aliaque Crucis aut figuram aut ſignificationem utcunque referentia. Nec multum abludit piſcis nomen *a crab* cancer, propter inceſſum ſive retrogradum ſive tranſverſum; item *a crab*, pomi ſylveſtris nomen, auſteri & ingrati ſaporis; indeque (metaphorice) *crabbed* auſterus, moribus ingratus, difficilis, intractabilis, & *cribbed* miſere parcus.

Quæ quidem ſi in familias libet diſpeſcere, alia rupturam præſertim ſonoram, crepitumve innuunt, (quaſi ex *crepo* aut Græcis κράζω, κρίζω, κρώζω,) alia curvaturam ſaltem, utut fractio non ſit, (quaſi à *curvo*;) alia tranſverſam decuſſationem (quaſi à *cruce* deſumpta:) in omnibus autem literæ *c* ſubjuncta canina litera *r*, aſperum quid & ingratum ſubindicat, ſaltem in eis vocibus quæ familias ducunt, unde reliquæ manifeſto derivantur.

Shr. Pariter in *ſhr*, quæ fortiorem contractionem innuunt: Ut *to ſhrink* contrahi, in ſpatium arctius reduci, *to ſhrink away*, *to ſhrink from*, retrahere ſe, retrocedendo declinare, (puta periculum aut arduum quid,) *ſhrunk* contractum, *ſhrunk corn* grana marcida & corrugata, *to ſhrivel* corrugare, corrugari, *ſhrivelled* corrugatum, in rugas contractum; *to ſhrug* ſcapulas contrahere; *a ſhrimp* ſquilla, piſcis exiguus quaſi in ſe contractus, & (metaphorice) homunculus exiguus & imbellis; *a ſhrub* arbuſtum, frutex, tanquam arbor contracta ſeu minuſcula; *ſhrill* intenſe ſtridulus; *to ſhrike*, *to ſhreek*, tenſim ejulare; *to ſhrive* (ut ſacerdotes confeſſarii) confeſſionem auricularem exigere ſeu extorquere, *ſhrift* confeſſio auricularis, *ſhriveleſs* parum ſolicitus, nil penſi habens, & (paſſive) de quo non eſt cur quis ſit admodum ſolicitus, aut quod coram ſacerdote confiteri debeat; *ſhrove-tide* tempus carnis-privii, quo (ingruente quadrageſima) ſeveriores confeſſiones inſtitui ſolebant & injungi pœnitentiæ; *a ſhrew* mulier jurgioſa, *ſhrewd* aſperum & ingratum; *a ſhroud* amiculum ſepulcrale. Sin abſit *r*, mollius quid innuit, ut de *ſh* ſupradictum eſt.

Gr. Item *Gr*, aſperum quid, ſeu durum, oneroſum atque omnino ingratum innuit; (ſive propter *r* literam horridam, ſive quod ex *gravi* videatur deſumptum:) Ut *to grate* radere,

to

to grinde (quaſi ex *grate* & *wind*) molere, molendino comminuere, & (per metaphoram)
graviter opprimere, *griſt* molitura, ſeu quod molitur; item *to grinde* rotunda cote verſa-
tili acuere, *a grind ſtone* cos illa verſatilis; ſic *to gripe* corripere, fortiter corripiendo com-
primere, unde *gripings* iliorum tormina, *a grip* manipulus, *gripple* avide tenax, *greedy* avide
rapax (quaſi ex *gripe* & *needy*,) *to graſp* manipulum majuſculum prehendere (quaſi
ex *gripe* & *claſp*,) *to grapple* prenſim colluctari, prenſim contendere; *to grope*
manu in tenebris palpare ſeu palpando quærere, *to grobble*, *to grabble* palpando tractitare:
Item *to grieve* gravare, *grievous* grave, moleſtum, *grievance* gravamen, *grief* dolor, *to grieve*
(ſenſu intranſitivo) dolere, *to groan* (quaſi ex *grieve* & *mone*) *gemere* (ut ſub onere,)
to grunt, *to gruntle* altius gemere, grunnire, *to grumble* (frequentativum ex *grieve*, *grone*,
aut *grunt*) obmurmurare, *to growl* (quaſi ex *grumble* & *ſcowl*) contracto ſupercilio ſubmur-
murare, *to grin* frendere: Sic *grave* gravis, verendus, *gruff*, *grough* (quaſi ex *grave* & *rough*)
moroſus, *grum* aſpectu tetricus, auſterus; *grim* aſpectu crudelis, terribilis; *griſly* aſpectu
horridus, ſpectri inſtar: Item *to grave* ſculpo, *a grave* ſepulcrum, *a graff* foſſa, *a grip* foſ-
ſula, *a graft* ſurculus inſititius, *to engraft* ſurculum inſititium (foſſulæ prius in ramo ampu-
tato factæ) inſerere; *to grub* ſuffodere (ſuum inſtar,) *to grub-up* radicitus extirpare; *to
groove* ſulcare, *a groove* (in opere architectonico) ſulcus in ligno factus, *to grovel* humo
proſtrari, quaſi roſtro fodicaturus; *ground* fundus, (quæ videntur à γράφω, γλάφω, γλύφω, de-
ſcendere, atque hæc ex Hebræo כרב *carab*.) Item *griſt* ſabulum aſperum; *gravel* glarea,
durior & craſſior arena. Addas forte *great* grandis, *groſs* craſſus, *grout*, *grewel* juſculum, *a
groat* groſſus, grandior nummus (ſaltem ante tempora noſtri Regis *Edwardi* ſexti, quo re-
gnante primitus cudi cœperunt apud nos nummi quos *ſolidos* vocamus eorumque ſemiſſes;)
a griſtle cartilago; & ſiqua ſunt ſimilia.

Sw quaſi ſilentem agitationem, ſeu molliorem motum lateralem, innuunt; Ut *to ſway*, Sw.
to ſwag, propendeo; *to ſway* rego, guberno, moderor; *to ſwagger* Thraſonice tumultuor;
to ſwerve declino; *ſweat* ſudor, *to ſweat* ſudo; *to ſweep* ſcopis verro; *to ſwill* ſorbillo ad
ebrietatem (ſuillo more;) *to ſwim* no; *to ſwing* pendulus agitor; *ſwift* celer; *ſweet* dul-
cis, ſuavis; *ſwitch* virgula flexilis; *to ſwinge* virga ferire: In quibus conſonæ, fere omnes,
ſilentiores ſunt; & vocales, tenuiſſimi ſoni.

Nec multum differunt *ſm*, in *ſmooth*, *ſmug*, lævis; *to ſmile*, *to ſmirk*, ſubrideo; *to ſmite* Sm.
idem ſignificat quod *to ſtrike* ferio, ſed mollior vox eſt minoris ſoni; *ſmall* exiguus, par-
vus, *to ſmell* oleo, olfacio; *ſmack* oſculum preſſum; *to ſmother* ſuffoco; *ſmart* acrem dolo-
rem ſignificat; *a ſmart blow* ictus acris, proprie ſignificat ejuſmodi plagam quæ motu pri-
mitus ſilenti (quod innuit *ſm*) ad acutam aſperitatem procedit (quod innuit *ar*) ſubi-
tanee finitam (quod innuit *t*;) ſeu, quæ tacito motu acriter pungit.

Cl adhærentiam quandam ſeu tenacitatem innuunt; Ut *to cleave* hæreo, *clay* argilla (ter- Cl.
ra tenax,) *to cling* tenaciter adhæreo, *to climb* (*to clamber*) ſcando, *to clamb up* quaſi ar-
gilla obſtipo, *clammy* viſcidum, *claſp* fibula, *to claſp* complector, *to clip* amplector, *to clinch*
complico, *a cloak* pallium, *a clog* onus ſeu impedimentum connexum, *to cloy* ſaturare ad fa-
ſtidium; *a cloſe*, *a cloſet*, locus clauſus; *cloſe* contiguum, *to cloſe* conjungere, *a clod* gleba
(maſſula terræ durior,) *a clot* coagulatum quid, ut *a clot of bloud* grumus ſanguinis (ſanguis
coagulatus,) *clouted cream* cremor lactis coagulatus, *a clutter* tumultuaria congeries, *a clu-
ſter* continuata congeries, &c. Forte à *Claudo* omnia.

Sp diſſipationem quandam ſeu expanſionem innuit, præcipue celerem; (præſertim ſi ac- Sp.
cedit *r*, quaſi eſſet ex *ſpargo*; vel *ſeparo*,) Ut *to ſpread* expando, *to ſpring* exſilio, *a ſprig*
ſurculus, *to ſprout* progermino, *to ſprinkle* diſpergo, *to ſplit* findo, *a ſplinter* ſchidium, (quod
fiſſura ſeparatur,) *to ſpill* effundo, *to ſpitt* exſpuo, *ſpit*, *ſpittle*, ſputum, *to ſputter* ſputo,
to ſpatter aſpergo, &c.

Sl quaſi lapſum ſilentem ſeu minus obſervabilem motum innuit, in *to ſlide* lente labor, Sl.
to ſlip ſubito labor, *ſlippery* glaber, lubricus, *ſlime* viſcus tenue & glabrum, *ſly* inobſervate
aſtutus, *ſleight* aſtutia, *to ſlit* findo, *ſlow* tardus, *ſlack* laxus, *ſlight* negligentius factum, *a
ſling* funda, *to ſlap* tacite ferio, &c.

Sq, *ſk*, *ſcr* violentam compreſſionem innuunt; *to ſqueeze* excutio comprimendo, *to ſquirt* Sq,ſk,ſcr.
ſyringa ejicio, *to ſqueek*, *ſqueak*, *ſqueal*, *ſquawl*, *ſkreek*, *ſhreek*, ejulo, *to ſcrew* torqueo, excrucio.
Item terminatio *aſh* in *craſh*, *raſh*, *gaſh*, *flaſh*, *claſh*, *laſh*, *ſlaſh*, *plaſh*, *traſh*, &c. clarius aſh.
quiddam & acutius indicat. At *uſh* in *cruſh*, *ruſh*, *guſh*, *fluſh*, *bluſh*, *bruſh*, *huſh*, *puſh*, obſcurius uſh.
quiddam & taciturnius innuit. Utrobique tamen motus celer & ſubitaneus innuitur: non
autem exitu inſtantaneo, ſed ſenſim expirans, propter continuatum ſonum *ſh*.

Sic in *fling*, *ſling*, *ding*, *ſwing*, *cling*, *ſing*, *ting*, *wring*, *ſting*, &c. tinnitus terminationis *ng* ing.
& acuties vocalis *i*, innuunt tenuiſſimi quaſi motus ſeu tremoris continuationem, tandem
quidem evaneſcentis, non autem ſubito interrupti: At in *tink*, *wink*, *ſink*, *clink*, *chink*, *think*, ink.
(in conſonam plane mutam deſinentibus) innuitur etiam exitus ſeu terminus ſubitaneus.

Si accedat *l*, ut in *jingle*, *mingle*, *tingle*, *tinkle*, *ſprinkle*, *twinkle*, innuitur quaſi actuum ingl,inkl.
(minutorum) frequentia, ſeu, frequens iteratio: ut quæ ſunt Frequentativa juxta atque
Diminutiva, ſive Diminutivo-frequentativa.

Eademque minutorum actuum frequentia, ſed minus ſubtilium (propter clariorem vocalem *a*,) innuitur in *jangle*, *tangle*, *ſpangle*, *mangle*, *wrangle*, *brangle*, *dangle*.

angl.

umbl. Item in *mumble*, *grumble*, *jumble*, *tumble*, *ſtumble*, *rumble*, *crumble*, *fumble*, &c. ſed ſimul obſcurius quiddam ſeu obtuſius innuit *ŭ* obſcurum, & confuſam quaſi glomerationem innuunt conſonarum congeries, *mbl*: ut etiam in *ramble*, *bramble*, *ſcamble*, *ſcramble*, *wamble*, *amble*, &c. ſed in his eſt acutius quid, propter clariorem vocalem *a*. Nempe terminalis *l* (ut & *r*) præſertim poſt conſonam, frequentem iterationem, præſertim actuum minutorum, ſolet innuere; (utpote linguæ concuſſione prolatæ;) conſonantium *ml*, vel *mbl*, confuſe glomerata prolatio, confuſionem innuit, ſeu tumultuationem; vocalis *ŭ*, aut *ŭm*, ſyllabæ ſonus obſcurus, obſcurum quid & non clare ſonorum innuit; adeoque tota terminatio *ŭmbl*, iterationem frequentem confuſam & obſcuram innuit: Ut in *bind*, *bumbl*; *crack*, *crumbl*; *feel*, *fumbl*; *grieve*, *grone*, *grunt*, *grumble*; *join*, *jumble*; *mouth*, *mumbl*; *run*, *rome*, *rumbl*. *ſtep*, *ſtumbl*; *turn*, *tumbl*; &c. Eſt utique *bind* ligo, *bond* vinculum, *bound* ligatum, vinctum, *bundle* ex variis colligata ſarcina, *bumbl* ſarcina confuſe colligata, & inordinate compoſita: Sin demas *l* frequentativum, erit *bump* gibbus ſeu tumor inordinatus, (niſi forte ſit *bump* & *bunch*, à βουνὸς.) Sic *crack* frango, *cruſh* comprimo; *crumbl* minutim & confuſe frangere, adeoque in micas redigere; &, ſublato *l* frequentativo, *crumb* ſeu *crum*, eſt mica. Sic *finger* digitus, *feel* palpo, manibus ſeu digitis tracto, (*to find* palpando invenio,) *fumble* confuſe tracto, minus dextre, & parum expedite. Item *grieve* doleo, *grone* gemo, *grunt* grunnio, *grumbl* obmurmuro, confuſe atque obſcure gemo ſeu grunnio. Et *join* jungo, committo, *jumbl* confuſe committo commiſceove. Item *mouth* os, *munch* & *maunch* mandere, *mumbl* confuſe maſticare, & (metaphorice) rudius tractare; ſed, omiſſo *l* frequentativo, *to mump* eſt labia quaſi ad maſticantis modum colligere. Sic *room* locus, ſpatium, *to rome* ſpatiari, *to remove* removere, *to rumble* res inordinate & cum ſtrepitu confuſo, ſed obſcuro, de loco in locum movere. Sic *to ſtay* ſto, ſiſto, *ſtep* greſſus, *to ſtep* greſſum promoveo, *to ſtumble* cefpito, greſſum inordinate & confuſe promoveo; &, omiſſo *l* frequentativo, *ſtump* ceſpes. Item *touch* tango, *turn* verto, *tumbl* confuſe & inordinate converto, confuſe atque inordinate cado, aut etiam dejicio. Sic *frown* (forte propter Græcum ὀφρὺν) ſupercilium contraho, frontem capero, *to frump* (ſed abſque *l* frequentativo) ſuperciliose corripio. Et præter has, vix ulla occurrit vox in *umbl* finita; niſi *humbl* humilis, quam his non annumero, utpote quæ manifeſte eſt latinæ originis.

ambl. Terminatio *ambl*, propter literas *mbl* cum præcedente communes, parem innuit confuſam ſeu tumultuariam iterationem; ſed, propter clariorem vocalem *a*, magis alacrem minuſque obſcuram. Sic, *ambl*, equi tolutim incedentis pedum glomeratio. Sic *brier* rubus, *brambl* rubus amplior & promiſſior, in omnes partes latius porrectus. Item, *room* locus, ſpatium, *to rome* exſpatiari, ſed *to rambl* liberius ſpatiari, per loca varia, & longius diſſita; & (in ſeptentrionali Anglia) loco movere, (ſenſu activo,) turbare: at *rumbl* (per *ŭ* obſcurum) motionem innuit obſcure ſonoram. Sic *ſcatter* diſſipo, *ſcambl* tumultuarie & confuſe diſſipo. Item *ſcrape* rapio, corripio, corrado, *ſcrambl* tumultuarie carpo ſeu corripio. Sic *womb* uterus, & (apud ſeptentrionales præſertim) *wamb*, *wemb*, venter, ventriculus; *wambl* inteſtina ventriculi commotio & nauſea.

Terminatio *imbl*, in voce *nimbl* agilis, acutius adhuc aliquid innuit & ſubtilius; optimeque ſuo ſono imitatur, quam ſignificat, agilitatem. Sic à *wind* gyro, converto, fit *wimbl* terebra verſatilis, (atque hinc Gallicum *guimblet*, & noſtrum *gimblet*.) Sed vix alibi occurrit, niſi in voce *thimbl* digitale, pollicare, (annulus latior eſt, digito ſeu pollici aptatus, quo ſuentes acum protrudunt,) cujus tamen alia videtur ratio; puta à *thumb* pollice, fit *thimbl*, ut ab *hand*, *handl*; à *mouth*, *muzzl*; à *noſe*, *nuzzl*; à *neſt*, *neſtl*; à *poſe* (*oppoſe*) *puzzle*; à *ſpin*, *ſpindle*; à *round*, *rundle*; à *bind*, *band*, *bond*, *bundle*; à *ſpark*, *ſparkle*.

imbl. In *nimble*, vocalis acuties & rapiditas, conſonantiumque volubilis glomeratio, celeritatem innuit; in *ſparkle* ſcintillo, *ſp* diſſipationem innuit, *ar* acutam crepitationem, *k* ſubitam interruptionem, *l* frequentem iterationem: & ſimiliter in *ſprinkle* niſi quod *in* ſubtilitatem diſſipatarum guttularum innuat. *Thick* (craſſum, obtuſum) *thin* (tenue, acutum) eo differunt, quod vox illa conſona obtuſa, hæc acuta, terminetur.

Pari modo in *ſqueek*, *ſqueak*, *ſquele*, *ſquall*, *brawl*, *wrawl*, *yawl*, *ſpawl*, *ſcreek*, *ſhreek*, *ſhril*, *ſharp*, *ſhriv'l*, *wrinkle*, *crack*, *crake*, *crick*, *creak*, *creek*, *croke*, *craſh*, *claſh* *gnaſh*, *plaſh*, *huf*, *puf*, *cruſh*, *huſh*, *tuſh*, *puſh*, *hiſſe*, *ſiſſe*, *whiſt*, *ſoft*, *jarr*, *hurl*, *curl*, *whirl*, *buz*, *buſtle*, *ſpindle*, *dwindle*, *twine*, *twiſt*, aliiſque innumeris, ejuſmodi ſonorum cum rebus ſignificatis convenientiam obſervare licet. Et hoc quidem tam frequenter, ut vix ulla, quam ſcio, lingua hac in re huic noſtræ æquiparanda videatur: Adeo ut in una nonnunquam voce monoſyllaba (quales ſunt noſtræ fere omnes, ſi flectionem demas,) illud ſignanter exprimitur, quod in linguis aliis niſi Compoſitis, aut Decompoſitis, aut longa nonnunquam verborum periphraſi, vix aut ne vix explicari poteſt. Et quidem ex vocibus noſtris nativis quamplurimæ hoc modo formantur; & ejuſmodi longe plures olim fuiſſe non dubito, priuſquam ingentis vocum Gallicarum farraginis in linguam noſtram intruſio multas nativas voces exilio dederit & oblivioni.

Voces

Voces Latinæ à Gallis mutuatæ.

Voces à Latinis mutuatas multas habemus (& quidem fere omnes quæ nec monoſyllabæ ſunt, nec à monoſyllabis formantur:) earum vero partem maximam Galli potius Italive à Latinis acceperunt, & nos ab illis.

Nomina.

Nomina (tam Subſtantiva quam Adjectiva) ex Latinis fiunt Anglica, abjecta plerumque caſuum obliquorum terminatione; (vel in ejus locum ſubſtituto *e* fœminino, quod poſt tranſiit in *e* mutum, atque jam fere evanuit:) interveniente non raro levicula aliqua permutatione, quæ Gallis utplurimum nobiſcum communis eſt.

Ut Natura, gratia, clementia, ſynodus, ingenioſus, ingenuus, ornamentum, vitium, infans, prudens, quies, unio, nectar, honor, imago, multitudo, majeſtas, virtus, poema, poeſis, phœnix, audax, liberalis, ſpecificus, poſſibilis, implacabilis, ſtatus, facies; &c. dant *Nature, grace, clemency, ſynod, ingenious, ingenuous, ornament, vice, infant, prudent, quiet, union, nectar, honour, image, multitude, majeſty, vertue, poeme, poeſy, phœnix, audacious, liberal, ſpecifical, poſſible, implacable, ſtate* (*eſtate*) *face*. Atque ad has formas infinita alia & olim formabantur, & formantur indies.

Ubi notabilior aliqua mutatio occurrit, eam utplurimum à Gallis accepimus: ut à Latinis, Bonitas, leo, eleemoſyna, eleemoſynarius, tempus, novus, extraneus, fons, mons, acris: fiunt Gallica *Bonté, lion, almoſne, almoſner, temps, nieu, eſtrange, fontaine, montaigne, agré*: unde Anglica *Bounty, lion, almes, almoner,* (*alm'ner, amner,* ſed & *ambry,* hoc eſt *alm'ry,*) *tenſe, new, ſtrange, fountain, mountain, eager*.

In noſtris *chamber, tender, cinder*, &c. à Latinis *camera, tenero, cinere,* &c. Interpoſitionem literarum *b,* & *d,* habemus à Gallis, qui ſcribunt *chambre, tendre, cendre,* &c. pro *cham're, ten're, cen're,* &c. ubi inter pronunciandum (primo fortaſſe non obſervantibus) ſe inſinuarunt illæ literæ poſt ſyncopen factam, & deinde etiam in ſcripturam; (ut etiam in *diſſemble, reſemble, aſſemble, humble, tremble*; &c. à *ſimulo, ſimilis, ſimul, humilis, tremulus,* aliiſque multis:) Quale quid in Græcorum ἄνδρες, μέμβλωκα, μεσημβρία, &c. & in Latinorum *ſumptus, emptus, comptus,* &c. videtur.

Verba.

Verba quæ à Latinis mutuamus, formantur partim à *Præſenti Tempore*, partim à *Supinis*, abjecta utrobique terminatione: cum levi inſuper aliquando mutatione.

A Præſenti formantur, *Extend* extendo; *ſpend, exſpend* expendo; *mend, amend* emendo; *conduce* conduco; *deſpiſe* deſpicio; *approve* approbo; *conceive* concipio; *relinquiſh* relinquo; *diſtinguiſh* diſtinguo; *diminiſh* diminuo; *repleniſh* repleo; *vanquiſh* vinco; *ſtabliſh, eſtabliſh* ſtabilio; *correſpond* correſpondeo; *contain* contineo; *adminiſter* adminiſtro; *govern* guberno; *concern* concerno; *certify* certifico; *reply* replico; *multiply* multiplico; *ſupply* ſuppleo; Aliaque innumera.

A Supinis formantur, *Supplicate* ſupplico, *demonſtrate* demonſtro, *diſpoſe* diſpono, *expatiate* exſpacior, *ſuppreſs* ſupprimo, *exempt* eximo, *collect* colligo, *conſecrate* conſecro, *imprecate* imprecor, *contract* contraho, *mix* miſceo, *concoct* concoquo, *reject* rejicio, *exact* exigo, *afflict* affligo, *miſs* omitto, amitto: Atque alia quamplurima.

Ab utriſque etiam non raro formantur apud nos Verba, ſignificatione tamen plerumque aliquantum diverſa, eorumque unum utplurimum à Latinis immediate deducimus, alterum mediantibus Gallis. Sic *compound, compoſe,* compono; *expound, expoſe* expono; *refer, relate* refero; *confer, collate* confero; *comprehend, compriſe* comprehendo; *defer, delate* defero; *imply, implicate* implico; *ſpeed, expedite* expedio; *confound, confuſe* confundo: Aliaque ejuſmodi non pauca.

Voces Gallicæ.

Sunt autem & alia aliquot tam nomina quam verba Gallica, quæ in noſtram linguam tranſtulimus.

Qualia cenſeri ſolent *Garden* hortus, *garter* periſcelis, *buckler* umbo, *to advance* promovere, *to cry* clamare, *to plead* cauſam agere, aliaque; à Gallicis *jardin, jartier, bouclier, avancer, cryer, plaider,* &c. Niſi & horum aliquot dixeris Teutonicæ originis; ut *garden* & *garter* à *gird* cingo (atque hoc à *gyro*;) alia Latinæ; ut *avancer* ab *avant*, hoc eſt *ab-ante*: Cum revera non adeo multæ ſint in ipſa lingua Gallicana voces pure Gallicæ; illius enim linguæ pars magna eſt vel Teutonicæ vel Latinæ originis.

Voces Teutonicæ.

Multas autem voces quæ nobis cum Germanis fere ſunt communes, dubium eſt an priſci olim Teutones à Latinis, an hi ab illis, aut denique utrique ab eodem communi fonte, acceperint.

Ut *Wine* vinum οἶνος; *wind* ventus; *wend*, *went* venio, veni, (indeque *wander* vagari,) *way* via; *wall* vallum; *wallow* volvo; *wool* vellus; *will*, *would* volo, vellem; *worm* vermis; *worth* virtus; *waſp* veſpa; *day* dies; *draw* traho; *tame* domo δαμάω; *yoke* jugum ζυγὸς; *earth* terra ἔρα; *over*, *upper* ſuper ὑπὲρ; *am* ſum εἰμὶ; *break* frango ῥηγνύω; *fly* volo; *blow* flo: aliaque ejuſmodi innumera. Linguam enim Teutonicam, ipſa Latina antiquiorem eſſe, non eſt dubitandum: Neque magis dubitandum eſt, linguam Latinam, quæ non modo à Græca, præſertim Æolica, ſed & ab aliis vicinis linguis (puta Oſca aliiſve, quæ jam olim deſueverunt, adeo ut vix eorum veſtigia ſuperſint) magnam verborum farraginem conſarcinavit, etiam à Teutonica ſeu Germanica non pauca accepiſſe.

Certum eſt linguam Anglicanam, Germanicam, aliaſque linguas à Teutonica ſeu Gothica oriundas, non pauca retinere à Græcis deducta quæ Latina lingua vix aut ne vix agnoſcit; ut πάτος, *path*, *pfad*, ſemita; ἀξίνη, *ax*, *achs*, aſcia, ſecuris; μετὰ, *mit*, *with*, cum; *to meet*, convenire; *meet*, conveniens; *mate*, ſocius; πορθμὸς, *ford*, *pford*, vadum; ὀφρὺν, *brow*, ſupercilium; *to frown*, ſupercilium contrahere, frontem caperare; πόῤῥω, *far*, *fur*, longe, procul; πῦρ, *fire*, ignis, πυρόω, *burn*, uro; θύρα, *door*, oſtium; θυγάτηρ, *daughter*, *tochter*, filia; πλατὺς, *flat* (planus) *plate*, *platter*, patina; οὖθαρ, *udder*, uber; μέθυ, *mead*, mulſum; (θ in *d*, ut in πέρθω perdo, ἔνθεν inde, γηθέω gaudeo, θεὸς Deus;) μέγας, μεγάλη, *mickle*, *muckle*, multum, magnum; μέγας, *big*, *beg*, magnus, dominus; γελάω, *laugh*, rideo; γίγγλαρα, *gigle*, rideo; μειδιάω, *ſmile*, *ſmerk*, ſubrideo, (δ in *l*, ut Ὀδυσσεὺς, Ulyſſes; & contra μελετάω, meditor;) & præmiſſo *ſ*, ut in μικρὸς σμικρὸς, μάραγδος σμάραγδος; quadra, *ſquare*, parco *ſpare*, carus *ſcarce*, tingo *ſtain*; μιγνύω, *mingle*, miſceo; ξηρὸς, *ſear*, aridus; μήνη, *moon*, luna; ὅλος, *whole*, totus; ὅλος, *whole*, *hole*, ſanus; εἰλύω, *to heal*, tego; unde *hail* ſanus, & *health* ſanitas; χαίρω, *chear*, alacritas, dapes; λέγω (unde λέχος lectus,) *to lig*, *to ly*, *to lodge*, jaceo, cumbo, pernoctor; *to light*, incido, incumbo; θὴρ, *deer*, dama; B. *dier*, animal; T. *thier*, beſtia; λιτὸς, *lite*, *little*, parvus; ἔργον, *werk*, *wark*, *work*, opus; πλύνω, *to plunge*, immergo; εἰμὶ, *am*, ſum; κόπτω, *to chop*, ſeco; ἀμάω, *to mow*, meto; δαμάω, *to tame*, domo; [illegible], *after*, poſt; φεῦ, *fy*, vah; ὕδωρ, *water*, *dor*, *dwr*, aqua; γράφω, *graff*, *grave*, foſſa; *to grave*, ſcalpo, ſculpo; γέρανος, *a Crane*, grus; γνόω *know*; γόνυ, γνὺξ, γνύμη, γνάμπτω, κνάμπτω, *knee*, *kneel*, *knuckle*, *knob*, *knock*, *knack*; κνάω, *gnaw* (rado, rodo;) [illegible] (culex) *gnat*; καινὸς (novus) *change*. Notatque Ovidius (l. 5. de Triſt. eleg. 8.) inter *Getas* (ſeu *Gothos*) apud quos exulabat, obſervaſſe ſe voces Græcas, ad Getarum formam deflexas; eaſque ad nos, mediantibus vicinis linguis cognatis, perveniſſe, non eſt quod miremur. Neſcio an ab εἴδω εἴδω dicatur *ſee*, & *ſhew*, & *ſhine*; ut, à vidi viſum, *wit*, *wiſe*, *wis*, *wiſdome*; item ab ὕλη (præfixo digamma quod tranſit in *v* & inde in *w*) *wild*, *wilderneſs*, ut à Sylva Sylvaticus, *Salvage*, *Savage*; κύων κυνὸς (*hundt*) *hound*, (unde *hunt* & *haunt*,) ut à κῆρ (cor) *heart*; ζητέω *ſeek*, *ſought*; ἐλπὶς *help*, *holp*, *hope*; χὴν anſer, *gander*, *gooſe*; ἄσωτος, ἀσωτία, *a ſot*, *ſottiſhneſs*.

Cum autem horum plurima immediate à Græcis accepiſſe videantur, abſque interventu linguæ Latinæ; quidni & alia etiam inde fluxiſſe putanda ſint, quamvis apud Latinos pariter reperiantur?

Mirum autem eſt, quam ſeduli fuerint Majores noſtri (ſecus quam nunc dierum fit) voces aliunde ductas, quantumvis longas, in monoſyllabas (quas maxime affectat hæc lingua) compingere: atque in eum finem non modo ex cauda reſecare terminationes formativas, (quod ſolenne eſt,) ſed caput truncare, præſertim in vocibus à vocali orſis; vocales item ex medio rejicere, nulla fere ratione earum habita; ſed & debilioris ſoni conſonas, retentis tantum fortioribus, quæ oſſium inſtar videantur; ipſaſque etiam pro arbitrio cum aliis ejuſdem organi commutare, quo ſonus mollior evadat; ſed & earundem ordinem frequenti metatheſi permutare, quo facilius exemptis vocalibus intermediis in ſonum commodum conſpirare poſſint. Verbi Gratia;

In Expendo *ſpend*, expeditio *ſpeed*; exemplum *ſample*, excipio *ſcape*, *skip*, excuſo *ſcuſe*, extraneus *ſtrange*, extractum *ſtrech't*, *ſtraight*, (pro recto dictum, ſed ſtrictum *ſtreight* pro arcto,) excrucio *to ſcrew*, excutio (Ital. *ſcutere*, *ſcotere*) *to ſhoot*, *ſhout*, *ſhut*, excorio *to ſcour*, excorio *to ſcourge*, excortico *to ſcortch*, (aliiſque ab *ex* inchoatis,) item emendo *to mend*, Epiſcopus *Biſhop*, (Danis *Biſp*,) Epiſtola *Piſtl*, *ſpel*, Apoſtolus *Poſtl*, cucullus *a cowl*, libellus *a bill*, hoſpitale *ſpittle*, Hiſpania *Spain*, hiſtoria *ſtory*, &c. reſciſſio caudæ capitiſque eſt ſatis obvia.

In his aliquanto durior; Alexander *Sander*, *Sawny*, *Sandy*; Elizabetha *Bettee*; (ut ab Hebræo צדק צדיק, hoc eſt *tſedek tſadik*, fit Græcum δίκη δίκαιος;) Gingiva, *jaw*, *chaw*, *chew*; Apis *bee*; Aper *bar* (tranſeunte *p* in *b*, ut in *Biſhop*; & abſciſſo *a* de capite; quod tamen, ne illius nulla ratio haberetur, ex poſtliminio reſtituitur in medio, ut in Aſter, *Star*;) ſed pro veterum *bar* ſeu *bare*, jam dicimus *boar*, (ut, pro *lang*, *long*; pro *bain*, *boan*; pro *ſtane*, *ſtone*, &c.) Aprugna *brawn* (tranſeunte *p* in *b*, & tranſpoſito *a* ut in *aper*; & *g* in *w*, ut in Pignus *pawn*, lege *law*, plaga *blow*, &c.) Ἀλώπηξ *fox*, *fochs*, (reſciſſo capite, ut in *Sander* pro *Alexander*, *Scanderoon* pro *Alexandretta*; & à γάλα γάλακτος *lac*; & *p* in *f* tranſeunte, (ut in pellis *fel*; pullus *foal*; polluo *foul*, *defoul*, quod jam ſcribimus *defile*, & *filth*; pleo, impleo, *fill*, *full*; piſcis *fiſh*; pater *father*, pavor *fear*, pauci *few*;) & tranſumpto *o* in

medium

medium quod fuerat de capite abjectum. Apex, apice, *peek, pike*; Zophorus *freeze* (vox Architectonica in ordine Dorico;) Muſtum *Stum* (œnopolis notum;) Defenſio *fence*; Diſpenſator *ſpencer*; Auſculto (Gall. *eſcouter*) *ſcout*; Exſcalpo *ſcrape* (reſtituto *l* in *r*, quæ fuerant permutata in γράφω γλάφω,) atque hinc *ſcrap, ſcrable, ſcrawl*; Exſculpo *ſcoop*; Abſterritus, exterritus *aſtarte*, (ſic olim, pro quo jam dicimus *ſtart*;) Extonitus (attonitus) *ſtonn'd*; Stomachus (Saxon. *maga*) *maw*; Offendo *find*; Obſtipo *ſtop*; Audere *dare*; Cavere *ware*; unde *a-ware, unawares, beware, wary, warn, warning, ward, warant, warren*, (nam Latinorum *V* conſona ſonabat olim ut noſtrum *W*, & hodiernus ſonus conſonæ *v* erat olim literæ F, hoc eſt Æolici Digamma, ſonum habentis à φ diverſum, & hodiernus ſonus literæ *f* erat Græcorum φ ſeu *ph*:) Queremonia *mone*; Pediculus (Sax. *lus*) *lowſe*; Vagus (Gall.) *ghews*; Arbor, arboretum, *arbour, bower*; Auſterus *ſtern, ſter'n*; Hydrops *dropſy*; Ulcus, ulcere, *ulcer, ſore*, (atque hinc *ſorry, ſorrow, ſorrowfull*;) Ingenium *engine, gin*, (niſi malis à Machina, *machine, chin, gin*; quod alii poſtea dixerunt *Engine*, putantes ab *Ingenio* defluxiſſe;) Alembicus *limbeck*; Scalenus *leaning*, (niſi malis à κλίνω deducere, unde *inclino*;) Infundibulum *funnell*; Incenſorium *cenſer*; Gagates *jett*; Projicio, projectum, *to jett forth* (prominere,) *a jetty* (projectura, prominentia,) *jette d' eaux*, aquæ projectura *a jetty of water*; Cucullus *a cowl*; Libellus *a bill*; Conjicio, conjeci, *to gueſs* (quippe cum *conjeci* ſonari cœpit *congeſi*, non inde difficile eſt fieri *geſs, gueſs*;) Atque his ſimilia.

Sunt & Amputationes aliquanto duriores; Tempus, *tenſe, time*; Nomen *noun, name*; Domina *dame* (ut Gallorum *homme, femme, nom*, ab homine, fœmina, nomine;) Pagina *page*; ποτήριον *pot*; κύπελλα *cup*; Cantharus *can*; Tentorium *tent*; Atramentum, encauſtum (Ital. *inchioſtro*, Gall. *encre*,) *ink*; Crapula *crap, craw*; Terminus *term*; Calamus *quill*; Precari (It. *pregare*) *to pray*; Præda *prey*; Specio, ſpeculor, *ſpy*; ſpeculator *a ſpy*; Species, *eſpece, ſpice*; Plico *ply*, implico *imply*, complico *comply*, replico *reply*; Sedes (Epiſcopalis) *ſee*; Polyſpaſtum *pulley*; Decaudare (caudam amputare) *to docque, to dock*. Atque his ſimilia.

Ejicitur item vocalis de medio, quo minuatur numerus ſyllabarum; Ut Amita *aunt*; Avunculus *uncle*; Conſanguineus *couſin*; Spiritus *ſpirit, ſprite, ſpright*, (ſpirituoſus *ſprightly*;) Debitum *debt, due, duty*; Dubito *doubt*; Comes, comite, *count*; Clericus *clerk, clark*; Quietus *quit, quite* (acquieto *to acquit*;) Separo *to ſpare*, (niſi ſit à *parco*, præmiſſo *s*, ut in quadra *ſquare*, laxus *ſlack*, carus *ſcarce*, tingo *ſtain*;) Stabilis *ſtable*; Stabulum *a ſtable, a ſtall*; Pallacium *pallace, place*; Rabula *rail, rawl*, (*scrawl, brawl, rable, brabble*;) Quæſitio *queſt*, (inquiſitio *inqueſt*, requiſitio *requeſt*, acquiſitio *acqueſt*, conquiſitio *conqueſt*;) Colonus *clown*; Corona *crown*; Monachus *monk*; Monaſterium *minſter*; Penecillum *pencil*; Geranium *crane*; Gena (γνάθος mala, maxilla) *gnaw* (*gnaſh, gnar, gnarl*;) Genu γόνυ *knee, kneel*; Aliaque.

Item Conſonans (ſaltem mollioris ſoni) aut etiam tota ſyllaba, non raro ejicitur: Ut Tracto *treat*; tractatus *treatiſe*; tractatio *treaty*; Rotundus *round*; Rotula *roul, roll*; Fragilis *frail*; Flagellum *flail*; Securus *ſure*; Regula *rule*; Tegula *tile*; Sigillum *ſeal*; Integer *entire*; Stabulum *ſtaul, ſtall*; Crudelis *cruel*; Fatigo, fatigatus, fatiſcens *faint*, (pro *feſſo*;) Vanidus, vaneſcens, *faint*, (de colore parum firmo;) Alligo, alligatio, *ally, alliance, alloy*; Subtilis, *ſubtile, ſubtle, ſuttle*; Nomen *noun*; Decanus *dean*; Hoſpes, hoſpite, *hoſt*; Hoſpitale *hoſtle, ſpittle*; Computo *count*, (accomputo, *accompt, account*;) Subitaneus *ſuddain, ſudden, ſoon*; Uſus, uſura, *ure, enure*; Superare *to ſoar*; Periculum *peril*; periculoſus *perilous, parls*; Mirabile *marvel, mar'l, marvelous, marls*; Pertica *perch*; Paganus *payen, payn*, (ut magnus *mayn*, dignor *deign*, dedignor *diſdeign*, fingo *feign, fain*, tingo *ſtain*, pingo *paint*;) Prædicare *to preach*; Medianus *mean*; Maſculus *male*; Femella *female*; Magiſter *maiſter, maſter*. Aliaque plurima.

Duriores videantur Contractiones, ubi plura horum coeunt ſymptomata: Ut κυριακὸν (οἶκος) *cyric, kyrk, kirk, church*; Presbiter *preſtre, prieſt*; Sacriſtanus *ſexton*; Frango, fregi, *break, breach, brittle*; Fagus (φηγὸς φάγος) *beech* (*f* in *b*, & *g* in *ch*, cognatas literas;) Frigeſco *freeze*; Frigus *froſt*; Frigeſco *freſh* (*ſc* in *ſh*, ut ſupra in *Biſhop, fiſh, ſhoot*, item in diſcus *diſh*, ſcapha *skiff, ſhip*;) Refrigero, refrigeſco, *refreſh*; Refrigerium *refreſhment*, ſed & (de virore) Vireſco *freſh*; Blaſphemare (*blaſmare, blaſmer*,) *blame, blemiſh*; Scopare *to ſweep*; Phlebotomus *phleam, fleam*, (inſtrumentum quo in equis, bobus, aliiſque animalibus grandioribus exercent phlebotomiam;) Chorus *choir, quire*; Conjungo (Gall. *coing*) *coin, quine*, (angulus quo muri coeunt;) Acconjunctum (Gall. *accoint*,) *acquaint*; Conjectum *coit, quait*; Torqueo, torno, (Gall. *tour* circum) *turn*; Bovina *beef*; Vitulina (caro) *veal*; Vitulina (pellis) *velin, velum*; Perdix *partridge*; Scutifer, ſcutiger, *ſquire, eſquire*; Sciurus (σκίουρος) *ſquirrel*; Pœnitentia *penance*; Pœnitentiarius *pittancer*; Colaphus, alapa, *cuff, clap*, (*ſlap, flap*;) Colliſio *claſh*; Eleemoſyna (Gall. *almoſne, aulmone*,) *almes, awmes*; Eleemoſinarius *almoner, alm'ner, amner*; Eleemoſynarium (repoſitorium ubi eleemoſynis deſtinata reponuntur) *almery* (ut ab *arms, armory* armamentarium,) *alm'ry, amry, ambry*; Sanctuarium *ſanctuary, ſentry*; Quæſitio *chaſe*; Perquiſitio *purchaſe*; Libet, lubet, *liſt, luſt, love* (Germ. *lieben*,) *liever* (libentior;) Explicare, (Ital. *spiegare*) *to ſpeak*; Multum, (Ital. *molto*, Hiſpan. *mucho*,) *much*; Iſis *Ouſe* (fluvii nomen;)

Anguilla *eel*; Inſula, *iſola, iſle, ile, iland,* (*ile-land,* inſularis terra ;) Inſuletta, *iſlet, ilet, eyght* (exigua inſula in amne,) & contractius *ey,* (unde *Owſney, Rubey, Eley,* &c. Iſidis inſula, regalis inſula, anguillaris inſula, &c.) Oculus (Gall. *œil,*) *eye* ; Ovum (Sax. *æg,* Germ. *ey,*) *egg* ; Ego (*Ich, Ick, Ic* ;) *I* ; Acies *edge* ; Vectis *wedge* ; Plico *plight, pledge* ; λέγω, λέχος, lectus, *lig, ly, lay,* (*ledge, light, lodge* ;) Volo, *fly,* (*flig, fledge, flight, flutter, flitter* ;) Vellus *fleece* ; Vulgus (*volk*) *folk* ; Examino *ſcan,* (nempe, poſt rejecta pro more à capite & calce, *e* & *o,* reliquum *xamin,* quod Anglo-Saxones quibus *x* non erat in uſu ſcriberent *cſamin,* ſeu Euphonice *ſcamin,* contrahitur in *ſcan,* ut à domino *don,* nomine *noun,* abomino *ban* ;) & quidem Apum *examen,* deflectunt Itali in *ſciame,* pro quo nos *ſwarm* dicimus ; inſerto *r* murmuris indicio ; vel ut ad *army* (exercitum) fieret alluſio, quem ſatis æmulantur examen Apum ; Theſaurus (*tſaur, ſtaur,*) *ſtore* ; Sedeo *ſit,* ſiſto *ſet,* ſedes *ſeat,* ſedela, ſella *ſettle, ſadle,* ſedile *ſtool,* ſed & *ſtall,* (intellige de Clericorum ſede in choro, unde Latino-barbara *ſtallum, inſtallo* ; nam *ſtall,* de bobus dictum, eſt à *ſtabulo* ;) Suave (ſuaviatum) *ſweet* ; Vacuum, vacuatum, (Ital. *vuoto,* Gall. *vuide,*) *voyd* ; Vito, evito, *void, avoid* ; Acuo, acutum, *to whet* ; ὑγρὸς, udus, *wet* ; Sudo *ſweat* ; Gaudium *gawdy, gay* ; Noxa, noxius, *noiſe, noiſy, noiſome, nuſance* ; Jocus *joy,* (Gall. *jeu* ;) Jocoſa *Joice* ; Jocalia (*joyelle,*) *jewell* ; Joculari *to juggle,* joculator *a juggler* ; Focus (Gall. *feu,*) focalia *fewell* ; Locus *lieu, liew* ; Locum-tenens, *lieutenant, liftenant* ; Alloco, allocatum, *allow, allot* ; allocatio *allowance* ; Advoco *avow, avouch, vouch* ; Cathedra *chair* ; Catena *chain* ; cadentia (incidentia) *chance* ; Calidum (Gall. *chauld, chaud,*) *hot* ; Gelidum *cold* ; Caliga, calga, (Gall. *chaulſe, chauſſe,*) *hoſe* ; κῆρ, cor, *heart* ; Cervus *hart* ; Cornu *horn* ; Cupio *hope* ; Granum *grain, corn, kern, kernel* ; Caſeus *cheeſe* ; Caput (Gall. *chef,*) *chief* ; Capitaneus *captain, chieftain* ; Caput (Anglo-Sax. *heofod, hæfde,* Belg. *hoofd,*) *head,* (tranſeunte *c* in *h* ut ſæpe, & extrito *f,* ut in *laford, lord* ;) Capulus *haft* ; Culmus, calamus, *halm, haulm, haum* ; Claudus *halt* ; Succus *juice* (ut ζυγὸς jugum, ζευγνύω jungo, zelotes *jealous,* inſula Zocotora *Jacatra* ;) γόνυ genu *knee, kneel,* (*knead, knock, knob, knuckle, knack, knick-nack, knap, knag* ; curvaturam quandam innuunt horum pleraque) ſed *know* eſt à γνόω, & forte *knuckle,* a condilus ; Conſto *coſt* ; Conſuetudo, conſuetum *cuſtome* ; Extinguo, extinctum, *to ſtint, ſtanch, ſquench, quench* ; Brevis βραχὺς *bridge* (pons, quaſi brevis tranſitus ;) Abbreviare *to abbridge* ; Levis (Gall. *leger*) *light, ſleight* ; levitas manus, *leger de main, ſleight of hand* ; Cavea *cage* ; Ravis, rabies, *rage* ; Vaga *wave* ; Necto *knit, knot,* (niſi hoc ſit à nodo ;) Necto *net* (rete ;) Fabrica (*faurica*) *forge* (fabri ferrarii officina ;) fabricari *to forge* ; fabricatio *forgery* ; Scaturigo (*ſcatource*) *ſource* ; Raucus *hoarce, hoarſe* ; Redemptio, *redemption* (*redenſon*) *ranſome* ; Phreneticus *frenſy* ; phreneticus *frenetick, frantick,* (*freak, friſk, freakiſh* ;) Sonus *ſone, ſoun, ſound* ; Vulnus *woon, wound* ; Verruca *wart* ; Spuma *ſcum* ; Pinſo *to pun, to pound* ; Fluito *float* ; Altus *tall* ; Aptus *apt, pat, fit* ; Scutica *ſwitch* ; Catinus, catillus, *kettle* ; Patina, patella, *pan, pail,* (niſi hoc ſit à Pella ;) Clavus *a clove* (cariophyllum ;) Faſcis *a fagot* ; Faſcia, faſciola, *a fillet* ; Umbilicus, *nombril, navel* ; Poſui, poſitum (*poſto*) *put* ; Situm *ſett* ; Locare, locatum, elocare, *to lett* ; (locatio *a leaſe* ;) Laxus *ſlack, ſleight, looſe, loſt* ; Relaxo *releaſe* ; Pello, pulſum, *puſh* ; Vello, vellico, *pull, pluck* ; Fixus *fixed, fixt, faſt* ; Feſtinus *faſt* ; feſtino *to haſt, haſten,* (ubi Hiſpanos imitamur, qui ſæpe mutant *f* in *h,* ut in *hablar* fabulari, *hermoſo* formoſus, &c.) Rubedo *red* ; Alias *elſe* ; Spithama *ſpan* ; Recito *read* ; Adjuvo *aid* ; αἰὼν ævum *ay, age, ever* ; Floccus *lock* ; Stringo, ſtrictum, diſtrictum, *ſtreſs, diſtreſs* ; Dirigere, addirigere, (Ital. *drizzare,* Gall. *dreſſer, addreſſer,*) *to dreſs, addreſs, redreſs* ; Procurator, *proxy, proctor* ; Procuro, *to prog, progle, prowl,* hujuſque diminutivum *to prig* ; Excerpo, *ſcrap, ſcrabble, ſcrawl,* (niſi hoc ſit potius à ſcalpo, ut ſcribo, ſcribillo, unde *ſcribble* ;) Colligo, collectum *clot, clutch* ; Colligo *coil* (tumultus, tumultuatio,) recolligo *to recoil* (retrocedere ;) *a coil of cable* funis nauticus in ſpiram collectus ; Severus *ſour* ; Severo, aſſevero, *to ſwear* ; Stridulus *ſhrill* ; Turba, turbo, *trouble* ; Pungere (punctuare) *to punch, to pounce* ; accipitris ungues *pounces* ; Poſſum, potero, poſſe, (Gall. *pouvoir*) *power* ; Pauper (Gall. *pauvre*) *poor* ; Prehenſum *priſe,* comprehenſum *compriſe* ; Pretiari *to priſe, to praiſe* ; Impetere *to impeach* ; (niſi ſit *empecher* à *pecche* peccatum ;) Culcita *a quilt, a couch* ; Lumbus *loin* ; Periculum (quaſi periſculum) Ital. *riſco,* Gall. *riſque, riſk* ; periculum facere, *to run the riſk* ; Expedio *ſpeed, diſpatch* ; Judex *Judge* ; Traho *draw, drag, drudge* ; Hæres, hæreditatio, *heir, heritage,* (*inherit, inheritance* ;) Augeo, auxi *wax* ; Vaneſco, vanui *wane* (de Lunæ incremento & decremento præſertim dicta ;) Coquina (Ital. *cucina,*) *kitchin* ; Puteus *pit,* puteolus *puddle, pool* ; Spina, ſpinula, (Gall. *eſpingle*) *a pin* ; Minutiare (minutim ſecare) *to mince* ; Comprimo *cramp, crump, crumple, rumple, crinkle* ; Rugæ *rough, ruff, rugged* ; Quadratum (Ital. *ſquadra*) *ſquare* ; Auceps, aucupis, (Anglo-Sax. *hafock, hafuk,*) *hawk* (accipiter) & *havock* ſtrages, ſpolia ; Otium *eaſe, l'oiſir, leaſure* ; Placeo *plaiſir, pleaſure* ; Menſura *meaſure* ; Vinco *win, gaigne, gain, a-gain* ; Vincio, vinctum, vinculum, *wind, bind, bound, bundle.*

Quorum aliqua, utut duriora videantur (eorumque forſan nonnulla nimis coacta ;) ne tamen plane rejici debeant eorum plurima, id ſaltem facit, quod non minus coacta ſint ex Propriis nominibus non pauca ; aliaque quorum Etymologiæ apud omnes ſunt in confeſſo :

Ut

Ut Alexander, *Elic*, *Scander*, *Sander*, *Sandy*, *Sanny*; (*Scanderbeg*, Ἀλέξανδρος μέγας Alexander magnus;) Elizabetha, *Elizabeth*, *Elſabeth*, *Bettee*, *Beſs*; Margareta, *Margaret*, *Marget*, *Meg*, *Peg*; Maria, *Mary*, *Mally*, *Mal*, *Pal*, *Malkin*; Matthæus, Martha, *Mathew*, *Martha*, *Mat*, *Pat*; Dorothea, *Dorothy*, *Dol*; Ludovicus, *Lodwick*, *Lewis*, *Louis*, *Lois*; Guilhelmus, Wilhelmus, Γυλιέλμος, (Ital. *Gierolamo*, Gall. *Guillaume*,) *William*, *Will*, *Billy*, *Bilkin*, *Bulkin*, *Bilſon*, *Willcock*, *Wilſon*, *Wilkin*, *Wickin*, *Wicks*, *Weeks*, *Wickſon*; Richardus, *Richard*, *Dick*, *Hick*, *Dixon*, *Hixon*, *Dickin*; Robertus, Rodbertus, Rupertus, *Robert*, *Rupert*, *Robin*, *Dobe*, *Hobe*, *Dobſon*, *Hobſon*, *Hobs*; Rogerus, *Roger*, *Hodge*, *Hodgekin*, *Hoskin*; Anna *Anne*, *Nan*, *Nanny*, *Nancy*, *Nancicock*, *Cock*; Egidius, *Giles*; Anguſtinus *Auſtin*; Hieronymus *Jerom*; Radulphus *Ralph*, *Ralfe*, *Rafe*; Jacobus (Ital. *Giacomo*, Hiſp. *Diego*, Gal. *Jaques*) *James*, *Jeames*, *Jemmy*; Jacobus Apoſtolus (*Jacomo Apoſtolo*) *Compoſtella*; Franciſcus Franciſca (*François*, *Françoiſe*,) *Francis*, *Frances*, *Frank*, *Fanny*; Benedictus *Bennet*; Maledictus *Maudit*; Magdalena *Mawdlin*; Mathildis *Mawd*; Juliana *Julian*, *Gilian*, *Gill*; Petronilla *Parnell*; Chriſtophorus *Chriſtopher*, *Keſter*, *Kit*; Oliverus *Oliver*, *Noll*; Helena *Ellen*, *Nel*; Edwardus *Edward*, *Ned*; Edmundus *Edmund*, *Mun*; Gandavum *Gant*; Dordrectum *Dort*; Tridentum *Trent*; Ultrajectum *Utrecht*; Moſæ trajectum *Maeſtrick*; Lugdunum *Leyden*, *Lyons*; Hibernia, Ierna, *Ireland*; Londinum (Gal. *Londres*) *London*; Roffa *Rocheſter*; Dubris *Dover*; Glovernia (Claudii caſtra) *Glouceſter*, *Gloſter*; Eboracum *Ewerwick*, *York*; Ulixipona *Lisbon*; Hiſpalis *Sevil*; Xeres *Sherry*; Tingis *Tangier*; Neomagus *Neimegen*; Rotomagus *Rouen*; Cadomus *Caen*; Aquiſgranum *Aken*, *Aix le Chapelle*; Uratiſlavia *Breſlaw*; Dantiſcus, Gedanum, *Danſick*; Mediolanum *Millain*; Liburnum *Livorno*, *Ligorn*; Judæus *a Jew*; Judæa *Jewry*; Paganus *Pagan*, *Payn*, *Painim*; Ethnicus, ἔθνη, *Heathen*; Theſſalonica *Salonike*; Conſtantinopolis *Stampol*; Alexandretta *Scanderoon*; Zocotora *Jacatra*; (Aloe zocotorina *Alaſacatrina*;) Cumque ſit in Propriis Nominibus tanta Vocum deflexio, non mirum eſt ſi in aliis item vocibus id uſu veniat.

Verum in aliis item vocibus id eſt conſpicuum, de quarum tamen originibus non eſt dubitandum. Ut ὧδε Dorice ὧ· κεῖθι κεῖ· δῶμα δῶ· ἐκεῖνος, κεῖνος, τῆνος. Et (longa ſerie) ἐκ, ἐξ, ἔξω, ἐξώτερος, è, ex, exterus, extra, extraneus, *ſtraneo*, *eſtrange*, *ſtrange*, *ſtranger*: Ἔλεος, ἐλεέω, ἐλεήμων, ἐλεημοσύνη, *eleemoſyna*, (Gal. *almoſine*, *almône*,) *almes*, *awmes*, *almoner*, *alm'ner*, *amner*, *almery*, *almry*, *amry*, *ambry*; Δέκα, decem, deceni, deni, *ten*, *tenth*, *tithe*, *tithing*, *tithingman*; Δύο, δὶς, duo, bis, bini, *two*, *twice*, *twain*, *twin*, *twine*, *twelve*, *twenty*; Anteceſſores *anceſters*; Theriaca *triacle*, *treacle*; Feniculus *fennel*; Enula campana *Elicampane*; Dictamnum *ditany*; Santalum *ſanders*; Benzoin *benjamin*; Ungo unguentum *anoint*, *noint*, *ointment*; Pix pice *pitch*; Parietaria *pellitary*; Terebinthina *turpentine*; Salvia *ſage*; Viride æris *verdigreſe*; Gummi tragacanthum *gum dragon*; Rhabarbarum *rubarb*; Pomum de ambra (Gal. *pom d' ambre*) *pomander*; Cariophyllus flos (Ital. *Gerofilo*, Gal. *giriflee*,) *gilofer*, *gilliflower* (quod vulgus detorquet in *July-flower*, quaſi à Julio menſe nomen duxerit;) Aſparagus, ſparagus, *ſperage*, (quod vulgus detorquet in *ſparagraſs*, *ſparrowgraſs*;) Petroſelinum *parſly*; Portulaca *purſlain*; Lactuca *lettice*; Braſſica capitata *cabbage*; Lactuca capitata, *cabbage lettice*; Cydonium *quince*; Cydoniatum *quiddeny*; Pomum perſicum *peach*; Eruca *eruke* (quod vulgus detorquet in *ear-wigs*, quaſi ab Aure nomen ſumpſerit;) Corymbium ſeu coma aſcititia, *peruque*, *periwig*, jam *wig* dici cœpit; Paralyſis *palſey*; Hemicranium *megrim*; Macer *maigre*, *meager*; Acris *aigre*, *eager*; Vinum acre *vinegre*, *vineger*; Annulus gemellus (ex duobus pluribuſve tenuibus contortis factus) *a gimmal ring*, ſeu *gimbal ring*; (unde etiam ad alia ſic intertexta transfertur vox *gimbal* & *jumbal*;) Altus guſtus, (Gall. *hault gouſt*, *haut gout*) *bogo*; Qualeſcunque cauſæ (Gall. *quelques choſes*) *kickſhaws*; Curia, curialitas, *court*, *courtſhip*, *courteſy*, *curſy*. De quorum originibus (aliiſque ejuſmodi multis,) utcunque fuerint detorta, cum res ſit in confeſſo; non mirum cuiquam videri debeat, ſi & veteres ſic plurima deformaverint; præſertim eum Monaſyllaba tantopere affectaverint; quæ ut mollius ſonarent, hanc ſibi licentiam truncandi, eximendi, immutandi, molliendi, & tranſponendi, permiſerunt: & quidem, cum ab ἐκ ἐξ tandem deveniatur (indubiis veſtigiis) ad *ſtranger*; & ab ἔλεος ad *ambry*; à δέκα, ad *tithing*; ab Habeo habere, Gallorum *avoir*, *j'ay*, *j'eu*, *j'euſſe*; à Poſſum, *je puis*, *pouvoir*, *power*; aliaque ſimilia de quibus non dubitetur: non eſt cur refugiamus derivationes alias, etiam duriuſculas; modo faveat ſignificatus, & ſuppetant veſtigia proceſſus, aliorum exemplis comprobata. Si cui diſpliceant; liberum eſt ipſi negligere.

Et quidem ego, tantum abeſt ut culpem, ut laudem potius ingenuitatem illorum, qui voces longiores in tam arctum compegerint, tantillum imminutas; ut in Presbyter *Prieſt*, Prædico *preach*, Theſaurus *ſtore*, ſedile *ſtool*, ſyllabo *ſpell*, examino *ſcan*, abomino *ban*, expedio *ſpeed*, creſco crevi *grow*, auxi *wax*, vanni *wane*, excorio *ſcourge*, excortico *ſcortch*, &c. quæ moderni proferunt *Presbyter*, *prædicate*, *treaſure*, *ſettle*, *ſyllabate*, *examine*, *abominate*, *expedite*, *increaſe*, (*accrew*,) *augment*, *vaniſh*, *excoriate*, *excorticate*, &c.

Dum autem hæc à Græcis aut Latinis deducimus; non illud velim, quaſi non à lingua Gothica, Saxonica, Danica, Belgica, Teutonica, harumve dialectis, immediate ad nos pervenerint

venerint eorum plurima: quippe multa eorum quæ à Latinis olim accepimus, ſed & quæ ſerius mediantibus ſive Gallis, ſive Italis, ſive etiam Hiſpanis, non pauca, ſunt nobis fere cum illis alteris communia, ſaltem leviter mutata pro cujuſque dialectus idiomate, indeque ad nos directe pervenerunt, utut Latinæ aut Græcæ originis.

Notandum interim eandem vocem, pro vario ſignificatu, variam non raro originem ſortiri. Ut *to Bear* de Onere dictum (& *Bor'n* Latum, *Bier* Feretrum, *Burden* Onus, *Bring* affero, *Brought* allatus, &c) à *Fero*; ſed, *to Bear* de liberis dictum (unde *Birth* partus, *born* natus, *barn*, *bearn*, filius, &c.) eſt à *Pario*; & *Bear* Urſa AS *Bere*, *Bera*, (ſaltem ſi ſit Latinæ originis) à *Fera*. Item *Bare* tuli à *Fero*; *Bare* peperi à *Pario*; ſed *Bare* nudus, à *pareo*, *appareo*, (utpote quod, cum non tectum ſit, appareat,) unde *Barren* ſterilis (quaſi *baren* nudatus;) proprie de ſterili terra dicitur, gramine & herbis nuda; &, per metaphoram, de fœmina ſterili: & *Bar*, *Bare*, (quod jam *Boar* dicimus) AS *Bar*, ab *Aper*; at *Bar* repagulum, vectis, (Gal. *Barre*, Ital. *Barra*,) à Vitruviano *Vara*; niſi forte in Vectis ſignificatione (quod ipſum eſt à Veho) ſit à *Bear* fero: *Beer* Cerviſia (potus Hordeaceus) ab AS *Bere* (quod jam *Barly* dicimus) Hordeum: & *Barn* (AS *Bern*) Horreum, ab eodem *Bere*, quaſi Hordearium. Sic *ſound* ſonus (olim *ſowne*) à *ſono*; Sed *ſound* ſanus, à *ſano*; & *to ſound* explorare, exploratum mitto, (de bolide præſertim dicitur ad fundum demiſſa, qua aquæ profunditatem explorant nautæ,) à *ſend* mitto, (Anglo-Sax. *ſenden* mittere, *ſonda* nuncius,) quod forte à *præ-ſento* (truncato capite,) niſi & hoc à *ſono* ſit; & *ſound* ſeu rectius *ſwoon*, ab antiquo *Sweven* (Anglo-Sax. *Swefen*,) ſomnium, unde & dictum videtur. *Faint* pro feſſo, à Fatigo, fatigans, fatigatus, fatiſcens. Sed, pro colore parum firmo, à Vaneſcens, vanidus. Sic *Perch* piſcis eſt à *Perca*, ſed *perch* menſura eſt à *pertica*, item *perch* pro pertica cui avis inſidet. *To ſpell* ſyllabare (vocem in ſyllabas reſolvere) eſt à *ſyllaba* (tranſpoſitis conſonis, & *b* in *p* redeunte, quæ fuerat in συλλαβὴ,) ſed *ſpell* pro incantamento, (quo creditur limites ſic agris figi poſſe, ut nemo eos invito domino tranſilire poſſit) ab *expello*; & *ſpell* pro nuncio, ab *Epiſtola* dictum videtur, (pro quo, ſuperiori ſeculo *piſtle* & *piſt*, dixerunt, ut pro Apoſtolo, *Poſtle* & *poſle*,) unde *Goſpell*, quaſi *Good-ſpell*, ἐυαγγέλιον bonum nuncium, ſeu *God ſpell* divinum nuncium, divina epiſtola. Sic *Freeſe* ſeu *freez* gelaſco, eſt à *frigeſco*; ſed *Freeſe* vox architectonica à *Zephorus*, idem ſignante; & *freeſe* pro panni ſpecie neſcio an à *Friſia* dicatur, ut *Pannus Friſicus*, an forte & hoc ſit à *frigeſco*, ut quaſi præ aliis frigori pellendo aptior. Sic *Freſh* de aura ſeu aere ſubfrigido, eſt à *frigeſco*, (unde *refreſh* refrigero, *refreſhing* refrigerium,) ſed de plantarum virore dictum, eſt potius à *vireſco*, ut & ubi per metaphoram ſignificat *alacrem*, vel etiam *recentem*. Item *to fret* vexare, vexari iracundia, eſt à *Fremito*; ſed *to fret* de veſtibus plicatura & frictione ruptis, eſt à *frico frictum*; & *fret*, *fret-work*, pro opere vermiculato eſt à *Rete*. Sic *to Fell* cædo, ſterno, cadere facio (ut & ipſum *fall* cado) eſt à *fallo* ſeu potius σφάλλω; (fortaſſe & *fell* crudelis, ſævus, & *felon*, inde ortum ducunt, ut qui homines cædat, aut etiam occidat;) ſed *fell* pellis, à pelle dictum eſt, & inde *fell-monger* pellio. Sic *ſpit* de ſputo dictum, inde dicitur; ſed *ſpit* verutum, neſcio an à *Cuſpide*, vel forte, quaſi *ſpicatum*; & *ſpit* quantum ſcilicet ſpatha ſeu ligo una vice effodit, eſt à *ſpatha*, unde & ipſum *ſpade* ligo, ſpatha. Item *ſpitle* ſputum eſt à *ſpuo*, ſed *ſpitle* xenodochium eſt ab *Hoſpitali* (Ital. *ſpedale*.) Sic *file* lima, *to file* limare, dici videtur à *polio*; ſed *file* pro filatura, ſeu ſerie rerum quaſi tranſverſo filo inſertarum, (*a file of pearls*, *a file of papers*, *a file of ſoldiers*,) eſt à *filo*; & *file* ſeu *defile* (quæ olim *foule* & *defoule* ſcribebantur, unde & *filth*, pollutio,) eſt à Polluo. Sic *to ſet* ſede colloco, ſedere facio, eſt à *ſedeo*; ſed *to ſet* planto, eſt potius à *ſero*, *ſatum*. Sic *Vice* vitium, inde nomen habet; ſed *vice*, ſeu *viſe*, (Gall. *vis*) pro cochlea, eſt à *vite*, quam ſpirali flexu imitatur; & (in compoſitione) *Vice* pro Vicario ſeu locum tenente eſt à *Vice*, (ſic Vice-cancellarius, Procancellarius, *Vice-chancellour*; Vice-comes *Viſcount*, *Vicount*; Prorex *Vice-roy*, &c.) *Porter* pro janitore, eſt à *porta*; ſed, pro bajulo, à *porto*. *To Cull*, optima ſeligere, à Gal. *cueiller*, Lat. *colligere*: ſed *to cull* ſeu *coll*, collum amplecti, eſt à *Collo*. *Hard*, pro difficili, ab Arduo; pro duro, ab Arido, (ut, à σκέλλω, exſicco, σκληρὸς durus,) atque inde *Harſh* (quaſi *hardiſh*) aſper, ſubaridus; vel ab Areſco. *Stern*, pro Auſtero, hinc dici videtur; ſed pro Puppi navis Extrema, ab Extremo. Sic *Date* dactylus, & *Date* datum. *A Fleet* claſſis navium, à *Fluctuo* vel *Fluito* (ut & *to Float*;) *Fleet* velox (de equo potiſſimum dictum) à *volatu*, (niſi forte à *veloce*, ſed illud malim:) *Fleet* minus profundus (de loco vadoſo dictum) & *flat* (eodem ſenſu) potius à πλατὺς latus. *To fleet*, aut *flit*, ſedem mutare, commigrare, ex *Fly*, vel *fluito*, vel *fluctuo*; (dicitur & de equis aliiſve animalibus, ad ſtipitem ligatis, ita ut ne extra funis longitudinem depaſcant, de loco in locum tranſlato ſtipite promovendis:) *To fleet milk* cremorem lactis de ſummo demere, vel à *fluito* propter fluitantem cremorem adimendum, aut fluitantem qua demis Cymbulam, vel à *fluidus* propter lac reſiduum (*fleet-milk*, aut *flot-milk*) magis tenue & fluidum factum; (ſed prius malim, & *fleets*, ſeu *flott*, adjective ſumptum, participium eſſe verbi *to fleet*.) *Caſe* capſa, capſula, hine nomen habet; ſed *Caſe* caſus, à caſu. *Seaſon* (opportunitas, occaſio,) ab Occaſione dicitur, (quippe ut à Ratione fit Italis *Raggione*, Gallis *raiſon*, & nobis *reaſon*; ſic ab Occaſione, truncato capite, fit Italis *cagione*; & Gallis, mollito *c* in *s*, *ſaiſon*,

 unde

unde noſtrum *ſeaſon*; quod olim, & credo rectius, ſcribebant *ceaſon*;) at *to ſeaſon*, ſalire, condire, à *ſaltione* dici videtur, unde Gallis *ſalſon*, *ſaiſon*, aut quid horum ſimile, & *ſalſoner*; indeque noſtrum *to ſeaſon*, ſaltione condire; unde, per Metaphoram, de Ligno dicimus *timber well ſeaſoned* (materia bene condita, adeoque probe exſiccata:) Aliaque iſtiuſmodi.

Sunt denique apud nos vocabula non pauca, etiam monoſyllaba, à duobus pluribuſve ſive Compoſita, ſive arctius conflata; ſaltem compoſitorum vices gerunt plurium ſignificatus una voce complectentia, (quod & ſupra inſinuatum eſt.) Ut, ex *ſcrip* ſcriptum, & *roll* rotula, fit *ſcroll* ſcripta rotula. Ex *proud* ſuperbus, & *dance* ſalto, conflatur *prance* ſuperbientis equi ſalientes inceſſus indicans. Ex *ſt* (verbi *ſtay* ſeu *ſtand* ſto) & *out* extra, conflatur *ſtout* fortis, pertinax, cedere neſcius. Ex eodem *ſtout* & *hardy* audax, fit *ſturdy* rigide pertinax. Ex *ſp* (verbi *ſpit* vel *ſpew* ſpuo) & *out*, fit *ſpout*, quaſi plenis buccis evomo; dicitur præſertim de aqua per tubulum violenter prorumpente. Ex eodem *ſp* cum terminatione exili *in*, fit *ſpin*, quod eſt lanam aliudve in tenue filum deducere, & (addito *out*,) *ſpin out*, tum rem in longum protractam innuit, tum ſpeciatim aquam aliumque liquorem tenuem (non amplo orificio, ſed) exiguo foramine ſeu rimula exilientem: atque priori illi ita opponitur, ut *to ſpout*, ſit, pleno gurgite; *to ſpin out*, exiguo quaſi filo, exilire. Ex eodem vero *ſp* cum *it*, fit *ſpit* exſpuo: quod à *ſpout* eo ſaltem differt, quod ſit exilius quiddam, & ſine ſtrepitu, cumque minori impetu (ut ſputum ore) ejicere; *ſpout* vero contrarium: differt autem à *ſpin*, quod illud fiat uno actu ſtatim terminato (exeunte voce *ſpit* in conſona muta, protractionis incapace:) ſed *ſpin* (ſemivocali terminatum, protractionis capaci admodum,) actum continuatum. Sed *ſputter* eſt (propter vocalem *ŭ* obſcuram) medium quid (quantum ad violentiam) inter *ſpit* & *ſpout*, ſed (propter additum *r*) frequentativum, iterationem innuens & ſtrepitum, ſed obſcure confuſum: Sed *ſpatter* (propter acutiorem & clariorem vocalem *a*) crepitationem clariorem ſimul innuit, quo potiſſimum à *ſputter* differt. Ex eodem *ſp* & terminatione *ark*, fit *ſpark*, ſcintillam cum crepitu ſed unico exilientem ſignificans, (nempe *ſp* exilitionem, *ar* crepitum acutiorem, & *k* muta conſonans repentine terminatum innuit;) ſed addito *l* fit frequentativum *ſparkle* ſcintillare, ſcintillas crepitantes affatim emittere ſeu ſpargere. Idem *ſp* ſubjuncto *r*, hoc eſt *ſpr*, vividiorem impetum innuit (exeundi ſeu ampliandi ſe,) cui addita terminatione *ing*, fit *ſpring* exilire, (cujus vigorem innuit *ſpr*, acutiem terminatio *ing*, ſed quæ, poſt *in* acutum tremulumque deſinit in *g* conſona muta, motum repentine terminatum innuente,) de exilitione ſingulari, non multiplici, prima ſignificatione dicitur: hinc elaterem dicimus *a ſpring*, propter exilientem vim elaſticam: itemque aquæ ſcaturiginem (ſed metaphorice) propter ſalientem aquam, indeque (alia tranſlatione) fontem ſeu originem rei: ſed & (per aliam metaphoram) *to ſpring* eſt pullulare, germinare; tempuſque vernum, quo plantæ potiſſimum germinant, *the ſpring* dicitur; propter exilientem & erumpentem ſuccum nutritium. Ex eodem *ſpr* (verbi *ſpring*) & *out*, conflatur *ſprout* progerminare, in gemmas germinave prorumpere: & (cum terminatione *ig*) *ſprig* ſurculus; quorum hæc fere eſt differentia, *ſprout* (ſoni craſſioris) germen pinguius craſſiuſve innuit, *ſprig* (tenuioris ſoni) exiliorem ſurculum. Similiter, ex *ſtr* (verbi *ſtrive* vel *ſtretch* contendo, quod ipſum eſt ab extraho extractum,) & *out*, fit *ſtrout* protendo, tumeſco, & *ſtrut* quod eſt faſtuoſe incedere, puta pectore protenſo & tumeſcente: ab eodem *ſtr* & terminali *uggle*, conflatur *ſtruggle* luctari, ſinuando contendere ſeque in omnes partes torquendo, quod innuit *gl*: ſed ſine magno ſtrepitu, propter vocalis *ŭ* ſonum obſcurum. (Sed *ſtragl*, eſt à *ſtray* extravago.) Similiter ex *throw* projicio, & *roll* rotulo, volvo, conflatur *trull* projiciendo volvere, volutim projicere, (de globulis luſoriis ſpeciatim dicitur:) atque eodem fere ſenſu *trundle* ex *throw* ſeu *thruſt*, (projicio, protrudo,) & *rundle* rotundulum. Sic *gruff* ſeu *grough* moroſus, conflatum ex *grave* & *rough*, ut qui ſit quaſi *graviter rudis*. Et *trudge*, ex *tread* ſeu *trott*, & *drudge*. Et *ſhog* ex *ſhake* & *jog*. Sic *plate* & *platter*, ex *plain* & *flat*; atque hoc ipſum *flat* tanquam ex *plano* & *lato* conflatum. *Scorn* ex *ſcoff* & *ſpurn*, (σκώπτω & ſperno.) *Scant* ex *ſcarce* & *want*. *Shatter* ex *ſhake* & *ſcatter*. *Twink* (& frequentativum *twinkle*) ex *twy* & *wink*, nictus dubius, creperus, (ut *twy-light*, lux dubia, lux crepera.) *Grind* ex *grate* & *winde*. *Graſp* ex *gripe* & *claſp*. *Greedy* ex *gripe* & *needy*. *Grone* ex *greeve* & *mone*. *Crack* ex *cry* & *break*. *Branch* confuſum videtur ex *Brachio* & *Ramo*, (ſicut Latinorum *Mille*, ex Græcorum partim μύρια, partim χίλια.) *Scurf* ex *ſcabie* & *furfure*. *Stumble* ex *ſtop* (ſeu *ſtand*) & *tumble*. *Slant* ex *ſlope* & *lean*. *Grumble* ex *grutch* & *mumble*. Sic ex *Feel* & (confuſanea terminatione) *umble*, fit *fumble*; ex *join* & *umble*, fit *jumble*; ex *bind* & *umbl*, *bumble*; (*Alter*, ex ἄλλος & ἕτερος· Niſi forte *Alter* & Germ. *Ander*, ſint ex Dor. ἄτερος per epentheſin *l* & *n*, ut in ἑκατὸν centum &c.) *Bend*, *Bind*, ex *Bow* & *Wind*. *Crave* ex *cry* & *have*. *Quaver* ex *quake* & *waver* (illud à *quatio*, hoc à *Wave*, quod à vaga.) *Quaff* quaſi *quite off*; (ut carouſe, ex Germ. gar auſz, *all out*;) *Gariſh* ex *gaze* & *whoriſh*: ſeu *gaze* & *hared*, h. e. leporis inſtar territus. *Claſp* ex *cloſe* & *haſp*. *Mild* ex Mitis & Mollis. Sic ex μειδιάω & rideo, *mirth*, *myr'd*. *Friſk* ex *freak* & *briſk*. *Hover* ex *hang* & *over*, (vel *high over*.) Atque id genus alia.

Cap. XV.

De Poeſi.

POeſis Anglicana ut plurimum Rythmica eſt: ut & apud vicinas gentes omnes.

Obſervatur præſertim numerus ſyllabarum; non prorſus tamen neglecta quantitate.

Metri genera ſunt varia; & quidem ad arbitrium Poetarum quotidie nova exoriuntur.

Notandum autem (præſertim peregrinis) Poetas noſtros, ut & aliarum Gentium, maximam plerumque ſibi libertatem aſſumere in vocabulis tranſponendis, ab ea ſerie quam in ſoluta oratione obtinere ſolent.

Syllabarum autem Longitudinem & Brevitatem quod ſpectat; pleræque ſunt promiſcue, nunc breves, nunc longæ: nec tamen arbitrarie. Id vero potiſſimum reſpiciendum eſt, ut illæ ſyllabæ quæ ſive pro accentu vocis, ſive pro ratione ſententiæ, ſunt præ cæteris magis Emphaticæ, longarum ſedes ſortiantur. Quod ſi obſervetur, mollius fluet verſus atque elegantius; horridius autem ſi negligatur.

Exemplum eſto, Pſalmi primi verſio metrica; verſu Iambico (quales noſtri plerumque ſunt, præſertim in materia graviori;) Quæ, non incommode, ſic incipit:

The mán is bléſt that háth not bént,
to wícked réad, his éar.

hoc eſt, verbatim, *Ille homo eſt beatus, qui non inclinavit, ad pravam doctrinam, ſuam aurem.*

Verum ſi, retento eodem verſus genere, luxatione levi facta ponantur ſyllabæ in locis non ſuis; ad hanc formam,

Bleſſéd is, thé man, thát hath nót
bent, tó wickéd read hís ———

verſus erit plane horridus.

Sed, mutato verſus genere, pro Iambico habebitur Trochaicus Octonarius catalecticus ſatis elegans:

Bléſſed ís the mán, that háth not
bént, to wícked réad, his éar.

Verum aliorum item Metrorum capax eſt lingua noſtra, (ſi quis id affectet,) etiam pro Latinæ Poeſeos ratione.

Exemplo ſit hoc Hexametrum, (neſcio an *Sidnæi*, in *Arcadia* ſua; ubi & alia complura conſpicienda ſunt.)

What ſhal I do? ſhal I dy? ſhal Amyntas murder Amyntas?

Hoc eſt,

Quid faciam? moriar? & Amintas perdet Amintam?

Aut illud etiam Pſal. 2. ver. 1.

Whý do the Héathen ráge? and the Péople imágine a váin thíng?

Quod caſu & ex improviſo accidiſſe noſtris Interpretibus cenſendum eſt; ut Hiſtorico Latino ſimiliter illud Hexametrum, (Initio Annalium *Taciti.*)

Urbem Romam principio Reges habuere.

Aut Græcum illud ſcriptori Sacro (Jac. 1. 17.)

Πᾶσα δόσις ἀγαθὴ, καὶ πᾶν δώρημα τέλειον.

Nec diffitendum tamen eſt, quin Linguæ prope ſingulæ, peculiaria ſibi Metra (ſive ex linguæ genio, ſive ex uſu communi) magis accommodata ſortiantur, & in quæ promptius fluant. Qualia, in lingua noſtra, occurrunt plurima.

Quod autem Lingua noſtra non refugiat Latini carminis modos, ut porro oſtendam; (præter ea quæ ante dicta ſunt, quæque apud alios forte reperiantur;) Placuit (anſâ data à primo ejus verſiculo, ut modo dictum eſt, Hexametri leges imitante,) integrum Pſalmum ſecundum, Hexametro verſu reddere. Cujus verſio Anglicana (in Bibliis noſtris) oratione ſoluta, ſic procedit.

PSAL. II.

1 *Why do the heathen rage, and the people imagine a vain thing?*

2 *The kings of the earth ſet themſelves, and the rulers take counſell together againſt the Lord, and againſt his anointed, ſaying,*

3 *Let us break their bands aſunder, and caſt away their cords from us.*
4 *He that ſitteth in the heavens ſhal laugh, the Lord ſhal have them in deriſion.*
5 *Then ſhal he ſpeak to them in his wrath, and vex them in his ſore diſpleaſure.*
6 *Yet have I ſet my king upon my holy hill of Zion.*
7 *I will declare the decree: the Lord hath ſayd unto me, Thou art my ſon, this day*
have I begotten thee.
8 *Ask of me, and I ſhall give thee the heathen for thine inheritance, and the uttermoſt*
parts of the earth for thy poſſeſſion.
9 *Thou ſhalt break them with a rod of iron, thou ſhalt daſh them in pieces like a potters*
veſſel.
10 *Be wiſe now therefore, ye kings: be inſtructed ye judges of the earth.*
11 *Serve the Lord with fear, and rejoice with trembling.*
12 *Kiſs the ſon leaſt he be angry, and ye periſh from the way, when his wrath is kindled*
but a little: bleſſed are all they that put their truſt in him.

Cujus primus verſiculus ſponte ſua fluit ſecundum leges Hexametri Latini. Totuſque pſalmus, levicula mutatione, ad eaſdem leges ſic redigatur; (ſtilo non elato, ſed gravi facilique, qui rem ſeriam deceat.)

1 *Why' do the Heáthén rage? and the péople imágine a vain thing?*
2 *Why' do the kings of the eárth cónſpire with Princes amóng them.*
Thus cónſpiring againſt thé Lórd, and againſt his anóintéd;
3 *Lét us aſúnder bréak their bónds, and cáſt we the córds óff.*
4 *Hé that in heávén ſits, dóth laugh; the Lórd he derides thém.*
5 *God in his wráth ſhál ſpeák tó thém and véx them in ánger.*
6 *Yét have I ſét my' King on my hóly' móuntain of Zión.*
7 *This I declàre as a thing décreéd, and nót to be áltérd:*
Thóu, ſaith the Lórd to me, árt my' ſón, this dáy I begét thée.
8 *Ask thou of mé. I'le give thee the Heáthén fór to inhérit;*
And, to poſſéſs as thy ówn, thé útmóſt párts of the whóle eárth.
9 *Thém ſhalt thou bréak with an irón ród, ánd dáſh them a-piecés,*
(I'f they rebél) like an eárthén véſſél máde by a póttér.
10 *Thérefore, o kings, I adviſe ye, be wiſe; and who éver ye bé that*
Sit ás júdges on eárth, bé timely inſtrúcted about it.
11 *Sérve ye the Lórd with áwfúll féar; rejoice with obeiſance.*
12 *Kiſs ye the ſón with due ſúbmiſſion, léſt he be ángry',*
And, in his wráth, ye be táken awáy, when a little offénded.
Thóſe who do pút their trúſt in him; oh théy be the háppy'.

Qui tamen verſus, mutatis quibuſdam voculis, (ſenſu manente,) ſi ſimul ſyllabæ aliquot duriuſculæ ita ſcribendo emolliantur, prout (celeriter loquentes) eaſdem ſolemus pronunciando emollire: ſic forte mollius aliquanto fluent.

PSAL. II.

1 *Why' do the héthén rage? an' the péple imágine a vain thing?*
2 *Why' do the kings o' the eárth cómbine, and princes amóng thém,*
This cónſpiring againſt thé Lórd, an' againſt his anointed;
3 *Lét us aſúndér breák their bánds, and cáſt we the córds óff.*
4 *Hé that in hévén ſits, with ſcórn, doth láugh at the fólly'.*
5 *Gód, in his wráth ſhál ſpéak; ánd véx thém ſóre in his ángér.*
6 *Yét have I ſét my anóintéd King (maugr' áll o'poſitión)*
Firmly' ſtated upón my' hóly' móuntain o' Zión.
7 *This I decláre ás firmly decreéd, ánd nót to be áltér'd:*
Thóu, ſayth the Lórd to me, árt my' ſón; I do this da' begét thée.
8 *Ask thou of mée, Il' give thee the héthén wórld to inhérit;*
And, to enjóy as thy ówn, the útmóſt párts o' the whóle earth.
9 *Thém ſhál't 'ou rúle with an irón ród; and bréak 'em a-ſúndér*
(I'f they rebéll) as an éarthén véſſel máde by a póttér.
10 *Thérfore, o kings, I adviſe ye, be wiſe, an' who éver ye bé thát*
Rúle ás júdges on eárth, táke héed to the coúnſell I give yóu.
11 *Sérve ye the Lórd with áwfúll féar; rejóice an' be húmblé.*
12 *Kiſs ye the ſón, with lówly obéiſánce, léaſt he be ángry';*
And, in his wráth, ye be táken awáy, if hé be o'fended.
Théy who do pút their truſt in him; oh théy be the háppy'.

Dixiſſem aliquanto mollius (hexametro decimo) *I do, this day, adopt thee*; niſi quod nollem, hoc loco, filium adoptitium, pro filio nato, ſubſtituere. Quod tamen, cum Davide typo, ſatis conveniret; ſed non item cum Antitypo Chriſto.

Idem, verſu Sapphico, ſic procedet.

PSAL. II.

1 Why' do thé héthén furiouſly ráge? and
Why' do thé péople meditáte a vain thing?
2 Why' do thé kings thát are on éarth unite, and
Princes aſſémble;
Jointly conſpiring thús againſt the Lórd, and
'Gainſt his Anointed; 3 Thé'r uneaſy bánds wee'l
Bréak all inſunder, and thé'r heavy córds wee'l
Cáſt away fróm us.
4 Hé that is ſeated far abóve the hévens
Láughs; the Allmighty' hath 'em in deriſion.
5 Hé ſhal rébuke thém in his wráth, and véx them
Sóre in his ánger.
6 Yét have I' ſeatéd my Anointed ón my
Hóly móunt Zión. 7 The decrée I publiſh;
Thóu art my' ſón, (thús ſaith the Lórd to mée,) I
This da' begót thee.
8 Aſk thou of mée; thén ſhal I fréely give the
Lánds of the héthén to thee tó inhérit;
And, to enjóy thém as thy ówn, the útmoſt
Párts of the whóle éarth.
9 Thóu ſha't thém rúle ás with an iron ród, and
Bréak them inſunder like a potters véſſel.
10 Thérefore bé wiſe nów, o ye kings; and léarnd, ye
Júdges upón th' éarth.
11 Sée that thé Lórd with reverénce ye ſérve; and
I'n your réjoicing be ye méek and húmble.
12 Kiſs ye thé ſón with reverént obeiſance,
Léaſt he be ángry,
And in his wráth yé periſh ón the way, when
His indignátion is a litle kindled.
Théy that in him dó put thé'r ónely truſt, oh
Théy be the happy'.

Ubi non tam elegantias ſectatus ſum, aut terſam poeſin, quam verſionem Anglicanam κατὰ πόδα ſecutus; ut appareat, quam facile ferat Latinos numeros lingua Anglicana. Quodque in his factum eſt, pariter in aliis fiet verſuum generibus.

Sed & ad carminis elegantiam facit, ſi in verſuum locis eminentioribus, (puta in Hemeſtichiorum & Verſuum clauſulis,) locentur voces ſignantiores, ceu tot lumina: ſin negligatur, languidius exibit Carmen. Verum hoc non eſt linguæ noſtræ peculiare, ſed aliam quamvis perinde ſpectat. Atque de Poeſi hactenus.

PRAXIS

PRAXIS
Grammatica.

POST traditam Grammaticam Inſtitutionem, viſum eſt ſubjungere *Praxin Grammaticam*: Brevem quidem; ſed quæ ſufficiat ut verum inde Linguæ genium addiſcas. Atque in eum finem ſelegi explicandas, notiſſimas duas Chriſtianæ Inſtitutionis Periochas; (ut quæ contineant ſenſum omnibus familiarem:) nempe *Orationem Dominicam*, & *Apoſtolicum Symbolum*. Adjunctis Annotationibus, quæ & rem Grammaticam exponant, (indicatis Libri paragraphis in ſubſidium advocandis;) & Linguæ noſtræ cum finitimis (adhibita in eum finem Lexicorum, quæ ad manum erant, ope) cognationem oſtendant: Quorum utrumque, ſaltem Extraneis, & utile futurum & gratum exiſtimavi. Quibus & Praxin Tertiam ſubjungo.

The LORD'S PRAYER
Dominica Oratio.

OUr Father which art in Heaven: Hallowed be thy Name: Thy Kingdome
Noſter Pater qui es in Cœlo: Sanctificatum ſit tuum Nomen: Tuum Regnum
come: Thy Will be done, in Earth, as it is in Heaven: Give us this day
veniat: Tua Voluntas ſit facta, in Terra, ut ea eſt in Cœlo: Dona nobis hoc die
our dayly Bread: And forgive us our Treſpaſſes, as we forgive
noſtrum quotidianum Panem: Et condona nobis noſtras Tranſgreſſiones, ut nos condonamus
them that treſpaſs againſt us: And lead us not into Temptation: But
eis qui tranſgrediuntur contra nos: Et duc nos nequaquam in Tentationem: Sed
deliver us from evil. For thine is the-Kingdome, the-Power, and the-Glory, for ever
libera nos a malo. Nam tuum eſt Regnum, Potentia, & Gloria, pro ſemper
and-ever. Amen.
ſemperque. Amen.

The] Eſt Articulus Demonſtrativus. *pag.* 26. *lin.* 1. Reſpondet Gallorum *le*. Determinat vocem communem, ſeu Individuum Vagum (ut loquuntur) ad ſignificationem determinatam, ſeu Individuum Demonſtrativum. Sic *The Lord*, ſignanter *ille Dominus*: nempe Servator Jeſus Chriſtus.

Lord *Dominus*.] Nomen Subſtantivum: abſque Caſuum diverſitate, *p.* 24. *l.* 44. Contractum videtur ex Anglo-Saxonum *Alaford*, *Loverd*.

Lord's, *Domini*, ſeu *Dominica*.] Finalis *s*, eſt formativa Adjectivi Poſſeſſivi; & reſpondet Latinorum Caſui Genitivo (& quidem hic loci Genitivo Efficientis.) *p.* 28. *l.* 46.

Prayer, *Oratio*, *Precatio*.] Nomen Subſtantivum. Reſpondet Gallorum *priere*, Italorum *preghiera*: Et Verbum *to pray*, eſt Gallis *prier*, Italis *pregare*; Omnia à Latinorum *Precari*.

The Lord's Prayer, *Dominica Precatio*.] Exponi poterit, vel *ipſius Domini precatio*; nempe, ſi Articulus *The* referatur ad vocem *Lord*, (adeoque conjunctis vocibus *the Lord*, accedat *s* formativa Poſſeſſivi, *p.* 29. *l.* 4. *p.* 40. *l.* 28.) vel, *ipſa Domini precatio*; nempe, ſi aggregato *Lord's prayer* præfigi intelligatur articulus *The*; *p.* 28. *l.* 29. Vel denique *ipſa ipſius Domini precatio*, ἡ τοῦ κυρίου δέησις; nempe, ſi intelligatur *The* (utut ſemel poſita) utramque vocem particulatim afficere.

Our,

Our, *Noſter.*] Pronomen Poſſeſſivum, pro perſona prima pluralis numeri. (*p.* 31. *l.* 14.) Eſt *our* (non *ours*) quia Sobſtantivum *Father* exprimitur. (*p.* 31. *l.* 37. *p.* 32. *l.* 7.) Eſtque (ut cætera Adjectiva) abſque Caſuum, vel Generum, vel Numerorum diverſitate, *p.* 28. *l.* 23. Affine eſt Primitivo *Us* : & deſcendit ab Anglo-Saxonico (literis noſtris expreſſo) *Oure*, *ure*, pro quo Saxones recentiores Germani dicunt *Uer* ; quod factum videtur à (noſtro vel Anglo-Saxonum) *we*, quaſi *weer* ; quomodo ab *You* & *They*, formantur *Your*, *Their* ; atque à *She* (abjecto *s*) *Her* ; Nam quod nos *She* dicimus, dixerunt Anglo-Saxones *ſeo*, & *heo* ; & etiamnum, circa agri Oxonienſis & Wiltonenſis confinia, vulgus non raro *hoo* pro *ſhe* proferunt.

Father, *Pater.*] Nomen Subſtantivum, & abſque Caſuum diverſitate. *p.* 24. *l.* 44. Deſcendit à Latinorum *Pater*, ſeu potius Græcorum πατὴρ, ſed mediante Anglo-Saxonum *Fæder*, Danorum *Fader*, Germanorum *Vatter*, Belgarum *Vader*, (quorum *d* ſæpiſſime apud nos tranſit in *th*, & *v* in *f*.) Alludit Danorum *Feder* (quod eſt *Alere*,) unde noſtrum *to Feed*, atque hinc *Food* alimentum, & *Fodder* alimentum maxime brutorum Animalium ; puta Fœnum aliaque quæ hyberno tempore bobus, ovibus, aliiſque hujuſmodi animalibus pro alimento ſuppeditari ſolent. Non autem, (ut plurima à Latinis derivata,) mediante lingua Gallica ad nos devenit ; cum quorum *Pere*, noſtrum *Father*, minus conſonat.

Which, *qui.*] Relativum ; De Rebus pariter & Perſonis dictum. *p.* 32. *l.* 27. Poterat antem (quia de Perſona agitur) non minus *Who* hoc loco dici ; quod Perſonis magis eſt proprium, & quidem nunc dierum frequentius ; (ſed *which* de Rebus.) Hinc factum eſt, quod in Liturgia Anglicana, ubi ante dicebatur *which* de perſonis, ſubſtituitur in ejuſdem nupera recenſione ut plurimum (& fere ſemper) *who* & *whom*, tanquam de perſonis elegantius. Sed in hac Oratione Dominica (jam dudum Vulgo familiari) non tanti viſum eſt ut à recepta olim forma diſcederent. Pro *which* antiquitus dicebant *Whilk*, atque Scoti etiamnum, aut etiam *Quilk* ; Anglo-Saxones *Hwilk*, Dani *Hwilk*, Germani *Welch*, *Welche*, Belgæ *Welk*, *Welke*, Galli *Quel*, *Quelle*, omnia à Latino *Quali* ; ſicut à Quo, *who* ; à Quando, *whan*, *when* ; & forte à Quare, *where* & *where-fore*. Nam pro Latinorum *Qu*, poſuerunt non raro Cambro-Britanni *Chw*, Anglo-Saxones *Hw*, & Nos *Wh*. Pro *who* dixerunt Anglo-Saxones *Hwa* & *Hua* ; Belgæ *Wie* : Et, pro *what* (quid) Anglo-Saxones *Hwæt*, *Hwæs*, Belgæ *wat*, Germani *was*, Dani *Hvad* ; omnia à Latinorum *Quid* vel *Quod*.

Art, *es.*] Secunda perſona ſingularis verbi *Am.* *p.* 35. *l.* 28. Quod verbum, mirum eſt quam ſit in linguis quaſi omnibus (Græca, Latina, modernis, &c.) irregulare ; ejuſque conjugatio quaſi ex variis radicibus compaginata familia. Huc ſpectant, apud Latinos, *Sum*, *es*, *fui*, *eſſe*, *fore*, &c : Apud Anglos, *Am*, *art*, *is*, *are*, *was*, *were*, *bee*, *been*, &c. Atque apud alios non abſimiliter. *Am* eſt ab Anglo-Saxonico *Eom*, quod forte ab εἰμὶ onde & Latinorum *Sum* (præfixo *s*, ut ſæpe, ſpiritus loco :) atque ab *Am* flectuntur *Are*, & *Art*, quod contracte dicitur pro *ar'ſt* (eſt enim *st* terminatio ſecundæ Perſonæ ſingularis. *p.* 33. *l.* 36.) Alludit Belgarum *Aerd*, Germanorum *Art*, Natura, indoles, eſſentia. *Is* noſtrum, & Germanorum ſive *is* ſive *iſt*, videntur ab *eſt* aut ἐςὶ ducta. *Was* & *were* ab Anglo-Saxonico *wæs* dicta ſunt. *Bee*, *been*, & *being*, deſcendunt ab Anglo-Saxonum *Beon*, *beo*, *be*, *Ic bin* ; quibus reſpondent Germanorum *Ich bin*, Belgarum *Ick ben*.

In, *in.*] Præpoſitio. *p.* 27. *l.* 46. A Latinorum *In*, quod à Græcorum ἐν, εἰν, ἐνὶ, deductum. Nos autem, Præpoſitionum ope, id totum agimus quod Latini partim præpoſitionibus, partim Caſuum diverſitate innuunt. *p.* 26. *l.* 28.

Heaven, *Cœlo.*] Nomen Subſtantivum, ab Anglo-Saxonum *Hefen*, *heſon*, *heofen*, quod ipſum ab eorum *heaſian* elevare, attollere : atque hoc ab *heah* altum, unde noſtrum *high*. Sed ab eorum *heaſian*, eſt noſtrum *to heave*, attollere, elevare, in altum tollere : unde participium *heaved* vel (in antiquiori forma) *heaven*, elevatum, elatum. *p.* 38. *l.* 16. *p.* 41. *l.* 28. idemque in nomen adjectivum tranſiens fiet *Altum* ; atque hinc Cœlum denotat, ut quid Altum, elatum, elevatum. Sicut & Hebræorum שמים *Shamaim* h. e. Cœli ; à *Shama*, quod apud Hebræos forte olim, & etiamnum apud Arabes, eſt *Altum eſſe*.

Hallowed, *Sanctificatum.*] Verbum *to Hallow* Sanctificare, conſecrare ; eſt ab *holy* Sanctus, ſeu potius (ut olim dicebant) *haly* ; atque etiamnum *Cœnobium Sanctæ Crucis*, prope Edinburgum Scotiæ, dicitur *Haly-rude houſe*, (nam *Rude*, ſeu *Rood*, eſt Crux ; Et *haly Rood day* eſt Exaltatio Sanctæ Crucis : ſed vox *Rood* jam fere obſolevit, ejuſque loco, à Gallorum *Croix* nunc *Croſſe* dicimus ; Sicut ab Italorum *Croce* dicimus *crutch*, *crook*, *crooked*, &c.) Et Templum Omnium Sanctorum, dici ſolet *All-hallows Church* : & Feſtum Omnium Sanctorum, dicitur *All-Saints-day*, ſed & *All-Hallon-day*, & *All-Hallon-tide*, (nam *tide* olim dicebant, quod nunc *time* dicimus, pro ſtato aliquo tempore.) Noſtrum *Haly*, ſeu *holy*, eſt ab Anglo-Saxonum *halig*, *halga* : pro quo Germani dicunt *heylig*, Belgæ *heyligh*. A verbo *to Hallow* formatur Participium Paſſivum, *hallowed*. *p.* 38. *l.* 16. Cujus quidem Participii ope (una cum Verbo Subſtantivo *to Bee*) nos totam Paſſivam Vocem (ut loquuntur Latinorum Grammatici) exprimere ſolemus. *Sanctificatum fit*, pro *Sanctificetur*. Quod & in modernis linguis pleriſque omnibus jam fit. *p.* 86. *l. ult.* Sed & verbum *to Hallow* jam fere

deſuevit :

deſuevit: pro quo à Gallis ſubſtituimus *to ſanctifie*: & pro *All-hallowes*, dicimus *All-Saints*. Retinetur tamen in Oratione dominica, quoniam eſt ea jam ab antiquo recepta formula: nec etiam plane obſolevit ea vox, utut parcius quam olim uſurpetur.

Be, *ſit*.] Verbi *Am* ea forma quæ Imperando adhiberi ſolet. *p.* 35. *l.* 9, 14. Adeoque & nominativo præponitur. *p.* 36. *l.* 9.

Thy, *tuum*.] Pronomen Poſſeſſivum pro perſona ſecunda numeri ſingularis. *p.* 31. *l.* 15. *p.* 32. *l.* 8. Eſtque *Thy*, non *Thine*, quia nec præcedit vocalem, neque omittitur Subſtantivum. *p.* 31. *l.* 27, 30. Anglo-Saxones dixerunt Đine, Germani *Dein*, Belgæ *Dun*. Reſpondet Primitivo *Thou*, quod Anglo-Saxonibus eſt Đu, Germanis & Belgis *Du*: quæ omnia à Latino *Tu*, vel Dorico τὺ pro σύ.

Name, *Nomen*.] Quod Anglo-Saxones dicunt *Nama*, Germani *name*, *nahm*, *nahme*, Belgæ *naem*, Dani *naffn*, Galli *nom*, Itali *nome*. Omnia à Latinorum *Nomen*: ſeu Græcorum ὄνομα. Poſſet autem hæc ſententia vario ordine diſponi: puta, *Hallowed be thy Name* (ut jam:) vel *Thy name be hallowed*, (ut in proxima clauſula, *Thy will be done*:) vel etiam *Be thy name hallowed*. Quippe omnibus his modis aliquid ſaltem Nominativi poſtponitur Imperandi verbo *Bee*.

Thy, *tua*.] Ut ante.

Will, *Voluntas*.] Subſtantivum à verbo *to will*, volo. (Vel hoc ab illo.) Scribebant olim *wolle* (unde Præteritum *would*, hoc eſt *wolled*; *p.* 34. *l.* 4.) *Will* Voluntas, apud Anglo-Saxones dicebatur *willa*, Danos *Villie*, Germanos & Belgas *wille*, (quomodo & antehac apud Anglos, antequam mos obtinuerit omittendi finalem *e* poſt *ll* geminam.) *To will* velle, apud Anglo-Saxones dicebatur *willan*, Germanos & Belgas *willen*. Sed & apud Anglo-Saxones eſt *wilnian* Deſiderare, & apud Germanos *wollen*. Omnia à Latinorum *volo*, (quod ipſum à βούλομαι.) Nam Latinorum *V* conſona, tranſire ſolet in Anglorum *W*, eodem ſono qui fuerat olim *V* Latinorum, antequam degenerabat in ſonum Æolici Digamma *F*. Ut in via *way*, vinum *wine*, ventus *wind*, venio *wend*, veni *went*, veſpa *waſp*, vado *wade*, vago vacillo *wag waggle*, vallum *wall*, volvo *wallow*, ovis *ewe*, *eowe*, *owe*, verſus *ward*, vaſto *waſt*, veho *weigh*, veha *wain wagon*, vidua *widow*, væ *wea wo*, vellus *wooll*, vermis *worm*, vulnus *woon*, *wound*, vaneſco vanui *wane*, *want*, vaga *wave*, corvus *crow*, caterva *crew*, novus *new*, aliiſque. Quæ antem jam retinent *V* conſonam ſono hodierno prolatam, ſunt poſterius in linguam noſtram aſſumpta, & mediante potius Lingua Gallica quam Teutonica hujuſve dialectis. Adeoque ab eodem Latino *Vaneſco vanui*, deflexa, *to wane* antiquum judicarem atque originis Teutonicæ vel Anglo-Saxonicæ, *to vaniſh* novum dicerem atque originis Gallicæ. Similiter *w[illegible]h*, & *vertue*; utraque à Virtus: *wicked*, *wickedneſſe*, *vice*, *vitious*; à vitioſo, vitio: *w[illegible]* & *vanquiſh* à vinco.

Be, *fit*.] Ut ante.

Done, *facta*.] Rectius ſcriberetur *Do'n* ſeu *Doen*; eſt enim Participium Paſſivum à *Doe*, Facio. *p.* 34. *l.* 14. *p.* 38. *l.* 17. Pro *Doe*, *Done*, habent Anglo-Saxones *Don*, *gedon*; Facio, Factum.

In, *in*] Ut ante.

Earth, *Terra*.] Subſtantivum. Anglo-Saxonibus dicitur *Eard*, *Eord*, *Eorð*; Germanis *Erd*, *Erde*; Belgis *Erd*, *Aerd*, *Aerde*; Danis *Jord*, *Jorden*; omnia forſan à Græcorum ἔρα: niſi quis malit ab Arabum *Arda*, quod eſt ab Hebræorum *Erets*.

As, *ut*, *ſicut*.] Adverbium. *p.* 39. *l.* 47. (Germani & Belgæ dicunt *Als*.) Fortaſſe ab ὡς Græcorum.

It, *ea*, ſeu potius *id*.] Pronomen tertiæ perſonæ numeri ſingularis, ſexus Neutrius. *p.* 31. *l.* 20. Nam de Perſonis Maribus dicimus *He*, de Fœminis *She*, de Rebus *It*: (à Latinorum *Id*.) Anglo-Saxones dixerunt *hit*, *hyt*; Belgæ *het*.

Is, *eſt*.] Vide *Art* ſupra. Dicitur autem *is*, non *be*; quia eſt in ſenſu Indicativo, non Imperativo. *p.* 35. *l.* 28, 34.

In Heaven, *in Cœlo*.] Ut ſupra.

Give, *Da*, *Dona*.] Verbum: ſenſu Imperativo, omiſſo nomine perſonali, pro *Give thou*. *p.* 36. *l.* 15. Anglo-Saxonibus *Gifan*, *Agyfan*, *Geofyan*, eſt *Dare*: (Et quidem Angli olim ſcribebant *Gif*; nam *v* conſona, illo ſono, non niſi ſerius admiſſa eſt:) Germanis *Geben*, Belgis *Gheven*. Hinc dicimus *Gift* (ſeu *guift*. *p.* 17. *l.* 20, 27.) Donum, h. e. Datum, quaſi *giv'd*: (nempe ut à *leave*, fit *left*. *p.* 37. *l.* 42. ſic à *give*, fit *gift*.) Anglo-Saxones *gife*, *gift*, *geof*; Germani *gaba*, Belgæ *gifte*.

Us, *nobis*.] Eſt Pronomen primæ perſonæ numeri pluralis. In recto *we*, in obliquis *Us*. *p.* 31. *l.* 13. *p.* 32. *l.* 7. Anglo-Saxones dicunt *Us*, Germani *Uns*, Belgæ *Ons*. Hic autem *Give us*, elliptice dicitur pro *give to us*. *p.* 27. *l.* 13.

This, *hoc*.] Demonſtrativum. Anglo-Saxones dicunt Đis, Đes, Đeos; Germani *Dieſe*, *Dieſer*. In plurali dicimus *Theſe*, ut Belgæ *Deſe*, Germani *Dieſe*.

Day, *Die*.] Anglo-Saxones *Dæg*, Belgæ *Dagh*, Dani *Dag*, Germani *Tag* dicunt: omnia à Latinorum *Dies*. Dicitur autem *this day* elliptice pro *in this day*; ſicut apud Latinos *hodie*, ſeu *hoc die*, pro *in hoc die*.

Our, *noſtrum.*] Ut ante.

Dayly, *quotidianum,* ſeu *diurnum.*] Adjectivum à Subſtantivo *Day* formatum. Significat autem vel *quod quotidie adſit,* vel *quod in unum diem ſufficiat,* aut *debeatur,* ſeu *deſtinetur*; utroque ſcilicet ſenſu paſſim nſurpatur. *p.* 42. *l.* 52.

Bread, *panem.*] Subſtantivum. Anglo-Saxones *Breod,* Germani *Brodt,* Belgæ *Broodt,* Dani *Brod.*

And, *Et.*] Conjunctio copulativa. *p.* 40. *l.* 2. Anglo-Saxones *And,* Belgæ *Ende,* Germani *Unde* dicunt.

Forgive, *Condona.*] Verbum; ſenſu Imperativo. *For,* in compoſitione, negationem ſeu ablationem innuit; ut *Bear* fero, *forbear* differo, abſtineo: *Bid* jubeo, *forbid* veto, jubeo ne: *Get* acquiro, *forget* obliviſcor: *Goe* eo, *forgoe* deſero, derelinquo: *Seek* quæro, *forſake* deſero, quærere deſiſto: *Swear* juro, *forſwear* dejero, vel etiam pejero: ſic *Give* do, dono, *forgive* condono, remitto; quippe qui debitum ſeu culpam remittit, delet. Anglo-Saxones *forgefan,* Germani *Vergeben,* Belgæ *Vergheven* dicunt.

Us, *nobis.*] Ut ante.

Our, *noſtras.*] Ut ante.

Treſpaſſes, *tranſgreſſiones.*] Vox Gallica, à *tres* hoc eſt trans, & *paſſe* paſſus. Litera *s* ultima eſt formativa numeri pluralis. *p.* 25. *l.* 6. Fit autem hac formatione, à Diſſyllabo, Triſſyllabum; quia niſi intercederet vocalis *e* ſonus, litera poſtrema præcedentibus ſubjuncta, non audiretur. Magis Anglicum eſt *wrong,* pro quo jam à Gallis mutuamur *Treſpaſs.*

As, *ut, ſicut.*] Ut ſupra.

We, *nos.*] Prouomen primæ perſonæ numeri pluralis, in ſenſu recto. *p.* 31. *l.* 13. *p.* 32. *l.* 7. Anglo-Saxones *we, wit*; Belgæ *wii*; Germani *wir*; Dani *Wi* dicunt. Vide ſupra *Our,* & *Us.*

Forgive, *condonamus.*] Ut ſupra. Mutatio perſonæ & temporis non variat terminationem. *p.* 33. *l.* 32.

Them, *eis, illis.*] Pronomen tertiæ perſonæ numeri pluralis, *They*; in obliquis *Them,* olim *Theim. p.* 31. *l.* 22. *p.* 32. *l.* 13. Pro *they,* dicunt Anglo-Saxones *Hi,* (forte à Latinorum *hi* vel *ii,*) Germani *Sie.* Pro *them,* Anglo-Saxones dicebant *heom,* Belgæ *hem, hen,* (& quidem nos non raro, loquendo ſaltem ſi non & ſcribendo, dicimus *'em* ſeu *'um* pro *them* :) Germani *Dem.* Pro Poſſeſſivo *their,* (ſuus, vel eorum) Anglo-Saxones dicebant *heora.* Dicitur hic *Them* Elliptice pro *to them. p.* 27. *l.* 13.

That, *qui.*] Relativum, pro *which* vel *who* poſitum. *p.* 32. *l.* 37.

Treſpaſs, *tranſgrediuntur.*] Verbum. Factum ex nomine *treſpaſs,* (quod vide ſupra.) *p.* 41. *l.* 5.

Againſt, *contra.*] Præpoſitio. *p.* 27. *l.* 44. Anglo-Saxones *Agen, Ongen,* Belgæ *Tegen,* Germani *Gegen, Entgegen.*

Us, *nos.*] Ut ante.

And, *Et.*] Ut ſupra.

Lead, *duc.*] Verbum, ſenſu imperativo; ſuppreſſo nominativo, ut fieri ſolet. *p.* 36. *l.* 15. Apud Anglo-Saxones, *Leedan, aleedan*; Belgas, *leyden, leeden*; Germanos, *leyten*; Danos *Leder,* eſt ducere.

Us, *nos.*] Ut ante.

Not, *non, nequaquam.*] Adverbinm negandi. Belgis *Niet,* Germanis *Nicht.* Ubi abſolute ponitur, dicimus *No,* quæ eſt negandi particula; ubi verbo vel nomini &c. jungitur, dicimus *Not. p.* 39. *l.* 25. Verbo *Lead* poſtponitur, ut alibi ſolet. *p.* 36. *l.* 36.

Into, *in.*] Pro Latinorum *In* cum ablativo dicimus *in*; pro eodem cum accuſativo, dicimus *into. p.* 27. *l.* 46, 50. ab Anglo-Saxonum *into.*

Temptation, tentation, *tentationem.*] A Latinorum *tentatio*; atque hoc à Tento *to tempt.* Magis Anglicum eſt *to Try,* pro quo (à Gallorum *tenter*) ſubſtituimus *to tempt*; inſerto *p* Euphonico, ut in Latinorum *emptus, ſumptus, comptus, demptus, promptus.*

But, *ſed.*] Conjunctio. Eſt & *but* niſi. Ab Anglo-Saxonum *Bute, buton. p.* 40. *l.* 3, 5.

Deliver, *libera.*] A Gallorum *delivrer,* quaſi à Latino *de-liberare.* Magis Anglice diceretur *Free.*

Us, *nos.*] Ut ante.

From, *à, ab.*] Præpoſitio. *p.* 27. *l.* 10. Olim etiam *fro* dicebatur; unde *fro-ward,* averſus; & etiamnum *to and fro,* huc illuc; ad verbum, *ad & ab.* Anglo-Saxones *Fram, Fra*; Dani *Fra* dicunt.

Evil, *malo.*] Adjectivum eſt, ſed hic ponitur abſolute inſtar Subſtantivi. *p.* 30. *l.* 20. Anglo-Saxones *Efel, yfel*; Belgæ *Evel*; Germani *Ubel* dicunt.

For, *nam.*] Conjunctio cauſalis. *p.* 40. *l.* 3. Eſt & *For* (pro) præpoſitio; *p.* 27. *l.* 18. Anglo-Saxones *For,* Germani *Fur,* quibus affine eſt Gallorum *pour*: omnia à Latinorum *pro* varie detorta. Ipſaque cauſalis Conjunctio ab hac Præpoſitione videtur deſcendiſſe.

Thine, *Tuum.*] Vide *Thy* ſupra. Dicitur hic *Thine,* non *Thy,* propter Ellipſin Subſtantivi. *p.* 31. *l.* 16, 28. Ordo Syntaxeos eſt, *The Kingdome is Thine,* (Regnum eſt tuum;)

ſed

ſed invertitur verborum ordo: poſtpoſito Nominativo, ſeu propoſitionis Subjecto, eo potiſſimum ut cum reliquis *the power and the Glory* aptius cohæreat. Sed & *Thine is the Kingdome* perinde eſt atque *Thou haſt the Kingdome*, tu habes Regimen ſeu Regnum, puta abſolutum.

Is, *eſt.*] ut ſupra.

The.] ut ſupra: Articulus demonſtrativus, quo ab Individuo vago (ut loquuntur) fit Individuum Demonſtrativum. Atque hic *The Kingdome* eſt, Regnum κατ' ἐξοχὴν ſeu Abſolutum dominium.

Kingdome, *Regnum.*] *King* eſt Rex; Anglo-Saxones *Cyng*, *Cyning*, *Cynig*; Dani *Konning*; Belgæ *Koningh*; Germani *König*, dicunt. Derivatum dicas vel à *Ken* ſcire, vel à *Can* poſſe. Illud Anglo-Saxones dixerunt *Cennan*, *connan*, *cunnan*; Germani *Konnen*; nos etiamnum *Ken* dicimus ſed rarius, (Scoti multo frequentius;) atque inde *Cunning*, pro *perito*, & *peritia* dicimus. Sed & *to Con*, ſedulo Ediſcere: Item *Ale-Conner* pro *cognitore Cerviſiæ*. Eſtque *to Con* à γνῶ cognoſco; & *Conner*, eſt *Cognitor*; ut *Connuſance* pro *Cogniſance* Recognitio, (quaſi *Cognoſcentia.*) Iſtud, *Can* poſſe, in frequentiſſimo eſt apud nos uſu; pro quo Belgæ *Konnen*, Germani *Können* dicunt; *ich Kan* poſſum, (neſcio an à Græco ἱκανῶς.) Utraque autem Regi opus eſt, Prudentia & Potentia. Ex *King* Rex, addita terminatione *dom* fit *Kingdom* Regnum. *p.* 44. *l.* 22. (innuitque nunc Regimen ſeu ſtatum Regium, nunc Regni territorium.) Anglo-Saxones *Cyncdome*, Belgæ *Koninckdom*, Germani *Konigreich*, eodem ſignificatu dicunt.

The.] Ut prius.

Power, *Potentia*, *Poteſtas.*] A Gallorum *Pouvoir* poſſe. Magis Anglicum eſt *ſtrength*, ſtrenuitas, vis, robur.

And the.] Ut prius.

Glory, *Gloria.*] A Gallorum *Gloire* gloria.

For ever and ever, *pro ſemper & ſemper.*] Solemnis formula pro eo quod Latine dicitur *in ſecula ſeculorum.*

For, *Pro.*] Præpoſitio. *p.* 27. *l.* 18.

Ever, *ſemper.*] Origine eſt Adverbium temporis. *p.* 98. *l.* 12. Sed hic inſtar nominis uſurpatur, pro *Duratione ſempiterna*: ab Ævo dictum putaverim, ut *Ay* & *Age* ab Αἰών.

Amen.] Orationum Epilogus; origine Hebraicus, ſed omnibus fere linguis Communis.

The APOSTLE'S CREED.
Apoſtolicum Symbolum.

I Believe in God the Father All-mighty, Maker of Heaven and Earth. And in
Ego credo in Deum Patrem Omnipotentem, Factorem Cæli & Terræ. Et in

Jeſus Chriſt his onely Sonne our Lord: Who was conceived by the Holy
Jeſum Chriſtum ejus unicum Filium noſtrum Dominum: Qui erat conceptus per Sanctum

Ghoſt, Born of the Virgin Mary, Suffered under Pontius Pilate, Was crucified,
Spiritum, Natus ex Virgine Maria, Patiebatur ſub Pontio Pilato, Erat crucifixus;

dead and buryed, He deſcended into Hell: The third day he roſe again from
mortuus & ſepultus, Ille deſcendebat in Infernum: Tertio die ille ſurgebat iterum à

the dead, He aſcended into Heaven, And ſitteth on the right hand of God the Father
mortuis, Ille aſcendebat in Cælum, & ſedet ad dextram manum Dei Patris

Allmighty; From thence he ſhall come to judge the quick and the dead. I believe in
Omnipotentis; Ab inde ille veniet judicare vivos & mortuos. Ego credo in

the Holy Ghoſt; The holy Catholick Church; the Communion of Saints; The Forgiveneſs of Sins; The Reſurrection of the Body; And the Life everlaſting. Amen.
Sanctum Spiritum; Sanctam Catholicam Eccleſiam; Communionem Sanctorum; Condonationem Peccatorum; Reſurrectionem Corporis; Et vitam ſempiternam. Amen.

The.] Articulus Demonſtrativus; adjunctus Subſtantivo *Apoſtles*: aut ipſi aggregato *Apoſtle's Creed.* *p.* 26. *l.* 1. *p.* 28. *l.* 46. *p.* 29. *l.* 4.

Apoſtle's, *Apoſtolicum.*] *Apoſtle* Apoſtolus, eſt Subſtantivum; à Latinorum *Apoſtolus*, Græcorum ἀπόστολος. Per *s* formativum Pluralis numeri fit *Apoſtles*; Et præfixo Articulo Demonſtrativo, *The Apoſtles*, quod Galli dicerent *les Apoſtres*, οἱ ἀπόστολοι, quaſi *Illi Apoſtoli*, per eminentiam dicti. Atque per alterum *s* formativum poſſeſſivi, eſſet quidem *The-Apoſtles's*, ſed propter Cacophoniam duorum *s*, prius eliditur, fitque *The Apoſtle's* Apoſtolicum,

ſeu Apoſtolorum : Totumque *The Apoſtle's* (Apoſtolicum) eſt Adjectivum, Subſtantivo *Creed* conjunctum : Diciturque Apoſtolicum, vel quaſi ab ipſis Apoſtolis conſcriptum (quod volunt aliqui) vel ſaltem ut Apoſtolicæ doctrinæ conſonum, ejuſque quaſi breve compendium.

Creed, *Symbolum.*] Seu potius *Credendum*, ſeu Credendorum compendium, Factum à Latino verbo initiali *Credo*

I, *Ego.*] Pronomen primæ perſonæ numeri ſingularis. *p.*31. *l.* 12. Anglo-ſax. *Ic*, Belg. *Ich*, Germ. *Ick.* Omnia ab *Ego*, ſeu ἐγώ.

Believe, Beleeve, *Credo.*] *Credere* dicunt Anglo-Saxones *Geleafan*, Belgæ *Ghelooven*, Germani *Glauben.* Et *Fidem* Anglo-Saxones *Geleafa*, Belgæ *Gheloove*, Germani *Glaub*, Nos *Belief*, dicimus. *Be* eſt particula præpoſitiva, in Verbis & Participiis frequens, ut in aliis dialectis *Ge*, *Ghe* : Reliquum vocis deducas vel ab Anglo-Saxonum *Lyfan*, concedere, permittere, (unde noſtrum *Leave* venia,) vel ab Anglo-Saxonum *Lufian* Amare (unde noſtrum *Love* Amo,) Belgis *Lieven*, Germanis *Lieben.*

In God, *in Deum.*] Vel *on God*, eodem ſenſu. (Ubi *God* eſt nomen Subſtantivum : *in* vel *on*, Præpoſitio. *p.* 27. *l.* 8, 46. Deum (ut nos) Anglo-Saxones vocant *God*, Dani *Gud*, Belgæ *Goed*, Germani *Gott* : quod dictum volunt à Germanorum *Gutt* Bonus, quod nos *Good* vocamus. Certe *God* & *Good* voces affines merito dixeris: *Deumque* ſumme *Bonum* merito agnoſcimus.

The Father, *Patrem*, ſeu *Patrem illum.*] Anglo-Saxones *Fæder*, Dani *Fader*, Belgæ *Vader*, Germani *Vatter*, eodem ſenſu dicunt. A Lat. & Græc. *Pater* πατήρ. Unde etiam Italorum *Padre* & Gallorum *Pere.* Vide *Father* ſupra.

All-mighty, *Omnipotentem.*] Compoſitum. *All* eſt *Omnis*, *omnia.* Anglo-Saxones *Æl*, *Eal*, *Ealle*, *Alle*, Dani *Oll*, Belgæ *Al*, Germani *All*, dicunt : Quæ à Græcorum ὅλος totus, deſcendiſſe videntur. *Mighty* eſt Potens, quod, per *y* formativum Adjectivi Plenitudinis, fit à *Might* potentia. *p.* 41. *l.* 36. atque hoc à *May* poſſum; quod Anglo-Saxones dixerunt *Mæg*, Belgæ *Mach*, Germani *Mag* , poſſum. Item Anglo-Saxones *Mihte*, *Mæht*, *Meaht*, Germani & Belgæ *Macht*, Dani *Mact*, Nos *Might*, Potentia. Item Belgæ *Machtigh*, Germani *Machtig*, Nos *Mighty*, Potens. Atque tandem Belgæ *Almachtich*, Germani *Allmachtig*, Dani *Allmectig*, Nos *All-mighty*, Omnipotens.

Maker, *Factorem.*] A Verbo *to Make* facere, fit Verbale *Maker*, addita terminatione formativa *er*. *p.* 41. *l.* 21. Anglo-Saxones *Macan*, Belgæ *Maecken*, *Maken*, Germani *Machen*, Dani *Mager* dicunt (quaſi à Machinari) quod nos *to Make* Facere.

Of.] Præpoſitio, idem innuens quod Latinorum Caſus Genitivus, aut Gallorum Præpoſitio *De*. *p.* 26. *l.* 50. Sed Anglo-Saxonum *Of* eſt Noſtrum *Off*, Belgarum *Af*, forte à Latinorum *Ab*, idque à Græcorum ἀπὸ, atque tantundem fere ſignificat.

Heaven and Earth, *Cœli & Terræ.*] Ut ſupra.

And in, *Et in.*] Ut ante.

Jeſus Chriſt, *Jeſum Chriſtum.*] Nomina propria.

His, *ſuum.*] Contractum ex *Hee's*, quod per *s* formativum Poſſeſſivi fit ab *Hee* Ille ; quod eſt pronomen tertiæ perſonæ ſingularis, ſexus Maſculini. *p.* 31. *l.* 19. *p.* 32. *l.* 10. Anglo-Saxones dicunt *Hyſe*, *Hiſe*, *His*, Belgæ *Hy*, Ille ; (forte à Latinorum *Is.*)

Onely, *Unicum.*] *One* eſt Unus, quod Anglo-Saxones *An*, *Æne*, Belgæ *Een*, Germani *Ein*, Scoti etiamnum *ean*, & *ane.* Omnia à Latinorum *Unus* ſeu Græcorum εἷς ἕν. Ab *One* dicimus *Once* ſemel, una vice. *p.* 39. *l.* 27. Et *Onely* Unicus, quaſi ἑνικὸς ſingularis, ſolus ; item (Adverbialiter) ſolum. *p.* 42. *l.* 52. *p.* 43. *l.* 1. quod Anglo-Saxones dixerunt *Ænlic*, *Anlic*. Item *Any* (*Eany*) ullus, *p.* 41. *l.* 36. quod Anglo-Saxones dicunt *Ænig*. Sed & inde eſt Articulus Numeralis *An*, *a*, *p.* 25. *l.* 45. pro quo Galli *un* dicunt. Apud nos *An* & *One*, eo differunt quod *An* eſt minus Emphaticum. *ibid.*

Son, Sonne, *Filium.*] Anglo-Saxones *Suna*, Belgæ *Sone*, Germani *Sohn*, Dani *Son* , eodem ſenſu dicunt.

Our, *Noſtrum.*] Ut ſupra.

Lord, *Dominum.*] Contractum ab Anglo-Saxonum *Hlaford* eodem ſenſu. Quod dictum volunt à *Hlaf* Panis (unde noſtrum *Loaf*,) & *ford* quod jam dicimus *afford*, porrigo, ſuppedito : (quod forte dictum ſit à *porto*, *apporto*, πορίζω) ut qui Clientes ſuos alat.

Who, *Qui.*] Vel *Which* ; (illud de ſolis Perſonis dicitur, hoc tam de Rebus quam Perſonis. *p.* 32. *l.* 27.) vide *which* ſupra.

Was, *Erat.*] Vide *Art* & *Be*, ſupra,

Conceived, *Conceptus.*] *Conceive* concipio, eſt Latinæ Originis (mediante lingua Gallica ;) unde, per terminationem formativam *ed* fit Participium Paſſivum. *p.* 33. *l.* 22. *p.* 41. *l.* 28.

By, *Per.*] Præpoſitio Efficientem innuens. Sed & ſignificat Juxta, Præter. *p.* 27. *l.* 22. Anglo-Saxones *Bi*, *Bigi*; Germani *Bey*, Belgæ *By* dicunt.

The Holy Ghoſt, *Sanctum Spiritum.*] *The* eſt articulus demonſtrativus, ut ſupra. *Holy* Sanctus, vide *Hallow* ſupra. *Ghoſt* eſt Spiritus, quod tamen fere deſuevit, atque ipſius loco à Latinis (mediantibus Gallis) adſumpſimus, *Spirit.* Retinetur tamen, ab antiqua conſuetudine, præſer-

tim

tim in *Spiritus Sancti* appellatione, vox antiqua *Ghoſt*; ne forte ex innovato nomine putaret vulgus etiam doctrinam mutari. Sed & etiam dicimus *the Holy Spirit*. Eſt autem *Ghoſt* ab Anglo-Saxonum *Gaſt*, quod Belgæ *Gheeſt*, Germani *Geyſt* eodem ſenſu vocant. Affinis eſt vox *Guſt* Flatus venti violentior. Dici autem nunc conſuevit *Ghoſt* potiſſimum pro Larva ſeu ſpectro. Putabatur enim (atque etiam à nonnullis putatur) Larvas ſeu ſpectra Lemureſve ſæpius conſpici, præſertim juxta Templa & Sepulcreta; eſſeque mortuorum Animas ſeu Spiritus palantes; præſertim qui ab homicidis mactati fuerant, aut Theſauros abſconderant nondum repertos. A ſubſtantivo *Ghoſt*, adjecta terminatione formativa *ly*, fit Adjectivum *Ghoſtly* Spiritualis. *p.* 42. *l.* 52. pro quo tamen fere obſoleto frequentius dicitur *Spiritual* (à voce Gallica Latinæ originis.) Sed & *Gaſtly* Terribilis, quaſi ſpectri inſtar; aut etiam Cadaveroſus. Dici enim ſolet potiſſimum Vultus Cadaveris humani, *a Gaſtly look*; ſed etiam de vultu jam moribundi; quem Cadaveroſum dicas ſeu Cadaveris inſtar. Item *A-gaſt* Territus, Attonitus, tanquam ad conſpectum Spectri: cui etiam affine eſt *to Gaze*, intente tueri, tanquam ad inſolitum quid, & inuſitatum.

Born, *Natus.*] *To bear* Pario, videtur Latinæ originis, (Anglo-Saxonibus *Beran*, *Beoran*, Belgis *Baeren*, Germanis *Gebohren*, *Gebahren*,) Præteritum habet *Bare* & *Bore*; unde Participium Paſſivum *Boren* (natus, partu editus,) contracte *Bor'n*, *Born*; (Anglo-Saxonibus *Boren*, Belgis *Gebooren*;) *p.* 38. *l.* 16. *p.* 39. *l.* 5. Item *Bearn*, *Barn*, filius, proles, (vox Scotis & Septentrionalibus Anglis communis:) Et nomen Verbale *Birth* (quaſi *Bear'th*, factum à Verbo *Bear* per terminationem formativam *th*, *p.* 44. *l.* 3.) Partus, Nativitas; (Anglo-Saxonibus *Bearth*, *Gebyrde*; Germanis *Burt*, *Geburt*, *Geburht*; Belgis *Gheboorte.*) Vox huic affinis eſt *to Breed*, Fovere, Alere, Educare; (dicitur tum de Prægnatione, ut *a Breeding woman* mulier prægnans; tum de Educatione, ut Educare *to Breed-up*, Educatio *Breeding*;) atque hinc *Breed* Progenies, & (contemptim loquentibus.) *Bratt* puer ſeu proles vilis; Item *Brood* juncta progenies; ut *a Brood of Chicken*, pulli quos Gallina uno incubatu producit; & *to Brood* Incubare, fovere, (Anglo-Saxonibus *Bredan*, Germanis *Brüten*, *Brüteln*, Belgis *Broeden*, *Brueden.*) Eſt autem alterius originis *to Bear* Ferre (à fero φέρω dictum;) Sed & huic non infeliciter alludit, nam in utero Ferre ſeu Geſtare, eſt Partui proximum; & ipſum *Parere*, dicimus tum *to Bear* tum *to Bring-forth*; atque *Educare* dicimus tum *to Breed* tum *to Bring-up*: Eſt autem *to Bring* idem fere atque *to Bear*.

Of, *Ex.*] Præpoſitio. *p.* 26. *l.* 50. *p.* 27. *l.* 4.

The Virgin, *Virgine.*] Latinæ Originis, ut Gallorum *Vierge*. Magis Anglice diceretur *Mayd*, *Maid*, *Maiden*, Anglo-Saxonibus *Mæden*, *Mægden*; Belgis *Maecht*, *Maeght*, *Maeghd*, Germanis *Magd*.

Mary, *Maria.*] Nomen proprium.

Suffered, *Paſſus eſt*, *Sufferebat.*] Latinæ originis. A *Suffero* fit *ſuffer*; unde (addita terminatione formativa *ed*,) Præteritum *ſuffered*. *p.* 33. *l.* 20. Magis Anglicum eſſet *Bear* fero, *bare* ferebat.

Under, *Sub.*] Præpoſitio, *ſub*, *ſubter*, *infra*. *p.* 27. *l.* 46. Anglo-Sax. *Under*, Belgis *Onder*, Germanis *Under*, *Unter*, *Unten*; cui opponitur *Over*, hoc eſt, *ſuper*, *ſupra*.

Pontius Pilate, *Pontio Pilato.*] Nomina propria.

Was, *Erat.*] Ut ſupra.

Crucified, *Crucifixus.*] *Crucify* eſt Crucifigo, Latinæ Originis, ut Gallorum *Crucifier*. *Crucified* eſt participium paſſivum, per formativum *ed*. *p.* 33. *l.* 22.

Dead, *Mortuus.*] *Dy* eſt Mori, unde nomen *Dead* Mortuus, & *Death* Mors. *p.* 43. *l. ult.* (atque ita etiam Anglo-Saxones.) Belgis *Dood*, Danis *Død*, Germanis *Tod*, *Todt*. Non minus Anglice hic diceretur *Died* moriebatur, niſi quod placuerit *was* [illegible] præfigere tribus vocibus, *was crucified, dead, and buried.* potius quam *was crucified, died, and was buried.*

And, *Et.*] Ut ſupra.

Buryed, *Sepultus.*] *To Bury* eſt Sepelire, unde participium paſſivum *Buried* ſepultus. *p.* 33. *l.* 22. Anglo-Saxones *Birian*, *Byrigean*, *Byrigan*, *Bebyrgean*, *Bebyrigian*, Sepelire, & *Byrged* ſepultus. Dici volunt à *Beorg* tumulus, acervus, cui affine eſt Germanorum *Berg* mons. Sed Belgæ *Begraven*, Germani *Begraben*, à *graf*, *grab* ſepulcrum; quod nos *Grave* dicimus; Anglo-Saxones *Græf*, *Græfe*, ſed & *Slæpigræva*, quaſi Dormitoriam foſſam.

He, *Ille.*] Vide *His* ſupra.

Deſcended, *Deſcendebat.*] Præteritum verbi *Deſcend* Deſcendo, Latinæ originis; (*p.* 33. *l.* 20.) pro quo magis Anglice diceretur *Goe down* Eo deorſum, quod in Præterito eſt *went down*. (Ab antiquo *Wend.*) *p.* 39. *l.* 17.

Into, *In.*] Reſpondet Latinorum Præpoſitioni *In* cum Accuſativo; quaſi *ad-in*. Nam *In* eſt In, & *To* eſt Ad. *p.* 27. *l. pen.*

Hell, *Infernum.*] Anglo-Saxones *Helle*, Belgæ & Germani *Hell Helle* dicunt. Dici videntur, vel ab Anglo-Saxonum *Helan* Tegere, quod nos etiam dicimus *to Heale*; vel ab eorum *Hol*, *Hole*, *Hule*, Belgarum & Germanorum *Hol*, quod eſt noſtrum *Hole*, Cavitas, Foramen: Reſpondet Hebræorum *Sheol*, Græcorum ᾅδης. Quæ tam de *Sepulchro* dicuntur,

 quam

quam de *Gehenna* ſeu Damnatorum loco: ſeu potius indefinite de *Statu mortuorum*, quod hic videtur intellectum.

The.] ut ſupra.

Third, *Tertio.*] *Three* eſt Tria, *Third* Tertius, *Thrice* ter, tribus vicibus. Anglo-Saxones *Ðrie*, *Ðreo*, Tria; *Ðridda*, Tertius: Belgæ *Drie*, *Dry*, Tria; *Derde*, *Dryde*, Tertius: Germani *Trey*, *Drey*, Tria; *Dritta*, *Tritte*, *Dritt*, Tertius: Omnia Latinæ ſeu mavis Græcæ originis.

Day, *Die.*] Anglo-Saxones *Dæg*, Belgæ *Dagh*, Dani *Dag*, Germani *Tag* dicunt. Dicitur autem hic, *the third day*, elliptice pro *in the third day*, vel *on the third day*, in die tertio.

He, *Ille.*] Ut ante.

Roſe, *Surgebat.*] Præteritum Verbi *to Riſe*. *p.* 38: *l.* 55, 58. *To Riſe* vel *Ariſe* eſt Anglo-Saxonibus *Ariſan*, Belgis *Riiſen*, Surgere: quibus conſentit Italorum *Rizzar-ſi*, *Drizzar-ſi*, quaſi Rectare vel Directare ſe, i. e. Erigere. Germani vero eodem ſenſu dicunt *Auff-ſteben*, & Belgæ item *Opſlaen*, quod nobis eſt *up-ſtand* ſeu *ſtand up*, ſto ſurſum. Verbo *to Riſe* Surgo, affine eſt *to Raiſe* Erigo, ſeu ſurgere facio: ut *Sit* ſedeo, & *Set* ſiſto, ſedere facio.

Again, *Iterum.*] Anglo-Saxones *Agen*. Quod autem Latini junctum *Reſurgo*, nos dicimus diviſim *Riſe-again*.

From, *A, ab.*] Ut ſupra.

The Dead, *Mortuus.*] Ut prius.

He, *Ille.*] Ut ante.

Aſcended, *Aſcendebat.*] Præteritum Verbi *Aſcend* Aſcendo, Latinæ originis. Magis Anglice diceretur *He went up*, Ibat ſurſum. Terminatio *ed*, eſt formativa Præteriti. *p.* 33. *l.* 20.

Into, *In.*] Ut modo.

Heaven, *Cælum.* [Ut ſupra.

And, *Et.*] Ut ſupra ſæpius.

Sitteth, *Sedet.*] *To ſit* ſedere, Anglo-Saxones *Sittan*, Belgæ *Sitten*, Germani *Sitzen*: omnia à Latinorum *Sedeo*, ſeu Græcorum ἕζω unde ipſum *Sedeo*. Græcorum ἕζω, ἵζω, ſunt nobis *to Sit*, *to Set*. Terminatio *eth* eſt formativa Tertiæ perſonæ Singularis, temporis Præſentis. *p.* 33. *l.* 36.

On, vel At, *Apud.*] Præpoſitio. *p.* 27. *l.* 8. *p.* 28. *l.* 2. *On* proprie eſt *Super*, ſed hic adhibetur pro *At* apud, juxta. Atque promiſcue dicimus *At the right hand*, et *on the right hand*, atque ſimiliter in aliis locutionibus aliquoties. Anglo-Saxones *on*, eodem ſenſu dicunt; ſed & eo ſenſu quo nos *Un*, quod in compoſitis Negationem innuit; *p.* 42. *l.* 15. atque videtur à Latinorum *In* deſcendere. Belgæ, *Aen*, *An*, Germani *An* dicunt, quod nos *On*. Præpoſitio *At*, Anglo-Saxonibus *At*, eſt Ad, Apud, Juxta: atque ab *Ad* dictum videtur.

The Right hand, *Dextram manum.*] *Right*, Anglo-Saxonibus *Riht*, Belgis & Germanis *Recht*, & Latinis *Rectus*; atque ab hoc deſcendunt illa, ut & Italorum *Ritto* & Gallorum *Droit* ſeu *Droict* quaſi *Directum*. Dextram manum dicimus *the Right hand* quaſi Potiorem; & Siniſtram *the Left hand*, quaſi Reliquam ſeu relictam; nam *to leave* eſt relinquere & *Left* (contractum ex *Leaved*) relictum. *p.* 37. *l.* 43. Habet autem *Right* varia ſignificata prout variis opponitur; ut *Right and Left*, Dextra & Siniſtra; *Right and Crooked*, Recta & Curva; *Right and Sloping* ſeu *Leaning*, Erectum, & obliquum, Inclinatum ſeu Scalenum; *Right and Wrong*, Verum & Falſum, Juſtum & Injuſtum, Jus & Injuria; *Right and Amiſſe*, Recte & Perperam. *Hand* eſt manus; Anglo-Saxonibus *Hand*, Danis *Haand*, Belgis *Hant*, *hand*, Germanis *Hand*, *Handt*. Neſcio an olim fuerit *Gandt* unde Gallorum *Gant* & *Gantlet* Chirotheca. Id certe vult Goropius Becanus dum Græcorum γάντα vult eſſe Germanicæ originis, quaſi *Gi-gant* ſeu *wi-gant*, hoc eſt *wide-hand*, Latimanus. Nos *Giant* dicimus.

Of God the Father Allmighty, *Dei Patris Omnipotentis.*] Omnia ut ante.

From thence, *Ab inde.*] *From* Ab, (ut ante.) *Thence* eſt Adverbium loci. *p.* 39. *l.* 42. *In* loco ſignificantia ſunt *Here*, *There*, *Where*, hic, illic, ubi: *Ad* locum, *Hither*, *Thither*, *Whither*, Huc, illuc, quo: *A* loco, *Hence*, *Thence*, *Whence*, Hinc, inde, unde; pro quibus alicubi dicunt *Herence*, *Therence*, *Wherence*. *Here*, vel *heer* eſt Anglo-Saxonibus *Hær*, *her*, *here*, Belgis *Her*, *hier*, Germanis *Hie*, *hieher*, *hier*, *hic*, *heic*, Danis *Her*. *Hither* eſt Anglo-Saxonibus *Hider*, Belgis & Germanis *tot hier*, *hieher*. *Hence* Anglo-Saxonibus *Heonan*, *Heonon*, Germ. *von hinnen*. *There* Anglo-Saxonibus *Ðer*, *Ðar*, Belgis *Daer*, Germanis *Da*, *Der*, Danis *Der*. *Thither* Anglo-Saxonibus *Ðider*, *Ðyder*, Belgis *Daer*, Germanis *Darhin*. *Thence*, Belgis *Darvon*. *Where*, Anglo-Saxonibus *Hwær*, Belgis *war*, Danis *Hver*, *Hvor*, Germanis *Wo*. *Whither*, Anglo-Saxonibus *Wider*, Belgis *Waerhen*, Germanis *Wohin*. *Whence*, Belgis *Van waer*, Germanis *Von Wannen*.

He ſhall come, *Ille veniet.*] *He* ille (ut ante.) *Shall* eſt Verbum Auxiliare, Tempus Futurum deſignans. *p.* 34. *l.* 19. *To Come* venire, eſt Anglo-Saxonibus *Coman*, *Cyman*, Belgis *Komen*, Germanis *Kommen*. Vox *Come* utut hic ſit poſterius duorum verborum, quod Latini ſolent per Modum Infinitivum exprimere, quodque Dani innuere ſolent per terminationem *er*, Anglo-Saxones per *an*, Belgæ Germanique per *en*, Anglique alibi per præfixam

particulam

particulam *to.* *p.* 33. *l.* 28. poſt verba tamen auxiliaria (aliaque aliquot horum æmula) omitti ſolet hæc particula. *p.* 34. *l.* 3, 7.

To judge, *judicare, ad judicandum*] Eſt poſterius duorum Verborum, adeoque habet particulam *to* præfixam. *p.* 33. *l.* 28. Vel etiam, hoc loco, & ſimilibus, (ubi cauſa finalis innuitur,) non incommode dicas *To* referre præpoſitionem *Ad.* *p.* 27. *l.* 12. ut ſit, *to Judge*, Ad judicandum. Sunt autem *a Judge* Judex, *to Judge* Judicare, *Judgement* Judicium, (ſicut Gallorum *Juge, Juger, Jugement*,) Latinæ originis. Magis Anglicum eſt *Deem*, judico, ſentio ; & *Doom* ſeu *Dome* , judico, cenſeo, ſententiam fero ; item (Subſtantive) Sententia, Judicium ; *Domes-day* , dies Judicii (præſertim Supremi.) *Domes day book*, Liber Cenſualis Gulielmi Conqueſtoris dicti, quo Prædia totius Angliæ recenſentur. Sed Gallica affectantibus (quod in plurimis obtinet vocabulis) *Dome* parcius occurrit, & plerumque in ſequiori ſenſu, pro Damno, Condemno. Anglo Saxonibus eſt *Deman* judicare , *Dema* Judex, *Dom Dome* Judicium, *Domes-dæg* Judicii dies, *Dom-boc* liber cenſualis , *Dom-ſetl* (*Judgement-ſeat*) Thronus Judicii, Tribunal. Danis *Dommer* judicare, *Domſtoel* Tribunal, *Dommedag* dies judicii. Belgis *Doema* judicium, *Doemen* judicare.

The Quick, *Vivos.*] Adjectivum (ut ſunt reliqua) omnium generum, caſuum, & numerorum. Subauditur (ut in aliis linguis) Subſtantivum *Men* homines, plurale Subſtantivi *Man* homo ; *p.* 24. *l.* 44. Anglo-Saxonibus *Man* , *Mon* ; Belgis Germaniſque *Man*, *Mann* ; Danis *Mand.* Vox *Quick*, nunc fere *Celerem* ſignificat ; ſed olim frequentius (unde ex antiqua formula in Symbolo retinetur) atque etiamnum aliquando, Vivum ſignificat ; Anglo-Saxones (quibus *Q* minus erat in uſu) *Cwice, Cuce*, dixerunt ; (neſcio an ab ὠκὺς, unde Ocyus : forte à κίκυς, vis, robur ; κικύω valeo, viribus polleo, item accelero, propero ; omnino ut *Cuce, Quyck* ;) Belgæ *Quick.* A nomine *Quick* fit verbum *to Quicken*, accelerare, vivificare. *p.* 41. *l.* 5, 18. *Quick-ſilver* Argentum vivum. Verum nunc fere, pro *Quick* vivus, dicimus *Living* & *alive.* Nempe ex Subſtantivo *Life* vita ; Anglo-Saxonibus *Lif*, Belgis *Liif*, *Leif*, *Leven*, Germanis *Leben*, Danis *Liff*, fit verbum *to live* Vivere ; *p.* 41. *l.* 5. (Anglo-Saxonibus *Libban*, *Leofan*, Belgis *Leven*, Germanis *Leben.*) Inde autem Participium *Living* Vivens, vivus ; *p.* 32. *l.* 25. *p.* 102. *l.* 23. *Alive*, *a-live*, (quaſi *in life*) in Vivis (nam Particula *a* in compoſitione nobis ſæpiſſime valet *in* ; *p.* 28. *l.* 3.) & *Lively*, *p.* 42. *l.* 52. vividus, Anglo-Saxonibus *Liflic*, Belgis *Leeflick* ; & *Lifeleſs*, *liveleſs*, inanimis, *p.* 42. *l.* 7. Anglo-Saxonibus, *Lifleas.*

And the dead, *Et mortuos.*] Omnia ut ante.

I believe in the Holy Ghoſt, *Credo in Sanctum Spiritum.*] Omnia ut prius.

The holy, *Sanctam.*] Ut ante.

Catholick, *Catholicam.*] *Catholike* vel *Catholick*, vel (ad Gallorum formam qui *k* non admittunt) *Catholique*, Catholicum. Eſt vox Latinæ ſeu potius Græcæ Originis ; pro quo Latinius dicitur *General, Univerſal.* Anglo-Saxonibus *Allic*, ab *Alle*, *æl*, omnis ; unde noſtrum *All.*

Church, *Eccleſiam.*] Pro quo Scoti & ſeptentrionales Angli, etiamnum *Kirk* dicunt, Belgæ *Kercke*, Germani *Kirch*, *Kirche*, Anglo-Saxones *Cyric* : Contracta omnia ex Græco κυριακὸν, κυριακή, ſubaudi οἶκος, οἰκία.

Communion of Saints, *Communionem Sanctorum.*] Latinæ originis.

The forgiveneſs, *Condonationem.*] Ex verbo *Forgive* Condono, remitto, (ut ſupra,) fit Subſtantivum *Forgiveneſs*, (remiſſio, condonatio,) addita terminatione formativa *neſs.* *p.* 43. *l.* 17. Qualia tamen ex Adjectivis plerumque formantur, ex Verbis rarius.

Of Sins, *Peccatorum.*] *Sins* ſeu *Sinnes*, eſt (propter *s* formativum, *p.* 25. *l.* 6.) Plurale Subſtantivi *Sin*, *Sinne*, quod eſt Peccatum. Anglo-Saxonibus, *Sinne*, *Synne* ; Belgis *Sonde*, *Sunde* ; Germanis *Sund.*

The Reſurrection, *Reſurrectionem.*] Latinæ originis : pro quo magis Anglice diceretur *the Up-Riſing*, vel *Riſing again.* *Riſing* Surrectio, eſt (propter terminationem formativam *ing.* *p.* 32. *l.* 26. *p.* 41. *l.* 30.) Verbale à verbo *to Riſe* ſurgere, quod Intranſitivum eſt ; cui reſpondet Tranſitivum *to Raiſe* Erigo, ſurgere facio. Noſtrum *to Riſe* ſeu *to Ariſe*, eſt Anglo-Saxonibus *Ariſan*, Belgis *Riiſen*, Danis *Reiſer* ; neſcio an auſim derivare à *Regere*, *Erigere* ; at certe Italicum (eodem ſenſu) *Rizzarſi*, *Drizzarſi*, eſt *Rectare ſe*, *Directare ſe.* *Again* iterum, eſt Anglo-Saxonibus *Agen*, Belgis *Aengaen*, Germanis *Angehen* ; ut ſupra.

Of the Body, *Corporis.*] *Body* Corpus, eſt Anglo-Saxonibus *Bodige.*

And the Life, *Et vitam.*] Vide ſupra ad vocem *Quick.*

Ever-laſting, *ſempiternam*, *ſemper durantem.*] *Ever* ſemper, (ut ſupra.) *Laſting* durans, eſt (propter terminationem *ing*, ut modo,) Participium verbi *to Laſt* , permanere, ad ultimum durare ; atque hoc ab Adjectivo *laſt* ultimus, poſtremus ; *p.* 41. *l.* 5. quod contractum eſt ex *Lateſt* gradu ſuperlativo poſitivi *Late* ſero ſeu ſerus ; cujus Comparativus eſt *Later* ſeu *Latter* poſterior. *p.* 41. *l.* 29. *Late*, ſerus, tardus, dilatus, (unde & dici forte poteſt ;) eſt Anglo-Saxonibus *Læte*, *Late*, Belgis *Laet* : Comparativus *Later*, eſt Anglo-Saxonibus *Lator*, *Latre* ; Superlativus *Lateſt*, *La'ſt*, eſt Anglo-Saxonibus *Lateſt*, *Latoſt.* Item Belgarum *Loteren*, *Leuteren*, eſt noſtrum *Loiter* tardare, morari.

Amen.] ſolemnis clauſula, ut prius.

PRAXIS

PRAXIS TERTIA.

HANC alteram Praxin ſubjungere viſum eſt; partim ut congeniarum vocum mutuam cognationem hoc exemplo quadantenus oſtenderem; partim ut peculiarem ſingularum vocum Emphaſin inſinuarem, in lingua noſtra elucentem; quæ paucis vocabulis, eiſque brevibus, conceptus ſatis fœcundos diſtinctè exhibet.

Nempe, Vir quidem doctus, natione Gallus, ſub finem anni 1653, propoſuit mihi ſubſcriptos quatuor ſelectos verſus Gallicos, in eum finem compoſitos: Miram inde prædicans Linguæ ſuæ Gallicanæ felicitatem, quæ Senſus cognatos cognatis Vocibus exprimat; Noſtræ interim Anglicanæ vitio vertens, ut quæ non raro (quod tamen omnibus Linguis commune eſt) cognatos Senſus Vocibus exprimat nulla cognatione conjunctis.

Quand un Cordier, cordant, veult corder une corde;
Pour ſa corde corder, trois cordons il accorde:
Mais, ſi un des cordons de la corde deſcorde,
Le cordon deſcordant fait deſcorder la corde.

Verum, ut hanc quantamcunque felicitatem neque Linguæ noſtræ Anglicanæ deeſſe oſtenderem; Ego protinus (non novum materiæ delectum faciens) eoſdem ipſos quatuor verſus idiomate Anglicano verbatim reddidi; retenta eadem quam in ſuis notaverat curioſitate: Subſtituta tamen voce *Twiſt* pure Anglica pro Exotica quam ille expectaverat *Chord.*

When a Twiſter, a-twiſting, will twiſt him a twiſt;
For the twiſting of his twiſt, he three twines doth intwiſt;
But, if one of the twines of the twiſt do untwiſt,
The twine that untwiſteth, untwiſteth the twiſt.

Sed & hos alios quatuor, ejuſdem ſubjecti, ſubjunxi.

Untwirling the twine that untwiſted between,
He twirls, with his twiſter, the two in a twine:
Then, twice having twiſted the twines of the twine,
He twitcheth, the twine he had twined, in twain.

Atque illis hos quatuor alios.

The twain that, in twining, before in the twine,
As twins were intwiſted; he now doth untwine:
Twixt the twain inter-twiſting a twine more between,
He, twirling his twiſter, makes a twiſt of the twine.

Hos tandem omnes, aliquanto poſt, in gratiam alterius cujuſdam extranei Viri Nobilis, ſignificatuum minutias inſpicere deſiderantis, Latine utcunque ſic reddidi; neglecto tamen qui in Anglicis obſervabatur, ſonorum conſenſu; ſed ſervata ſignificationis verborum Emphaſi.

Quum Reſtiarius aliquis, conficiendis-torquendo-funibus-jam-occupatus, vult ſibi funem-tortilem contorquendo-conficere;
Quo hunc ſibi tortilem-funem torquendo conficiat, tria contortu-apta-filamenta complicando-invicem-aſſociat:
Verum ſi, ex contortis illis in fune filamentis, unum forte ſe-explicando complicationi-eximat;
Hoc ita-ſe-explicando-diſſocians filamentum, funem-torſione-factum detorquendo-reſolvit.

Ille autem, celeriter evolvendo-retexens intermedium illud quod ſe-explicando diſſociaverat filamentum;
Verſorio-ſuo-torſionis-inſtrumento, duo reliqua celeri-volvens-turbine-contorquet, funiculum-ex-binis-filamentis inde conficiens.
Tum vero quum jam ſecunda-vice torquendo-convolverat funiculi-bi-chordis bina filamenta,
Quem ex-binis-filamentis torquendo-concinnaverat funiculum, raptim divellendo dirimit.

Tandem, quæ torquendo pridem in funiculo-bimembri filamenta-duo,
Tanquam Gemellos, una-conſociaverat-torquendo, jam detorquendo-diſſociat:
Et binis illis filamentum adhuc aliud intermedium interſerendo-conſocians,

Verſorium

Verſorium ille ſuum gyro-celeri-fortiter-verſando, ex funiculo-binnembri plurimembrem torquendo conficit funem.

Hæc ut diſtinctius expſicem; Vocem Primigeniam, quæ familiam ducit, cum ſuis inde derivatis ordine exponam. Nempe,

Two, Duo; eſt vox Primitiva unde reliquæ deſcendunt: originem autem ipſa ducit ex Latinorum *Duo*, ſeu potius Græcorum Δύο; unde nos vocem formamus monoſyllabam *Two*: atque hinc, retentis ut radicaſibus *Tw*, terminatione varie inflexa pſura deformamus vocabula. Angſo-Saxones dicebant eodem ſignificatu, *Twa, twe, twy*. Et Scoti etiamnum *Twea*. Belgæ, *Twii, Tweo*: Germani, (qui per *z* ſæpiſſime ſcribunt, quæ Nos & Belgæ per *T*) *Zwey, Zwo*.

Twain, Duo, Bina: (olim *tway*,) idem fere quod *Two*, niſi quod ut plurimum innuat duorum illorum mutuam quandam relationem ſeu connexionem, ut *Bina* potius ſignificet: Quaſi ex *two* ſeu *twa* formetur *twain*, ut ex *bis, bini*, quaſi *duini*; ſicut *bellum* jam dicimus quod olim erat *duellum*, & *bis* Latinum, quod Græcis erat δίς.

Twice, Bis: terminationem adſciſcere videtur a Latinorum *Vice*, cum voce *two* ſeu *duo* conflata. Puta *Once*, una vice; *twice*, bina vice, *thrice*, terna vice.

Twins, Gemelli; *a Twin*, gemellorum unus: dicitur proprie de binis infantibus eodem partu editis. Videtur eſſe Diminutivum ex *Twain*, (ut ex Gemini, Gemelli;) ita ſcilicet formatum ut ex *ſup* ſorbeo, fit *ſip* ſorbillo; ex *drop* gutta, guttare, *drip* guttula, ſtilla, ſtillare; ex *Top* culmen, *tip* apex, apiculus; ex *chop* *abſcido* ſeco, *chip* minutula abſcindo; (aliaque ejuſmodi;) nempe extenuando ſonum; quo nos ſolemus Diminutiva innuere, ſicut ampliando ſonum Augmentativa, ut ex *ſup* ſorbeo, *ſoop* ſorbendo affatim haurio, &c.

To Twine, Bina fila contorquere: Dicitur proprie de binis tenuibus filamentis ſpiratim contortis ſeu combinatis. Bina innuit *tw*; filorum ſubtilitatem innuit tenuitas vocalis *i*; & continuam combinationem, productio ſoni; qui in *Twin* ſubito abruptus fuerat, (ut ſunt ipſi Gemelli disjuncti.) *A twine* dicitur, nunc de filamentorum altero (ut *twin* de altero gemellorum;) nunc de ſpira ipſa ſeu filo ex binis compoſito.

To Twiſt, contorquere: idem fere ac *to twine*, ſed laxiore acceptione. Non enim de binis tantum, ſed & de pſuribus ſpiratim contortis dicitur: utut enim *tw* ex *two* deſumatur non tamen hic *Binarium* ſtricte, ſed *ſaltem binariam*, hoc eſt *pluralitatem* innuit: ut & ipſum *Combinare*, de ſaltem Binis, ſed & de Pſuribus, connitis dicitur. Neque de ſubtilibus tantum filis, ſed & funiculis aut etiam funibus majoribus contortis dicitur. Sed de ſilenti converſione aut cum molli ſaltem ſono potiſſimum inteſligi, innuit ſonus moſſis terminalis *st*, ſine ullo ſtrepitu ſeu aſperiori litera. Nomen *a Twiſt*, non (ut *a twine*) de membrorum uno, ſed conjunctim tantum de ipſa ſpira dicitur.

Verum & utrumque, *to Twine* & *to Twiſt*, depoſita ſtricta ſua ſignificatione, ſignificat nonnunquam *ſpiratim ſerpere* (ut circa quercum Hedera, aut ulmum Vitis,) licet non complexu mutuo qui in filis contorquendis obſervatur; aut etiam, ſaxiori adhuc metaphora de ſtricto aliquo compſexu, præſertim tortuoſo, quem non facile excutias. Sed &, *the Twiſt*, (torſionis ſignificatu depoſito,) fluvii nomen eſt, ſeu potius locus ſic dicitur ubi Rivuli duo in unum coeunt, aut unus in duos divaricatur; item ea pars corporis humani ubi Bina crura in Truncum coeunt, ſeu Truncus in Bina crura divaricatur; Quanquam & *Twiſt* de fluvio tortuoſo non incommode dicatur.

A Twiſter, contortor; eſt nomen Verbale, *Agentem* ſignificans, à Verbo *to Twiſt*, adjecta terminatione formativa *er*, Denotatque, veſ Efficientem principalem, ut cum Hominem torquentem innuat; præſertim Artificem cujus hæc eſt ſolennis occupatio, puta Reſtiarium, aut huic ſimiſem; vel ſaltem Inſtrumentum ſeu Agentem minus principaſem, puta Tortorium, ſeu torſionis Inſtrumentum.

Twiſting; vel eſt ejuſdem Verbi Nomen verbale *Actionem* ſignificans, nempe Torſionem ipſam; vel (adjective ſumptum) eſt iſtius verbi Participium Activum; veſ denique Gerundiorum vicem ſuppſet, & quidem (cum præpoſitione *a*, pro *at*, compoſitum) *a-Twiſting*, valet *inter torquendum*, ſeu torſione jam occupatus; quomodo dicimus *a-dying, a-going, a-burning, a-making*, &c. dum quis illud agit.

Sed & utrumque, *to Twine* & *to Twiſt*, (ſicut & alia apud nos Verba innumera,) pro varia conſtructione ſignificatum habebit triplici ſaltem gradu diſtinctum: puta *Convertere* ſenſu Intranſitivo, *torqueri*; ſeu *Torquere ſe*, hoc eſt *Ambire, circuire*, ſaltem ſpirali motu; ut, cum Hedera Quercum ambit, dicetur Hedera *to twine* ſeu *twiſt about it*: vel, *Convertere* ſenſu Tranſitivo, ſeu *Torquere aliud*, hoc eſt, *circumducere*; ut cum Reſtiarius contorqueat Filamenta, quo inde funiculum faciat: vel denique ſenſu dupliciter Tranſitivo, ut *Torquere* ſignificet *Texere*, ſeu *torquendo facere*; ſic *to Twiſt a rope*, eſt funem torquendo facere, non funem jam factum torquere. Similiter apud Latinos, *cœnavit fercula ſeptem*, hoc eſt, *cœnando abſumpſit*; ſic *componere litem*, hoc eſt, *componendo dirimere*; &, *componere carmen*, hoc eſt, *componendo facere*; nempe, componendo verba faciunt carmen; ut, torquendo fila, faciunt funiculum.

To Twirl, Converſionem innuit, (ut ipſa *Twine* & *Twiſt* quibus eſt affine,) ſed Rapidam (celerem nempe & fortem) præſertum cum ſtrepitu crepituve, atque aliquandiu continuatum non repente finitam; quippe hæc innuunt literæ terminales *rl*, obſtreperæ ſcilicet & ſoni productioris, non (ut mutæ) repentino exitu. Eſt utique *to Hurl*, rapide projicere, præſertum rotando ſeu turbinatim volvendo; quod ipſe ſonus imitatur; (nam, *hit* percutio, non magno forſan cum damno; & quod aſperius adhuc eſt propter interium *r*, *hurt* lædo; terminalem habent *t* literam mutam & minime prolongabilem; eoque motum innuunt repente terminatum; ſed *hurl* projicio, terminatur litera *l* liquida, productioris ſoni, eoque motum continuatum innuit, non repentino exitu ſed ſenſim deſinente; & quidem ab aſperiori ſtrepitu in molliorem vergente, quod innuit tranſitus ab *r* ad *l*; nam, ſi ſtridoris aſperi continuationem inſinuatam volumus, *hurr* potius quam *hurl* dicimus, & *whirr* quam *whirl*; ſin abſque ſtrepitu cum ſolo ſibilo feratur, pro *whirr* dicimus *whizz*, vocis ſono ſonum projecti imitante; ut de globulo bombarda projecto, aures cum ſibilo tranſeunte: in omnibus autem *h* non ſine conatu aliquo & fortiori afflatu proferri poteſt: adeoque *hurl* projicio, initiali *h* conatum agentis imitatur; media litera *r*, violentiam ſeu vim medio illatam, indeque ſtrepitum factum; terminali *l*, motus productionem ſenſim deſinentis, cum molliori ſonitu:) *Whirl*, voci *Hurl* ſuperaddit Gyrationem; ut ſit, rapide in gyrum volvere, (unde *whirl-pool* vortex, *whirly-gig* verticulum luſorium; *whirle-wind* turbo:) ipſumque *wh* initiale, videtur curvedinem quandam ſeu gyrum innuere; ut, in *wheel*, rota; *to wheedle*, inſinuando ſenſim inducere; *whimzy*, vertigo; *to whiſtle*, ore rotundato ſibilare; *whip*, flagellum flexile; *whisk*, celeris converſio; *whelm*, *whelve*, converto, everto, (ſpeciatim dici ſolet, de Patina, ſimilive operculo concavo, rei tegendæ ſuper-inverſo, *to whelm over*;) *over-whelm* obruo, cooperio; *wheal*, *whelk*, puſtula; *wherry*, cymbula expedite verſatilis; aliaque ſimilia: (non addo *who*, *what*, *which*, *who's*, *where*, *whence*, *why*, *whine*, *whinder*, &c. quæ omnia Quærentium ſunt, ſeu Querulantium; quoniam, in his omnibus, *wh* Interrogativum, ſeu potius *Hw*, (nam eo ordine pronunciantur hæ literæ utut alio ſcribantur,) deſcendiſſe videtur à Latinorum Interrogativo *Qu*, in *quis*, *quid*, *qui*, *qualis*, *quantus*, *quando*, *quare*, *quæro*, *queror*, &c. cui reſpondet Græcorum Π, in πῶς, ποῖος, πόσου, ποῖον, πότε, πηνίκα, &c. nam Latinorum *Qu*, exprimunt Cambro-Britanni per *Chw*, *Cw*, Anglo-Saxones per *Cw*, *Hw*, & nos inverſo ordine, ſed eodem ſono, per *Wh*: Verum dum quærimus, Ambigimus; ſeu in ambiguo ſumus; (quod ipſum eſt ab *Am* circum, & *Ago*; ut neque hic deſit circuitus.) Ut ſit *whirl*, quaſi conflatum ex *Wheel* & *hurl*: Et tandem *Twerl* ſeu *Twirl*, complicationem ſeu contortionem ſuperaddit; ut ſit quaſi compoſitum ex *Twiſt* ſeu *Twine* & *Whirl*, in gyrum rapide volvendo contorquere. De vocalibus *i*, *e*, *u*, non eſt ut ſimus ſoliciti; nam perinde fere eſt quamlibet harum adhibeas, quippe idem fere earum ſonus erit ante literam *r*; cum hoc ſaltem diſcrimine, *twirl* innuet acutiorem ſeu ſubtiliorem ſtrepitum, *twerl* mediocrem, *twurl* graviorem ſeu craſſiorem adeoque obſcuriorem ſtrepitum.

Untwine, *untwiſt*, *untwerl*, ſunt compoſita ex *twine*, *twiſt*, *twerl*, cum negativa ſeu contraria particula *un*; explicationem innuentia eorum quæ torſione fuerant implicata ſeu complicata. Nam particula *Un* adjectivis præpoſita, negationem innuit, ut Latinorum *in*; ut *Worthy*, *unworthy*, dignus, indignus: Sed Verbis præpoſita altius quid innuit; quippe non tantum actum negat, ſed deſtruit, ſeu infectum facit; ut *to ſay* dicere, *to unſay* (non modo, non dicere, ſed) dictum revocare, dictum indictum facere; *to doe* facere, *to undoe* diſſolvere, infectum reddere; *to weave* texere, *to unweave* retexere; *to cover* tegere, *to uncover* detegere, *to deceive* fallere, *to undeceive* à fallaciis liberare, &c. ſic *to twiſt* torquere, *to untwiſt* detorquere, torſioni eximere, torſionem ſolvere, explicare, extricare; ut Latinorum *de* & *re* Contrariam actionem ſignificantia, in *detego*, *develo*, *depopulor*, *dedecet*, *dehoneſto*, *dedignor*, *derogo*, *deſpero*, *deſueſco*, *depleo*, *dedoceo*, *dedoleo*, *deferveo*, *defamo*, *retego*, *revelo*, *recludo*, *reſigno*, *reſero*, *reſilio*, *reclamo*, aliiſque; ſecus quam in *deamo*, *dealbo*, *deauro*, *defatigo*, *delaſſo*, *devincio*, *defraudo*, *declamo*, *declaro*, *recondo*, *repleo*, *redundo*, *remordeo*, *repugno*, *retardo*, *reſono*, *revereor*, &c. quæ augmentativa magis ſunt quam derogativa. Verum hoc non facit Latinorum *in*, ſenſu privativo ſumptum; quod cum ſolis Adjectivis (quibus annumero Participia) componi ſolet; non item cum Verbis. Dicimus enim *indoctus*, *illæſus*, *illaudatus*, *immaturus*, *inſipiens*, *inſolens*, *impotens*, *immotus*, *imparatus*, *interritus*, *incomptus*, *incorruptus*, *innocens*; pro *non doctus* &c. non item *indoceo*, *illædo*, *illaudo*, *immaturo*, *inſipio*, *inſoleo*, *impoſſum*, *immoveo*, *imparo*, *interreo*, *incomo*, *incorrumpo*, *innoceo*; Et quidem ſi hæc dicerentur, non eo ſenſu dicerentur, quaſi *non-doceo*, ſeu *dedoceo*, &c. ſed plane contrario. Dicimus utique *imminutus*, *immixtus*, *immutatus*, *indictus*, *infractus*, *inhumatus*, *intumulatus*, *inviſus*, *inauditus*, tanquam Compoſita ex *in* privativo, & *minutus*, &c. contrario plano ſenſu quam cum eadem ſunt Derivata ab *imminuo*, *immiſceo*, *immuto*, *indico*, *infringo*, *inhumo*, *intumulo*, *invideo*, *inaudio*, & ſimiliter in aliis non paucis. Dicimus quidem, ſenſu non abſimili, *improbo*, *indignor*, *infirmo*, *inhoneſto*, *inſanio*, &c. Sed non ut compoſita ex *in* & *probo*, &c. ſed ut Derivata ab *improbus*, *indignus*, *infirmus*, *inhoneſtus*, *inſanus*; &c. Similiter, *inſipientia*, *infelicitas*, *inclementia*, &c. dicuntur; non

tanquam

tanquam compoſita ex *in* & *ſapientia*, &c. ſed tanquam Derivata ab *inſipiens*, *infelix*, *inclemens*, &c. ſic & *infamia*, non ut compoſitum ab *in* & *fama*, ſed ut Derivatum ab *infamis*; & *infortunium*, non ut compoſitum ex *in* & *fortuna*, ſed ut derivatum ab *infortunatus* tanquam ab *infortunus*. Tria ſaltem ſunt (neſcio an plura) de quibus merito dubitemus, *ignoro*, *ignoſco*, & *inficias*: quorum illa quidem pro Derivatis facile habuerim, ſive à Græcorum ἀγνόω, ſive à Latinorum *ignotus* & *ignarus*; hoc autem *inficias* (unde verbum *inficior*,) mutilum eſt, & incertæ originis; neſcio an ab *inficetus* (aut alia aliqua voce, cui *fecialis* ſit congenia,) ortum ducat: ſed non hic locus eſt de illis diſputandi. Nos autem noſtrum *un* (ut Anglo-Saxones ſuum *on*) cum Adjectivis pariter atque cum Verbis componimus: Illic ſenſu Privativo; hic, Deſtrnctivo.

To Twitch, eſt vellicare, celeri & ſubitaneo motu divellere: *to twitch in two*, ſeu *twitch in twain*, eſt celeri vellicatione in duo dirumpere. Diviſionem ſeu partitionem in duo (ſaltem conatum ad illam) innuit initiale *Tw*; celerem & repentinum motum innuit rapida terminatio *itch*: & quidem additum illud *in twain*, in bina, innuit, conatum hunc effectum ſuum obtinuiſſe, rem actu ruptam eſſe.

In-twiſt, ſeu *inter-twiſt*, eſt torquendo inſero, ſeu torquendo interſero; præpoſitionibus *in* & *inter* eundem ſignificatum retinentibus quem apud Latinos habuerant, unde deſumptæ ſnnt. Perinde autem eſt ſive ſcribantur *intwiſt*, *intertwiſt*, (per Latinornm *i*,) ſive *entwiſt*, *entertwiſt*, Gallorum modo, per *e*, qui initiale *e* pro Latinorum *i* ſubſtituunt in præpoſitionibus *in* & *inter*.

Between, inter; proprie ſignificat *inter duo*, ſeu *inter bina*: (nam ſi de pluribus fiat ſermo, rectius dicitur *among*: Nam, *inter Duo*, dicimus, *Between two*; ſed, *inter Multa*, eſt, *amongſt many*.) Eſtque *Be-tween*, compoſitum ex præpoſitione *be*, hoc eſt *by*, prope, juxta, (ut in *be-ſide* à latere, *be-fore* à parte ante, *be-hind* à parte poſt, *be-neath* infra, *be-low* in humili, &c.) & *tween*, hoc eſt *twain*; Sed *a-mong*, ſeu *a-mongſt*, dicitur de multis; quaſi *in miſtura*; compoſitum utique ex præpoſitione *a* hoc eſt *at* ſeu *in*, (ut in *a-bed* in lecto, *a-long* in longitudine, *a-frayd* in metu, *a-broad* foras, ſeu in amplo, *a-low* infra, in humili, *ab-ove* ſupra, in-ſuper, *a-going* in eundo, *a-dying* in moriendo, &c.) & *mong*, hoc eſt *minge* ſeu *mingle*, quod deſcendiſſe videtor à Græco μιγνύω, eodem ſignificatu quo *mix* à Latino *miſceo*, *miſcui*, *mixtum*.

Be-twixt, & (capite truncato) *twixt*, idem ſignificat atqne *Between*, eſtque ejuſdem originis: ex *be* ſeu *by*, & *two*, *twy*, ſeu *twain*; ut ſit *per duo*, ſeu *juxta duo*. Terminatio *xt*, nequis dubitet unde ſit; notandum eſt, quod nos *tween*, *twayn*, *twain*, dicimus, dixiſſe Anglo-Saxones *twegen* (quorum *g* ſæpiſſime tranſit in noſtrom *y*, atque inde in *i*;) cui ſi (excidente terminali *en* formativa) accedat terminatio *st*, (ut in *againſt*, *amongſt*, à vocibus *again*, *among*; &, in formandis Adjectivorum Superlativis;) *twegſt* facile tranſibit in *twext*; (ſicut, à *nigh* prope, fit *nigheſt*, *nigh'ſt*, *next*, proxime:) ut tantundem diſtent inter ſe *again*, *againſt*, *among*, *amongſt*, *between*, *betwixt*; atque *nigh*, *next*, prope, proxime. Quid quod & Anglo-Saxones, pro *between*, utrumque dixerint *betwynan* & *betwyx*, *betwux*.

Si tamen *twixt*, *betwixt*, *between*, occurrat quandoque de Pluribus dictum; eandem ἀναλογίαν agnoſcas, quam, in *combinare* de ploribus dicto, modo notavimus.

Plura ſunt vocabula ab eodem *Two* varie deducta, ſed quæ hic loci non occurrunt, adeoque præteriri poterunt. Ut *Twelve* duodecim, *Twenty* viginti, *Two-fold* duplex, *Twy-light* diluculum, crepuſculum, (ex *twy* & *light*, qnaſi inter lucem & tenebras, ſen lux dubia, Inx ambigua, crepera, unde erepuſculum;) *Twink*, *Twinkle*, nictare, ſcintillare, (ex *twy* & *wink*, & hoc à *niveo*;) *Twibill* bipennis (ex *twy* & *bill* falx;) *Twy-blade* herba quædam bifolia, (ex *twy*, & *blade*, folium, lamina; ut *trefoil* trifolium:) *Twyfford* ſeu *Twi-ford*, quaſi Bi-vadum, oppidi nomen ad duplex vadum ſiti, (ex *twy* & *ford* vadum;) *Twinch* preſſim vellicare, preſſiva vellicatio, quaſi ex *twitch* & *pinch* conflatum, *twinge* acrior vellicatio & productior, (ſic nervorum in noſtro corpore vellicatio, ſi momentanea ſit & ſine gravi dolore, *a twitch* dicitur; ſi accedat dolor acrior ſed momentaneus, dicetur *a twinch*; ſin & productior ſit, *a twinge* dicetur; differentiarum rationem ipſe ſonus innuit: ſed, divulſionem ſeu ſeparandi conatum in omnibus innuit ipſum *tw* ex *two* deſumptum; &, vellicationem celerem, initiale *twi* correptum:) aliaque iſtiuſmodi.

In quibus ſi cui ſcrupuloſior videar ad vocabulorum minutias deſcendendo; id feci nt verum linguæ genium, à paucis animadverſum, indicarem; in qna non raro, non Compoſitum tantum, ſed Bicompoſitum, Tricompoſitum, aut etiam pluries compoſitum, (ſenſum ſi ſpectes,) in una voce monoſyllaba animadvertas; ubi non tam Voces ſingulæ, (quod alibi fit,) quam quaſi ſingulæ Literæ ſuam ſignificando vim exerunt, ab ipſo ſono ſuo petitam. Quod tamen de nativis atque antiquis linguæ vocibus (ſed nec eis omnibus) intellectum volo; non de magna vocum farragine aliunde advectarum, & ſerius inſertarum linguæ noſtræ; genium linguarum unde advenerant affectantinm; quæ productiori forma & majori forte cum pompa incedunt, ſed ſignificationis ſunt minus preſſæ.

His ita expoſitis, Verſiculos ordine jam exponemus.

When,

When, Quum, quando.] Adverbium temporis. Nempe, à *Quando* dictum videtur *Whan* ſeu *when*.

A Twiſter, Reſtiarius aliquis, ſeu Contortor.] *A*, eſt articulus numeralis; Individuum ſaltem vagum denotans; valetque *unus*, ſeu *aliquis*. *Twiſter*, eſt nomen Verbale, Efficientem notans; à Verbo *Twiſt* contorqueo, addita terminatione formativa *er*. Notatque hic loci Efficientem Principalem, Contortorem; talem præſertim cujus munus ſit, Contorquere; puta Reſtiarium, cujus hæc Ars eſt ſeu occupatio.

A twiſting, in torquendo, inter torquendum, torquendo jam occupatus, & quidem conficiendis torquendo funibus.] *A* non eſt hic loci articulus numeralis, ſed particula præpoſitiva, ſeu Præpoſitio quæ in connexione valet *at*, ſeu *in*; præfigitur Verbali *twiſting*, ab eodem Verbo *Twiſt*, addita terminatione formativa *ing*. Si abeſſet præfixum *a*, foret Participium Activum, Agentem innuens, *Contorquens*. Sed, propter præfixam præpoſitionem, eſt hic loci nomen verbale, innuens Actionem; quod & Gerundiorum vices ſupplet; adeoque exponendum erit *in torſione exiſtens*, ſeu *in torquendo*, aut *inter torquendum*; innuitque Agentem jam in ipſo opere occupatum, nempe faciendis torquendo funibus; nam de tali Contorſione hic agitur.

Will twiſt him, vult torquere ſibi.] *Will* eſt quandoque verbum auxiliare, futuritionem innuens; ſed hic potius per *Volo* exponendum eſt, quam per tempus futurum; non enim tam futuritionem rei, quam voluntatem agentis hic innuit. Huic autem ſubjungitur Verbum Infinitum *to twiſt*, ſed omiſſa particula *to*, ut poſt Verba Auxiliaria fieri ſolet; neque enim Auxiliaris naturam plane depoſuit Verbum *Will*, utut pro *Volo* uſurpatum. *Twiſt* eſt *Contorquere*, ſeu potius *Contorquendo facere*; nam quod ſequitur, *a Twiſt*, eſt (ut loquuntur Latini) Accuſativus Effecti, non Objecti. *Him* (elliptice dictum pro *to him* ſeu *for himſelf*,) ita ſubjungitur, ut ſolent Latinorum *mihi*, *tibi*, *ſibi*, feſtivitatis gratia (ut loquuntur Grammatici) magis quam neceſſitatis; ut ſit, *vult ſibi contorquendo facere*.

A twiſt, Contortum aliquod, quendam funiculum-tortilem.] Eſt Accuſativus Effecti. Articulus numeralis *a*, valet *aliquem*, ſeu *quendam*. *Twiſt* Nomen eſt. Et perinde eſt, ſive dicamus, ex nomine *a Twiſt*, Verbaliter poſito, fieri Verbum *to Twiſt*, ut illud ſit *Funiculus*, hoc *funiculum facere*, (ſicut *a Wife* uxor, *to wive* uxorem ducere; *a web* tela, *to weave* telam texere; *a whelp* catulus, *to whelp* catulos parturire; *love* amor, *to love* amare;) ſive ex verbi *to Twiſt* Participio Paſſivo *Twiſted* fieri contractione *twiſt'd*, *twiſt't*, *twiſt*, (ut ex *hurt*, *hurted*, *hurt'd*, *hurt't*, *hurt*;) idemque ex participio paſſivo tranſire in nomen verbale; ut *a Twiſt* ſit contractum ex *twiſted*, ſicut *Gift* donum ex *gived* datum; & *bitt* morſus ex *bited* Participio Verbi *to bite* mordere; nam ex nomine *a bite* morſio, fit verbum *to bite*, cujus Participium *bited*, fit contractione *bitt*, atque hinc nomen *a bitt*, morſus, buccella, nempe quod mordetur, ſeu quantum una morſione ſeparamus. Linguæ analogia utrumvis feret.

For the twiſting of his twiſt, pro illa torſione funiculi ſui; vel, *For the twiſting his twiſt*, pro torquendo funiculum ſuum.] *For* pro, finem innuit: ex Latinorum *pro* ſumptum, ſicut Gallorum *pour*. *The* articulus demonſtrativus illam (de qua fit ſermo) torſionem indicans. *Twiſting* torſio, nomen verbale, conſtrui poteſt vel ut Latinorum verbalia cum caſu Genitivo, cui reſpondet noſtrum *for the twiſting of his twiſt*, pro torſione funiculi; vel ut Latinorum Gerundia cum Accuſativo, cui reſpondet noſtrum, *for the twiſting his twiſt*, pro torquendo funiculum, vel (quod elegantius creditur) pro torquendo funiculo. *Of* eſt præpoſitio, idem innuens quod Latinorum caſus Genitivus. *His* (contractum ex *hee's*) ſuus. *Twiſt* funiculus, ut prius.

He three twines doth intwiſt; Ille tria filamenta invicem-contorquet.] *He* ille. Pronomen pro tertia perſona ſingulari ſexus maſculi. *Three* tria, eſt Latinæ ſeu Græcæ originis. *Twines* filamenta, eſt Pluralis numeri, (propter *s* formativum,) à ſingulari *Twine*; quod hic loci ſignificat, non funiculum ex binis loris ſeu filamentis compoſitum, ſed ipſa filamenta, apta ſic combinari, puta in funiculum bimembrem; quod tamen non impedit quin & plurimembrem ingrediantur. *Doth intwiſt*, invicem contorquet, ſeu inter ſe complicando aſſociat: Nempe *do*, ſeu *doe*, eſt Verbum Auxiliare pro tempore præſenti; cujus tertia perſona ſingularis (propter *eth* formativum) eſt *doeth* ſeu *do'th*: Adeoque idem valet *doth intwiſt*, atque *intwiſteth*. *Intwiſt*, ſeu *entwiſt*, componitur ex *twiſt* contorqueo, & præpoſitione *in*, quod hic valet *invicem* ſeu *inter ſe*, adeoque *intwiſt* erit *invicem contorquet*, ſeu *inter ſe*; niſi malis *in* ad funiculum referre, atque tum *intwiſt*, eſt *torquendo inſerit*, nempe funiculo inde conficiendo. (Non autem ſenſu negativo, ſeu privativo, ut idem ſit atque *Untwiſt*.) Verum hic *to Twiſt*, non eſt (ut prius) *contorquendo facere*, ſed ſimpliciter *contorquere*; quippe *three twines* tria filamenta, eſt Accuſativus Objecti, non Accuſativus Effecti. Notandum porro, Accuſativum hunc, ordine præponi ſuo Verbo *Intwiſt*; quod in verſiculis fit ſæpiſſime, in proſa rarius.

But if, ſed ſi.] Conjunctiones.

One of the twines of the twiſt, unum ex filamentis illis illius funiculi.] *One* unum, Anglo-Saxonibus *an*, *æne*, Belgis *een*, Germanis *ein*: quæ an à Latinorum *Unus*, an immediate à

Græcorum

Græcorum ὁ deſcenderint, non diſputo. *Of* præpoſitio, Latinorum Genitivo reſpondens. *The* articulus demonſtrativus. *The Twines* illa filamenta; nempe, quæ in funiculo, ſeu illius funiculi; hæc utique ſunt quæ demonſtrat ille Articulus. *Of the twiſt* iſtius funiculi, nempe de quo dictum eſt.

Do untwiſt, detexatur, complicationi ſe explicet.] *Do* dicitur, potius quam *doth*; propter conditionalem conjunctionem *if* ſi. Nam *eth* formativum tertiæ perſonæ, illic omitti plerumque ſolet, ubi Latini modum Subjunctivum adhiberent: Adeoque potius dicimus *if one do*, quam *if one doth*, quanquam nec hoc refugiamus. *Untwiſt*, diſſiliat, detexatur, detorqueat ſe: Senſu intranſitivo; atque ſic in priori loco verſiculi ſequentis; ſed in poſteriori, ſenſu tranſitivo.

The twine that untwiſteth, filamentum illud quod detorquendo diſſociat, ſeu torſioni ſe detorquendo eximit.] *The twine* illud filamentum, (nempe quod diſſociat.) *That* (pro *which*) quod. *Untwiſteth* detorquendo exſilit, ſenſu intranſitivo, ut in præcedente verſiculo: Duo autem innuit; nempe quod contorto ſe eximat, &, quod detorquendo id fiat. Terminatio *eth* innuit tertiam perſonam ſingularem temporis præſentis.

Untwiſteth the twiſt, detorquendo diſſolvit funiculum.] *Untwiſteth* diſſolvit, detorquet, ſenſu tranſitivo, (propter ſequentem Accuſativum objecti *the twiſt*,) facit ne ſit Contortum. *The twiſt*, contortum illud, ſeu funiculum torſione factum, de quo ſit ſermo.

Untwerling, celeriter retro-volvendo eximens torſioni.] Conflatum ex *untwiſt* & *wherl*. Celerem gyrationem innuit *wherl*; quodque retro volvendo fiat, & torſioni eximat, innuit *untwiſt*; ſeu hinc deſumptum *untw*. Terminatio *ing* eſt formativa Participii Activi. Eſtque in ſenſu tranſitivo, propter ſequentem Accuſativum.

The twine, filamentum illud.] Nempe quod explicare ſe cœperat; nam hoc ſequitur.

That untwiſted between, quod ſe explicando diſſociaverat è medio.] *That* (pro *which*) quod. *Untwiſted*, detorquendo exſilierat: ſenſu intranſitivo. Terminatio *ed* eſt formativa præteriti. *Between*, inter, è medio, (nempe duorum reliquorum;) eſt Præpoſitio Adverbiaſcens propter defectum Nominis quod regat.

He twerls, ille rapide volvendo contorquet.] *He*, pronomen tertiæ perſonæ ſexus maſculi, ut prius. *Twerl*, conflatum ex *twiſt* & *wherl* ſeu *whirl*: quorum illud contorſionem innuit; hoc, celeri gyro rapide factam eſſe. *Twerls*, pro *twerleth*; tranſeunte formativa terminatione *eth*, in *s*.

With his twiſter, verſorio ſuo, torſionis inſtrumento.] *With* eſt præpoſitio, inſtrumentum innuens; quod Latini per Ablativum Inſtrumenti exprimunt. *His* ſuo, ut prius. *Twiſter*, Verbale ex verbo *to Twiſt* addita terminatione *er* formativa Efficientem notante. Et quidem, hic loci, Efficientem minus Principalem, nempe Inſtrumentum notat; ſed vox eadem verſiculo primo Efficientem Principalem notaverat.

The two in a twine, illa duo in funiculum bimembrem.] Accuſativus Objecti, poſt verbum *twerls* ſenſu tranſitivo poſitum. *The two*, illa duo, nempe quæ reliqua erant poſt unius exemptionem. *In a twine*, in funiculum bimembrem. *In* pro *into*. *A twine* individuum vagum, propter articulum numeralem. *Twine* ſtricte ſumitur, juxta originem, pro funiculo bimembri, tanquam à *two* derivatum: & contra-diſtinguitur præcedenti *twiſt* funiculo plurimembri, qualis fuerat dum trina contexabantur filamenta.

Then, tum.] Adverbium temporis.

Twice having twiſted, cum bis contorſerat.] *Have*, eſt verbum auxiliare præteritum innuens; ut Latinorum tempus præteritum perfectum. *Having*, (propter additam terminationem formativam *ing*,) eſt iſtius Auxiliaris Participium: quod cum verbi *twiſt* Participio Paſſivo *twiſted*, innuit ejuſdem *Twiſt* Participium temporis præteriti ſignificationis Activæ, & quidem Tranſitivæ. Quale Participium habent Latinorum Verba quæ vocantur Communia & Deponentia, (ut oſculatus *having kiſſed*, loquutus *having ſpoken*,) ſed non item Activa: In quibus itaque circumloquutio fieri ſolet ope Conjunctionis, puta *cum torſerat*; vel per Ablativum abſolute poſitum, ut *torſione facta*, ſeu *tortis filamentis*: puta *contortis jam ſecunda vice* filamentis. *Twice* bis, bina vice: nempe primo quum contorta fuerant in funiculo trimembri, deinde in bimembri. In ſoluta oratione diceretur potius, *having twice twiſted*; ſed in verſiculo mutatur ordo, ut metro conſulatur. Nempe, ut *twice*, vox magis emphatica, ſedem ſortiretur ſyllabæ longæ.

The twines of the twine, illa bina filamenta hujus funiculi bimembris.] Accuſativus poſt Participium, tranſitivæ ſignificationis, *having twiſted*. Priori loco *twine*, cujus plurale *twines*, de binis filamentis contortis intelligitur; poſteriori loco, vox eadem de funiculo ex binis contortis facto dicitur: *Of* (ut prius) præpoſitio, idem innuens quod Latinorum caſus Genitivus.

He twitcheth, the twine he had twined, in twain, raptim divellendo dirimit funiculum illum bimembrem, quem bina contorquendo fecerat, in duo.] *He* ille, Pronomen, ut prius. *Twitcheth in twain*, raptim divellendo dirimit in duo: Divulſionem, ſeu vulſionem in diverſum, innuit *Tw* ex *two* deſumptum: Rapide factam, innuit verbi *Twitch* terminatio *itch* rapidiſſima: atque, actu diremptum, innuit illud *in twain* in duo, ſive in bina, nempe

in duas partes divulſum: Non quidem, ut prius, detexendo; ſed rumpendo. Terminatio *eth* in *twitcheth*, eſt formativa tertiæ perſonæ. *The twine he had twined*, eſt Accuſativus Objecti, poſt Verbum Tranſitivum *twitched*. *The twine*, funiculum illum bimembrem; illum, inquam, quem contorquendo fecerat; & bimembrem, ſumpta ſcilicet voce *twine* ſtricto ſenſu, tanquam ex *two* derivata. *The twine he had twined*, pro *the twine which he had twined*; per Ellipſin Relativi *which*, nobis admodum frequentem. *He had twined* ille ex binis contorquendo fecerat: *Contorquendo fecerat*, inquam, potius quam *contorſerat*, propter Accuſativum Effecti, non Objecti; unde redditur verbum *twine* dupliciter tranſitivum: ſed & *ex binis contorquendo*; nam *to twine* (propter originem ſuam ex *two*) proprie de binis contortis dicitur; &, ubi de pluribus agitur, dicimus potius *to twiſt*; quod quamvis ejuſdem ſit originis, ſolet tamen laxius ſumi. *Had twined*, contorſerat: refert Latinorum Tempus pluſquam perfectum: Nempe *have* eſt auxiliare innuens præteritum perfectum; ejus præteritum imperfectum *had* eſt Verbum auxiliare pro tempore pluſquam perfecto, nempe illud innuens quod non modo *jam eſt* præteritum, ſed & *tunc erat* præteritum; eo ſcilicet tempore de quo ſit ſermo. Auxiliari *had*, ſubjungitur (ut fieri ſolet) Participium Paſſivum *twined*, factum à verbo *to twine*, addita terminatione formativa *ed*. Nempe, ut pro præterito *torſi*, dicimus *have twined*, hoc eſt (ad verbum) *habeo tortum*; ſic, pro *torſeram* dicimus *had twined*, habebam tortum. Tandem, *in twain* dicitur potius quam *in two* (quod tantundem valet) ut Rythmo faveatur; quo verſiculi ſint, ut noſtri ſolent eſſe, ὁμοιοτέλευτα.

The twain, bina illa, nempe filamenta.] Accuſativus Objecti, (ſed mox fuſius cum ſuo ſatellitio protractus,) reſpondens Verbo Tranſitivo *doth untwine* in fine verſiculi ſequentis. Utut enim vox Accuſativa ſtricto ordine ſequi debeat Verbum tranſitivum unde regitur, (ut loqui amant Grammatici,) non raro tamen, & præſertim in verſibus, invertitur ordo.

That (pro *which*) quæ.] Eſt nominativus, ſequenti verbo *were intwiſted* præpoſitus.

In twining, contorquendo, in contorquendo, inter contorquendum, in contorſione.] Præpoſitio *in*, cum Verbali *twining*, (ex verbo *to twine*, addita terminatione formativa *ing* facto,) non incommode per Gerundium exponitur, ſed & (quoniam hic occurrit in conſtructione Intranſitiva) per Latinorum Verbale *in torſione*.

Before in the twine, pridem in funiculo bimembri.] *Before* ante, Præpoſitio eſt: ſed hic, depoſito caſu, Adverbiaſcit. Componitur ex particula *be* (hoc eſt *by*,) & *fore*; quod quamvis ſeorſim nunc non occurrat, conſpicitur tamen in derivatis & compoſitis, *former*, *formoſt*, *firſt* (hoc eſt *for'ſt*,) *forth*, *forward*, *fore-mentioned*, *fore-going*, *fore-runner*, *foretell*, *foreſight*, *forecaſt*, *foreſhip*, *foreman*, *forehorſe*, *fore-ſide*, *afore*, *before*, &c. Et deſcendiſſe videtur, vel à Græcorum πρὸ vel Latinorum *præ*, ſeu *pro*, (quod in *promoveo*, *procedo*, *proſequor*, *prorſum*, *protenus*, *prora*, *promus*, aliiſque conſpicitur) eodem ſignificatu; tranſeunte *p* in *f* (ut in *father*, *fiſh*, *fear*, *fill*, *file*, *fell*, *few*, *fire*, *flat*, à pater, πατὴρ, piſcis, pavor, pleo, polio, pellis, pauci, παῦροι, πῦρ, πλατὺς,) & tranſpoſita vocali *o*, (ut in Gallorum *pour* pro:) omnino ut ab altero *pro* (hoc eſt, *propter*) fit noſtrum *for*. *In the twine*, in funiculo illo; nempe proxime memorato.

As twins, tanquam gemelli.] *As*, ut, ſicut, ὡς; Adverbium eſt. *Twins* Gemelli; proprie dicitur de binis infantibus eodem partu editis: & *a Twin* de eorum alterutro. Dicitur hic *Twins* ſine articulo: nam demonſtrativus *the* non conveniret; non enim de certis Gemellis determinatis agitur (quos *the* indicaret,) ſed Gemellis quibuſvis: nec conveniret articulus numeralis *a*, hoc eſt *one*, (quod individuum vagum notaret,) quoniam de pluribus agitur: ſed ipſo numero plurali id indicatur, quod indicaturus eſſet numeralis articulus; nempe ut *a* individuum ſeu particulare unum aliquod generali nomine comprehenſum innuit; ſic numerus pluralis innuit plura iſtiuſmodi, & quidem Vaga, ſi (ut hic) ſolitarius ponatur, & non articulo demonſtrativo *the* (aliave voce quæ tantundem innuat) determinetur.

Were intwiſted, erant invicem contorta.] *Were* eſt præteritum plurale verbi *Am* ſum; cujus Singulare *was*. Nam, ut ab *am are*, ſic à *was were*, de pluribus dicimus. *Intwiſted* eſt Participium Paſſivum, (propter terminationem formativam *ed*,) cujus ope cum verbo *Am* ſum, totam Latinorum vocem Paſſivam exprimimus; quod in linguis modernis aliis uſu venit, & in ipſa quidem Latina in aliquibus temporibus. *In* hic loci valet *invicem* ſeu *inter ſe*.

He now doth untwine, ille jam detorquendo reſolvit, diſſociat.] *He* ille, Pronomen, ut ſupra. *Now* nunc, Adverbium. *Doth*, tertia perſona verbi Auxiliaris *to do*, quod eſt temporis præſentis emphatici indicium. *Untwine*, Infinitum, ſed ſine particula *to*, verbo Auxiliari poſtpoſitum. *Un* particula, cum verbo *twine* compoſita, diſſolutionem innuit ſeu deſtructionem illius quod ipſum *twine* conſtruxerat. *Untwine* detorquendo reſolvit, occurrit hic ſenſu tranſitivo, propter Accuſativum Objecti *the twines* in principio verſiculi præcedentis; non autem dupliciter tranſitivo, quod foret ſi de funiculo torſione prius facto diceretur.

Twixt the twain, inter bina illa, nempe filamenta.] *Twixt* ſeu *'twixt*, reſciſſo capite, pro *betwixt*, inter; tantundem valet atque *between*; ex quo formatum videtur, quaſi *betweenſt*, ut ab *among*, fit *amongſt*. De binis dicitur, & quidem *the twain* illis binis memoratis.

Intertwiſting ſeu *Entertwiſting*, torquendo interferens, ſeu interſerendo.] Perinde eſt ſive per Participium præſentis ſive per Gerundium exponatur. *Inter* ſeu *Enter*, idem hic innuit quod *inter* Latinorum; ſive autem per *i* ſcribatur Latinorum more, ſive per *e* more Gallorum, perinde eſt, utrumvis enim promiſcue ſcribimus. Terminatio *ing* eſt formativa, ſive Participii, ſive Gerundii. Occurrit ſenſu tranſitivo, propter ſequentem Accuſativum *a twine more*. Et quidem præpoſitio *inter*, ut & illud *twixt*, hic fortius accipitur; non (ut aliquando) ut exiſtentiam in loco, ſed ut motum ad locum innuat: non tam prius intermedium exiſtens contorquet, quam torquendo interponit.

A twine more between, unum adhuc aliud filamentum in medio.] *A twine* aliquod filamentum; ut ſupra. *A twine more* unum filamentum amplius. *More* eſt comparativus gradus tum à Poſitivo *many* multa, tum à Poſitivo *much* multum, (ut ſignificet nunc *plus*, nunc *plura*:) uſurpatur hic adverbialiter, *unum adhuc filamentum*, ſeu *unum porro filamentum*, nempe, præter illa duo: (niſi quis *plus* & *plurem* hoc ſenſu dictum malit.) *Between* inter, adverbialiter ſumptum, ſeu in medio.

He twerling his twiſter, ille gyro celeri fortiter verſando, ſeu verſans, verſorium ſuum, ſeu torſionis inſtrumentum.] *He* ille, eſt Nominativus reſpiciens Verbum *makes* quod ſequitur. *Twerling*, propter formativum *ing*, indifferenter vel per Participium Activum, vel per Gerundium exponitur. *Twerl* converſionem in gyrum, celerem fortemque, innuit. Senſu tranſitivo uſurpatur, reſpiciens (non filum ut prius, ſed) ipſum torſionis inſtrumentum. *His*, contractum ex *hee's*, ſuum: Pronomen Poſſeſſivum. *Twiſter* Verſorium, contorquendi inſtrumentum; Agentem ſeu Efficientem innuit, (propter terminationem formativam *er*,) ſed minus principalem.

Makes a twiſt of the twine, facit ex bimembri funiculo funiculum plurimembrem.] *Makes*, pro *maketh*, facit; tertia perſona ſingularis pro tempore præſenti, (propter formativum *eth* vel *s*,) Verbi *Make* facio. Uſurpatur ſenſu tranſitivo propter ſequentem vocem Accuſativam, *A twiſt* funiculum, ſeu funiculum quendam, (propter articulum numeralem *a*,) & quidem plurimembrem, utpote bimembri *twine* contradiſtinctum. *Of the twine*, ex illo funiculo bimembri. *Of* reſpondet hic non tam Latinorum Caſui Genitivo, quam Præpoſitioni *Ex*. *The twine* funiculo illo bimembri; ſumpta voce *Twine* ſenſu ſtricto, ut ex *Two* derivata.

Notandum interim utut in his Verſiculis ſic expoſitis congeneas voces ſelegerim, non tamen deeſſe alias voces (pro copia linguæ noſtræ, adeoque non vitio vertendas,) funium tortorum varia genera deſignantes. Nempe, Subtiliſſimum dicimus *a threed* filum, ſeu filamentum tenue; poſt hoc, *a twine* filum duplicatum, ex ſimplicibus binis contortis; deinde *a twiſt*, ſpiram paulo majorem ſive ex binis ſive etiam pluribus membris conflatam; tum *a breade*, *a wreath* ſpiram; *a ſtring*, lorum; *a band*, vinculum; *a line* lineam ſeu funiculum minuſculum; *a chord* chordam ſive funiculum adhuc majorem; dein *a rope* funem majuſculum; & tandem *a cable* funem nauticum grandiorem. Sed & alia ſunt vocabula funiculos peculiaribus uſibus ſpeciatim deſtinatos inſinuantia; ut *ſhop-threed*, filum officinarum, minoribus mercibus ligandis inſerviens; *Pack-threed*, filum craſſius ſarcinulis colligandis deſtinatum; *a lute ſtring*, barbiti chorda muſica; *a bow ſtring*, arcus chorda; *a fiſhing line*, linea piſcatoria; *whip-chord*, funiculus tenuis ſed durius contortus flagellis conficiendis aptus, in equitantium præſertim uſum ad incitandos equos; *a hat-band*, ſpira pileis circumponi ſolita; *a jack-line*, *a clock-line*, funiculus aptus appendendis ponderibus pro movendis automatis; *a halter*, capiſtrum; *a bed-chord*, funiculus in lectiſternio lectis ſubtendi ſolitus; *a cart-rope*, funis ductarius, in plauſtrorum uſum. Aliaque his ſimilia.

Poeſin quod ſpectat, (ut illam leviter attingam;) verſus plerumque noſtri (præſertim Heroici, & in graviori materia,) Jambici eſſe ſolent; ex quatuor aut quinque pedibus; nonnunquam ex pluribus, aut paucioribus; & Rythmici plerique omnes (hoc eſt, ὁμοιοτέλευτοι) ut in aliis modernis linguis nunc fieri ſolet. Verum (præſertim in materia leviori,) Trochaici, Dactilici, aliique non raro adhibentur, pro Poetarum arbitrio.

Qui hic habentur, ſunt Anapæſtici; ex puris Anapæſtis fere conflati: Niſi quod in loco primo ſpondæus aliquando pro Anapæſto occurrat; ſubſtituta ſyllaba longa pro initialibus duabus brevibus; (ut in verſibus quarto, quinto, ſexto, ſeptimo, octavo, nono, decimo & duodecimo:) & quidem, verſu ſecundo, pes proceleuſmaticus, ex quatuor brevibus; nempe ſi *twiſting* habeatur pro duabus brevibus ſyllabis loco unius longæ: ſed dicendum potius *twiſt* ibidem eſſe ſyllabam longam, & *ing* ſuperfluam, raptim proferendam ita ut menſuram non turbet; (quod rarius quidem apud Latinos, ſed apud Græcos Poetas ſæpiſſime fit;) aut *twiſt* ſeſquibrevem eſſe & *ing* ſemi-brevem, quæ ſimul æquivalent uni longæ;

quod

quod apud Muſicos fieri ſolet in notis (ut loquuntur) punctatis. (Pariterque dixerim in penultimi verſus initio; nempe *twixt* ſeſquibrevem, & *the* ſemibrevem, loco duarum brevium adhiberi.) Si tamen libuiſſet dialyſin illam vitare verſu ſecundo; omitti poſſet particula *of*, eodem ſenſu manente; & quidem ſecundum analogiam linguæ utrumvis perinde dicitur. Idem dicendum de voce *Twiſter* verſu ultimo, quæ (acſi *twiſt'r* ſcriberetur) occurrit loco unius ſyllabæ longæ; aut etiam, ſeſquibrevis cum ſemibrevi, pro una longa.

Syllabarum autem quantitatem quod attinet, non nobis eſt (ut olim Latinis plerumque) ejuſdem vocis ſyllabæve eadem ubique quantitas: Sed magna libertate utimur; id præſertim attendentes, ut illæ ſyllabæ quæ ſive pro vocis ſive pro ſenientiæ ratione cum potiori emphaſi proferendæ ſint, ſortiantur ſedem longarum ſyllabarum, ut productiori ſono proferantur; ſyllabæque minus emphaticæ loco brevium. Quod ſi obſervetur, verſus mollius fluet, eritque auribus gratior; ſin minus, ingratior erit, atque aſperius incedet. Sed de Metro non eſt hic prolixe dicendi locus.

Verſiculos autem ſic expoſui, ut & conjugatarum Vocum mutuam Cognationem oſtenderem, & ſingularum Emphaſin; quæ apud nos tanta non raro exiſtit, ut longa periphraſi opus ſit vocibus ſingularibus explicandis. Unde factum eſt, ut quæ in lingua noſtra acute & preſſe ſcripta ſunt, difficilius in linguas alias transferantur, & vix quidem aut ne vix quin flacceſcat ſtilus, & acuminis vigor: quæ autem in aliis lingui ſcripta ſunt, in noſtram multo facilius, eadem elegantia & cum eodem acuminis vigore, transferantur.

Et quidem, quæ in aliis linguis occurrunt Paranomaſiæ, ſimileſve luſus ſonorum; non difficulter (ſi vocum delectum adhibeas) in noſtra retineas. Sic illud Rom. 12. 3. *μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν.* Quod reddimus, *Not to think of himſelf more highly than he ought to think, but to think ſoberly*: Si libeat Paranomaſian retinere; ſic reddas licet, *That he be not high-minded beyond what he ought to mind, but mind to be ſober-minded.* Sic Iſai. 28. 10. צַו לָצָו צַו לָצָו קַו לָקָו קַו לָקָו זְעֵיר שָׁם זְעֵיר שָׁם׃. Hoc eſt, literis noſtris: *Tſaw la-tſaw, tſaw la-tſaw; kaw la-kaw, kaw la-kaw; zeér ſham, zeér ſham*: Quod reddimus *Pi ecept upon precept, precept upon precept; line upon line, line upon line; here a little, and there a little*; Reddas licet, *Law to Law, Law to Law*; *Saw to Saw, Saw to Saw*; *here ſome, and here ſome.* Eſt autem *Saw* vox vetus pro *prudenter dicto.* Nempe, à Latinorum *ſagax* fit noſtrum *ſage*; atque hinc *ſaw*; ut à *lege*, *law*.

Item quæ alias lepide dicta ſunt, aut abſurde vel inficete, pariter in lingua noſtra reddentur, retenta illa vel facetia vel inficetia. Sic, cum in Archiepiſcopum quendam luſerat Epigrammatiſta cui miſerat ille piſces ſed non & Vinum;

Mittitur in Diſco mihi Piſcis ab Archiepiſco,
Po non ponetur, quod Potus non mihi detur.

Sic lepide redditum eſt lingua Anglicana,

I had a Fiſh, ſent in a Diſh, from an Archbiſh,
Hop ſhal not be here, becauſe he ſent me no Beer.

Item Epitaphium inficetum,

Muſicus & medicus Langton jacet hicce Johannes;
Organa namque loqui fecerat ille quaſi.

Haud infeliciter imitatus eſt verſor Anglicanus,

Muſician & Phyſician both,
Langton John liggeth here;
Who made the Organs for to ſpeak,
Or elſe as if it were.

Nec facile invenias lepidum aut illepidum, facetum aut inficetum quid, in alia lingua dictum; quod noſtra referendo non aſſequetur.

Quodque Regi Gallo, de Palatio ſuo, nuper gratulatus eſt Epigrammatiſta uno diſticho,

Non Orbis Gentem, non Urbem Gens habet ullam,
Urbſve Domum, Dominum vel Domus ulla parem:

Sic preſſe reddas, & κατὰ πόδα, vocibus pure Anglicis, (ſyllabis multo paucioribus,)

Earth has no Land; no Land, a Town; (*I wiſs*;)
Nor Town, a Houſe; nor Houſe, a Lord; like this.

Quod ſua lingua Gallicana vix aut ne vix præſtabit.

Pariter Anacreonticum illud, (aut, cujuſcunque demum fuerit, Anacreonticis ſubjunctum,)

Ἡ γῆ μέλαινα πίνει,
Πίνει δὲ δένδρε' αὐτὴν,
Πίνει θάλασσα δ' αὔρας,
Ὁ δ' ἥλιος θάλασσαν,
Τὸν δ' ἥλιον σελήνη.
Τί μοι μάχεσθ' ἑταῖροι,
Κ' αὐτῷ θέλοντι πίνειν;

Quod

Quod H. Stephanus ſic reddit, Latino carmine;

Fœcunda terra potat,
Hinc arboreſque potant,
Et potat æquor auras,
Phœbuſque potat æquor,
Ipſumque Luna Phœbum.
Quid ergo vos, Sodales,
Potare me vetatis?

Elias Andreas ſic;

Terræ bibunt feraces,
Plantæ bibunt & illas,
Auras Thetis marina,
Et aureus Thetin Sol,
Bibitque Luna Solem.
Quid increpatis ergo
Me, dum bibo, Sodales.

Cowlæus noſter, verſu Anglico, ſed laxiori ſtylo, ſic eleganter [illegible]

The thirſty Earth drinks up the rain,
And drinks, and gapes for drink again.
The Plants ſtick in the earth, and are,
With conſtant drinking, freſh and faire.
The Sea it ſelf (which one would think
Should have but little need to drink)
Drinks ten thouſand Rivers up,
So fill'd that they o'reflow the Cup.
The buſy Sun (and one would gueſs,
By's drunken fiery face, no leſs,)
Drinks up the Sea. And when that's done,
The Moon and Stars drink up the Sun.
They Drink, and Dance by their own light:
They Drink, and Revell all the night.
Nothing in Nature's Sober found:
But an eternal health goes round.
Fill up the Bowl, and fill it high:
Fill all the Glaſſes here: For why
Should every creature Drink, but I?
Why, man of morals, tell me Why.

Quod, Latino Carmine, ſic reddas;

Terra bibit Nubes, (& mox, potata, dehiſcit,
Pocula plura petens.) Sed & ipſam Germina Terram:
(Nec, ſatiata licet, ſuctum ſatiata remittunt)
Et mare (quis credat ſitibundum) Flumina mille,
(Plena quidem, & ripas ſuperantia, Flumina.) Pontum
Sol bibit (& rutilant imitantia lumina Bacchum.)
Luna bibit, junctimque bibunt vaga Sidera, Solem;
(Luce ſua ducunt &, tota nocte, Choreas:)
Ordine quæque bibunt, ſua pocula, cætera. Quorſum
Pocula ſolus Ego prohibebor læta bibendo?

Verum ego, in hujuſmodi verſibus exponendis, contractiorem *Anacreontis* formam, (quam *Cowlæi* laxiorem,) magis convenire putaverim. Quippe cum totum Epigramma non ſit niſi Paralogiſmus (joco, magis quam ſerio, prolatus) celeriter potius percurrendum eſt, quam ei diu immorandum, neque enim res feret accuratum examen. Græcum itaque Epigramma ſic ego potius (carmine Anacreontico) preſſius reddiderim.

Vel ipſa Terra potat.
Potantque Germina ipſam.
Et Pontus ipſe potat.
Potatque Phœbus illum.
Phœbumque Luna potat.
Cur unus, hiſce potis,
Ego potare nollem?

Atque, ad eundem ſenſum, Anglice.

The Earth doth Drink: and Plants, from it.
The Sea it ſelf doth Drink; we ſee't.
The Sun Drinks up the Sea. The Moon,
And Stars, again, Drink up the Sun.

Muſt every thing then Drink, but I?
Grave Solon, prithee tell me Why?

Vel ſic etiam, Anacreontico carmine:

The Earth doth Drink, and Tope it.
The Trees Drink thence, and Soak it.
The Sea Drinks up whole Rivers,
Sol Drinks the Sea for Bevers.
The Moon Drinks Him. And Why Man,
Muſt all things Drink, but I, Man?

Ubi notandum erit, quam preſſe lingua Aoglica (ubi affectatis Gallicanæ linguæ vocabulis prolongatis, & forinſecus adſumptis ſeſquipedalibus verbis, non impedita eſt,) id omne Sex habet verſibus (totidem ſyllabarum oumero conſtantibus) quod erat Septem Græcis exhibitum. Habetque porro (pro materiæ defectu) ultra quod in Græcis fuerat, hos Pleonaſmos, *And Tope it*; *And Soak it*; *Whole Rivers*; *For Bevers*; *Muſt all things Drink*; (quippe illud *And why not I, Man?* ſufficeret exprimendis Græcis.) Præterquam quod vox *Drink* (qua præcipua cootinetur Emphaſis) hic in ſiogulis clauſulis repetatur; quæ erat in Græcis aliquoties omiſſa, intellectu ſupplenda. Solaque omittitur vox μέλαινα (quæ erat in Græco redundans, neque ad rem facit;) itemque vox αὔρας, quæ melius abeſſet. Nam magis Emphatice mare diceretur, ſimpliciter, *Bibere*; ut ante de Terra; quam Bibere *Vapores*; cum potius *Flumina* dicendum eſſet, quod nos ſupplemus.

Quin preſſius adhuc, ſolis Monoſyllabis, ſic idem reddas:

Earth Drinks: and, it, the Trees Drink.
Seas Drink: and Sol doth Theſe Drink.
And, him, the Moon and Sky Drink.
Then Why, Sir, may not I Drink?

Ubi Quatuor verſibus (item Anacreonticis) id habetur, quod Septem (talibus) exhibet Epigramma Græcum.

Quæ dicta ſunt; non, ut Anacreontis temulentiam (hoc Paralogiſmo) commendatum eam, (cujus fere omnia Epigrammata vix aliud ſpirant, quam aut Vinum, aut Venerem, aut quæ huc ſpectant:) Sed ut experimento oſtendam, quam, etiam preſſe dicta in aliis linguis, poſſint preſſius adhuc, nec minus ſignanter, à nobis exhiberi. Atque de his hactenus.

FINIS.

INSTITUTIO
LOGICÆ,

Ad communes uſus accommodata.

(Cum ſubjunctis Tribus Theſibus congeneris materiæ.)

Anno 1687. *primum edita.*

CELEBERRIMIS VIRIS,

D. PRÆSIDI

Cæteriſque

SOCIETATIS REGIÆ LONDINI,

(Pro Naturali Cognitione Promovenda,)

SODALIBUS;

JOHANNES WALLIS S.T. D. Geometriæ Profeſſor Savilianus Oxoniæ, Veſtroque ordini adſcriptus,

Εὖ πράττειν.

CUM ea ſit Inſtituti Veſtri ratio (Viri Celeberrimi) ut verám Philoſophiam ſedulo promoveatis; eamque ex Scholarum Adytis, in liberiorem aerem evocatam, humanis uſibus accommodetis: Rem haud ingratam me facturum, arbitratus ſum, ſi id ego in Logica quadantenus aggrederer: Qua ut miniſtra ſaltem utitur Philoſophia; ſi non ut Magiſtra item & Directrice; Ut quæ Rationem docet, in re quacunque, recte inſtituere. Cujus itaque ſuſcepti rationem, & proſequendi methodum, paucis hic exponendam duxi: nequis forte quærat (aut conqueratur etiam) in tanta Scriptorum Logicorum (frequentia, dicam? an) luxuria, quæ Lectores non tam doceat quam opprimat; Cur velim ego, ſub mole fatiſcentibus, hoc novum onus imponere. Quod quidem non eo factum eſt, quaſi non ſentiam, abunde ſatis ſuperque apud Logicos paſſim eſſe tradita: ſed, ut moneam, cui uſui, & quem in finem, tradita ſint, quibuſque modis poſſint rebus quotidianis accommodari. Non enim ideo tantum tradi cenſendum eſt præcepta Logicæ (quæ Juvenum præſertim magna pars ſenſiſſe videatur) ut per Annum unum aut alterum (aut tertium etiam quartumve) in Sophiſtarum Scholis rixandi aut altercandi, de præceptis ipſis, materiam ſubminiſtrent; atque tum demum, recedentibus, cum Toga Academica deponantur; quaſi in reliquum vitæ inutilia: Sed ut formandis Academicorum animis inſerviant; quo poſſint, per univerſam vitam, rationes rite inſtituere, atque dilucide juſtoque ordine conceptus ſuos apud ſe formare, & apud alios proferre. Sicut enim, qui, in annis puerilibus, Grammaticæ Rhetoricæve ſub Ludimagiſtro dant operam, non ideo tantum hoc faciunt, ut poſſint (non ſine laude) ſub Ferula mereri, (quamquam hoc etiam,) ipſa præcepta & vocabula Artis diſcendo, & pro more recitando; Sed ut, prout fert occaſio, congrue poſſint in poſterum & eleganter de re quapiam dicere ſcribereque: Quique altioribus in Academia incumbunt Diſciplinis (Theologiæ, Prudentiæ Civili, Medicinæ,) id faciunt, ut, quæ ibidem edocti ſunt, poſtmodum exerceant & in praxin revocent: Ita, qui Logicæ ſtudent apud nos, id facere cenſendi ſunt, ut ad hujus leges nervoſe poſſint ſolideque diſſerere; deque aliis ſic aut ſecus diſſerentibus judicium ferre. Non quidem, ut pædantice aut (quod dici ſolet) in modo & figura ſua dicta componant omnia: ſed, ut ſic arguant diſſerantque, ut ſumma cum ratione & juſta conſequentia ſibi cohæreant dicta, etiam ad ſtrictum examen revocata; eiſque forma & ordine diſponantur, ut ſint intellectu facilia, atque ad fidem faciendam (aut etiam cogendam) apta; ſciantque ipſi de aliorum dictis, in quacunque materia, eorumque vel conſequentia vel inconſequentia, judicium facere; & argumentorum vires intelligere; ſimulque ab argutis Sophiſmatis & ſpecioſis nugis ſibi cavere. In hunc igitur ſcopum intentus; omnia, quantum licuit,

ſic exponere conatus ſum (quam ſimpliciſſime) prout in quotidiano uſu occurrunt. Reſciſſis interim (ſaltem ſepoſitis) ut nobis minus neceſſariis, quæ apud Logicos paſſim occurrunt minutioribus argutiis, altercationum materiam ſubminiſtrantibus: quæ uſui quidem eſſe poſſunt aliquando, pro exercendis juvenum ingeniis (ut diſcant inde, in utramvis partem ſpecioſe diſſerere;) ſed haberi poſſunt aliunde. Retineo tamen receptas loquendi formulas, ſolitaque artis vocabula: quorum utut aliqua forte non uſque adeo commode fuerint primitus admiſſa, non tanti tamen eſt ut immutentur; cum major ſit inde confuſionis metus, (dum alii aliter eiſdem vocibus utuntur,) quam ſpes utilitatis: ſic exponenda potius ratus, ut commodum ſenſum ferant. Nam & ſic res ipſa docetur; &, quid his vocabulis apud alios ſignificatur: ut nec opus ſit nova nomina comminiſci, nec (quod gravius eſt incommodum) antiqua nomina novis ſignificationibus adhibere. Exempla item retineo, quæ apud Logicos trita ſunt; ex Philoſophia quam vocant Veterem & Peripateticam petita: Quia Logicam hic trado, & quidem Peripateticam; non, Naturalem Philoſophiam. Adeoque, de Quatuor Elementis; de Telluris Quiete, in Univerſi medio; de Gravium motu deorſum, Leviumque ſurſum; de Septenario Planetarum numero, aliiſque; ſic loquor, ut loqui ſolent Peripatetici: Non ſolicitus, an vera ſit per omnia illorum Hypotheſis, (de qua in Naturali Philoſophia diſputandum foret, non in Logica,) contentus, hæc apta eſſe in Logicis exempla, modo res ita ſit ut perhibetur. Quædam item alia, utpote ab aliis in Logica tradi ſolita, quæ forte (ſi res eſſet integra) abeſſe tuto poſſent, aut alio ablegari: retineo tamen; non Logicam tantum, ſed & Logicos explicare ſatagens. Iſta interim omnia ſic explicare conatus ſum, ut, depoſita ſolenni formularum pompa, quid hæc ſolennia ſignificent ad communes loquendi formulas redacta, uſuque hominum communi recepta, innoteſcat; ne grande aliquid ſub verborum exoticorum involucris latere cenſeatur, cum res ipſa receptis vocabulis explicata ſit notiſſima. Nonnulla tamen ſunt, in quibus à communi Logicorum tramite recedere ſum coactus; Præſertim ubi Propoſitiones Singulares, ad Univerſalium claſſem revoco: Et, ſyllogiſmos Hypotheticos, alioſque Compoſitos, dictos; Categoricorum regulis coerceo. Non quod ego hac in re Novator ſim; ſed ad doctrinam Ariſtotelicam ſeu Peripateticam eos revocem, qui ab ea (ſive ſcientes, ſive, quod potius putaverim, neſcientes) exorbitaverint. Quoniam autem ea res Paradoxa nonnullis videri poſſit; ſuam Ariſtoteli doctrinam fuſius aſſerui, juſtiſque aliquot diſſertationibus, ad calcem, vindicavi. Hoc totum autem, quicquid eſt, Veſtris uſibus accommodatum, vobiſque jam ante aliquot annos dicatum, & in ſcriptis traditum, jam typis editum veſtro itidem arbitratus permitto. Oxoniæ, Novemb. 30. 1686.

INDEX

INDEX CAPITUM.

PARS PRIMA.

De Apprehenſione Simplici.

CAP. I. *De Vocibus, earumque Significatu.*
II. *De Individuis, Particularibus, ſeu Singularibus.*
III. *De Vocibus Communibus, ſeu Univerſalibus.*
IV. *De Prædicabilibus tribus primoribus; Genere, Specie, & Differentia.*
V. *De duobus poſtremis Prædicabilibus; Proprio, & Accidente.*
VI. *De Subſtantia, Accidente, & decem Prædicamentis.*
VII. *De Prædicamento Subſtantiæ.*
VIII. *De Prædicamento Quantitatis.*
IX. *De Prædicamento Qualitatis.*
X. *De Prædicamento Relationis.*
XI. *De Prædicamentis Actionis & Paſſionis.*
XII. *De Prædicamentis Ubi & Quando.*
XIII. *De Prædicamento Situs.*
XIV. *De Prædicamento Habitus.*
XV. *De Ante-prædicamentis & Poſt-prædicamentis.*
XVI. *De Oppoſitione Simplicium Terminorum.*
XVII. *De Modis Prius & Simul.*
XVIII. *De Motu, & Habitu.*
XIX. *De Cauſa & Effectu.*
XX. *De Subjecto, Objecto, Adjuncto.*
XXI. *De Toto & Partibus; Diviſione, & Diſtributione.*
XXII. *De Eodem & Diverſo.*
XXIII. *De Definitione & Deſcriptione.*

PARS SECUNDA.

De Secunda operatione Intellectus.

CAP. I. *De Propoſitione.*
II. *De Partibus Propoſitionis Categoricæ.*
III. *De Qualitate Propoſitionis: Affirmativa & Negativa.*
IV. *De Quantitate Propoſitionis: Univerſali & Particulari.*
V. *De Oppoſitione Propoſitionum.*
VI. *De Æquipollentia Propoſitionum.*
VII. *De Converſione Propoſitionis.*
VIII. *De Propoſitionibus Modalibus.*
IX. *De Propoſitionibus Excluſivis, Exceptivis, Reduplicativis; variiſque propoſitionum Suppoſitionibus.*
X. *De Propoſitionibus Hypotheticis.*
XI. *De Propoſitionibus Copulativis & Disjunctivis.*

PARS TERTIA.

De Tertia operatione Intellectus.

CAP. I. *De Argumentatione.*
II. *De Syllogiſmo.*
III. *De tribus Figuris.*
IV. *De Modis.*

V. *De Fundamento Syllogiſmi; & Modis Figuræ primæ.*
VI. *De Reductione Syllogiſmorum; & Modis ſecundæ Figuræ.*
VII. *De Modis tertiæ Figuræ.*
VIII. *De Modis Indirectis.*
IX. *De quarta Figura.*
X. *De Modis Propriis.*
XI. *De Syllogiſmo Expoſitorio.*
XII. *De inveniendo Modo; & Medio Termino.*
XIII. *De Enthymemate, Sorite, aliiſque Syllogiſmorum Accidentibus.*
XIV. *De Syllogiſmis Obliquis, & Modalibus.*
XV. *De Inductione & Exemplo.*
XVI. *De Syllogiſmis Hypotheticis, Conditionalibus, Temporalibus, & Localibus.*
XVII. *De Syllogiſmo Disjunctivo.*
XVIII. *De Syllogiſmo Negativo-Copulativo.*
XIX. *De Dilemmate, ſeu Syllogiſmo Diſtributivo.*
XX. *De Fallaciis.*
XXI. *De Materia Syllogiſmorum.*
XXII. *De Demonſtratione.*
XXIII. *De Syllogiſmo Topico.*
XXIV. *De Methodo.*

THESES TRES.

THES. I. *Propoſitio Singularis, in Diſpoſitione Syllogiſtica, ſemper habet vim Univerſalis.*

II. *Syllogiſmi Hypothetici, aliique Compoſiti, referendi ſunt omnes ad Ariſtotelicos Categoricorum Modos.*

III. *Quantitas non differt Realiter à Re Quanta.*

LOGICA

LOGICA.

PARS I.

De Apprehenſione Simplice.

CAPUT I.

De Vocibus, earumque Significatu.

L*OGICA*, eſt *Ars* (ſive Peritia) *Ratiocinandi*, (ſeu commode utendi Ratione.) Mentem (ſeu Intellectum) dirigit, in debito commodoque uſu Rationis; Quod *Ratiocinium* dicitur ſive *Diſcurſus*. Nempe; Prout Logica innuit *Habitum mentis practicum*, ſeu Habitum Cognitivum; eſt ipſa *Peritia Ratiocinandi*: Prout *Doctrinam* innuit, ſeu Diſciplinam; eſt Collectio *Præceptorum*, quæ hanc Peritiam inducant. Hanc vocant *Logicam Docentem*; Illam *Logicam Utentem*.

Dicitur autem *Logica* (λογικὴ) ἀπὸ τοῦ λόγου· quæ Vox & *Rationem* ſignificat & *Orationem*.

Logices *Objectum* (circa quod verſatur) ſunt Res omnes; (ſive Reales, ſive Imaginariæ;) Nempe illud omne quicquid ſit de quo Diſcurrimus, Ratiocinamur, ſeu Ratione utimur.

Diſcurſus autem vel *Mentalis* eſt, & *mente* peragitur (λόγος ἐνδιάθετος vulgo dictus;) quo res mente concipimus, invicem comparamus, aliaſque ex aliis colligimus. Vel *Vocalis* (λόγος προφορικὸς dictus;) quo Mentis Cogitata & Ratiocinia *Voce* proferimus & explicamus. Utrumque *Diſcurſum* dicimus.

Quæ quidem Diſtinctio, ſeu ſignificatus diſtributio, originem duxiſſe videtur ab ambiguo ſenſu Græcæ vocis λόγος; tum *Rationem* tum *Orationem* ſignificantis.

Pariterque, lingua noſtra Anglicana, *Diſcurſum* dicimus, tum de interno mentis *Ratiocinio*, tum de externo *Colloquio*.

Voces ſeu *Verba* (ſive Scripta ſive Prolata,) ſunt Rerum Nomina, Signaque (ſeu Indicia) Cogitatuum, ſive conceptuum mentis; quibus Cogitata noſtra alii aliis indicamus.

Sunt quidem & alia ſigna ſive Indicia, quibus Cogitata noſtra Indicare ſeu Inſinuare poſſumus; Qualia ſunt quibus mentem ſuam explicare ſolent Muti ſurdique; homineſque diverſilingues, quorum alter alterius dialectum non intelligit.

Præcipuus autem, uſuque receptiſſimus, & commodiſſimus mentem explicandi modus, eſt, qui Voce fit, Verbiſque prolatis.

Vocum aliquæ (ut & Geſtuum) ſunt quaſi *Naturaliter ſignificantes* (ſuntque plurium, ſi non & omnium, nationum communes;) Quales ſunt Riſus, Fletus, Singultus, Ejulationes, Gemitus, &c. Has autem (utut ſuas habeant ſignificantias) non ſolemus *Verba* nuncupare.

Verba autem plerumque dicimus, *Voces articulatas* (Gutturis, Linguæ, Labiorum, Narium, aliorumque loquelæ organorum ope formatas,) ſignificantiam habentes ad placitum, ſeu ex propoſito; communi loquentium uſu ſibi affixam. Quorum ſignificatus (& quidem alibi alios) uſu communi & conſuetudine addiſcimus. Ut ſunt *Man*, *Cow*, *Horſe*, *Sheep*; &c. (*Homo*, *Vacca*, *Equus*, *Ovis*, &c;) Quæ communi conſenſu ſignificant (apud nos) ea Animalia quæ his nominibus indigetare ſolemus. Quæ quidem non minus potuiſſent (ſi id hominibus placuiſſet) aliis nominibus appellari; prout etiam alibi aliter appellantur.

Atque hæc Verba ſeu Vocabula cum certis *Literis* (ſive Penna, ſive Prelo,) exhiberi conſpicimus; ex communi item uſu intelligimus, his Literis hoſce Sonos (communi homi-

num conſenſu) indicari ; atque hiſce Sonis rite compoſitis hæc formari Vocabula ; atque his tandem vocabulis Res haſce ſignificari.

Quum itaque Vox aliqua, ex communi uſu, notum habet certumque ſignificatum; ulteriori explicatione non eſt opus; ſed ſatis eſſe intellecta præſumitur: Eamque vocibus aliis (minus forte notis) explicatum ire, ſupervacaneum foret & inutile.

Quum vero Vox quæpiam uſurpanda venit, quæ vel minus nota eſt, vel dubiæ ſignificationis, vel alio uſurpanda ſenſu quam qui vulgaris eſt: omnino expedit, Vocibus aliis notioribus, aut minus dubiis, determinare, ſeu explicatum dare, quo ſenſu ſit intelligenda (ſaltem eo loci) vox ea dubia ſeu minus nota.

(Taliſque Vocis ſeu Explicatio ſeu Limitatio ad certam ſignificationem, antiquitus (ὅρος) *Definitio* dicebatur. Atque hoc ſenſu, præſertim apud Matheſeos ſcriptores, etiamnum uſu venit : utut apud alios , Phyſices præſertim ſcriptores, *Naturam Rei*, potius quam *ſignificatum Vocis*, phraſeoſque, ecoletur *Definitio* explicatum dare.)

Sic, cum *Canis* voce, Animal domeſticum, ſic vulgo dictum, intellectum volumus, nulla opus erit explicatione, (utpote notæ ſignificationis :) Verum ſi eadem voce intellectum volumus, vel Stellam in Cœlis ſic dictam ; vel Piſcem cognominem ; vel Tabernam vinariam Canis interſignio notam ; aut aliud quid, quacunque ratione, eo nomine (utut minus proprie) inſignitum : Definitione aliqua, ſeu diſtinctione opus erit appoſita, qua vox ambigua ad hanc determinetur ſignificationem ; puta, *Canem Stellam, Canem Piſcem, Canem Tabernam*, aut huic ſimilem; (pariterque in lingua noſtra, *the Dog-Star, the Dog-Fiſh, the Dog-Tavern*, &c.) ſaltem , niſi ex orationis tenore, aliiſve loquendi circumſtantiis, ſatis conſtare poſſit quo ſenſu intelligenda venit hæc vox ambigua.

Quando autem deeſt vox unica (aut loquenti non occurrit) qua rem quampiam deſignemus; Definitione aliqua ſeu Deſcriptione utimur, qua nominis defectum ſuppleamus. Ea vero definitio ſeu deſcriptio (periphraſtica) pluribus vocibus expreſſa , haberi ſolet ſæpenumero (prout fert occaſio) inſtar unius vocis ſeu *termini ſimplicis*, (atque ut talis conſideratur.) quamvis revera ſit (dicique ſoleat) *terminus complexus*, ſeu *vox complexa* ; utpote à pluribus compoſita, complexa, ſeu complicata. Dicique ſolet (hoc caſu) *complexa voce, incomplexa re* , (ut quæ pluribus vocibus rem unam innuit.) Contra vero, *Pluit, Venio* ; aliaque iſtiuſmodi, voce ſingulari, ſenſum complexum innuunt, poſſuntque (cum opus eſt) in membra ſua reſolvi. Quemadmodum, apud Grammaticos, vox complexa, aut etiam integra ſententia, occurrit (non raro) inſtar unius (ut loquuntur) *Caſus Nominativi*, Verbo præfixi ; & vox unica, ut *Caleo*, reſolvitur in membra ſua componentia, (aut ſubintellecta,) *ego caleo*, aut *ego ſum calidus*.

CAP. II.

De Individuis, Particularibus, ſeu Singularibus.

QUum Verbum, Vocabulum, ſeu Vox aliqua, (aut etiam vocum Complexio,) rem aliquam Particularem ſeu ſingularem deſignat (cujuſcunque generis aut naturæ res ea ſit ;) Vox ea (aut etiam Res ea voce indicata) *Singularis* dici ſolet, & *Individua*. Sic *Plato, Socrates, Londinum, Athenæ, Sol, Luna, primus homo, Stella polaris, Angliæ Metropolis, Rex Angliæ qui nunc eſt, &c. Individua*, ſeu *Singularia*, aut *Voces Individuæ* ſeu *Singulares*, dici ſolent; ut quæ Nomina ſunt, aut Deſcriptiones, particularium ſive hominum, ſive rerum, ſive locorum; & non deſignant (ſingula) res diverſas uno nomine indicatas.

Si autem contingat (quod nonnunquam fit) ut plures Homines (ſingulatim) dicantur *Plato* ; aut plures Urbes *Londinum*; (aut horum ſimile;) id ex Accidenti fit, (eſtque pro accidentali reputandum,) quippe ſingula hæc nomina, ſingulis ſive hominibus ſive locis rebuſve indita ſunt ſingulatim, non minus quam ſi ſua ſingulis eſſent diverſa nomina. Neque intenditur *Nomen* iſtiuſmodi ut *duobus Commune* (quamquam id caſu forte fiat) ſed ut *utrique Proprium*, ſeu ut duobus ſingularibus, duo nomina ſingularia. Haud ſecus ac vox *Canis*, animalis nomen ſubſtantivum, in caſu recto ſingulari , (ut loquuntur Grammatici;) eademque vox (literas ſi ſpectes) adjective ſumpta, in caſibus obliquis numeri pluralis, pro *canis capillis* ; & tandem pro ſecunda perſona Verbi *Cano* : non tam reputanda erit pro voce unica (utut eiſdem literis ſcribatur) quam pro tribus vocibus diverſis, diverſi ab invicem ſignificatus ; quæ & ſuis ſingulæ ſignificatibus ſingulatim deſtinentur.

Vox ſingularis, ſeu individua, ita nonnunquam uſurpatur, ut deſignet quidem rem aliquam particularem aut individuam, ita tamen laxe ut inde non determinetur quænam ſit ea res individua. Ut, cum indefinite dicitur *a Man, a Horſe*, (*Homo quidam, quidam Equus*,)

Equus,) non determinando an ille Homo ſit *Alexander*, Equuſque *Bucephalus*, aut quiſpiam alius. Atque hoc caſu, Individuum illud dici ſolet *Individuum Vagum*; utpote Individuum (ſeu Particulare quiddam, aut ſingulare) ſed Incertum aut Indeterminatum. (Et ſimiliter, ubi dicitur *Duo* homines, *Tres* homines, *Aliquot* homines; totidem innuuntur ſingulares homines ſeu Individui, ſed Indeterminati.)

Sed cum Individuum aliquod ſic uſurpatur ut eo indicetur non modo *unus aliquis* (ὁ δεῖνα) laxe ſumptus, aut *res una quædam*; ſed (determinate) *hoc unum*, (ſive res ſit, ſive perſona;) dicitur *Individuum determinatum*. Sic *Londinum*, *Bucephalus*, *Alexander magnus*, deſignant (reſpective) unum determinatum Locum, Equum, Hominem.

Individuum hujuſmodi, redditur Determinatum, omni (quocunque) modo, unde certo conſtet quodnam id unum ſit quod eo indicatur, (aut etiam, ubi plura ſunt Individua, quænam ea ſint.) Id autem (inter alios) tribus potiſſimum modis (ad quos alii ſiqui ſunt facile reducantur) fieri poſſe, doceri ſolet.

1. Per *nomen Proprium*, uni cuipiam peculiariter inditum; Ut ſunt *Plato*, *Virgilius*, *Bucephalus*, *Parnaſſus*, *Londinum*. Quod dici ſolet *Individuum Signatum*; utpote peculiari nomine deſignatum.

2. *Indicando*, *Monſtrando*, aut ſimili aliquo modo determinando, rem aliquam ſingularem. Ut ubi intento digito, vel ſimili indicio, individuum aliquod, indicatum dicimus, *Hunc* hominem, locum *Illum*, rem *Iſtam*, *Illud* de quo ſit ſermo, aut tale quidpiam. Diciturque *Individuum Demonſtrativum*; utpote quod demonſtrando determinatur.

3. Per *Deſcriptionem* aliquam, ſeu Characterem quo ſatis innoteſcat quodnam ſit. Ut, cum dicimus, *Alexandri magni Patrem*; (innuendo *Philippum Regem Macedonum*:) aut *Angliæ Metropolin*, (*Londinum* innuendo;) aut *Hominum Protoplaſten*, ſeu *Primum hominem*, (innuendo *Adamum*.) Diciturque *Individuum ex Hypotheſi*, utpote quod, data hypotheſi, (ſeu ſuppoſitione,) Individuum determinatur. Puta, dato quod *Philippus ille* fuerit *Alexandri magni pater*, hoc charactere *Philippus* ille ſatis indicabitur.

Huc referendæ ſunt deſcriptiones ejuſmodi laxiores, quæ quamvis, vi vocum, certum individuum non determinent, tamen Emphatice ſumptæ & (ut loquuntur) κατ' ἐξοχὴν, ſatis inſinuatum dant, Quiſnam ſit, aut Quodnam, de quo ſit ſermo. Utputa qui, in communi ſermone, dixerit *The City* (τὴν πόλιν) ſeu *Urbem* (ἐμπορικὴν,) intelligitur (apud nos) *Londinum* indicare; ut quæ eſt Urbium (apud nos ſaltem) præcipua, & præ cæteris inſignis. Sic qui dixerit *The King* (τὸν βασιλέα) *præſentem Angliæ Regem* cenſebitur indicare, (ſaltem, niſi ex aliis ſermonis Circumſtantiis de alio quopiam Rege verba fieri conſtiterit.) Sic ubi *The Poet* (Poetam κατ' ἐξοχὴν) de *Virgilio* aut *Homero* dicimus. *The Orator* (*Oratorem*) de *Cicerone*, aut *Demoſthene*. Quippe in his omnibus (& horum ſimilibus) certum aliquod Individuum ſatis intelligitur.

Nomen (quod dici ſolet) *Collectivum*, quamquam in ſe contineat Individua plura, ſeu ſingularia, (de quibus omnibus junctim intelligitur;) eſt tamen ipſum (ſenſu quo jam loquimur) Individuum. Ut, *Gens hominum*, ſeu *lapidum Acervus*. Quamquam enim *plures* Homines, & Lapides *plures*, ſic intelligantur; ſaltem Gens *una* eſt, Acervus *unus*.

Idemque cenſendum eſt de alio quopiam verbo, quod de pluribus Individuis ſeu ſingularibus dicitur *Collective* ſumptis; hoc eſt, *de omnibus junctim*; non autem *Diſtributive* ſumptis; hoc eſt, *de ſingulis ſeparatim*.

Item de *Toto* ſeu *Integro* quovis, ex pluribus *Membris* ſeu *Partibus* (ut loquuntur) *integrantibus* conſiſtente. Quamquam enim Partes ſeu Membra plura ſint, eſt tamen *Unum* Integrum; adeoque ipſum eſt (ſenſu quo jam loquimur) Individuum; utut (alio ſenſu) in plures partes dividi poſſit, quas *Integrantes*, ſeu *Integrales* dicunt; hoc eſt, multa *Membra* unum *Integrum* conſtituentia.

CAP. III.

De Vocibus Communibus, ſeu Univerſalibus.

QUando Vox eadem, eodem ſenſu, de rebus pluribus *Separatim* dicitur; (ſeu, idem Nomen, uno eodemque ſenſu, rebus pluribus ſingulatim attribuitur;) Vox ea *Communis* dicitur; ſeu *Univerſalis*.

Dico, *Separatim* ſeu *Singulatim*, hoc eſt, Diſtributive de ſingulis, (ut modo explicatum eſt:) Nam ſi de pluribus Collective ſumptis (hoc eſt, de ſimul omnibus) dicatur; non erit ea Vox Communis ſeu Univerſalis; ſed una Collectio, unum Aggregatum, unum Integrum ex pluribus membris ſeu partibus conſtans.

Dico etiam, *eodem ſenſu*. Nam ſi vox eadem, ſed diverſo ſenſu (diverſo ſignificatu)

rebus pluribus (etiam ſeparatim) attribuatur: hæc quidem, utut ſono vox eadem cenſeatur; ſenſu tamen pro totidem erit vocibus habenda quot habet ſignificatus. Sic, Vox Latina *Cancer*, deſignat tum Piſcem marinum ſic dictum; tum Aſteriſmum Cœleſtem; tum (ne plura nominem) cognominem Morbum: Non tamen eſt ea vox, ad hæc tria, Univerſalis; ſeu vox Communis; ſeu (quod dici ſolet) commune Prædicatum: ſed tot potius Prædicata diverſa, quot ſunt diverſa ſignificata. Quæque huic fere reſpondet vox Anglica *Crab*; tum de Piſce dicitur (*a Crab-Fiſh*,) tum de Malo ſylveſtri (*a Crab-Apple*,) hujuſque Arbore (*a Crab-Tree*;) ne & Conſtellationem Cœleſtem memorem, & ſiqui ſunt alii ſignificatus: Adeoque non cenſebitur commune horum Prædicatum, (quia non de omnibus eodem ſenſu dicitur,) ſed, plurium rerum, plura prædicata ſeu attributa. Verum vox eadem *Cancer* Latine, & *Crab* Anglice, de pluribus itiuſmodi Piſcibus dicta, erit (ad hos) Vox Communis, ſeu Prædicatum Univerſale; quia, de his quidem, eodem ſenſu dicitur omnibus.

Vox hujuſmodi Communis, de pluribus eodem ſenſu dicta, ſeu prædicata, *Vox Univoca* dici ſolet, ſeu *Prædicatum Univocum*, & *Univoce dici* ſeu prædicari. Ut, cum *Petrus*, *Paulus*, *Socrates*, *Plato*, & horum quilibet, dicitur *Homo*: quippe de ſingulis vox ea dicitur eodem ſenſu. Dicique ſolet vox ea communis (ſeu commune Prædicatum) *Univocum Univocans*; eaque ſingula de quibus ſic dicitur, *Univoca Univocata*. Quæ quidem voces (harumque ſimiles poſt ſecuturæ) ſi parum molle ſonent Latinis auribus; ferendæ tamen ſunt tanquam *Vocabula Artis*, qualia ſibi habet peculiaria Ars quælibet, aliis (quæ artem illam non tractant) ſeu minus nota, ſeu minus grata.

Vox autem, quoad ſonum communis, pluribus rebus attributa, ſed non eodem ſenſu; dici ſolet vox *Æquivoca* ſeu *Prædicatum Æquivocum*: Ambigui, dubiique ſignificatus. Adeoque *Diſtinguenda* eſt (quod dici ſolet) vox ſic Ambigua, ſecundum diverſa ſua Significata, (ſaltem ubi ab ambiguitate metuendum foret;) & (*Diſtinctione* ſic habita) determinandum (prout fert occaſio) quo ſenſu, hæc vox ita ambigua, hic illic fuerit intelligenda. Dici autem ſolet ejuſmodi Vox ambigua, *Æquivocum Æquivocans*; variaque ſua ſignificata, *Æquivoca Æquivocata*. Sic vox Latina *Cancer*, *Æquivocum Æquivocans* dicetur; illi autem ſic dicti Piſcis, Morbus, Aſteriſmus, *Æquivoca Æquivocata*. Pariterque *Crab* Anglicum, *Æquivocum Æquivocans*; & *the Crab-Fiſh*, *Crab-Apple*, *Crab-Tree*, &c. *Æquivoca Æquivocata*.

Inter hæc duo (*Univocum* & *Æquivocum*) medium quaſi intercedit (quod dicitur) *Analogum*, ſeu *Analogicum*; quando duo (pluresve) ſenſus, nec plane idem ſint (ut dici vere poſſit vox *Univoca*) adeoque ſit quidem *Æquivoca* vox; habeat tamen onus ad alterum Analogiam, Similitudinem, ſeu Proportionem aliquam; prout fere ſunt Metaphoricæ, aliæve Figuratæ vocum ſignificationes. Sic, de *Picturis* dicimus, Hæc *Rex* eſt, illa *Regina*, &c. innuendo *Regis Picturam*, *Reginæ Picturam*, &c. Quamvis enim *Homo*, & *Pictura hominis*, ſint res plane diverſæ, nec eodem nomine eodem ſenſu dicendæ; eſt tamen *Hæc* ſic dicta ob eam quam ad *Illum* habet ſimilitudinem. Sic, Literarum (aut Literatorum) Patronum aliquem, *Mæcenatem* (analogice) dicimus; eo quod talis jam ſit, qualis olim fuerit *Mæcenas*. Pariter ſi *Stellas fixas* diceremus totidem *Soles*; eo quod (Solis inſtar) lucem ſuam nativam habeant, non (ut Luna cæterique Planetæ) à Sol mutuatitiam; (utut, ob immenſam à nobis diſtantiam, minutæ videantur.) Idemque de aliis Vocibus cenſendum, ſenſu Metaphorico, aliaſve Figurato ſeu Tropico uſurpatis.

Talis autem Vox, in communi locutione, præſumitur (ut plurimum) eam retinere ſignificationem, quæ ſibi propria eſt & nativa (adeoque potior ſignificatio,) niſi alias declaratum fuerit, aut ex ſermonis circumſtantiis aliaſve inſinuatum, ut figurato ſenſu fuerit intelligenda.

Hujuſmodi autem vox *Æquivoca*, *Ambigua*, aut etiam *Analoga*, quamvis ſenſu aliquo dici poſſet *Vox communis* duobus illis aut pluribus ſignificatis: ea tamen quam *Vocem Communem* ſeu *Univerſalem* hic dicimus, de ea potiſſimum intelligenda eſt quam *Univocam* diximus; quæ *eodem ſignificatu* pluribus attribuitur.

Hujuſmodi *Univerſale*, dicitur *Prædicari de* Particularibus ſibi ſubjectis; hoc eſt, illis attribui, de illis affirmari, ſeu *dici de*. Eaque *Particularia*, de quibus prædicatur ſeu affirmatur hoc Univerſale, eidem *Subjici* dicuntur; ejuſque eſſe *Subjecta Prædicationis*; hoc eſt, de quibus illud *Dicitur*, ſeu *Prædicatur*; ſaltem *aptum eſt* prædicari.

Quod quidem *Subjectum Prædicationis*, ex adverſo diſtinguitur (ſeu, ut loquuntur, *contradiſtinguitur*,) *Subjecto Inhæſionis* dicto. Utputa, cum Accidens dicitur *Eſſe in* ſubjecto, aut ſubjecto *Inhærere*; ut *Albedo in Pariete* (qui itaque eſt iſtius Albedinis *Subjectum*;) aut *Scientia*, vel *Virtus Moralis*, in *Homine*, (qui eſt itaque hujus Scientiæ ſeu Virtutis *Subjectum*:) dicitur hoc *Subjectum Inhæſionis*.

Atque hinc eſt quod ſoleant diſtinguere *Dici de*, & *Eſſe in*. Illud de ſubjecto *Prædicationis* dicitur; hoc, de *Inhæſionis* ſubjecto. Sic verbi gratia, ſi dicatur *Homo* (ſcit, ſeu) *eſt Sciens*; Vox Sciens, *dicitur de* homine, ut ſubjecto *Prædicationis*: Sin dicatur, *Homini ineſt ſcientia* (ſeu, homini competit Scientia;) Scientia jam intelligitur *eſſe in* homine, ut Subjecto *Inhæſionis*.

Huc

Huc referendum eſt quod, de *Denominativis*, tradere ſolent plerique Logici; pro quo malunt alii *Conjugata* dicere. Quibus innuunt Voces *ab eadem origine*, (& ejuſdem quaſi cognationis,) ſed *varie terminatas*; aut aliter ſaltem inflexas; prout, in vocum Derivationibus, variis modis contingit. Ut, *Bonus, bonitas*: *Prudens, prudentia*; *Longus, longitudo*; *Superbus, ſuperbia*; horumque ſimilia. In quibus omnibus, vox Prior eſt quæ *Concreta* dici ſolet, (Qualitatem innuens una cum Subjecto in quo eſt;) Poſterior, quæ dici ſolet *Abſtracta*, (quæ Qualitatem per ſe conſiderat, & quaſi à Subjecto Abſtractam.) Ubi *Concretum* quod vocant, intelligitur *dici de* Subjecto (prædicationis;) *Abſtractum* vero, *eſſe in* ſubjecto (inhæſionis.)

Atque hic tria conſideranda docent, *Denominatum*, *Denominans*, & *Denominativum*. Utputa, cum *Vir* denominatur *Prudens*: *Denominatum* hic eſſe dicunt *Virum* ipſum qui ſic denominatur; *Denominans* autem eſt *Prudentia*, ſeu qualitas in Abſtracto unde ſic denominatur; *Denominativum* vero eſt *Prudens*, ſeu Vox in Concreto, quæ viro ſic denominato attribuitur.

Si vero hujuſmodi voces, Significationis ita cognatæ, non ſint item cognatæ Originis, dici ſolent, Denominativa, *Re* tantum, non *Voce*: Cujus exemplum, in Græco, exhiberi ſolet σπουδαῖος ab ἀρετή, cum enim ab ἀρετὴ non dicatur Græce ἀρεταῖος (aut tale quodpiam derivatum) ejus loco σπουδαῖον dicunt *virtute præditum*: Hoc Latine redditur apud Logicos, *virtus* & *ſtudioſus*; mallem *virtus* & *probus* (quia *virtuoſus*, Latine non dicitur; ſed ejus loco *probus*, pro *virtute prædito*; ut apud Græcos σπουδαῖος:) & pariter in aliis, ubi *Denominativo* ſenſu Logico, non reſpondet Grammatica *Derivatio*. Contra vero, ubi Grammatica derivatio, non exhibet Denominativum Logicum; dicitur denominativum *Voce* tantum, non *Re*; ut, à *Vino, Vinolentus*; quippe *Vinolentus* non tam *Vino præditum* ſignificat (ut ſit Logice Denominativum) quam *Vino deditum*. Denominativum vero *Re & Voce*, dicunt, quando Grammatica *Derivatio* cum *Denominatione* Logica conſentit; ut cum ab *Ebrietate* denominatur quis *Ebrius*.

Alia quidem ſunt, apud Logicos, *Conjugata* innumera, (ſicut, apud Grammaticos, Derivata;) utputa, à *ſuperbia* dicetur, non modo *ſuperbus*, ſed *ſuperbior*, *ſuperbe*, *ſuperbire*, &c. Et nonnunquam mutata vocis origine, ſed retenta ſignificationis cognatione, ut *bonus*, *melior*, *optimus*, *bene*, &c. (Quæ itaque *ſenſu cognata* dicas, *non voce*:) Sed Logici, ubi *Denominativa* definiunt, vix aliud reſpexiſſe videntur, aut grandius aliquod voluiſſe tradere, quam, quod *Abſtractum* (ut *prudentia*) intelligitur *eſſe in* (homine) ſubjecto denominato; ſed *Concretum* (ut *prudens*) *dici de* eodem (puta, homine; qui, à *prudentia*, denominatur *prudens*:) Idemque ſubjectum, ratione hujus, dici *ſubjectum Prædicationis*; ratione illius, *ſubjectum Inhæſionis*.

CAP. IV.

De Prædicabilibus tribus primoribus; Genere, Specie, & Differentia.

QUum plura ſingularia ſeu Individua, aut res plures Particulares, comperiuntur, in communi aliqua Natura ſive (ut loquuntur) Eſſentia; aut etiam in communi aliquo Accidente, aut Accidentibus, convenire; dici ſolent, Res ejuſdem generis, ejuſdem naturæ, aut uniuſmodi res, aut tali aliqua appellatione quæ aliqualem inter ſe convenientiam innuat. Solentque communi aliquo nomine inſigniri, quo communis ea ſive Natura, ſive Qualitas, ſive id quicquid ſit in quo conveniunt, ſignificetur. Sic *Petrus*, *Paulus*, *Socrates*, &c. (præter hæc ſibi propria nomina,) vocantur *Homines*: *Bucephalus*, atque id genus alii, vocantur *Equi*: *Melampus*, *Hylactor*, *Black foot*, *Ringwood*, &c. *Canes* dicuntur: *Londinum*, *Oxonium*, *Athenæ*, *Roma*, &c. *Urbes*. *Alexander*, *Darius*, &c. *Reges*, aut etiam *Milites*: Pariterque de aliis Nominibus plurium communibus.

Nomina hæc Communia, Grammatici *Appellativa* vocant; Logici, *Univerſalia*, & *Prædicabilia*; (vulgus, voces *Generales*, ſeu nomina *Generalia* vocant.) Logicis *Prædicabilia* vocantur, ut quæ apta ſunt *Prædicari* (hoc eſt *dici* ſeu *affirmari*) de pluribus: *Univerſalia* vero, ut quæ *univerſis* (id genus) competunt.

Horum Univerſalium, ſeu Vocum Communium, aliæ innuunt *Quid* ea res ſit quæ ſic dicitur: Aliæ, *Qualis* (ſeu cujuſmodi) ſit.

Utpote cum, de *Socrate* aut *Platone*, dicimus, eſt *Homo*, *Animal*, *Subſtantia*, &c. his vocibus explicamus *Quid eſt*; ut quæ ipſius *Naturam* ſive *Eſſentiam* exprimunt. Suntque voces quæ ſunt, ejuſdem generis omnibus, *communes*: Adeoque aptæ dicuntur *Prædicari de pluribus in Quid*, hoc eſt, dici ſeu affirmari de pluribus, ſeparatim interroganti *Quid eſt*.

Quando autem de eodem, *Socrate* aut *Platone*, dicimus. illum *Album* eſſe, *Procerum*, *Sa-*

pientem, *Prudentem*, *Divitem*, *Virtute præditum*, aut iſtiuſmodi aliquid: Jam dicimus (non tam *Quid eſt*, quam) *Qualis* eſt aut *Cujuſmodi*; quibus puta Qualitatibus aliiſve ejuſmodi ſit inſtructus. Quæ itaque dicuntur *Prædicari* (de pluribus iſtiuſmodi) *in Quale*: Hoc eſt, Reſpondent interroganti *Qualis eſt*.

Jam vero iſtiuſmodi Nomen Commune, ſeu Vox communis, communem aliquam *Naturam* ſeu *Eſſentiam* exprimens, qua hujuſmodi plura Particularia, Singularia, ſeu Individua conveniunt; ſi magis Specialis ſit ea natura, *Species* dicitur; ſi magis Generalis, *Genus*. Utpote, ſi de *Socrate* interrogatus *Quid* ſit, *Hominem* eſſe dixero; Eſſentiam ejus ſeu Naturam Specialem indico: ſi vero *Animal* dixero, etiam ſic Naturam ſeu Eſſentiam ejus indico, ſed Generaliorem, & latitudinis amplioris, pluribus (quam erat ea prior) communis; *Homo* itaque dicitur *Species* (utpote naturam Specialem *Socratis* inſinuans;) *Animal* vero (naturam ejus magis Generalem indicans) dicitur *Genus*; utrumque autem dicitur, de *Socrate*, *Prædicari in Quid*, (illud quidem magis Specialiter; hoc, magis Generaliter.)


Et quoniam plures eſſe poſſunt *Generalitatis* gradus, (quippe vocum generalium aliæ ſunt *generaliores*,) quod omnium Ampliſſimum eſt (in eadem ſerie) *genus Generaliſſimum*, aut *ſummum genus* dici ſolet, (prout, in ſerie rerum ſubſtantialium, *Subſtantia* dici ſolet *ſummum Genus*;) Quæ autem naturam omnium (in eadem ſerie) maxime ſpecialem (ſeu minimæ amplitudinis) exprimit, *Species Specialiſſima* dici ſolet, (ſic, inter ſubſtantias, *Homo*, *Equus*, *Canis*, &c. haberi ſolent *Species Specialiſſimæ*, de *Alexandro*, *Bucephalo*, *Melampo*, &c. immediate prædicantes.) Quæ autem Naturas intermedias indicant (neque omnium ampliſſimas, neque omnium ſtrictiſſimas) *Subalterna* dici ſolent ſive *Genera* ſive *Species*; & alternatim ſunt nunc *Genera* nunc *Species*: ratione quidem Vocis Generalioris, *Species* dicetur (vox ea mediæ amplitudinis;) ratione Specialioris, dicetur *Genus*. Sic *Animal*, reſpectu *Subſtantiæ*, aut *Corporis animati*, *Species* erit: ſed, reſpectu *Hominis*, *Bruti*, *Canis*, *Equi*, &c. eſt *Genus*. Similiter, *Brutum* eſt Species *Animalis*, ſed Genus reſpectu *Canis*.

Hinc *Genus generaliſſimum* (ſeu *ſummum genus*) illud eſſe dicitur quod *nunquam eſt Species*; *Species ſpecialiſſima*, quæ *nunquam eſt Genus*: Sed *Genus ſubalternum*, & *Species ſubalterna*, nunc Genus eſt, nunc Species, prout ad voces ſtrictioris aut latioris (quam ipſa eſt) ſignificatus refertur.

Verum quidem eſt, quod vox *Homo*, quæ, apud Logicos, cenſeri ſolet *Species infima* (adeoque non *Genus*,) communi tamen loquela etiam pro *Genere* cenſeri, (ut, cum *Genus Humanum* dicimus;) ut quod ſit *Petri*, *Pauli*, *Johannis*, aliorumque hominum *generale nomen*, ſeu nomen *commune*; (nec quidem aliud innuit, in communi locutione, *Genus*, quam *vox communis* ſeu *generalis*.) Logici tamen (plerique) *Generis* nomen, non de omni natura communi (ut eſt *Homo*, aliæque ſpecies infimæ) uſurpatum volunt, ſed de eis ſolum quæ latioris ſunt ſignificatus & *pluribus Speciebus* communes.

Sic, in *Porphyrii arbore* (ſic dicto, quia *Porphyrius* in *Iſagoge* ſua, ſeu Introductione ſua in Ariſtotelis Logicam, ſic quaſi *in ramos* diſtribuit *Subſtantiam*;) *Subſtantia* (quæ eſt *ſummum Genus*) diſtribuitur in duas *Species*; Subſtantiam *Corpoream* (quod *Corpus* dicimus,) & *Incorpoream* (hoc eſt *Spiritum*; quales ſunt *Angeli* & *hominum Animæ*.) Deinde *Corpus* (quod ſubſtantiæ *Species* eſt; ſed & ipſum eſt *Genus* ſubalternum,) dividitur in duas *Species*; *Corpus Animatum* (quomodo dicimus Corpora *Viventia*, ſeu *vitam habentia*,) & *Inanimatum*, (qualia ſunt ea Corpora quæ vitam non habent; ut *Terra*, *Aqua*, *Lapides*, *Mineralia*, &c.) Deinde (harum *ſpecierum* una) *Corpus Animatum*, ſeu vitam habens, diſtribuitur (ut *Genus ſubalternum*) in *Senſibile* ſeu *Senſitivum*, (quod *Animal* dicimus,) & *Inſenſibile* ſeu *Inſenſitivum*, (qualia ſunt *Plantæ*; ut *Arbores*, *Herbæ*, *Flores*, &c. quæ Vitam quidem habent, ſed non *Senſum*.) Deinde (harum *ſpecierum* alteram) *Animal*, diſtribuunt (ut *Genus ſubalternum*) in *Rationale* (*Hominem* dictum) & *Irrationale* (quod *Brutum* dicimus; qualia ſunt *Beſtiæ*, *Aves*, *Piſces*, &c.) Atque tandem *Homo* (ut *ſpecies infima*) in ſua diſtribuitur *Individua*, ſeu homines ſingulares; ut ſunt *Plato*, *Socrates*, *Paulus*, *Petrus*, *Johannes*, *Richardus*, &c.) Qui ideo dicuntur *Individua*, quia in plures partes *ſubjectivas* (ut loquuntur) diſtribui non poſſunt, cum *ſingulares* ſint, & quilibet eorum *Unicus*, non *plures*.

Arbor Porphyrii.



Verum quidem eſt, poſſe *Socratem* (& alia ſimiliter *Individua*) dividi in *Partes* alterius generis, quas *Integrales* dicimus, ut ſunt *Brachium, Manus, Pes,* aliaque *Membra* integrum complentia (de qua diviſione non hic agitur:) non autem in plures (ut loquuntur) *Partes ſubjectivas,* ſeu *ſubjecta Prædicationis*; ut cum *Generale* aliquod in ſua *Specialia,* ſeu *Particularia,* diſtribuitur; quorum ſingula communi illo ſeu generali nomine appellantur; quæ itaque *in eo* ſeu *ſub eo* Generali dicuntur contineri. Ut *Petrus, Paulus,* &c. (ut partes ſubjectivæ,) *contineri* dicuntur, *ſub,* vel *in,* generali appellatione *Hominis,* aut *Animalis*; & *Bucephalus* (aliique) *in* vel *ſub* communi nomine *Equi.* Et *ſolo numero differre* dicuntur (ut *hic* & *ille*) non autem *Specie, Genere* & *Natura.* Quippe omnes *Homines* in communi *hominis natura* conveniunt; (*Genus Humanum* dicti:) atque omnes *Equi* (ſeu *genus equinum*) communi *natura* (ſeu ſpecie) *Equi.*

Atque hæc quidem duo, *Genus* & *Species,* dici ſolent duo prima *Prædicabilia.* Quorum quidem *Species* (*infimam* intellige) prædicari dicitur, de rebus pluribus *numero tantum* differentibus. *Genus* autem, de pluribus *Specie* differentibus. Ut *Homo,* de *Platone, Socrate,* aliiſque hominibus; qui quidem plures ſunt, ſed quorum *una* eſt *natura,* & quidem *ſpecialis*: *Animal* autem de omnibus Animalibus, ſive *Homines* ſint (quæ *una ſpecies* eſt,) ſive *Bruta,* quorum quidem ſunt adhuc *plures ſpecies,* (*Equi, Canes, Boves, Anſeres, Delphini,* &c.) de *Alexandro* puta & *Bucephalo*; qui non *numero* tantum (ut duo *Individua*) ſed *natura* ſeu *ſpecie* differunt; cum alter *Homo* ſit, *Equus* alter.

Et quidem ubi plura ſunt *ſubordinata* Genera (unum ſub alio in eadem ſerie,) ut *Corpus, Animatum, Animal,* reſpectu *hominis*; id quod cæteris propinquius eſt, vocari ſolet, *genus Proximum,* quod longius abeſt, *genus Remotum,* (& quidem eo *remotius,* ſeu *magis remotum,* quo longius abeſt:) & *ſpecies* ſimiliter, *proxima* & *remota.* Sic, *Hominis,* genus *proximum* eſt *Animal*; *Animatum* vero, genus *Remotum*; & *Corpus,* adhuc *Remotius.* Et *Corporis* quidem *ſpecies proxima* (hoc eſt, *proximarum altera*) eſt *Animatum* (ſeu *Vivens*;) *Animal* vero ſpecies *remota*; *Homo,* adhuc *remotior*; ut quæ longius diſtant in eadem ſubordinata ſerie.

Ubi vero, ſub eodem *genere,* duæ *ſpecies* (pluresve) æqualiter inde diſtant, ſpecies *Coordinatæ* (hoc eſt, *ejuſdem ordinis*) dicuntur; item ſpecies *Oppoſitæ*: ut *homo* & *brutum* reſpectu *Animalis,* cui *Immediate* ſubjiciuntur, ſuntque inter ſe ſpecies *Oppoſitæ.*

Tertium Prædicabile, dicitur *Differentia.* Atque hæc quidem, cum *genere,* dicitur *conſtituere ſpeciem.*

Dicitur autem *Differentia,* eo quod per hanc differat Oppoſitarum ſpecierum una ab altera. Sic, *homo* & *brutum,* quæ ſub *Animalis* genere, ſunt oppoſitæ ſpecies; conveniunt quidem communi Genere, (cum utrumvis ſit *Animal*) ſed eo inter ſe differunt quod alterum ſit *rationale,* quæ eſt Differentia conſtitutiva *Hominis*; alterum *irrationale,* quæ eſt itaque Differentia conſtitutiva *Bruti.* Et pariter dicendum de aliis, in Arbore Porphyriana, oppoſitis Differentiis: ut ſunt, *corporeum, incorporeum*; *animatum, inanimatum*; *ſenſitivum, inſenſitivum.*

Atque hæ quidem *differentiæ,* duplum ſortiuntur munus. Quorum alterum eſt *dividere* (ſeu diſtribuere) *genus*; (ut cum *animal* per oppoſitas Differentias, *rationalis* & *irrationalis,* diſtribuitur in oppoſitas ſpecies, *Hominis* & *Bruti*:) Alterum eſt, *conſtituere ſpeciem,* (ut, quum *rationale,* una cum *animali,* conſtituit ſeu complet *naturam,* ſeu *ſpeciem, hominis*: contraque, *irrationale* cum *animali* conſtituit naturam *bruti.*) Et reſpectu illius muneris

neris dicitur *differentia diviſiva*; reſpectu hujus, *differentia conſtitutiva.* Sic *Rationale* eſt, *Animalis*, differentia *diviſiva*; eademque, *Hominis*, differentia *conſtitutiva.*

Et quidem Differentia *Specifica* dicitur, quæ conſtituit *Speciem*, (infimam, intellige ;) *Generica* vero, quæ conſtituit *Genus*, ſeu Speciem ſubalternam, quæ itidem Genus eſt. Sic *Rationale* (conſtitutivum Hominis) differentia Specifica dici ſolet, & *Senſitivum* (conſtitutivum Animalis) differentia Generica.

Sed & differentia *Proxima* dicitur, quæ proxime conſtituit ; *Remota*, quæ remotius : ſic, reſpectu *Hominis*, *Rationale* eſt differentia Proxima ; *Senſitivum*, Remotior.

Diciturque Differentia, Prædicari de pluribus, *Specie vel Numero differentibus.* Nempe, de pluribus *Numero ſaltem differentibus*, prædicatur etiam differentia *ſpecifica*, (nempe de eis omnibus de quibus, quam ea conſtituit, prædicatur ſpecies,) ut *Rationale*, de *Socrate*, *Platone*, reliquiſque *Hominibus*. Differentia autem *generica*, etiam de pluribus *Specie differentibus* (de quibus prædicatur ipſum *genus* cujus eſt hæc differentia conſtitutiva,) ut *Senſitivum*, de *Alexandro* & *Bucephalo*.

Differentia denique Prædicari dicitur *in Quale*: Quia reſpondet quæſtioni *Qualis eſt.* Quippe cum de *Homine* (verbi gratia) interroganti *Quid eſt*, reſpondetur *Animal* (quod *genus* eſt ;) interroganti porro *Quale Animal*, reſpondetur *Rationale*, (quæ eſt *Differentia*, qua ab Animali Bruto differt.) Verum, quia eadem Differentia, una cum Genere, complet ipſam (Hominis) Eſſentiam, quæ, *Quid eſt* homo, complete docet : dicitur item in *Quale quid* prædicari, aut etiam (eodem ſenſu) in *Quale Eſſentiali.* Non modo quod dicat *Quale* ſit illud Quid, (quod interroganti, quid eſt, reſponſum erat,) puta, *Quale Animal*: ſed quia hoc ipſum *Quale*, ingreditur *Eſſentiam* (ſeu *Quidditatem*, ut loquuntur) Hominis : cujus quidem tota Eſſentia (qua *Quid eſt* oſtenditur) non in eo tantum conſiſtit, quod ſit *Animal* (nam & ſic Brutum eſt) ſed quod ſit *Rationale* Animal.

Alia vero *Prædicabilia* (de quibus poſt dicetur) dicuntur quidem in *Quale* prædicari ; ſed in *Quale Accidentali.* Ut, cum *Socrates*; *Riſibilis* eſſe (*Riſiva* facultate præditus) dicitur, aut etiam *Albus*, *Græcus*, *Philoſophus*, &c. quæ de illo dicuntur Prædicari *Accidentaliter* ; non, *Eſſentialiter.*


Cap. V.

De Duobus poſtremis Prædicabilibus; Proprio & Accidente.

PRæter illa tria Prædicabilia, *Genus*, *Speciem* & *Differentiam*, quæ *Prædicari* dicuntur *Eſſentialiter* ; (utpote quibus Subjecti *Eſſentia* continetur :) alia ſuperſunt duo, quæ de Subjecto *Prædicari* dicuntur (& quidem de *pluribus*) ſed *Accidentaliter*, aut *extra-eſſentialiter* ; (utpote quæ quidpiam *extra rei eſſentiam* indicant.) Quæ *Proprium* & *Accidens* dici ſolent.

Proprium ἴδιον (ſtricte ſumptum) tale quidem cenſetur, ut quamquam Subjecti ſui (de quo prædicatur) Eſſentiam non conſtituat ; eam tamen neceſſario comitatur ; atque ab ea fluit, ut conſequens neceſſarium, & quidem incommunicabile.

Verbi gratia. Si ponamus Lineæ Rectæ eſſentiam, in hoc ſitam, quod (ἐξ ἴσου) ex æquo jaceat inter ſua puncta ; aut (quod Anglice diceremus) *lies juſt between its points* : (Latina autem vox, Euclideo ἐξ ἴσου exacte reſpondens, vix occurrit.) Aut etiam ſupponamus, *Rectitudinis* notionem, ita ex communi uſu notam & ſatis intellectam, ut eam notioribus vocibus (quam ipſa eſt) haud poſſimus explicare. (Quippe ita notum eſt cuique, quid id ſit quod volumus, cum lineam *Rectam* dicimus, non curvam : ut facilius ſit id mente concipere, quam notioribus verbis explicare. Ut vel ejuſdem Definitioni per notiora verba non ſit locus, vel ea ſaltem non ſit opus. (Quod & in aliis ſimplicibus notionibus non raro contingit.) Ab ea *Rectæ* eſſentia (ſive per eam definitionem, ſive ex communi uſu, recte intellecta) neceſſario conſequetur, eam eſſe *omnium intra eoſdem terminos breviſſimam.* Quod quidem à *Rectitudinis* notione (intellectu melius concepta, quam poſſit vocibus explicari,) tam immediate conſequitur, ut Vix *Medio* alicui locus ſit quo poſſit Demonſtrari.



Quippe ſi ponamus Lineam A B rectam eſſe (puta quæ per R tranſeat,) atque animo ſimul concipiamus quid ſit *Rectum eſſe* ; fieri non poteſt (animo ſtatim conſentiente, etiam abſque probatione) quin ea brevior ſit quam alia quævis, puta quæ per C tranſeat. Hoc itaque *Proprium* dixerim (ſeu *Proprietatem*) Lineæ *Rectæ.* Quod quidem non *Conſtituit* Rectitudinem (ut quam natura priorem putemus quam *Breviſſimam eſſe*) ab ea tamen immediate fluit.

Aliam *Rectæ* Proprietatem dixerim, quod ſit (inter eadem puncta) *Unica*. Quippe ſi recta quæpiam jungat A B puncta, ea cum A R B (quam rectam ponimus) coincidet ; eruntque aliæ omnes (inter eoſdem terminos) alio deflectentes (ut A C B) Lineæ Curvæ, non Rectæ.

Quod autem, apud Logicos, frequentiſſime occurrit hujus rei exemplum, eſt, *Riſibilitas*, (ſeu Ridendi, ſorte & Flendi, facultas ;) quæ cenſeri ſolet ita Hominis *Proprium* quid, atque à *Rationabili fluens immediate*, ut hanc neceſſario conſequatur.

Neque eſt neceſſe ut hic anxie diſputemus, an hoc (de *Riſibilitate*) omnino recte ſtatuatur ; ſed, dato quod ſic ſe habeat, appoſitum erit hujus rei Exemplum. Quippe, per *Proprium* (hic loci) ſeu *Affectionem Propriam*, id intelligitur, quod ab Eſſentia ſeu Forma rei immediate fluit, eſtque cum ea neceſſario conjunctum, nec oriri poteſt aliunde.

Hinc eſt quod *Convenire* dicatur *Omni, Soli, & Semper*. (Ut *Riſibilitas*, cenſetur *Omni* homini, hominique *Soli*, & huic *Semper* convenire.) Quippe ſi ab Eſſentia immediate fluit, ubicunque eſt hæc *Eſſentia*, ibidem erit & hæc *Affectio propria* ; adeoque *Omni* competit cui competit hæc eſſentia ; & quidem *Semper* : Atque ſi eum ea ſic connexum ſit, ut aliunde oriri non poſſit ; etiam huic *Soli* competit.

Atque hoc eſt quod dicunt *Convertibiliter prædicari*. Puta, ſi *Omnis Recta eſt* (inter eadem extrema) *linea breviſſima* ; & *Omnis* (inter eadem extrema) *linea breviſſima eſt Recta*. Item (quod paſſim dici ſolet) *Omnis homo eſt Riſibilis*, & *Omne Riſibile eſt Homo* : (dato ſcilicet quod *Riſibilitas* ſit ita cum *Ratione* connexa, ut ubi altera eſt alteram item eſſe ſit neceſſe.)

Et quamquam Vox *Proprium* non raro de aliis dicatur quibus hic character non convenit ; cum tamen hæc ſit Genuina *Proprii* notio, eo magis minuſve recte & accurate res ea dicetur *Propria*, quo magis ei minuſve competit hic character.

Nam revera Vox *Proprium*, laxiori ſenſu non raro occurrit, atque in ſignificatu non parum ab hoc diverſo. (Quod & in omnibus fere vocabulis uſu occurrit ; nempe, ut nunc laxiori, nunc ſtrictiori ſenſu uſurpentur ; nunc proprio, nunc ſignato.) Sic *Omnino proprium* (οἰκεῖον) dicimus *Judicem juſte agere*, (*'Tis very proper for a Judge to do juſt things* ;) hoc eſt, *omnino convenit*, *congruum eſt*, *decorum* eſt : (Non, quod aut *ſolus* Judex, aut *omnis* Judex, & quidem *ſemper* juſte facit ; ſed *expedit* ut faciat.) Item, Vox *Canis*, (dicimus) *proprio ſenſu* notat *animal domeſticum ſic dictum* ; (nec *ſolo* tamen hoc ſenſu, nec *ſemper*, uſurpatur ;) ſed ſenſu *improprio* & *figurato*, de cane *Picto*, aut cane *Cæleſti*, dicitur. (Ubi ſenſus *proprius*, idem eſt atque *primarius*, *præcipuus*, *genuinus*.) Sic *domus propria*, *corpus proprium*, &c. de ſuo cujuſque dicitur. Aliaque multa ſunt ejuſdem vocis ſignificata.

Inter alia, vero, hæc ſaltem Quatuor à Logicis notari ſolent.

Proprium primo modo, dicitur, quum quid alteri convenit *Soli*, *ſed non Omni*. Sic *Homini proprium eſſe*, dicitur, *eſſe philoſophum* ; hoc eſt, ex omnibus animalibus, *ſoli homini* competit philoſophari ; non *omni* tamen homini.

Proprium ſecundo modo, quod competit *Omni*, *ſed non Soli* : Sic Hominis *proprium* eſſe dicimus *bipedem eſſe* : Hoc eſt, *omni* homini (integro, intellige ; non manco, aut alias monſtroſo,) ex naturæ lege hoc convenit. Non *ſoli* tamen ; nam & *Alites* item bipedes ſunt.

Proprium tertio modo, quod *Omni & Soli* competit, ſed *non Semper*. Ut *Homini*, *caneſcere*. Quippe *omnes* homines (plerique ſaltem) & quidem *ſoli* (quantum eſt obſervatum) *caneſcere* ſolent ; nec *ſemper* tamen, ſed *in ſenio* : Hoc eſt, plerique homines, qui ad ſenium perveniunt, *caneſcere* ſolent ; quod de aliis animalibus non eſt obſervatum. Neque enim nimis rigide intelligenda ſunt hujuſmodi effata. Sic *proprium cujuſque* eſt, quod eſt *ſuum ſolius*.

Proprium autem *quarto modo*, (quo ſenſu hic intellectum volunt, *Proprium*, quod dicitur *Prædicabile*,) quod *Omni*, *Soli*, *& Semper* convenit. Ut, *Homini*, *Riſibilem eſſe*: (Quippe homines *ſoli*, & quidem *omnes*, quamvis non rideant ſemper, *ſemper* habent *ridendi facultatem*.) Quodque ita cuipiam convenit, ſtrictiſſimo ſenſu dicitur *Proprium* : (& quidem quod ſic convenit, *præſumitur*, ex rei natura ſic conſequi, ut cum ea neceſſario ſit connexum.) Atque hoc quidem *Proprium* eſt quod dicitur *convertibiliter prædicari*. (Reliqua vero, utut *Propria* nonnunquam vocentur, ad *Accidentia* quæ vocantur *communia*, referenda ſunt.)

Verum quidem eſt, hoc *convertibiliter prædicari*, non minus *Differentiæ* convenire, quam *Proprio prædicabili*. Quippe non minus dicimus, *Omnis homo eſt Rationalis*, *& Omne rationale eſt Homo*, quam quod *Omnis homo eſt Riſibilis*, *& Omne riſibile eſt Homo*. Sed cum hoc diſcrimine : *Differentia* (quod Prædicabile dicitur) de ſubjecto ſuo prædicatur ut *Eſſentiale* quiddam ; eſtque *Conſtitutiva Eſſentiæ*. Adeoque *Differentia Eſſentialis* dici ſolet ; diſtinctionis gratia ; (nam ſunt & aliæ Differentiæ, *Accidentales* ; quibus res aliæ ab aliis differunt.) *Proprium* autem (Prædicabile) illud eſſe volunt, quod *Eſſentiam* quidem *non conſtituit* (ut pars ejus eſſentialis habeatur,) ſed eam *conſequitur*, atque inde *reſultat*, eſtque cum ea *neceſſario connexa*.

Sed & *Proprium* ipſum (quia ſic conſequitur eſſentiam) *Eſſentiale* nonnunquam dicitur ; ſed cum hoc diſcrimine ; *Differentia* dicitur *Eſſentiale Conſtituens* ; *Proprium* vero, *Eſſentiale Conſequens.* Adeoque Proprium dicitur Prædicari in *Quale* ; Differentia vero, in *Quale quid.*

Ultimum quod dicitur *Prædicabile* (numero quintum) vocatur *Accidens*, συμβεβηκός. Utpote quod, ad rei Eſſentiam eſt plane *Accidentarium* ; quam neque Conſtituit, nec eam neceſſario Conſequitur. Et quidem (diſtinctionis gratia) nonnunquam dicitur *Accidens Commune*, (ut à *Proprio* diſtinguatur ; quod ipſum non raro dicitur *Accidens Proprium* ; & utraque dicuntur, prædicari *in Quale* ; non, *in Quale quid.*) Hujuſmodi ſunt, quum quis dicitur, *Albus*, *Ater* ; *Juvenis*, *Senex* ; *Pinguis*, *Macer* ; *Græcus*, *Barbarus* ; *Doctus*, *Indoctus* ; & ſimilia : Quippe quæ ſunt, ad hominis eſſentiam, plane extranea, & accidentaria.

Definiri ſolet, *Quod poteſt adeſſe vel abeſſe ſine Subjecti interitu.* Utpote quod neque ſubjecti naturæ ita contrarium eſt ut deſtruat, (adeoque ipſi συμβαίνειν *accidere* poteſt ;) neque cum ea ſic connexum quin abeſſe poſſit ; ſaltem ut ea conſiderari poſſit integra, abſque hujus connotatione.

Dividi ſolet hoc Accidens, in *Separabile* & *Inſeparabile.*

Accidens *Separabile* (χωριστόν) dicitur, quod actu ſeparari poteſt : (Non quidem ut ipſum eſſe poſſit ſine ſubjecto, ſed ſubjectum abſque hoc.) Ut, *Frigus* ab *Aqua* ; ut quæ caleſcere poteſt, etiam aqua manens : Et, *Albor* à *Lana* aut *Papyro* ; ut quæ tingi poſſunt, aliiſque coloribus infici.

Accidens *Inſeparabile*, dicitur, quod non poteſt actu à ſubjecto ſuo ſeparari. Ut *Calor* ab *Igne* ; abſque quo Ignis eſſe non poteſt. Sic *Albedo*, à *Cygno* ; *Nigredo*, à *Corvo* ; inſeparabiles cenſeri ſolent : ut quæ vix auferri poſſint ſine illorum interitu : Nec eſſe poſſe cenſeri ſolet (ſaltem raro conſpicitur) aut *Cygnus niger*, aut *albus Corvus.*

Dicimus tamen, etiam hæc Accidentia *Inſeparabilia*, poſſe nihilominus *adeſſe & abeſſe ſine ſubjecti interitu* : non quaſi abſque his ſubjectum eſſe poſſit, (aut ſaltem ſoleat ;) ſed quod abſque horum connotatione ſeu conſideratione, ſubjecti eſſentia concipi poſſit integra.

Quippe nihil ſcimus in Eſſentia ſeu Natura Corvi, quod hanc Nigredinem neceſſario poſtulat ; ita ut, ceſſante Nigredine, ceſſaret eſſe Corvus. Neque, in Cygni eſſentia, quod poſtulet *Candorem* ; magis quam in *Æthiopis* natura, ut ſit *Niger.* Et quanquam *Æthiopem lavare* non poſſimus, ſic ut albus fiat : ad ejus tamen Eſſentiam nigredo hæc non ſpectat ; quæ integra eſt (ut aliorum hominum) in eo quod eſt *Animal Rationale* ; quam quidem eſſentiam , neque conſtituit, neque neceſſario conſequitur, hæc Nigredo.

Verum de *Proprio* (quod dicitur) res ſecus eſt ; utpote quo ſine non poteſt eſſe integra Eſſentia. Impoſſibile utique eſt (verbi gratia) ut Linea *recta* ſit, quæ non eſt *omnium* (eoſdem terminos habentium) *breviſſima.* Similiter cenſeri ſolet *Riſibilitas* à *Rationalitate* ſic pendere, ut hæc abſque illa non poſſit eſſe : quod quidem ſi non ita ſit, non *Proprium* erit (hominis) *Riſibile*, ſed ſaltem *Accidens inſeparabile.*

Atque jam abſolvimus (quantum opus videtur) Quinque (quæ numerari ſolent) Prædicabilia ; *Genus*, *Speciem*, *Differentiam*, *Proprium*, & *Accidens.* Quæ omnia (utpote Voces *Communes* ſeu *Univerſales*) in hoc conveniunt, quod de *pluribus* prædicari ſeu dici poſſint *Particularibus*, *Singularibus*, ſeu *Individuis.* Cum hoc tamen diſcrimine ; *Genus* Naturam innuit magis generalem ; *Species* magis ſpecialem ; (pluribus Individuis communem ;) *Differentia*, eſt quæ Specierum ſub eodem Genere oppoſitarum, alteram ab altera diſtinguit ; ſuamque (cui convenit) Speciem conſtituit, ejuſque Eſſentiam (una cum Genere) complet ; *Proprium*, eandem Eſſentiam neceſſario conſequitur ; *Accidens* (commune) ita ſubjecto ſuo adeſſe poteſt, ut etiam poſſit abeſſe, nullam (cum eſſentia) neceſſariam habens connexionem.

Sic, cum *Socratem* dico *Hominem*, *Speciem* aſſigno : cum eundem *Animal* dixero, aſſigno *Genus.* *Rationalem* cum dico (ſeu Ratione præditum) *Differentiam* aſſigno ; *Specificam* (& propinquiorem :) cum *Senſitivum*, differentiam *Genericam* (& remotiorem.) Cum *Riſibilem* dixero (ſeu Ridendi facultate præditum,) *Proprium* ejus (proprietatem, ſeu affectionem propriam) indico ; quæ eſſentiam ejus cenſetur neceſſario conſequi. Cum *Album*, *Græcum*, *Philoſophum*, *Divitem*, &c. dixero ; *Accidentia* innuo plura communia, quæ ita adſunt, ut tamen abeſſe poſſent.

Notandum interim eſt hæc omnia Prædicabilia, de ſubjectis ſuis dici, ſeu prædicari, in *Concreto*, non in *Abſtracto.* Quippe non dicimus (verbi gratia) quod *Socrates* eſt *Humanitas*, *Animalitas*, *Rationalitas*, *Riſibilitas*, *Albedo*, &c. Sed *Socrates* eſt *Homo*, *Animal*, *Rationalis*, *Riſibilis*, *Albus*, &c.

Poteſt quidem *Albedo*, de pluribus *Albedinibus* (puta, quæ eſt in Charta, quæ in Lana, quæ in Pariete, &c.) prædicari ; non autem ut *Accidens* de *Socrate*, ſed ut *Species Genuſve* de pluribus ſub ſe Individuis, quæ ipſa *Abſtracta* ſunt.

C A P.

Cap. VI.

De Subſtantia, Accidentibus, *&* *decem* Prædicamentis.

S*Ubjectum Logices* eſſe diximus, *Res omnes*, (ſive Reales ſive Imaginarias ;) quia de his omnibus Ratiocinari poſſumus, ſeu Ratione uti.

Hoc autem ſibi facit negotium *Ariſtoteles*, jam ſtatim ab initio ſuæ Logicæ ; Res omnes (reales) in certas Claſſes ſeu Ordines diſtribuere : quo earum diſtinctiorem conſpectum atque conceptum habeamus.

Quas rerum Claſſes (ab ipſo conſtitutas) κατηγορίας *Categorias* vocat ; quæ *Prædicamenta* vocare ſolent ejus Interpretes. Ad quarum (claſſium) aliquam, referri poſſe cenſetur (vel *Directe* vel *Reductive*) Res omnis.

Non tamen hic recenſet *Res Imaginarias*, (*Entia Rationis* vulgo dicta,) quæ aliam non habent realitatem quam quæ ab imaginatione noſtra recipiunt : Sed res tantum *Reales* dictas ; quæ quidem in mundo exiſtunt, etiam nobis non cogitantibus.

Non igitur hic quærendi ſunt *Cerberus* , *Centaurus* , *Chimæra* , aliaque hujuſmodi Poetarum figmenta.

Sed neque *Genus*, *Species*, aliaque *Artis Vocabula* ; (ſive Logicam, ſive Grammaticam, ſive Rhetoricam, ſive aliam quamvis Artem Spectantia ;) quæ notiones ſunt artificiales, quas nobis ipſi formavimus.

Sed neque *Malleum*, *Incudem*, *Plauſtrum*, *Securem*, hic expectemus ; aliaſve iſtiuſmodi res Artificiales.

Nec etiam (in rebus naturalibus) *Crus*, *Brachium*, *Pedem*, (aliave membra rerum integrarum,) ſeparatim tradita. Ut quæ referenda ſunt & reducenda ad ſua quæque Integra.

Sed neque hic expectemus integras *Sententias* ſeu *Propoſitiones*, in Rerum ordine digeſtas ; prout res una cum alia componitur, ſive affirmando ſive negando hoc de illo. Sed res ipſæ ſeparatim prout ab *Apprehenſione Simplici* (quæ dicitur) concipi ſolent, tanquam *Simplices termini*. Ut *Homo*, *Equus*, *Aurum*, *Stella*, &c.

Res autem ſic in *Prædicamenta* digeſtæ, ſunt vel *Subſtantiæ*, vel *Accidentia*.

Per *Subſtantias* intelligunt Res eas quæ propriam habent per ſe ſubſiſtentiam. Quales ſunt *Homo*, *Equus*, *Aſter*, aliaque quæ habent quaſi *eſſe de ſuo*.

Per *Accidentia* intelligunt, ea quæ potius *Rerum Appendices*, quam Res ipſæ, cenſenda videntur ; adeoque *Analogice* appellari *Res* dicuntur. Ut ſunt *Color*, *Figura*, aliaque iſtiuſmodi quæ *Accidentia* dici ſolent. Sic (verbi gratia) fruſtum *Ceræ*, aut *Plumbi*, (quod per ſe quidem aliquid eſt) quod prius forte Sphæricum erat ſeu Rotundum ; quum jam in formam Latiorem deprimitur, aut in Cubicam reducitur : Non tam *nova Res* producitur ; quam, ea quæ prius erat, redigitur in *novam Formam* ; quæ (nova forma) non tam *Res* eſt quam *Appendix* rei, ſeu *Modus rei*. Neque eſt ea *Rotunditas*, *Planities*, &c. realiter diſtincta (tanquam alia Res) ab ipſa Re *Rotunda*, *Plana*, &c.

Atque hinc eſt quod Diſtributionem *Rei* (ſeu *Entis*) in *Subſtantiam* & *Accidens*, dicant eſſe, non tam diſtributionem *Generis in ſuas Species*, (ut, cum *Animal*, eodem ſenſu ſumtum, diſtribuitur in *Hominem* & *Brutum* ;) quam Æquivoci in Æquivocata, aut ſaltem *Analogi in ſua Analogata* ; adeoque *Ens*, non *Univoce* prædicari de *Subſtantia & Accidente* (hoc eſt, non eodem ſenſu & ſignificatu ; ſeu, ut loquuntur, *ſecundum idem nomen & eandem nominis rationem* ;) ſed *Æquivoce* vel *Analogice* ; nempe, de *Subſtantia* ſenſu proprio & primario ; ſed Secundario de *Accidente* ; ut Vox *Homo* de vero homine, & *pictura* hominis.

Huc ſpectat quod jam olim dictum erat, Accidens eſſe non ὂν ſed, ὄντος ὂν non *Ens*, ſed *Entis Ens*. Atque ad eundem fere ſenſum diſtingunt poſteriores Scholaſtici, inter *Ens* & *Modum* entis ; ſeu *Rem* & *Modum*. Neque aliud forte ſunt omnia Accidentia, quam Qualificationes ſeu Modificationes Subſtantiæ. Quod haud ægre faterentur plerique omnes, niſi (propter *Euchariſtiam*,) contrarium dicendum putaverint, ut exiſtere poſſint Accidentia à Subjecto ſuo ſeparata. Sic Jeſuita *Suarez*, in Metaphyſ. Diſ. 7. Sect. 2. Num. 10. *Per myſterium*, inquit, *Euchariſtiæ*, *certius nobis conſtat*, *quantitatem eſſe rem diſtinctam à materia*, *quam per cognitionem naturalem conſtare potuiſſet*.

Prædicamenta hæc (ſeu Rerum Claſſes) ſunt numero Decem. *Subſtantia*, *Quantitas*, *Qualitas*, *Relatio*, *Actio*, *Paſſio*, *Quando*, *Ubi*, *Situs*, *Habitus*. Quorum Primum eſt Prædicamentum *Subſtantiæ* ; reliqua Novem, *Accidentium*.

Cur fuerint præciſe Decem, (neque plura, neque pauciora,) fuiſſe puto, magna ex parte, arbitrarium: Quemadmodum cum Author aliquis Tractatum ſuum in Libros & Capita partitur. Quamquam enim id ſibi proponit Author, ut res congeneres conjungat, atque Decorum obſervet in diſtribuendis & partiendis aliis; multum Prudentiæ tamen ſuæ reliquendum erit, quot & quam longa habiturus ſit Capita, & quo ordine diſpoſita. Pariterque Ariſtoteles (aut quiſquis primus fuerit harum Categoriarum conditor) utut Decorum aliquod in rebus ſecundum Claſſes diſtribuendis ſervari vellet; multum arbitrio tamen ſuo permittendum erat hac in re. Et quidem ſi *Subſtantiarum* Claſſem unicam, in plures partitus fuiſſet; & ſimiliter *Quantitatis*, & *Qualitatis* Prædicamenta ſatis ampla; aliquaque ex minoribus (ut ſunt *Quando*, *Ubi*, *Situs*, & *Habitus*) in pauciora contraxiſſet: non eſſet cur de eo quiſquam conquereretur. Verum, prout nunc diſtribuuntur, non ita incommode factum judicemus, ut propterea receptos turbemus limites. Non magis quam quis debeat novam Regni Angliæ in Comitatus diſtributionem moliri, eo quod *Eboracenſis* & *Lincolnienſis* Comitatus, ſint reliquis pleriſque ampliores; *Rutlandia* vero cæteris multo minor.

Cap. VII.

De Prædicamento Subſtantiæ.

PRædicamentorum primum atque præcipuum, *Subſtantiæ* (τῆς οὐσίας) nomen ſortitur: *Subſtantias*, ſeu *res Subſtantiales* omnes complectens.

Subſtantias vocant iſtiuſmodi *Res* ſeu *Entia*, quæ quaſi de ſuo *Eſſe* habent; ſuntque Entia *per ſe*: non (ut *Accidentia*; quæ à Subſtantia ſuum Eſſe mutuantur) aliunde plane dependentia, ut *modi rerum* potius quam res ipſæ.

Adeoque definiri ſolet Subſtantia, *Ens per ſe ſubſiſtens, & ſubſtans Accidentibus*.

Quæ ad hoc Prædicamentum pertinent *Individua* ſeu Particulares Subſtantiæ, dici ſolent *Subſtantiæ Primæ*: (ut *Socrates*, *Bucephalus*, &c.) *Univerſalia* vero, ſeu generalia, (puta Species & Genera,) dici ſolent *Subſtantiæ Secundæ*: (ut *Homo*, *Animal*, *Corpus*, &c.) Eo forte quod *Individua* illa, ſint originales & primariæ ſubſtantiæ, actu exiſtentes: *Univerſalia* vero ſint ſecundariæ ſubſtantiæ, mente noſtra formatæ; dum plurium ſingularium inter ſe in communi aliqua natura convenientiam obſervamus, eaque proinde in varias quaſi familias ſeu claſſes diſtribuimus, eiſque nomina (prout nobis expedire videtur) imponimus.

Poſſunt autem Subſtantiæ (creatas, intellige,) ſic non incommode diſtribui, ſecundum Philoſophiam per aliquot ante nos ſecula receptam. Sunt utique vel

- *Incorporeæ* ſeu Spirituales (quos *Spiritus* dicimus) ut ſunt
  - *Angeli*
    - Boni,
    - Mali.
  - *Animæ* hominum.
- vel *Corporeæ*, ſeu Materiales, (quæ *Corpora* dicimus.) Sunt autem ea corpora, vel
  - *Simplicia*; eaque vel
    - *Cæleſtia*; (ut *Sol*, *Luna*, *Stellæ*, &c.) vel
    - *Elementaria*; ut ſunt Elementa quatuor, *Ignis*, *Aer*, *Aqua*, *Terra*.
  - *Mixta*, ſeu compoſita; eaque vel
    - *Imperfecte mixta*; (ut ſunt *Nubes*, *Nix*, *Grando*, aliaque *Meteora*;) vel
    - *Perfecte mixta*. Eaque vel
      - *Inanimata*, ſen vitæ expertia (ut ſunt *Lapides*? *Metalla*, aliaque *mineralia*:) vel
      - *Animata*, ſeu vitam habentia: Atque hæc, vel
        - *Inſenſitiva*, quæ ſenſu carent, (ut ſunt *Plantæ*, *Herbæ*, *Flores*, *Arbores*, &c. vel
        - *Senſitiva*, ſeu ſenſu prædita; Quæ *Animalia* dicimus. Suntque ea, vel
          - *Irrationalia*, Rationis expertia; puta
            - *Beſtiæ*, (ut *Leo*, *Urſus*, *Elephas*, *Camelus*, *Equus*, *Bos*, *Canis*, *&c.*)
            - *Alites*, (nt *Aquila*, *Cygnus*, *Anſer*, *Anas*, *Hirundo*, *Paſſer*, *&c.*
            - *Piſces*, (ut *Cete*, *Delphinus*, *Salmo*, *Halec*, *Lucius*, *Carpio*, *&c.*)
            - *Reptilia*, (nt *Anguis*, *Vipera*, *Serpens*, *Vermis*, *&c.*)
          - *Rationalia*, ſen ratione prædita; ut *Homo*.

Atque

Atque ad horum capitum aliquod, reduci poſſunt (ſi non omnes) pleræque ſaltem Subſtantiæ, hactenus notæ.

Accurata vero omnium Tractatio, & ſingulorum generum in ſuas ſpecies particularis diſtributio, & quæ ſit cujuſque naturæ expoſitio, cæteraque quæ huc ſpectant, non ſunt hujus loci: Sed in *Naturalis Philoſophiæ* Tractatibus amplioribus quærenda.

Cap. VIII.

De Prædicamento Quantitatis.

Quantitas (univerſim ſumpta) eſt ea Notio (ſeu Mentis conceptio) ſecundum quam quærere ſolemus de re quapiam, per Comparationis Adverbium *Quam*. Ut quam longum? Quam amplum? Quam grande? Quam grave? Quam diu? Quam magnum? Quam multum? Quam multa? &c. Et quicquid ſit de quo ſic commode interrogare poſſumus, id omne ad hoc Prædicamentum referendum eſt.

Diſtribui ſolet Quantitas in *Continuam*, & *Diſcretam* (quæ & Disjuncta, Diſcontinua, Separata, etiam dici ſolet.) Τὸ ποσὸν συνεχὲς, καὶ τὸ διωρισμένον.

Continua quantitas definiri ſolet, cujus partes communi termino copulantur. *Diſcreta*, vero, quæ non item. Eſtque hæc non incommoda diſtinctio, ubi de *Continuis* & *Contiguis* ſit inquiſitio.

Mallim ego ſic potius diſtinguere; ut *Continua quantitas* ea ſit de qua quæri ſolet *Quantum*, ſeu *Quam multum*, Πόσον; (ubi *Menſura* ſeu *magnitudo* ſpectatur.) *Diſcreta* vero, de qua quæri ſolet *Quot*, ſeu *Quam multa*, Πόσα; (& de *Multitudine* intelligitur.)

Inter continuas Quantitates, potiſſimum ſpectari ſolent illæ quæ Localem habent *Extenſionem*, (puta *Longitudinem*, *Latitudinem*, & *Profunditatem*.) Quarum tres Species (niſi tria Genera potius dixeris) cenſeri ſolent; *Linea*, *Superficies* & *Corpus* (ſeu Solidum.)


Atque de his potiſſimum intelligendum eſt, quod dici ſolet, *Extenſionem* (ſeu poſitionem partium extra partes) *eſſe ipſiſſimam eſſentiam Quantitatis*. Ob quam, ejuſdem eum *Materia* connexionem tuentur. Nam Quantitatem Diſcretam, ſeu Multitudinem, *Spiritibus* pariter ac *Corporibus*, competere, haud negaverim.

Linea (γραμμὴ) quæ unicam habet dimenſionem; quæ *Longitudo* dici ſolet.

Superficies (ἐπιφάνεια) quæ duas habet dimenſiones; *Longitudinem* & *Latitudinem*.

Corpus, ſeu Solidum (σῶμα) cujus tres ſunt dimenſiones; *Longitudo*, *Latitudo*, & *Profunditas* (quæ & Craſſities, & Altitudo, dicitur.)

Ad *Lineas* referri ſolent, menſuræ omnes *Diſtantiarum* & *Longitudinum*; ut *Milliare*, *Stadium*, *Ulna*, *Pertica*, *Cubitus*, *Pes*, *Pollex*, &c.




Lineæque *communem terminum* (quo partes ejus continuantur) *Punctum* dicunt. Sic Lineæ A B C, partes A B, B C, communi puncto B copulantur, ut quod eſt utrique parti commune (ultimum primæ, & primum ultimæ partis.) Idemque dicendum de quovis intermedio puncto inter A & C. Sed & Lineæ (non modo *terminus communis*, ſeu intermedius, ſed etiam) *termini extremi*, Puncta ſunt, ut A, C.

Punctum itaque, utut in Quanto ſit, Quantitas tamen (ſeu Quantum) non eſt. Habet quidem *Ubi*, & *Situm*, ſed *Magnitudinem* non habet. Nec, præter duo membra AB, BC, ulla ſupereſt pars Lineæ A C.

Solet quidem hic loci diſtribui Linea, in *Rectam* & *Curvam*; (& Superficies, ſimiliter, in *Planam*, & *Curvam*; & *Curva*, in *Concavam*, & *Convexam*.) Sed iſtæ Diviſiones non ſunt hujus loci; ſed pertinent ad *Formam & Figuram*, quæ eſt Quarta ſpecies Qualitatis.

Quippe *Rectitudo & Curvitas*, lineæ *Figuram* ſpectant, non *Magnitudinem*. Quod fortius adhuc intelligendum de *Triangulo*, *Quadrato*, *Circulo*, *Cubo*, *Sphæra*, *Cylindro*, aliiſque figuris ſive Solidis, ſive Superficialibus; quæ omnes ad *Qualitatem* ablegandæ ſunt, ejuſque (quam dicunt) *Speciem quartam*.

Ad *Superficiem* referendæ ſunt omnes *Menſuræ ſuperficiales*; ut *Acra* ſeu *Jugerum terræ*, *Pes quadratus*, atque iſtiuſmodi aliæ, quibus *Pannus*, *Vitrum*, *Aſſeres*, *Pavimenta*, aliaque iſtiuſmodi menſurari ſolent.



Terminus communis (Superficiei) ſtatuitur Linea, (recta aut curva, prout contigerit.) Utputa Superficiei A B C D, duæ partes A B C A D C, continuantur per A C lineam, quæ eſt utrique communis, ipſaque (utut longitudinis magnitudinem habeat) *magnitudinem ſuperficialem* nullam habet, ſed tota ſuperficiei iſtius magnitudo binis illis partibus completur. Sed & ſuperficiei (non modo terminus communis,

nis, ſed etiam) *termini extremi*, ſunt Lineæ (una vel plures) quibus terminatur. Sed & *Punctum* eſt nonnunquam ſuperficiei terminus, ſive *extremus* (ut ubi in angulum coeunt lineæ :) ſive etiam *continuus* ; utpote, ſi duo Triangula A B habeant punctum unicum commune.



Ad *Corpus*, ſeu *Solidum*, referendæ ſunt omnes Menſuræ tum *ſolidæ Magnitudinis*, tum *ſolidæ Capacitatis*. Ut ſunt *Lignorum*, *Lapidum*, aliorumque ſolidorum magnitudines; nempe *menſuræ concavæ*, ut *Modius*, *Medimnus*, *Dolium*, *Lagena*, &c.

Solidi *communis terminus* eſt *ſuperficies* ; Utputa ſi A B D C ſolidum repræſentet, cujus duæ partes A B C A D C communi ſuperficie A C (quæ utrique ſit communis) continuantur. Eſtque ſuperficies (una vel plures) Solidi *terminus extremus*. Sed & *Linea*, vel etiam *Punctum*, poteſt eſſe Solidi *extremus terminus* (partialis,) aut etiam *terminus communis* ; utpote ſi duæ Pyramides A B communi Apice continuentur.

Præter has tres Continuæ Quantitatis ſpecies, *Lineam*, *Superficiem*, & *Corpus*, (quæ quidem præcipuæ haberi ſolent, ſed non ſolæ :) connumerari ſolent *Tempus* & *Locus*. Non quidem quatenus reſpondent quæſtionibus *Quando* & *Ubi*, (ſic enim referenda ſunt ad Prædicamenta his nominibus inſignita,) ſed quatenus *Quamdiu* innuunt & *Quam amplum*.

Tempus eſt quidem Quantitas continua, *Durationem* menſurans ; ſecundum quod *Quamdiu* quidpiam ſit ſignificatur. Ejuſque *communis terminus* (quo Temporis partes continuantur) *Momentum* dici ſolet ; aut etiam τὸ νῦν, *ipſum Nunc* ; ſed & *Punctum temporis*. Quod quidem habet ſuum *Quando* ; ſed non *Quamdiu*, ſeu *durationem* ; (ſicut *Lineæ*, ſeu *Corporis* punctum, habet ſuum *Ubi*, ſed non *Quantum* ;) adeoque (ut punctum illud) ad hoc Prædicamentum non pertinet ; niſi (ut loquuntur) *Reductive*.

Dici ſolet Tempus (diſtinctionis gratia) *Continuum Succeſſivum* ; quo à Linea, Superficie, & Solido diſtinguatur, quæ ſunt *continua Permanentia*. Horum enim partes ſimul exiſtunt ; Temporis autem non item ; Quippe Temporis pars Præterita, *eſſe deſiit* ; pars Futura, *nondum eſt* ; nihilque temporis *eſt* præter ipſum *Præſens* ſeu τὸ νῦν, quo Præteritum & Futurum copulantur.

Dicique *Tempus* ſolet *Menſura motus*. Nec incommode ; ſi motuum Affectiones conſiderantur. Sed non Tempus ſolum. Si longitudo & brevitas motus, ſecundum *Extenſionem*, conſideretur ; hujus menſura erit *Linea*, (adeoque curſus duorum ſtadiorum, duplus eſt illius qui eſt unius ſtadii.) Si motus longitudo & brevitas, ſecundum *Durationem*, conſideretur : hujus menſura *Tempus* eſt ; (adeoque motus per duas horas, duplus eſt illius qui eſt per horam Unam.) Si *celeritas* aut *tarditas* motus conſideratur ; menſura hujus erit *Linea* & *Tempus* invicem comparata : Quippe qui *tantundem Lineæ* conficit *minori tempore*, (aut, eodem tempore, plus lineæ,) motus eſt *Celerior* ; qui contra, *Tardior*.

Sunt qui alia adhuc conſideratione dictum volunt, *Tempus eſſe menſuram Motus* ; Nempe, prout ad *Motus Cæleſtes* comparatur. Adeoque tempus quo Sol peragit Zodiaci ſigna omnia, *Annus* dicitur : Quo Luna eadem peragit, *Menſis* : Quo Sol à Meridie progreſſus ad eundem redit, νυχθήμερον, ſeu *Dies*, *artificialis* dictus ; Quo ab Horizonte oriens ad eundem occidens pertingit, *Dies Naturalis*. Verum dixerit aliquis, (nec male,) Hac conſideratione *Motum* (cæleſtem) potius *Menſuram Temporis*, quam Tempus *Menſuram Motus* dicendum. Quippe, per tot *Solis circuitus* totidem *Annos* numeramus. Nec propter Anni longitudinem determinatur Circuitus Solis, ſed propter Circuitum Solis determinatur Anni Longitudo.

Locus autem, quin ſit *Quantitas Continua*, haud negaverim. Sed aliam ejus eſſe Speciem ab antedictis, non video cur dicatur.

Duplex quippe ab aliis atque aliis tradi ſolet notio Loci.

Sunt qui *locum* definiunt *ſuperficiem concavam corporis ambientis*. Adeoque, quicquid habet ille Quantitatis ſeu Magnitudinis, id ipſum eſt, quod & Superficiei ; nec erit Quantitatis ſpecies ab illa diſtincta.

Alii, *Locum* habent pro ipſo *Spatio* quod corpore completur. Quique hoc volunt, eaſdem dimenſiones *Loci* ſeu *Spatii* admittunt, quas *Corporis* ſpatium illud occupantis. Adeoque nec hoc ſenſu erit nova Quantitatis Species, ab antedictis diſtincta.

Si qui *Loci* naturam innuere volunt, non tam ipſum ſpatium quod occupatur, quam Ordinem quem habet res locata ad alia corpora : (utputa, quo Sol in Cœlo eſt ; Piſcis in mari :) Id quidem alio reſpectu verum eſt ; ſed non eſt hujus loci. Quippe hoc ad Prædicamentum *Ubi*, aut *Situs*, referendum erit ; non ad Quantitatem.

Sunt autem, præter enumeratas, aliæ Continuæ Quantitatis ſpecies : Ut (qui apud Geometras frequens occurrit) *Angulus*, tum *Superficialis* tum *Solidus*.

Item *Gravitas*, ſeu *Pondus* ; ut *Libra*, *Uncia*, *Drachma*, *Dipondium*, *Tripondium*, *Centipondium*, &c. Et *Vis Motrix* omnis, (cujus una ſpecies eſt Pondus.) Et quidem omne illud ſecundum quod *Majus* & *Minus* (ſeu *Plus* & *Minus*) quid dicitur. Ubicunque enim eſt Plus & Minus, ibi eſt (μέγεθος) *Magnitudinis* quiddam (*ſome Muchneſs* ;) Quod

quidem

quidem μέγεθος (ab *Euclide* dictum) nunc dierum *Quantitas*, ſeu *Quantum*, dici ſolet. Has vero ſpecies, aliaſque multas, omittunt Logici; præcipuas enumerare contenti.

Verum hic omnino diſtinguendum eſt inter *Extenſivum* (quod dicitur) & *Intenſivum*. (Quorum illud ad *Quantitatem* referendum eſt; hoc ad *Qualitatem*.) Quum *Aſſem* graviorem dicimus quam *Unciam*, (utut *Plumarum* illum; hanc *Plumbi*:) intelligendum eſt *Extenſive gravius*, (ſeu *plus* habere *Ponderis*:) atque ad hoc Prædicamentum ſpectat, (dicit enim *Quantum ponderis*.) Quum vero dicimus *Plumbum Ligno* gravius eſſe aut *Subere*; (utut illius fuerit *Semuncia*, hujus *Centipondium*;) intelligendum eſt *Intenſive gravius*; (quæ, nunc dierum, *Gravitas Specifica* dici cœpit; quaſi aut ignorarent homines receptum olim vocabulum *Intenſivum*, aut nova nomina affectarent) & *Qualitatis gradum* reſpicit; adeoque ad Qualitatis prædicamentum ſpectat, ut ipſa Gravitas.

Idem in aliis item Qualitatibus occurrit. Utpote *Candens Ferrum*, (in exigua licet particula,) eſt *intenſius calidum* (pro magnitudinis ſuæ proportione) quam *Lignum ardens* (magnæ molis) dum tamen in hoc ſit *Plus Caloris*.

Atque huc reſpicit, quod dici ſolet, *Qualitatem recipere Magis & Minus* (nempe dum qualitatis *Gradus* ſpectatur;) *Quantitatem* vero (non quidem recipere *magis & minus*; ſed) *Majus & Minus*, ſeu potius *Plus & Minus*. Hoc eſt; *Intenſius grave*, *Intenſius calidum*, &c, Qualitatem reſpiciunt; (ejuſque majorem *gradum*;) ſed *Plus ponderis*, *Plus caloris*, &c, Majorem *Quantitatem*, reſpiciunt.

Hinc item dicimus, ſecundum *Quantitatem*, res *Æquales* dici & *Inæquales*; ſecundum *Qualitatem* vero, *Similes* & *Diſſimiles*. Sic *Ager Rotundus*, *unius jugeris*; agro *Quadrato*, *unius item jugeris*: *Æqualis* dicetur, ſed non *Similis*. Contra vero, Ager *Quadratus*, *centum jugerum*; agro item *Quadrato*, *unius jugeris*; *Similis* dicetur, (utpote ejuſdem *Figuræ*,) ſed non *Æqualis*. Quippe Figura, *Qualitas* eſt: Magnitudo *Quantitas*.

Ad *continuam quantitatem* item ſpectant, res omnes (cujuſcunque alio reſpectu fuerint Prædicamenti) quatenus, *Quantæ ſint*, conſideratur. Utpote, Quantum *doctrinæ*, quantum *divitiarum*, quantum *roboris*, quantum *virtutis*; &c. Et quidem prout *Quantitates*, ſuas ſortiuntur *Qualitates*, (ut, cum *Superficies* dicitur, *rotunda*, *quadrata*, *plana*, *concava*, *convexa*, &c;) ſic nihil repugnat quin *Qualitates* ſuas habeant *Quantitates*; ut cum dicitur, quantum *virium*, quantum *caloris*, quantum *ponderis*, habeat res aliqua. Atque *Subſtantiis* pariter; ut, quantum *terræ*, quantum *aquæ*, quantum *tritici*, &c. Et quamquam (verbi gratia) *grana tritici* ſint invicem ſeparata (non quidem ſtricte *continua*, ſed *contigua tantum*;) dum tamen conſideratur, non, *quot* ſint *numero* grana, ſed *quanta* tritici *moles*; reputandum eſt (hac conſideratione) quaſi *continuum* eſſet.

Quantitas *Diſcreta* (ſeu Diſcontinua) ea eſt cujus partes conſiderantur (non quidem ut communi termino copulatæ, ſed) ut ab invicem diſtinctæ, & ſeparatæ, de quibus quæri ſolet *Quot* ſint. Dicique ſolet *Numerus* (ἀριθμὸς) ſeu *Multitudo*. Ut, *Unum*, *Duo*, *Tria*, &c.

Hic autem ambigi poteſt, an *Unum* ſit *numerus*. Quippe alii non *numerum* eſſe dicunt; ſed *principium numeri*; adeoque *binarium* eſſe numerorum minimum. Alii, *Numerum* eſſe volunt; (adeoque *numerum ſingularem* admittunt;) quia reſpondet quæſtioni *Quot*. Certum eſt, *Euclidem* pro *numero* habere; &, poſt eum, Mathematicorum pleroſque. Cum autem non niſi de *nomine* quæſtio ſit, poterit quiſque prout libuerit loqui, dummodo conſtet quo ſenſu hic aut ille intelligi volet quum *Numerum* dicit.

Dicitur autem *Diſcreta quantitas*, quia partes conſiderantur ut totidem res diverſæ, diſcretæ, ſeparatæ, diſtinctæ; potius quam ut una res continua ſive conjuncta. Utpote, cum *Decem* homines, aut *Centum* homines, dicimus; non rem unam intelligimus, ſed totidem quot indicat ille numerus.

Et quidem quum terræ dicimus *decem jugera*; quamquam ea forte ſint in eodem agro continua; numerantur tamen quaſi eſſent diſtincta. Contra vero, *Modius tritici*, utut grana ſint invicem ſeparata & numero plura, conſideratur ut *una Moles*.

Sed & quæ *numerari* videntur, reputanda potius ſunt (non raro) ut *menſurata*; neque tam *quot ſunt*, quam *quantum*, conſiderari. Sic qui *tres modios* tritici dixerit, *trimodium* intelligere putandus eſt; hoc eſt, *tantundem tritici* quantum forent *tres modii*. Et qui *centum pondo* dixerit, intelligendus erit de *Centipondio*. Hinc eſt quod noſtri dicant *three foot* (*of timber*) potius quam *three feet*; quando *tripedale lignum* volunt, non *tria ligna pedalia*: Tripodem vero dixerint habere *three feet* (tres pedes) non *three foot*, quoniam *tres pedes* hic *numerandos* volunt; illic *tripedale*, menſurandum. Eſtque illic, *three foot*, non tam *binæ voces*, quam una vox (Adjectiva) ex binis compoſita, ut eſt *tripedalis*. Adeoque *three foot of timber*, explicite prolatum, eſt *tripedalis* (*moles*) *ligni*; ſeu *tripedale lignum*.

Dicimus etiam, *a three foot ſtool* (tripos) hoc eſt, *three footed* (tres pedes habens;) Ubi ex Compoſito *three-foot*, formatur Derivatum *three foot-ed*. Quod in lingua noſtra frequens eſt; fitque in Latina non raro, ut in *Tranſmarinus*, *Supercæleſtis*, *Antemeridianus*, *Ciſalpinus*, *Tranſalpinus*, *Tranſmontanus*, *Mediterraneus*, *Subſolanus*, &c. Quæ non ſunt *Compoſita*, ex *Trans & Marinus*, ex *Super & Cæleſtis*, &c. Sed *Derivata* à conjunctis vocibus,

tranſ-mare,

tranſ-mare, ſuper-cœlum, ante-meridiem, ciſ-Alpes, tranſ-Alpes, tranſ-montes, media-terra, (ſeu *mediterrium,*) *ſub ſole,* &c.

Eſtque ubi ſubtilius diſtinguitur; Ut cum diſtinguunt Juriſconſulti noſtri inter *Semeſtre* & *Sex menſes*; illud de *ſemi anno* intelligentes; hoc de *Sex menſibus* (civilibus) quorum quilibet ſit dierum viginti-octo: Item, inter *a twelve-month* & *twelve months*; illud pro integro *Anno* habentes; hoc pro *duodecim menſibus* (civilibus) dierum 28. Sed hæc obiter.

Hinc eſt qnod Nomina earum rerum, quæ vel natura ſua, vel ex uſu communi, *Menſurari* ſolent, non *Numerari*, quæque ex natura ſua ſunt *Singularia*; *Plurali* numero carere ſolent. Non tam, quod non habere poſſent ſiquando opus ſit; ſed quod non ſoleant occurrere plurium mentiones. Hinc *Sol, Mundus, Jupiter, Mæcenas,* aliaque iſtiuſmodi, (dummodo ſaltem pro ſingularibus habentur,) Grammaticis aliquammultis perhibentur carere numero plurali. At vero, ſi vel de his conſiderandum veniat, num plures ſint; aut metaphorico ſimilive ſignificatu occurrant; ſine ſcrupulo dicimus (aut eſſe, aut non eſſe) plures *Mundos, Soles, Joves, Mæcenates*. Sic poeta dixerit, *Soles occidere & redire poſſunt*; aut etiam *Sint Mæcenates, non deerunt, Flacce, Marones*. Addunt Grammatici, *His Frumenta dabis, Penſa, Herbas, Uda, Metalla*; (intellige, horum nomina, ut *Triticum, Lana, Thymus, Lac, Aurum,* &c;) ut quæ *Menſurari* (vel *pendi*) ſolent non *Numerari*. Neque enim dicere ſolemus, *Quot Lanæ, Lacta, Aura*; ſed *Quantum Lanæ, Lactis, Auri,* &c. Verum hic excipiunt, *Eſt ubi pluralem retinent, eſt hæc ubi ſpernunt*. Quippe ſi, præter ordinem, hujuſmodi concipiantur ut *plura*, res ſecus erit. Utputa ſi de pluribus Vini (ant Vinorum) generibus ſermo ſit (puta *Hiſpanico, Gallico, Rhenano,* &c.) *Vina* dicemus non inepte. Sic dicimus Anglice *more Wine* (quum *plus vini*) volumus, non *more Wines*: niſi forte plura vini *genera* volumus; aut ſaltem *dolia*. Sed & Poetæ non raro (pro ea quam ſibi indulgent licentia) aliique nonnunquam ad horum imitationem, etiam extra hos caſus, *Numeri Enallagen* adhibere ſolent.

Ad quantitatem *Diſcretam* referunt nonnulli (ut hujus Speciem) *Orationem*: ideo forſan quod Ariſtoteles alicubi dixerit *Orationem* eſſe Quantitatem *Diſcretam*, non *Continuam*. Quod ideo puto fuiſſe dictum, quia, in Sermone, non nnum aliquem *ſonum* continuamus, eundem continue prolongando (quippe ſi hoc foret, dicenda eſſet quantitas *continua*,) ſed pro ſingulis literis (quibus vox conſtat) totidem diſtinctos (ſucceſſive) ſonos proferimus: qui alii atque alii cum fuerint, *diſcreti* potius ſoni dicendi ſunt, quam unus continuus.

Idem dicendum eſt de *Concentu Muſico* (qui itaque *numerus harmonicus* dicitur) propter diſtinctos ſonos ſucceſſive prolatos.

Idemque in pulſando *Tympano*; propter diſtinctos inibi pulſus, non unum continuum.

Verum, quamdiu ſonus unicus eodem tono continuatur (ſive in cantu id fiat, ſive in ſermone,) Quantitas *continua* eatenus erit.

Quantitatis Prædicamentum, Subjectum ſuppeditat diſciplinis (dictis) *Mathematicis*; ſive Scientiæ illæ fuerint ſive Artes; Speculativis pariter & Practicis; puris item & mixtis: Quæ eatenus dici ſolent *Mathematicæ*, prout conſiderant Quantitatem. Quales ſunt,

Arithmetica; quæ tractat *Numeros*.

Geometria; quæ Quantitatem *Continuam* dictam, ſeu *Extenſam* tractat: puta *Lineas, Superficies* & *Solida* mathematica: cum horum Affectionibus; ut *Angulis, Figuris, Proportionibus*, &c.

Atque hæ quidem *Mathematicæ Puræ* dici ſolent; ut quæ puram quantitatem, à Materia abſtractam tractant. Reliquæ *Mixtæ* dicuntur; ut quæ Quantitatem conſiderant tanquam in peculiari aliquo ſubjecto.

Aſtronomia; Motus tractat, ſed *Cœleſtes*.

Geographia; Varias Tellnris partes & Regiones.

Statica; de *Ponderibus* agit.

Mechanica; de *Motu, Machiniſque* eo ſpectantibus.

Nautica; quæ ad *Navigationem* ſpectant, *Naviumque* regimen.

Scioterica; doctrinam tractat *Horologiorum*, quæ ex motu Solis aliorumqne Syderum dependent.

Aliæque iſtiuſmodi Artes, peculiaria ſibi adſciſcunt Subjecta. Et quatenus *Quantitates* conſiderant, dicuntur *Mathematicæ*.

CAP.

C A P. IX.

De Prædicamento Qualitatis.

AD Prædicamentum *Qualitatis* (ποιότης) referuntur ea Accidentia unde quid denominari ſolet *Quale*. Non tamen tam lata ſignificatione quam ubi *Accidens Prædicabile* dicitur prædicari in *Quale* (quæ ad omne illud refertur quod extra rei Eſſentiam eſt; adeoque ad omnino omnia accidentia extenderetur;) ſed prout (ſtrictiori ſenſu) in communi loquela res *Quales* appellari ſolent.

Cum vero hujuſmodi *Qualitatum*, magna ſit varietas; redúci ſolent ad quatuor (quas vocant) Qualitatis *Species*, (niſi *Genera* malis appellare.)

Prima Species Qualitatis dici ſolet *Habitus & Diſpoſitio*.

Eſt autem *Habitus* (ἕξις) *Qualitas adventitia facilitans potentiam in agendo*. Qui quidem dum *inchoatus* tantum eſt, ſeu *imperfectus*, adeoque facile *mobilis*, vocatur *Diſpoſitio* (διάθεσις,) quæ non aliter ab *Habitu* differt quam quod imperfectior ſit. Sic qui artem (verbi gratia) *Canendi* probe callet; dicetur canendi *Habitum* adeptus: dum vero, imperitus adhuc, Elementa ſaltem prima didicerit; *Diſpoſitionem* ſaltem habere dicetur ad hunc Habitum; ſeu *habitum inchoatum*.

Habituum alii *Acquiſiti* dicuntur; ut qui *exercitio*, & *pluribus actibus* acquiri ſolent; Ut *Linguarum Peritia*, quæ ſtudio & *exercitio* nobis acquiritur.

Alii *Infuſi*; ſeu aliunde derivati; ut ſunt *Gratiæ* (quas dicimus) *Spiritus Sancti* divinitus *infuſæ*; & *linguarum peritia* Chriſti Apoſtolis *Cælitus indita*. Quæ ab illa altera, ſtudio nobis acquiſita, potiſſimum differt *adipiſcendi modo*.

Atque ad hanc claſſem (quamvis *Infuſi* nomen non bene quadret) reduci poteſt *Habitus propagatus*, (*originale peccatum* vulgo dictum.) Nam neque hic habitus *noſtris actibus* acquiritur, ſed aliunde derivatur.

Cumque hujus *Corruptionis habitualis*, etiam *Infantes* ſint capaces: non video quidni & capaces ſint *habitualis Gratiæ* cœlitus infuſæ. Atque ut, per illam, ſint *proni ad malum*; ita, per hanc, fiant (ubi Deus hoc voluerit) *ad bonum proclives*; etiam ante *annos* (quos vocant) *diſcretionis*, aut etiam inde ab utero materno.

Habituum autem ſunt varia genera.

Habitus Theologici, recenſeri ſolent, *Spes*, *Fides*, & *Charitas*.

Habitus Intellectuales, ſeu Virtutes Intellectus; *Intelligentia*, *Sapientia*, *Scientia*, (quos *Speculativos* vocant;) & (quos vocant *Practicos*) *Ars* & *Prudentia*.

Habitus morales (quos habitus Voluntatis dicas; ut ſunt illi alteri, Intellectûs;) dici ſolent *Virtutes morales* (quarum *Cardinales* numerari ſolent *Prudentia*, *Juſtitia*, *Temperantia*, & *Fortitudo*; quibus accenſeri ſolent aliæ multæ, ut his ſubordinatæ:) atque *Vitia* his virtutibus oppoſita.

Inter Habitus item recenſeri ſolent Tres (quæ vocantur) *Philoſophiæ*; *Metaphyſica*, *Phyſica* (quæ & *Naturalis Scientia* dicitur) & *Ethica*, ſeu *Philoſophia Moralis*.

Item ſeptem (quas dicunt) *Artes liberales*; *Grammatica*, *Logica*, *Rhetorica*, *Muſica*, *Arithmetica*, *Geometria*, & *Aſtronomia*. His verſibus utcunque inſinuatæ,

Gra. loquitur. *Dia*. vera docet. *Rhet*. verba colorat.

Mu. canit. *Ar*. numerat. *Geo*. ponderat. *Aſt*. colit aſtra.

Sunt & aliæ *Artes Corporeæ*; ut *Cantandi*, *Saltandi*, *Pingendi*, &c.

Aliæque adhuc *Artes Mechanicæ*; ut *Fabri*, *Latomi*, *Sartoris*, *Braſiatoris*, *Pictoris*, aliorumque plurimorum Artes.

Omnes autem hoſce *Habitus* (alioſque innumeros) particulatim explicare, quæque eo pertinent quæſtiones tractare; non eſt hujus loci. Sed ad eas ſive Artes ſive Scientias recurrendum eſt, quæ de illis ſpeciatim agunt.

Secunda ſpecies Qualitatis dicitur *Naturalis Potentia & Impotentia*. (δύναμις φυσικὴ, ἀδυναμία.) Puta, qua quid aptum eſt Facere aliquid aut Pati. Dici etiam ſolet *Facultas naturalis*.

Hæc autem ſpecies, quamvis ſecundum locum tenere ſolet; merito tamen primum occuparet. Nam niſi præceſſerit *Potentia* aliquid faciendi; locus eſſe non poteſt *Habitui* qui hanc facilitet in agendo. Utpote ſi non adſit *Facultas loco-motiva*; fruſtra quis ſperet *Habitum ſaltandi*: Nec ſperaverit quis *Habitum*, *Harmonice Canendi*; qui *edendi Vocem*, *Potentiam* non habet. Sed mos aliter obtinuit, apud ſcriptores Logicos; ut Habitus Potentiæ præponatur.

Harum *Facultatum*, ſeu *Potentiarum naturalium*, magna eſt in rerum natura varietas.

Utpote, in *Gravibus*, potentia *movendi deorſum*: in *Levibus*, *movendi ſurſum*; (niſi hanc potius *Impotentiam* dixeris; qua minus valeant, res leves, gravioribus obſiſtere, locum inferiorem fortius occupantibus.) Sic, *Durities* eſt *Potentia reſiſtendi* externo preſſui; *mollities*, *impotentia*; (niſi hanc dixeris *potentiam cedendi*.) Item, in Magnete, *potentia attrahendi ferrum*; atque *ad ſeptentrionem inclinandi*. Multæque aliæ Qualitates; quæ quamvis alia conſideratione, ad alia Prædicamenta referantur, aut ad alias ſpecies hujus; quatenus tamen *operativæ* ſunt qualitates, etiam ad hunc locum jure pertinent.

Illæ autem *Potentiæ*, ſeu *Facultates*, quæ hic potiſſimum notari ſolent; ſunt *Animæ Facultates*, & quidem ſecundum triplicem Animæ gradum; prout dici ſolet, *Vegetativa*, *Senſitiva*, & *Rationalis*.

Animæ (ſeu vitæ) *Vegetativæ*; aut (ſi mavis ſic loqui) *Vegetativæ facultati*; (quæ Plantis, cum Animalibus communis eſt;) ſubordinari ſolent, facultas *Altrix*, *Auctrix*, & *Generatrix*. Atque *Altrici* (quæ & *Nutrix* dicitur) *Attractrix*, *Retentrix*, & *Expultrix*.

Animæ (ſeu vitæ) *Senſitivæ*, (aut *Senſitivæ facultati*) ſubordinari ſolent, *Apprehenſiva*, & *Motiva*. Ad *Apprehenſivam*, referunt *Senſus*; tum *Externos*, tum *Internos*. *Externos* numerant quinque, *Auditum*, *Viſum*, *Guſtum*, *Olfactum*, & *Tactum*. *Internos* tres; *Senſum communem*, *Phantaſiam*, & *Memoriam*. Facultatem *Motivam*, geminam faciunt; *Loco-motivam*, & *Appetitivam*. Atqne ad *Appetitivam* (ejuſque duas quas faciunt facultates *Concupiſcibilem* & *Iraſcibilem*) referunt *Affectus* omnes ſeu *Paſſiones*. Et quidem in *Concupiſcibili*, numerari ſolent Affectus ſex; *Amor*, *Odium*; *Deſiderium*, *Fuga*; *Gaudium*, *Triſtitia*. In *Iraſcibili* quinque; *Spes*, *Deſperatio*; *Audacia*, *Timor*; & *Ira*. Non omnes tamen ſic diſtribuunt Affectus; ſed alii aliter.

Animæ Rationalis, præcipuas facnltates, duas faciunt; *Intellectum* & *Voluntatem*. Ad *Intellectum*, referre ſolent *tres* quas vocant *operationes Intellectus*; *Apprehenſionem Simplicem* (ſeu terminorum ſimplicium;) cui dirigendæ aſſignant *primam* partem Logicæ: *Compoſitionem & Diviſionem* (ſeu Affirmationem & Negationem,) cui dirigendæ præficiunt Logices partem *ſecundam*: & *Diſcurſum*, quo ſpectat Logicæ pars *tertia*. Ad *Voluntatem*, pertinet Potentia *Volendi* & *Nolendi* (ſive *Eligendi* & *Recuſandi*) adeoque *Libertatis* ſuæ *Exercitium*.

Harum autem omnium Facultatum (aliarumque) partienlaris tractatio, qnærenda eſt apud Scriptores Philoſophiæ Moralis, Naturalis, Metaphyſicæ, &c.

Notandum interim has omnes (aliaſque) operandi Potentias, ſeu Facultates, ad hoc quidem Prædicamentum ſpectare (hujuſque Speciem quam dicunt ſecundam:) ſed Operationes ipſas, ad *Actionis* Prædicamentum referendas. Sie, verbi gratia, *Facultas Intellectiva* eſt *Naturalis Potentia* (in Qualitatis ſecunda ſpecie ponenda:) ſed *Intellectio* (ſeu actus ipſe intelligendi) ponenda eſt in Prædicamento *Actionis*.

Tertia Qualitatis ſpecies, dicitur, *Patabilis Qualitas & Paſſio* (παθητικὴ ποιότης ϗ πάθος·) Quarum vocum hanc faciunt differentiam: ut illa qualitatem *permanentem* ſignificet; hæc, *ſubitaacam*. Utpote, *Ruborem* vultus *permanentem*, vocant *Patibilem Qualitatem*: *Ruborem ex verecundia* (erubeſcentiam) *Paſſionem* vocant.

Huc referunt ſingularium *Senſuum Objecta*; ut ſunt *Calor*, *Color*, *Sonus*, *Odor*, *Sapor*, &c. (*Singularium*, inquam; nam quæ plurium ſenſuum objecta ſunt, alio referenda volunt; ut *Figuram* ad hujus Prædicamenti Speciem Quartam: Idem de *Motu* dicendum eſſet, ſicubi in Prædicamenio locatum volnnt; cum hujus affectionibus *Celeritate*, *Tarditate*, &c.) Sed & *Paſſiones animi*, hic reponunt; ut ſunt *Ira*, *Odium*, &c.

Sunt autem Objecta *Viſus*; *Lux* (aut lumen,) & *Color*; utpote *Albus*, *Niger*, *Ruber*, *Flavus*, *Cæruleus*, *Viridis*, &c.

Auditus objecta; *Sonus* (ſeu ſtrepitus) in omni ſua Varietate; ut *Clamor*, *Suſurrus*, *Murmur*, *Raucedo*, *Fragor*; Sonus *mollis*, *durus*; *gravis*, *acutus*; *harmonicus*, *concinnus*, *inconcinnus*, &c.

Objecta *Guſtus*, ſunt, *Sapores* omnes; *dulcis*, *amarus*, *acris*, *acerbus*, *ſalſus*, &c.

Olfactus objecta, ſunt, *Odores* omnes; *Suavis*, *inſuavis*, *fœtidus*, *fragrans*, *aromaticus*, &c.

Tactus objecta varia ſunt: Quippe huc referuntur *Qualitates* (quæ vocantur) *Primæ*; *Caliditas*, *Frigiditas*, *Humiditas*, *Siccitas*: Et *Secundarum* magna varietas; ut *Durities*, *Mollities*; *aſperitas*, *lævitas*; *gravitas*, *levitas*; *denſitas*, *raritas*; *craſſities*, *ſubtilitas*; *ariditas*, *lubricitas*; *rigiditas*, *flexibilitas*; *lentor*, *friabilitas*; & ſiquæ ſunt ejuſmodi; quas à Primis oriri dicunt: Sed & (ut loquuntur) *Tertiarum*, (quas & *Qualitates occultas* vocant,) quarum origo obſcurior eſt; ut *Sympathiæ*, *Antipathiæ*; *Qualitates Magneticæ*, *Electricæ*; aliæque quarum ratio haud in propatulo eſt.

Neque mirandum eſt quod harum aliquas alibi locatas reperias; nam eadem qualitas, diverſo reſpectu, ad varias ſedes referri ſolet. Utputa *Gravitas*, quatenus ſubjectum ſuum afficit, ſenſuque percipitur, hic locari ſolet; eadem vero, quatenus eſt effectiva motus deorſum, eſt *Potentia naturalis*. Sic *Aſperum & Leve*, prout in ſenſum occurrunt, hic numerari

metari ſolent: prout tamen innuunt aliam atque aliam poſitionem partium (ſuperficialium) inter ſe; ad *Figuram* propius ſpectant. Idem dixero de *Denſo* & *Raro*, quæ ad *Figuram* item, (forte & *Situm*,) referas.

Motum vero quo referant, ambigunt (quantum video) Logici; ſeu potius nuſquam ponunt in Prædicamento; (contenti, ad Poſtprædicamenta, tractationem hujus relegare.) Non video tamen, cur non (ut *Tempus*, ſic) *Motum* inter *Quantitates* (ſucceſſivas) numerent; ejuſque item Affectiones, (*celeritatem*, *tarditatem*, *uniformitatem*, *difformitatem*, *accelerationem*, *retardationem*, &c.) cum reliquis Quantitatum affectionibus, in *quarta ſpecie Qualitatis*. Sed &, quatenus *ſenſibus percipiuntur*, quidni ad hanc tertiam Qualitatis Speciem referantur? (Neque enim, apud me, quicquam valet illa objectio quod (ut *figura*, ſic) *Motus*, hujuſque affectiones, ſint pluribus ſenſibus perceptibiles.) Vel, ſi hoc non placeat, ad Quartam referas qualitatis ſpeciem; eo quod *pluribus ſenſibus* percipiantur. Et quidem ſi *Motum* ipſum pro *Quanto* habeas, hujus affectiones (*celeritas*, *tarditas*, &c.) erunt Quantitatis determinationes; ut ſunt *Figura*, *Proportio*, aliaque. Alii forte ad *Actionem*, aut *Paſſionem*, aut utramque harum, referendum putaverint Motum; ſaltem *Reductive*. Sed liberum eſto (per me) cuique, ut voluerit, aut hic aut alibi aut nuſquam collocare.

Huc etiam referunt *Affectiones* & *Paſſiones* animi; ut ſunt *Ira*, *Odium*, *Horror*, *Stupor*, &c. Quo caſu *Odium* (utpote qualitatem permanentem) *Patibilem qualitatem* dicas; *Iram* vero (ut perturbationem) *Paſſionem* dixeris.

Nec obſtat quod inter *Potentias naturales* numeraverim *Iram*, *Odium*, &c. Quippe *Iraſcendi Facultas* ibi recte poſita eſt; ſed *Actus iraſcendi*, ſi non hic loci, ſaltem inter *Actiones immanentes* ponendus erit.

Verum & omnes, quas eſſe volunt Qualitates, quas aliis ſedibus haud commode collocaverint, ad hanc *Tertiam* ſpeciem referre ſolent.

Quarta ſpecies Qualitatis, eſt quæ dici ſolet, *Forma & Figura*, (μορφὴ ϗ σχῆμα.) Quam eſſe dicunt *Terminationem Quantitatis*: ut quæ dicat *Quale* ſit hoc Quantum.

Quanquam enim reformidet forte aliquis (aliis linguis aliiſque loquendi formulis aſſuetus) *Figuram* appellare *Qualitatem*: Tamen ποιὸν σχῆμα commode dici Græce, & *Qualis figura* Latine, nullus inficiabitur; (quod Anglice dicimus *what faſhion*.) Id quod abſonum cenſeri faciat (primum audientibus) hoc eſt; Quia *Qualitates* (in abſtracto) de eis potiſſimum dici ſolent quæ ſunt *tertiæ ſpeciei*; (quæ autem ad quartam ſpectant, *the ſhape*; *or faſhion* potius dicimus, quam *the quality*:) ſed (in concreto) *Quales*, de reliquis pariter dicuntur: & quærenti *Qualis ſit hæc Fœmina*, non modo recte dixeris *bona* ſit an *mala*, ſed & *formoſa* ſit an *deformis*. Atque de *Menſa* pariter quærenti *qualis* ſit, recte dixeris (inter alia) *quadrata* ſit an *rotunda*. Et quærenti de *Veſte*, *Qualis* ſit; de *Forma* recte reſponderis, *Toga*, *Tunica*, *Pallium*, &c.

Voces ipſæ *Forma* & *Figura* (ut apud nos *Shape* & *Faſhion*) vel ejuſdem plane ſignificationis haberi ſolent, vel tantillum differre. Sunt qui, *Formam*, potius de *Animalibus* dictam volunt (ſaltem *Animatis*;) *Figuram* de *Inanimis*. Sic *Menſæ*, *Turris*, *Ædificii*, *Figuram* dixeris, (forte & *Arboris*;) ſed *Hominis*, *Leonis*, *Equi*, (externam) *Formam*. Sunt qui, *Figuram*, reſpicere volunt ſolummodo ipſam partium inter ſe poſitionem (quam *Figurationem* dicimus;) *Formam* vero, etiam aliarum qualitatum congeriem connotare; ut cum *Formoſam* fœminam dicimus, quæ non modo bene *figurata*, parteſque habeat juſta proportione diſpoſitas, (quod dicimus *good features*;) ſed & *Colores commodos*; juſto ordine poſitos (quod ſpeciatim *beauty* dicimus, ipſamque *bellam fœminam*;) debitumque tum totius corporis, tum ſingularum partium, *Motum geſtumque commodum* (unde illud maxime oritur quod dicimus *a good meen*:) Quæ omnia *Formoſum* indicat. (De ſimili qualitatum congerie, intelligendum volunt, qnum *Vinum* aliquod habere dicunt *a good flavour*, quod de *Colore*, *Odore*, & *Sapore* junctim exponunt.) Sed, prout hic loci conſiderantur, ſi pro eodem habueris *Formam* & *Figuram* haud multum aberraveris.

Hinc *Linea* dicitur *Recta*, *Curva*, *Circularis*, *Parabolica*, *Hyperbolica*, *Helix*, &c.

Superficies; *Plana*, *Curva*, *Concava*, *Convexa*, &c. Item *Ellipſis*, *Triangulum*, *Quadratum*, &c. Item, *Figura*, *Rectilinea*, *Curvilinea*, &c. Sed & *Triangulum*, *Planum*, *Sphæricum*, &c.

Anguli ſimiliter; *Recti*, *Acuti*, *Obtuſi*, *Rectilinei*, *Curvilinei*, &c. Item *Plani*, *Superficiales*, &c. Item *Anguli ſolidi*, ſed qui ſuperficialibus illis ſunt Heterogenei.

Solida item *Corpora*; ſunt *Planilatera*, *Curvilatera*, *Concava*, *Convexa*, *Plena*, *Cava*, &c. Item *Sphæra*, *Cubus*, *Pyramis*, *Conus*, *Priſma*, *Cylindrus*.

Sunt quidem *Linea*, *Superficies*, & *Corpus*; *Quantitates*: Sed *Peripheria*, *Circulus*, *Quadratum*, *Sphæra*, *Cubus*, &c. *Figuræ* ſunt; adeoque in *Quarta Specie Qualitatis*.

Numeri item dicuntur, *Pares*, *Impares*, *Plani*, *Solidi*, *Quadrati*, *Cubici*, *Triangulares*, *Primi*, *Compoſiti*, *Perfecti*, *Similes Plani*, *Similes Solidi*, *Primi inter ſe*, &c. Quæ omnes Numerorum *Qualitates* ad hanc ſpeciem referendæ ſunt.

Motum item ſi pro *Quanto* habueris; huc referendi erunt *Motus Celer*, *Tardus*, *Uniformis*, *Acceleratus*, *Retardatus*, &c.

Et quidem omnium *Quantitatum* communis eſt, *Ratio*, ſive *Proportio*, & *Analogia*; quam huc referas; aut (ſi id mavis) ad Prædicamentum *Relationis*.

Sunt qui (nunc dierum) *Qualitates* omnes exterminatum eunt; ad *Figuram & Motum* ejuſmodi omnia referentes; ſaltem ſi addas, particularum (ſic figuratarum) *Textum*.

Sed non animadvertunt *Figuram* ipſam, *Qualitatem* eſſe. Quique rem dixerit, ex particulis *taliter figuratis*, eiſque *taliter mixtis*, (puta, *tali ordine*, & *tali inter ſe proportione*,) atque *taliter commotis* invicem, *taliterque* afficientem manus meas, *qualiter* ſolet res aliqua quam *Calidam* vulgo dicimus: dicit ille, *Qualis* ſit ea res, (nempe, *talis*, qualis eſt ea quam *Calidam* dicimus:) Omniaque ſua *Taliter*, junctim ſumpta, ſunt noſtrum *Tale*, (in concreto,) quo reſpondetur quærenti *Quale*; Unde (in abſtracto) *Qualitatem* dicimus; eique *Qualitati* nomen facimus *Calorem*. Adeoque qui nobis negaverit *Qualitatem* illam, quam *Calorem* dicimus; negat ille *particulas, taliter figuratas, taliter moveri*, &c. Quippe hæc omnia (ſive probe perſpecta, ſive partim ignorata,) intellecta volumus, quando *Calorem* dicimus, aut rem eſſe *Calidam*. Et pariter de aliis qualitatibus Quique quærenti, (in re quapiam) *qualis ſit textura particularum*, recte reſponderit; *Qualitatem* dicit hujus texturæ, aut etiam rei ſic contextæ.

Et quidem, de re non penitus perſpecta, (puta *virtute magnetica*,) quærenti unde ſit; perinde mihi erit; ſive quis reſponderit *ab occulta qualitate* provenire, ſive *a figuris, textu, & motibus, quos ignoramus*. Ubi ille *figuras, texturas, motuſque* ſuos omnes expoſuerit; eadem opera (ſi id recte ſecerit, deque hoc conſtiterit) exponet noſtram *Qualitatem*: dum vero vel id non fecerit, vel de hoc non conſtiterit; per *Qualitatem* noſtram, id ſaltem intellectum volumus, quod res ſit *taliter conſtituta* (contexta, commota, &c.) *qualiter* ſunt res illæ, quæ ab ea qualitate denominari ſolent.

Cap. X.

De Prædicamento Relationis.

Relatio eſt Accidens rei, non per ſe abſolute conſideratæ, ſed quatenus cum alia quapiam comparatur. Oſtenditque (πῶς ἔχει) quomodo ſe habet res illa, ad eam cum qua comparatur: ejuſque tota Eſſentia ex hac comparatione dependet. Adeoque dicitur σχέσις πρός τι *Habitudo ad aliquid*; ſeu πῶς ἔχειν πρός τι *Quomodo ſe habet quid, ad quippiam aliud.* Ipſaque *Relativa* dicuntur τὰ πρός τι *quæ ad aliquid* referuntur. Talia ſunt *Pater & Filius*; Quippe tota *Paternitatis* eſſentia in hoc conſiſtit, ut per eam Pater ad Filium referatur; & *Filiationis*, ut per eam referatur Filius ad Patrem.

Eſt quidem alia *Relatio*; quæ *Tranſcendentalis* dicitur. Ut quæ eſt inter *Viſibile & Viſum*; inter *Intelligibile & Intellectum*; & quæ ſunt hujuſmodi. Quippe *Viſibile* dicitur quidpiam cum reſpectu ad *Viſum*, qui videat: & *Intelligibile*, cum reſpectu ad *Intellectum*, qui intelligat. Non tamen eorum tota natura in eo conſiſtit: Nam *Viſibile* quid eſſe poteſt, ubi nemo eſt qui *videat*; & *Intelligibile*, ubi nemo intelligit. Atque hæc ſunt quæ dicimus *Relata ſecundum Dici*: non *ſecundum Eſſe*; Horumque Relatio, *Tranſcendentalis*, dici ſolet, non *Prædicamentalis*. Neque ſunt hujus loci, ſed ad Metaphyſicam potius ſpectant, quam conſiderationem Logicam. Hujuſmodi autem relationem connotatam volunt in Sex Poſtremis Prædicamentis; quæ itaque *Prædicamenta Relativa* dici ſolent; nempe ſecundum hujuſmodi Relationem.

Sed *Relata ſecundum Eſſe*, (quæ ſunt hujus loci;) *ſe mutuo ponunt & tollunt*. Sic *Parens* non eſt niſi *Prolis parens*; nec *Proles*, niſi *Parentis proles*.

Hujuſmodi Relationum, magna eſt varietas.

In *Familia*; ſunt *Maritus, Uxor*; *Parens, Proles*; *Pater, Mater, Filius, Filia*; *Frater, Soror*; *Patruus, Amita*; *Avunculus, Matertera*; *Nepos, Neptis*; *Dominus, Domina*; *Servus, Serva*; &c.

In *Republica* ſeu ſtatu *Politico*; *Rex, Subditus*; *Paſtor, Populus*; *Amicus, Inimicus*; *Magnates, Plebs*; &c.

In *Quantitate*; *Æqualis, Inæqualis*; *Major, Minor*; *Plus, Minus*; *Plures, Pauciores*; *Duplum, Dimidium*; *Triplum, Triens*; &c.

In *Qualitate*; *Similis, Diſſimilis*; *Fortior, Debilior*; *Doctior, Indoctior*; *Prudentior, Imprudentior*; *Plus minuſve Velox, Tardus*, &c.

In aliis item conſiderationibus multis; ut, *Altior, Humilior*; *Ditior, Pauperior*; *Propius, Remotius*; *Citius, Serius*; *Senior, Junior*; *Recentior, Vetuſtior*; aliaque innumera.

Circa Relationem hujuſmodi, hæc ſex notari ſolent; *Subjectum, Terminus, Fundamentum, Relatio ipſa, Relatum, & Correlatum.*

Ut, ubi dicitur *Philippus Macedo Pater Alexandri Magni*: Relationis *Subjectum* eſt

Philippus,

Philippus, qui ut Pater refertur ad Alexandrum: *Terminus* hujus Relationis eſt *Alexander*, ad quem ut Filium ſic refertur; (uterque, res abſoluta, in Prædicamento *Subſtantiæ*;) *Fundamentum* Relationis, eſt *Actus generandi* unde ſit Pater, (res abſoluta, in Prædicamento *Actionis*:) *Relatio* ipſa, eſt *Paternitas* in Abſtracto; (unde denominatur Pater,) eſtque hujus Prædicamenti: *Relatum* (ſubjectum cum una relatione Concretum) eſt *Pater*: *Correlatum* (Terminus cum oppoſita Relatione) eſt *Filius*, ad quem ille relatus eſt ut Pater.

Contra vero; Oppoſitæ Relationis (quæ eſt *Filiatio*) *Fundamentum* idem eſt quod prius; *Subjectum*, *Alexander*, (qui ante fuit Terminus;) *Terminus* (qui prius erat Subjectum) *Philippus*; *Relatum*, *Filius*; *Correlatum*, *Pater*.

Relatum igitur & *Correlatum*, dici ſolent *Correlativa*; quorum *Fundamentum* eſt commune; ipſaque ſibi invicem *Relatum & Correlatum*, alterum alterius; *Subjectum* unius, eſt *Terminus* alterius; qui itaque dicuntur *Termini oppoſiti*; ut & ipſæ *Relationes*, *Relationes oppoſitæ*.

Contingit quidem aliquando, Relationum Oppoſitarum, idem eſſe *Nomen*. Ut ſunt Relationum inter duos *fratres*, duas *ſorores*, duos *amicos*, duos *inimicos*, duo *æqualia*, aut *ſimilia*, duo *inæqualia*, aut *diſſimilia*, &c. Quippe hic *Frater*, eſt *fratris frater*; *Simile*, eſt *ſimili ſimile*. Atque hæ dici ſolent (voce barbara) Relationes *Æquiparantiæ*; (*cognomines* malim dicas:) Quarum autem diverſa ſunt nomina, (quas itaque dicas *non-cognomines*,) Relationes *Diſquiparantiæ*; ut *Patris* & *Filii* relationes. Quippe *Pater*, eſt *Filii pater*; & *Filius*, eſt *Patris filius*.

Verum ubi (oppoſitarum relationum) *Nomina* ſunt communia; ipſæ *Relationes* habendæ ſunt diverſæ; (non minus quam ubi nomina etiam ſunt diverſa) Utputa, ſi *Thomas* & *Richardus* ſint invicem *Fratres*: Fraternitas *Thomæ* (qua refertur ad *Richardum*,) & Fraternitas *Richardi* (qua refertur ad *Thomam*,) ſunt Fraternitas alia atque alia: (quippe illius ſubjectum eſt *Thomas*, & Terminus *Richardus*; hujus, Subjectum eſt *Richardus*, & Terminus *Thomas*:) non minus quam, ſi *Thomas* & *Maria* ſint *Frater & Soror*, *Fraternitas* ejus, & *Sororitas* hujus, ſunt diverſæ Relationes; quamvis illic quidem *Cognomines*, hic autem *non-cognomines*. Sic, ſi rectæ A B ſint inter ſe inæquales: Inæqualitas ipſius A (qua refertur ad B;) atque ipſius B (qua refertur ad A,) ſunt alia atque alia inæqualitas: (illius utique Subjectum eſt A, & Terminus B; hujus vero Subjectum eſt B, & Terminus A) Quod magis adhuc liquebit, ſi, pro, *A & B ſunt inæquales*, dicatur, *A major eſt quam B*: Manifeſtum utique jam eſt, Inæqualitatem ipſius A, eſſe *Majoritatem*; ut ipſius B, *Minoritatem*. Fundamentum autem utriuſque inæqualitatis, ſunt abſolutæ rectarum A B magnitudines.

A———

B——

Et quidem ubi idem Relatum, plura habet Correlata, tot concipiendæ ſunt in illo *Relationes*, (utut cognomines forte fuerint,) quot ſunt ea *Correlata*. Utpura ſi *Thomas* ſit *Richardi* ſimul & *Mariæ* frater; per diſtinctas tamen relationes (utut cognomines) id fit; non minus quam ſi *Richardi Frater* fuerit, & *Pater Mariæ*.

Hujuſmodi *Correlativa* (ſive Cognomina fuerint, ſive non,) dici ſolent (ἀντιστρέφοντα) *Reciprocantia*; hoc eſt, ſibi invicem eſſe Relativa; adeoque *alterum alterius eſſe*: Ut *Pater filii pater*; & *Filius*, *Patris filius*. Quod tamen non ita intelligendum eſt ac ſi per *caſum Genitivum* ea reciprocatio ſemper exprimeretur; ſed per alios atque alios *caſus* ut *Grammaticis* placuerit. Sic, *Simile*, eſt *Simili ſimile*; *Majus* eſt *Minore majus*; & *Minus*, *Majore minus*. Atque alibi aliter, pro diverſo vocum regimine.

Cap. XI.

De Prædicamento Actionis & Paſſionis.

HÆC duo Prædicamenta junctim potius conſideranda videntur quam ſeparatim. Quamquam enim aliud ſit *Agere* (ποιεῖν) aliud *Pati* (πάσχειν) aliud ſit *Videre*, aliud *Videri*; aliud *Percutere*, aliud *Percuti*; atque horum utrumvis ſuam habet diſtinctam notionem & ſignificationem, ſecundum quam in ſuis reſpective Prædicamentis collocantur: Ita tamen ſunt conjunctæ naturæ, ut vix alterum ſine altero explicari poſſit.

Et quidem unus idemque *Motus*, nunc *Actio* nunc *Paſſio* dicitur; prout conſideratur vel ut *ab Agente proveniens*, vel ut *in Patiente terminatus*. Sic eadem *Calefactio* prout ab *Igne* provenit *Actio* dicenda eſt; prout in *Aqua* recipitur, *Paſſio*. Adeoque Ignem *Calefacere* dicimus; Aquam *Calefieri*. Ut non tam *diverſæ res* ſint Actio & Paſſio, quam ejuſdem rei *diverſæ conſiderationes*.

Dum vero *Actio* definitur *Accidens à quo Subjectum denominatur Agens*: *Paſſio*, *à quo*

Patiens denominatur; Hujuſmodi Definitiones non tam exponunt naturam Rei; quam docent, *Voces* ipſas ita per ſe eſſe *ſignificationis notæ*, ut definitionibus non indigeant; & vix poſſe notioribus vocibus exponi quam ipſæ ſunt.

Agens & *Patiens*, prout ad ſe mutuo reſpectum habent, ad *Relationis* Prædicamentum ſpectant: Sed *Actio* & *Paſſio*, prout hic locantur, connotant abſolutum id quod eſt harum Relationum fundamentum. Nam ipſum *Agere*, aliquid eſt: ut ſimiliter *Pati*, aliquid. Et quanquam ſint Oppoſitarum Relationum Fundamenta, id non impedit quin ex ſe aliquid ſint.

Dicitur autem *Actio*, (& *Paſſio* ſimiliter,) nunc *Immanens*, nunc *Tranſiens*. *Immanens* quidem, quando ita in Agente manet Actio, ut in aliud extra ſe non tranſeat: Sive cum Agens & Patiens ſunt res una eademque. Ut *cogitare*, *incedere*, *intelligere*, &c. *Tranſiens* vero, quando ita ab Agente tranſit Actio, ut in aliud extra ſe Patiens recipiatur. Ut, cum *Ignis Aquam Calefacit*; *Lignumve comburit*.

Atque hæ quidem Actiones & Paſſiones *Tranſeuntes*, commodiſſime exponuntur per Verba (ut loquuntur Grammatici) *Activa* & *Paſſiva*. Ut *uro*, *uror*; *percutio*, *percutior*; *calefacio*, *calefio*; (nam vox *Calefio*, utut forma id non indicet, ſignificatione Paſſiva eſt, dicique ſolet *Verbum Neutro-Paſſivum*.) *Immanentes* vero, per *Verba Neutra*; ut *eo*, *curro*, *rideo*, &c. Sed Grammatici (ſeu potius uſitatæ formulæ loquendi) non ita ſemper adaptant nomina rebus, ut hoc in omnibus obſervetur. Utputa, verbum *Amo*, ſi Grammaticam ſpectemus, verbum *Activum* eſt, & *Tranſitivum*; Actio tamen *Immanens* eſt in Amante, nec extra ſe quicquam in Amato efficit. Habet quidem Objectum ſuum, quod Amatur, ſed non tam *in quod*, quam *circa quod*, verſatur; ut cum, de re aliqua, *cogito* ſeu *meditor*. Nonnunquam etiam formulæ Grammaticæ, ſunt notionibus Philoſophicis contrariæ. Utputa cum dicitur Oculus *Videre* Lucem, & Lux ab Oculo *Videri*: dum interim Philoſophus docebit *Lucem agere in Oculum*; *Oculumque à Luce Pati*. Adeoque non tam ad formulas loquendi, quam ad naturas rerum, reſpiciendum eſt, ut rite judicemus, quænam ſit *Immanens* Actio, & quæ *Tranſiens*.

Ad hæc Prædicamenta, referenda ſunt omnia ſive *Agendi* ſive *Patiendi* genera. Quæ quidem, reſpectu Agentis, dicendæ ſunt *Actiones*; reſpectu Patientis, *Paſſiones*. Adeoque *Operationes*, ſive *Habituum*, ſive *Potentiarum naturalium*, quæ in prima & ſecunda ſpecie Qualitatis locantur. Quippe *Videndi facultas*, eſt *Potentia naturalis*; & *Peritia ſaltandi*, *Habitus*: ſed *Viſio* & *Saltatio*, ſunt *Actiones*.

Cap. XII.

De Prædicamentis Ubi & Quando.

HÆC duo Prædicamenta (ποῦ) *Ubi*, & (πότε) *Quando*: junctim conſidero. Non quod eadem utriuſque ſit Notio: ſed quia eodem modo reſpiciunt *Locum*, alterum; alterum, *Tempus*: atque ita inter ſe differunt, ut inter ſe differunt *Locus*, & *Tempus*. Quippe alterum innuit *Ubi*, (ſeu quo Loco;) alterum *Quando*, (ſeu quo Tempore;) res quæpiam eſt, aut eſſe dicitur.

Nominantur autem *Ubi* & *Quando*, potius quam *Locus* & *Tempus*; quoniam plurimæ ſunt *Loci* & *Temporis* conſiderationes quæ huc non ſpectant.

Si *Locus* conſideratur ut *Parvus*, aut *Magnus*, aut *quam Magnus*, &c. (ut, Ager *duorum jugerum*, *Theatrum amplum*, *exigua Cella*, *minuta Pyxis*, *integra Regio*, &c.) Hæc ad Prædicamentum *Quantitatis* pertinent; puta, *Quantus* ſit hic locus.

Si *Arva ſativa* dicimus, aut *læta Paſcua* &c. Agrorum *Qualitates* jam conſideramus; quæ ad Qualitatis *tertiam ſpeciem* pertinent.

Si Agrum dixerim *Planum*, *Montoſum*, *Quadratum*, *Rotundum*, &c. *Qualitates* etiam hic conſidero, ſed quæ ad *Quartam ſpeciem* pertinent, quæ eſt *Forma & Figura*.

At vero cum dixero *Hic*, *illic*, *alicubi*, *nuſquam*, *ubique*, *domi*, *foris*, *Romæ*, *Londini*, *in Anglia*, *in Gallia*, *in Cœlis*, *in Terra*, *infra terram*, &c. reſpiciunt hæc quæſtionem, *Ubi locorum*: atque ad Prædicamentum *Ubi* pertinent.

Similiter de *Tempore*; ſi *Horam* dixero, *Diem*, *Menſem*, *Annum*, *Luſtrum*, *Seculum*; *tempus longum*, *breve*; *ſæpe*, *raro*, *ſemper*, &c. Hæc omnia ſpectant Temporis *Quantitatem*; ſive *Continuam* (*Quamdiu*;) ſive *Diſcretam*, (*Quoties*:) Atque eo referenda ſunt.

Sed ubi dixero, *Hodie*, *cras*, *heri*, *nudius tertius*; *anno præſenti*, *aut proxime præterito*; *tempore Moſis*, *Davidis*, *Alexandri*; aut *quoto anno Domini*; &c. Hæc, quæſtionem *Quando* reſpiciunt, atque ad Prædicamentum *Quando* pertinent.

CAP.

Cap. XIII.

De Prædicamento Situs.

PRædicamentum *Situs* (κεῖσθαι) reſpicit *Poſitionem* rei, tum reſpectu Partium ſuarum inter ſe, tum reſpectu Loci, aliarumque rerum.

Differt autem *Situs* à *Figura* (quæ eſt quarta ſpecies qualitatis,) qnoniam ea ſolummodo reſpicit poſitionem *Partium* reſpectu *Totius*, (unde pendet Figuratio rei ;) abſque reſpectu ſive ad Locum, ſive ad alia corpora : *Situs* autem hæc præcipue reſpicit.



Sic *Triangula*, vel *Pyramides*, A B ; ſunt quidem *Similia*, (ſi figuram ſpectes) ſed non *ſimiliter ſita* : quippe Apex alterius *Surſum* eſt, alterius *Deorſum*. Sic, *Stantis*, *Jacentis*, *Pendentis*, Figura quidem eadem eſt, (nempe, *in Rectam protracta* omnium ;) ſed *Situs* varius eſt, ratione tum loci, tum corporum vicinorum.

Ad Prædicamentum hoc ſpectant, variæ *Poſitiones*, ſeu *Poſituræ* corporis; *ſtantis*, *ſedentis*, *jacentis*, (*prone*, *ſupine*, *ſemiſupine*,) *genua flectentis*, &c.

Geſtus item varii, *Ambulantis*, *currentis*, *ſaltantis*, *tripudiantis*, *repentis*, *natantis*, &c. Quamquam hi, abſque reſpectu habito ad locum, ad Prædicamentum *Actionis* referantur : Sicut illæ alteræ, abſque hoc ad locum reſpectu, ad quartam ſpeciem Qualitatis.

Item, *Supra*, *Infra*; *Ante*, *Retro*; *Prope*, *Longe* ; *à dextra*, *à ſiniſtra*, *circumquaque*, &c. Quæ tamen abſque reſpectu ad alia corpora, referenda eſſent ad *Ubi*.

Item, verſus *Orientem*, *Occidentem*, *Meridiem*, *Septentrionem*, aliaque Horizontis puncta ; quæ Aſtronomi *Azimutha* vocant ; Nautæ *Rumbas*.

Item, ſitus *Horizontalis* aut *Horizonti parallelus* (ſive ad Libellam,) *ad Horizontem perpendicularis* (ſive erectus,) *Obliquus*, *Inclinans*, *Reclinans*, *Declinans*, &c. Quippe hæc omnia varium ſignificant *Situm* ſeu *Poſitionem* corporis reſpectu Loci, aliorumque corporum.

Cap. XIV.

De Prædicamento Habitus.

PRædicamentum *Habitus* ſeu *Habendi* (ἔχειν) reſpicit ea externa omnia quæ quis *Habere* dici ſolet. Ut, *veſtes*, *ornamenta*, *poſſeſſiones*, &c.

Quod non ita intelligendum eſt ac ſi res ipſæ quæ ſic habentur, ſint hujus Prædicamenti, (puta *veſtitus ipſi*, &c. quæ ad alia Prædicamenta ſpectant ;) ſed *Habitio* harum, ſeu ipſum *Habere* ; τὸ ἔχειν ταῦτα.

Adeoque errant ſi qui putant *Veſtitus ipſos* (quos nos item lingua noſtra *Habitus* dicimus) hic locandos. Quippe hi, ſi *Materiam* ſpectes, pertinent ad Subſtantiæ Prædicamentum ; (puta *Lana*, *Sericum*, *Corium*, &c.) Si *Formam* ſpectes, pertinent ad quartam ſpeciem *Qualitatis* ; ut *Tunica*, *Toga*, *Pallium*, *Corona*, *Calceus*, *Ocrea*, &c. Sed *Habitio* horum ; puta *Veſtitum eſſe*, *Tunicatum eſſe*, *Togatum eſſe*, *Corona cingi*, *Calceo indui*, &c. huc pertinent.

Sic, Gerere *Annulum*, *Armillam*, *Plumam*, *Monilia*, cæteraque ; quæ *Ornamenta* potius ſunt quam *Veſtes*.

Item, *Gladio* cingi, *Sica*, *Pugione* ; inſtrui *Haſta*, *Clipeo*, *Umbone*, *Caſſide*, aliiſque ; quæ *Arma* dici ſolent.

Sic, indui *Corona*, *Sceptro*, *Mitra*, &c. Quæ ſunt Honorum ſeu Dignitatum *Inſignia*.

Sed &, habere *Divitias*, *Domos*, *Latifundia*, *Regna*, *Principatus*, *Satellitium*, *Aſſeclas*, *Servos*, *Amicos*, &c. Quamquam enim hæc diſtantiora ſunt quam *Veſtitus*, *Ornamenta*, cæteraque quæ corpus noſtrum attingunt : non minus tamen *Haberi* dicuntur ; atque ad hoc propterea Prædicamentum ſpectant.

Habere quidem *Doctrinam*, *Prudentiam*, *Virtutem*, &c. pertinent ad *Qualitatis* Prædicamentum (ejuſque ſpeciem *primam* & *ſecundam*,) quoniam hæc *externa* non ſunt, ſed intra hominem ipſum. *Pulchrum* eſſe, *Formoſum*, *Deformem*, &c. ad Qualitatis ſpeciem *quartam*. Item, *Album* eſſe, *Nigrum*, *Fuſcum*, *Rubicundum*, &c. ad ejuſdem ſpeciem *tertiam* ;

cum

cum hæ ſint *Patibiles Qualitates*, atque externorum ſenſuum objecta. *Procerum* eſſe, *Naſutum*, *Magnum*, *Puſillum*, &c. ad prædicamentum *Quantitatis*. Quoniam omnia quæ ſic *haberi* dicuntur, non ſunt extra ipſum hominem. Sed, eſſe *Splendidum*, *Divitem*, *ſumptuoſe Ornatum*, &c. ad hoc ſpectant Prædicamentum *Habitus*, ſeu *Habendi res externas*.

Nec hominem tantum ſpectat hoc Prædicamentum, ſed ad alias item res extendi poteſt. Sic, *Arborem* ornari dicas *foliis*, *floribus*, *fructu*, &c. *Terram* veſtiri *Arboribus*, *Sylvis*, *Frugibus*, &c. *Ædes* inſtrui *Supellectile*, *Tapetibus*, *Vaſis*, *Ornamentis*, &c. *Equum* indui *Fræno*, *Ephippio*, *Pectorali*, &c. Quippe cum omnia hæc *Haberi* ritu dixeris; horum *Habitio*, hujus erit Prædicamenti.

Cap. XV.

De Ante-Prædicamentis & Poſt-Prædicamentis.

NE quem terreant grandiloquentia hæc vocabula *Ante-Prædicamentum* & *Poſt-Prædicamentum*: Sciat; nihil grandius his vocibus ſignificari, quam, quod *Ariſtoteles*, cum Tractatum ſcriberet *de Categoriis*, (quæ *Prædicamenta* nunc dicimus,) explicanda quædam putaverit ad ejus intellectionem ſpectantia: Et quidem eorum aliqua ſub Initium, quaſi *Præfationem* ſeu *Prologum* ad ea quæ ſequuntur, quæ *Ante-prædicamenta* dicuntur (utpote præcedentia:) quædam vero ſub Finem, quaſi *Epilogum* ſeu *Appendicem* ante traditorum; quæ itaque *Poſt-prædicamenta* dixerint Interpretes. Adeoque hæc Nomina, non tam Materiam inibi traditam ſpectant, quam Locum quo ponuntur. Si itaque libuerit *Ariſtoteli*, ea præmittere quæ jam ſequuntur; & vice verſa: quæ jam ſunt *Ante-prædicamenta* dicenda forent *Poſt-prædicamenta*; quæque jam ſunt *Poſt-prædicamenta*, forent *Ante-prædicamenta*.

Inter ea quæ Prædicamentis præmiſit; oſtendit, Quid, per *Univoca*, *Æquivoca* (quibus accenſentur *Analoga*) & *Denominativa* (quæ nunc *Abſtractum* & *Concretum* dicimus) intellexerit. Quæ vocantur *Tres Definitiones Ante-prædicamentales*; συνωνύμων, ὁμωνύμων, & παρωνύμων.

Oſtendit porro quid intereſt inter *Dici de* & *Eſſe in*: nempe illud reſpicere *Subjectum Prædicationis*; hoc, *Subjectum Inhæſionis*. Et quidem illud *Concretis* maxime convenit; hoc *Abſtractis*.

Item, quid per *Complexum* intelligendum ſit, & *Incomplexum*. Et quidem, Alia eſſe *Complexa Voce, non Re*; Alia, *Re, ſed non Voce*; Alia, *utraque*; Alia, *neutra*.

Atque hæ ſunt quæ vocantur *Diviſiones Ante-prædicamentales duæ*. Quæ omnia nos ſuis locis ſupra explicavimus.

Docet porro; *Quod dicitur de Prædicato, dici de Subjecto*. Hoc eſt, Quod affirmatur (univerſaliter) de *Generali* quovis, affirmandum item eſſe de eis omnibus ſive *Specialibus*, ſive *Particularibus* quæ ſub eo Generali continentur. Utputa, Quicquid de *Animali* dicitur Univerſaliter; hoc eſt, de *Omni Animali*; dicendum etiam de *Homine*, *Bruto*, *Cane*, *Equo*, *Socrate*, *Bucephalo*, &c, ut quæ ſunt *Animalia*.

Item, *Genera Subordinata, eaſdem habere poſſe Species & Differentias*; *non autem quæ Oppoſita ſunt, aut non ſubordinata*. Utpote, *Homo* & *Brutum*, quæ *Animalis* ſunt *Species*; item *Rationale* & *Irrationale*, quæ ſunt ejuſdem *Differentiæ diviſivæ*; ſunt item *Species & Differentiæ* (ſed remotiores, non proximæ,) *Corporis*, ſeu *Subſtantiæ Corporeæ*: Quoniam *Animal* eſt ſubordinatum *Corpori*. Item *Corporeum*, quæ eſt *Differentia conſtitutiva Corporis*, eſt etiam *Differentia conſtitutiva* (ſed Remotior) *Animalis*. Quia *Corpus* & *Animal* ſunt *Genera Subordinata*, alterum alteri. Quæ autem *Oppoſita* ſunt, aut *non Subordinata*; ut *Homo* & *Brutum*; quamquam habere poſſint idem *Genus*, ut *Animal*; eaſdemque *differentias* genericas *Conſtitutivas* (remotiores,) ut *Corporeum*, *Animatum*, *Senſibile*; non tamen eaſdem *Species* aut *Differentias diviſivas*, aut etiam *Conſtitutivas ſpecificas & proximas*. Quippe *Irrationale*, quæ eſt *differentia proxima Conſtitutiva*, *Bruti*; *Homini* non convenit. Item *Equus*, *Canis*, *Bos*, &c. quæ ſunt *Bruti Species*; non eſſe poſſunt *Species Hominis*; eo quod *Homo* & *Brutum* non ſunt *Subordinata*, ſed *Coordinata* & *Oppoſita*. Atque hæ ſunt quæ dicuntur *Ante-prædicamentales Regulæ duæ*.

Sunt igitur omnino (prout numerari ſolent) *Ante-prædicamenta Septem*, (quippe totidem, Prædicamentis præmiſit *Ariſtoteles* exponenda,) Tres *Definitiones*, Duas *Diviſiones*, & Duas *Regulas*.

Ad calcem vero ſubjungit (Appendicis loco) explicanda quædam alia, (quæ itaque *Poſt-prædicamenta* dicuntur.) Nempe, Vocum quarundam (quas ante uſurpaverat) diverſos ſignificatus; prout alio atque alio ſenſu nonnunquam uſurpantur. Non quidem earundem

earundem ſignificata omnia exponens; ſed quæ præcipua putaverit & notatu digna. Sunt autem numero Quinque, quæ totidem *Poſt-prædicamenta* dicta ſunt; hoc verſu Barbaro indicata:

Opp. Pri. Mo. Simul. Ha. *tot ſunt Poſt-prædicamenta.* Hoc eſt; *Oppoſita, Prius, Simul, Motus,* & *Habitus*; de quibus ordine jam dicetur.

Cap. XVI.

De Oppoſitione ſimplicium Terminorum.

CUM in Prædicamentorum tractatu, *Oppoſitorum* (ἀντικειμένων) facienda erat mentio; Quid per *Oppoſita* intelligatur, & quibus modis ejuſmodi fiat Oppoſitio hic exponit.

Per *Oppoſita* intelliguntur non qualitercunque oppoſita, aut invicem repugnantia: utputa, cum unum multis pariter opponitur: (quæ *Diſparata* dici ſolent; ut *Bos, Equus, Canis, Leo,* aliæque *Bruti* ſpecies:) ſed, cum *Unum uni tantum opponitur*; ſcilicet uni eodem oppoſitionis modo.

Horum *Oppoſitorum,* quatuor numerari ſolent genera. *Relative Oppoſita, Contraria, Privativa,* & *Contradictoria.*

Relative oppoſita, ſunt quæ *Correlativa* ſupra diximus; utpote *Relatum* cum ſuo *Correlato.* Ut *pater* & *filius.* Quamquam enim idem eſſe poſſit & *Pater* & *Filius,* diverſo reſpectu; (puta *Filius* unius & *Pater* alterius;) non tamen ejuſdem, & eodem reſpectu.

Contraria definiri ſolent, *quæ ſub eodem genere, maxime diſtant.* Ut *calidum & frigidum*; *album & nigrum*; quæ *contrariæ qualitates* dici ſolent. Et quidem de *contrariis qualitatibus* potiſſimum hoc intelligitur; de aliis vero, propter qualitates contrarias.

Contrariorum vero, Alia dicuntur *Immediata* (ſeu *immediate contraria*) inter quæ non intercedit medium. Ut in *Numeris* (integris intellige) *Par & Impar*; quippe nullus eſt Numerus (integer) qui non ſit, vel *Par,* vel *Impar.* Alia, *Mediata*; inter quæ *Medium* intercedit. Nempe, vel *medium Participationis* (quod de utroque participat) ut in *Aqua tepida,* quæ de calore & frigore participat: Vel ſaltem *Medium Abnegationis*; ut Color *Ruber,* qui medius eſt inter extremos *Album* & *Nigrum*; non tamen *per participationem,* ut eſt *Cineritius* aliique *Grizii* (*Greys* dicimus,) ex albo & nigro commixu; ſed tantummodo per *Negationem,* utpote qui neuter eorum ſit.

Privative Oppoſita, dicuntur *Habitus & Privatio ejuſdem in ſubjecto capaci.* Ut *Lux* & *Tenebræ* in Aere: *Viſus* & *Cæcitas* in Oculo. Quorum quidem *Habitus* eſt *Accidens reale*; *Privatio* autem eſt, per ſe *Non-ens*; ſed, prout à nobis concipitur, fit *ens rationis.* Additur, *in ſubjecto capaci*; quoniam *Privatio* (prout hic ſumitur) non de omni abſentia dicitur, ſed de abſentia ab eo ſubjecto quod *Habitûs* capax eſt, (adeoque dicitur etiam *abſentia debiti eſſe*; hoc eſt, *ejus quod ineſſe debuit.*) Adeoque *Lapidem* non dicimus *Cæcum* (utut non videat) quia non eſt videndi capax. Et non niſi καταχρηστικῶς dicitur (quod παροιμιωδῶς dici ſolet) *as blind as a ſtone* (*inſtar Lapidis cæcus*;) ſaltem ſi hoc reſtricto ſenſu intelligatur *cæcus,* & non latiori ſenſu quo idem eſſet ac *non videns.*

Verum hic notandum eſt, quod Vox *Habitus* triplici ſaltem ſenſu apud Logicos occurrit. In prædicamento *Qualitatis,* per *Habitum* intelligitur *qualitas facilitans potentiam in agendo*; ut *habitus canendi, tripudiandi, citharizandi,* &c. In Prædicamento *Habitus,* intelligitur de *Habitione rei cujuſpiam externæ*; ut *Tunicatum eſſe, Indui Toga, Monilibus ornari, caſſide tegi,* &c. In *hoc Poſt-prædicamento,* intelligitur de *præſentia cujuſcunque Accidentis,* ſeu formæ accidentalis, cujus ſubjectum de quo agitur capax eſt. Sed & plures alii hujus Vocis ſignificatus poſt occurrent in Poſt-prædicamento *Habitus.*

Contradictoria (ſive *contradictorie oppoſita*) ſunt *poſitio & negatio ejuſdem.* Ut *Homo* & *non-homo*; *Lapis* & *non-lapis*; *Videns* & *non videns.* Adeoque horum alterum de quocunque ſubjecto dicendum erit; & *Lapis* utut non dicatur *Cæcus,* rite tamen dicitur *non-videns.* Atque in hoc differunt à *privative oppoſitis,* in quibus præſumitur *ſubjectum capax*; quod in his non requiritur.

Hinc eſt quod *Non-homo, non-videns,* & horum ſimilia, dici ſolent *termini infiniti*; utpote in infinitum extenſi (præter id unum cui præfigitur negatio) ad omne aliud, quicquid demum ſit.

Siquando non explicite ponitur hujuſmodi negatio, ſed in verborum ſaltem ſignificatu implicite lateat; dicitur *implicari contradictio*; ut ſi dicatur *Homo irrationalis,* quod ſenſu implicat *Hominem & non-hominem.* Atque hæc dici ſolet *contradictio in adjecto*; item *oppoſitum in appoſito.*

Verum hic diſtinguendum eſt inter *Contradictoria,* prout hic ſumuntur; nempe pro ter-

minis ſimplicibus ; (ut *Homo* & *non-homo* :) & *Contradictorias propoſitiones*, (ut *Socrates eſt homo*, & *Socrates non eſt homo*,) de quibus poſt dicetur ſuo loco.

Hæc *Contradictorie oppoſita*, ſunt, oppoſitorum omnium, *maxime oppoſita* ; ut quæ nullum admittunt medium : puta, neque Medium *participationis* (quod *medium formæ* vocant) neque medium *abnegationis* (quod etiam vocant *medium ſubjecti* ;) quorum ſaltem alterum admittunt reliqua oppoſitorum. Utputa, in *Relativis*, vir eſſe poteſt qui (*Socratis*) neque *pater* eſt neque *filius* ; item, qui neque *dominus* eſt neque *ſervus*. In *contrariis* ; Color, qui neque *Albus* eſt neque *Niger*, (ut *Ruber*, *Viridis*, *Cineritius*, &c ;) Aqua, quæ nec *Calida* eſt nec *Frigida*, (ſed *Tepida* ;) In *Privativis* ; Lapis, neque *Videns* eſt neque *Cæcus*. At in *Contradictoriis*, nihil eſt quin ſit vel *Homo*, vel *non-homo* ; *Videns*, vel *non-videns* ; inter quæ nullum intercedit medium.

Non negem quin alia eſſe poſſint *Oppoſita* (præter hæc enumerata quatuor genera ;) ut, cum *Homo* & *Brutum* dicuntur *Oppoſitæ Species* ſub eodem *Animalis* Genere : nec tamen dici ſolent *Contraria* ; propter id quod dici ſolet, *Subſtantia non recipit contrarium*, aut *Subſtantia Subſtantiæ non contrariatur* ; (hoc eſt, non per ſe ; ſed ratione tantum *Qualitatum* contrariarum ; ut *Aqua Calida* & *Frigida*.) Sed hæc quatuor Oppoſitorum genera, ea ſunt quæ hac occaſione recenſeri ſolent.

Cap. XVII.

De modis Prius & Simul.

VArio quidem ſenſu res aliqua dici ſolet *Prior* quam alia.

Ex quibus hi quinque numerari ſolent.

Tempore, *Natura*, (Prius) *Ordine*, *Cauſa*, & *Honore*.

Alii omittunt, Prius *Cauſa* (ut quod ſit *natura prius*) atque ſic habent ;

Tempore, *Natura*, Prius, *Ordine*, die & *Honore*.

1. *Prius Tempore* ; ut *dies heſternus* eſt *hodierno* prior. Sic *Adam* prior *Moſe* ; & *Moſes Chriſto*.

2. *Prius Natura* ; ut quod eſſe poteſt abſque altero, ſed illud alterum non abſque hoc ; ſive, ut loquuntur, *à quo non redit eſſendi conſecutio*. Sic *duo* ſunt priora *tribus*. Quippe *duo* eſſe poſſunt ubi non ſunt *tria* ; non autem *tria* ubi non *duo*. Sic *animal* prius *homine*. Sic (ſi *cauſalitatis* prioritatem non ut aliam recenſeamus) *cauſa* prior *effectu* (intellige, id quod eſt cauſa ;) quamvis enim *cauſa*, *qua cauſa*, eſſe non poteſt ſine *effectu*, (cum *cauſa* & *cauſatum* ſint relata ;) id tamen quod jam *ſit cauſa*, poſſet eſſe abſque eo quod eſt *effectus*, non autem hoc abſque eo.

3. *Prius Ordine* ; ut *Literæ Syllabis* priores ; & *Simplex Compoſito* : ſaltem *Primum Secundo*. *Secundum Tertio*, &c.

4. *Prius Honore*, ſeu *Dignitate* ; utpote quod Dignus ſeu Nobilius cenſetur. Sic, apud nos, *Dux Marchione* prior dicitur, hoc eſt, nobilior ; *Marchio Comite* ; hic *Vice-comite* ; *Vice-comes Barone* ; & ſic de cæteris dignitatum ordinibus.

5. *Prior Cauſalitate* : ut quod alterius *cauſa* ſit. Sic *Rationale* habetur *Riſibili* prius ; quoniam à *Rationalitate* profluere cenſetur *Riſibilitas* (eo quod Animalia *Bruta*, haud obſervata fuerint *Ridere*.) Et *Sol* prior ſua *luce*, (ut quæ ab eo oritur ;) & *Solis*, *Lux*, prior *Lumine Aeris*.

Fieri quidem poteſt, ut aliis adhuc ſenſibus vox *Prius* aliquando uſurpetur ; ſed hi haberi ſolent potiores ; & ſi qui ſunt alii, non erunt illi ab horum aliquibus multum diverſi.

Jam vero, quot modis aliquid altero *Prius* dicitur ; totidem illud alterum erit eo *Poſterius*.

Et quidem totidem *Simul* eſſe quid dicitur, hoc eſt, ipſi ſuppar ſeu æquale : Puta *ſimul tempore*, *ſimul natura*, *ſimul ordine*, (ſeu ejuſdem ordinis,) *ſimul dignitate* (ſeu *dignitate æqualia*,) *ſimul cauſalitate*, (ut *con-cauſa* in eodem ordine cauſalitatis.) Sed (neglectis reliquis) hi ſolent ſeligi tres modi *Simul*.

1. *Simul tempore* : ut *Rationale* & *Riſibile* : *Cæſar* & *Pompeius*.

2. *Simul natura* ; ut quæ à ſe mutuo dependent ; ut *Pater* & *Filius* ; *Duplum* & *Dimidium* : aliaque *Correlativa*.

3. *Simul Diviſione* ; ut quæ ſunt *coordinata membra dividentia*, ejuſdem *Diviſi*. Utpote *oppoſitæ Species* ſub eodem *genere* ; Duo *Dimidia*, aut *Quatuor quadrantes*, ejuſdem diviſi. Et quæ ſunt hujuſmodi.

His addas, ſi libet, *ſimul loco* : Quod quidem pluribus *corporibus* minus convenit ; at pluribus *Accidentibus* ſatis congruit. Adeoque & *Prius loco*, itemque *Poſterius* : hoc eſt,

Præcedens

Præcedens & *Subſequens* : (Eſt utique non minus *Præcedentia Loci*, quam *Temporis præcedentia* :) niſi hoc idem eſſe dixeris cum *Prius Ordine*.

Cap. XVIII.

De Motu, & Habitu.

QUÆ proxime ſequitur exponenda Vox eſt *Motus*. Qui, generali ſignificatione, uſurpari ſolet de omni Tranſitu, à termino ad terminum. Significatu quidam præcipuo & famoſiori, intelligitur de *Motu locali*, ſeu tranſitu de uno loco in alterum; puta, *Londino Oxonium*. Sed, ſenſu ampliori & metaphorico, de quavis alia mutatione ab una conditione in aliam.

Motûs, numerari ſolent Sex Genera : *Generatio*, & *Corruptio*; *Augmentatio*, & *Diminutio*; *Alteratio*, & *Latio*.

Motus quo producitur *Subſtantia* aliqua ; dicitur *Generatio* : &, quo Subſtantia deſtruitur, *Corruptio*. Et quoniam (communi lege naſcendi) Subſtantia non *ex nihilo* generatur; &, quando corrumpitur, non tranſit *in nihilum* : *Generatio* igitur unius, cum *Corruptione* alterius, conjuncta eſt. Utputa, ſi *Aqua* in *Aerem* commutatur : fit *Aquæ* deſtructio, ſeu *Corruptio* ; & productio *Aeris*, ſeu *Generatio*.

Quando, eadem manente *Subſtantia*, fit *Quantitatis* mutatio ; ſi res ex minori fit Major (ut cum ex tenui *Surculo* fit procerus *Arbor* ; aut, ex *Puero*, *Vir* :) vocatur *Augmentatio*. Si fit ex majori *Minor*, (utputa, ex pingui plenoque corpore, fit marcidum, & in minores dimenſiones contractum,) vocatur *Diminutio*.

Quando, manente Subſtantia, mutantur *Qualitates* (una vel plures ;) Utputa, quum *Aqua* prius *frigida*, jam fit *Calida* ; aut *Fructus immaturus, matureſcit* : vocatur *Alteratio*.

Quando res aliqua de loco uno in alium transfertur, (utputa *Londino Oxonium*, vel *de domo in domum*, ſeu *loco in locum*, quantulacunque fuerit ea diſtantia ;) vocatur *Latio*, ſeu *Motus localis*.

Et quidem ; *Generatio & Corruptio* dicuntur *Motus ad Subſtantiam* : *Augmentatio & Diminutio, motus ad Quantitatem* ; *Alteratio, motus ad Qualitatem* ; *Latio, motus ad Locum*.

In ſingulis autem ſpectari ſolent *Terminus à Quo*, ſeu Unde fit tranſitus ; & *Terminus ad Quem* tranſitur. *Motus* autem, ſeu *Motio* ipſa, neque tum fit dum eſt in priori termino (*à quo*,) quia nondum cœpit : Sed neque cum eſt in poſteriori (*ad quem* ;) quia jam *finitur* ; ſed dum actu itur ab illo ad hunc.

Atque hoc eſt quod innuit *Ariſtotelicum* illud, dicentis *Motum eſſe actum entis in potentia, quatenus in potentia*. Nempe, quum quid *Entitatem* quidem aliquam (ſive eſſentiam) habet ; eſt tamen adhuc *in potentia* ad aliquid quod nondum habet ; ſeu in capacitate ut illud ſit quod nondum eſt ; (ſive illud *Subſtantia* fuerit, ſive *Quantitas*, ſive *Qualitas*, ſive *Locus*, aliudve quid, ad quod ſic eſt in potentia :) *actualis ad hoc Tendentia*, ſeu *Tranſitio*, (ad quod ſic eſt *in potentia*,) eſt id quod *Motus* dicitur. In *Motu locali*, à *Londino Oxonium* uſque, neque tum fit dum quis *Londini* manet, neque tum quum ad *Oxonium* perventum eſt ; ſed *Actus* ille intermedius, quo inde huc tranſitur, eſt *Motus* ille. Item, dum Aqua movetur (hoc eſt, mutatur,) à ſtatu Frigido, ad ſtatum Calidum; *Motus* ille neque in hoc conſiſtit, quod fuerit Frigida ; neque quod jam facta eſt Calida ; ſed in ipſo *Actu* quo ab illo ſtatu (in quo fuerat) ad hunc (ad quem erat in potentia) *tranſitur*. Hoc eſt ; *Entis* (Aquæ, nimirum) *quod eſt in potentia* (ut fiat calida, necdum eſt,) *Actus ille* (caleſcentia) *qui ei hoc reſpectu competit quatenus eſt in potentia* (nempe ut fiat calida) eſt ipſe *Motus* ; ſeu tranſitio à Frigido ad Calidum.

Creatio & Annihilatio ; (quibus quid aut *ex nihilo producitur*, aut *in nihilum redigitur*,) quamquam *Motus* eſſe videantur ; (ille *ad eſſe*, hic *ad non-eſſe* :) non tamen inter *Motuum* genera cenſeri ſolent. Quod ideo potiſſimum eveniſſe puto, quod *Actus Naturales* non ſint ; (ſed Dei omnipotentis Actus ; quos aut ignoravit Ariſtoteles, aut non agnoſcebat :) adeoque ſub Naturali Conſideratione cadere haud cenſebantur. Sed & (quod nunc pro cauſa ſolet aſſignari) quia in altero deeſt Terminus *à Quo* ; in altero, *Terminus ad Quem* ; *Nihil* enim, pro *non Termino*, habendum volunt. Adeoque hoc ſaltem differunt à recenſitis Motuum generibus.

Ultimum (quod vocant) *Poſt-prædicamentum*, dicitur *Habitus*, ſeu *Habere*. Ubi oſtenditur quot ſignificatus habere ſolet Vox *Habeo*. Octoque recenſeri ſolent Modi *Habendi*.

1. *Habere* hanc aut illam *Qualitatem*, *Habitum*, *Facultatem*, &c.
2. *Habere* hanc aut illam *Quantitatem*, ſeu Magnitudinem.
3. *Habere* res *circumpoſitas*, ſeu *adjacentes* ; ut *Veſtes*, *Togam*, *Gladium*, &c.

4. *Habere* has illaſve *Partes*; ut *Caput*, *Manum*, *Pedem*, &c.
5. *Habere* aliquid *in Parte*; ut *Viſum* (vel etiam Cæcitatem) in *Oculo*; *Auditum* in *Aure*, &c.
6. *Habere* aliquid in ſe *Contentum*: ut *Aquam in Vaſe*.
7. *Habere Poſſeſſiones*; *Terras*, *Ædes*, &c.
8. *Habere Uxorem*.

Atque hi ſunt ſignificatuum Aliqui (non dixerim Omnes) quibus occurrere notata eſt Vox *Habeo*.

Verum inter eos non occurrit (ut alios taceam) κύριος ſignificatus ille, quo dicitur *Quomodo ſe habet* (πῶς ἔχει) hoc ad illud; quæ *Habitudo* dici ſolet, aut etiam *Relatio*.

Alias vocum Expoſitiones, quas neque in *Ante-prædicamentis* (ut loquuntur) neque in *Poſt-prædicamentis* habet *Ariſtoteles*; quas tamen, ad commodam *Prædicamentorum* intelligentiam, neceſſarias cenſuit *Porphyrius*; exhibuit hic in εἰσαγωγῇ, ſeu *Introductione* ſua ad *Categorias* Ariſtotelis; quæ eſt de *Prædicabilibus*: quæ nos ſupra conſideravimus.

Sed & alia ſuperſunt porro explicanda, de quibus in ſequentibus agetur.

Cap. XIX.

De Cauſa & Effectu.

PRæter ea (quæ vocant) *Poſt-prædicamenta* quinque; aliæ ſunt adhuc Voces (ſeu Notiones rerum prout ſe mutuo reſpiciunt) quas explicandas cenſuerunt Logicorum aliqui. Ut ſunt *Cauſa*, & *Effectus*; *Totum* & *Pars*; *Subjectum*, *Objectum*, & *Adjunctum*, &c. Quæ quamvis proprie ad *Metaphyſicam* conſiderationem ſpectant: ſunt tamen *Logica* & *Metaphyſica* tam inter ſe cognatæ & quaſi congeneres diſciplinæ, ut non incongruum fuerit eadem hic tractare.

Cauſa & *Effectus*, ſunt inter ſe termini Relativi; quorum illa quidem ut *Dans* eſſe conſideratur; hic ut inde *Recipiens*.

Cauſæ numerari ſolent Quatuor: *Efficiens*, à qua; *Materia*, ex qua; *Forma*, per quam; & *Finis*, propter quam, res fit.

Cauſa *Efficiens*, eſt Agens ipſe qui facit (ut *Sutor calcearius*, qui conficit Calceum;) *Materia*, eſt id ex quo conficitur, (ut *Corium*:) *Forma*, id eſt per quod fit ut res talis ſit, (ut ipſa forma ſeu figura Calcei, *the ſhape, or faſhion of a ſhoe*; quippe, *Materia*, ſic *figurata*, fit calceus:) *Finis*, eſt propter quod fit: (puta, ut Pes tegatur:) Quæ omnia ſuas habent Cauſalitates in ordine ad *Effectum* (puta *calceum*) qui producitur.

Et quidem tales ſunt (*Cauſa* & *Effectus*,) non tantum in his *Mechanicis* exercitiis, (ubi craſſum quid, & manibus palpabile, durat *Effectum*:) ſed in aliis omnibus Actibus ſeu Operationibus, etiam Immanentibus. Ubi tamen *Actus* ipſe, nonnunquam, eſt qui producitur *Effectus*: ut in *Volendo*, *Amando*, *Eligendo*, *Intelligendo*, *Cogitando*, &c.

Cauſarum hujuſmodi, in omni genere, magna eſt varietas.

Efficiens eſt vel *Principalis*, vel *Minus-principalis*. Utputa, in conficiendo *Calceo*; Efficiens Principalis, eſt *Calcearius* ipſe: At *Subula*, *Culter*, &c, Efficientes item ſunt; ſed minus principales; *Inſtrumentales* dictæ. Sic *Scribit* quidem *Homo*, (ut cauſa principalis,) ſed *Penna* eſt ſcriptionis *Inſtrumentum*.

Inter Efficientes minus-principales; numerari ſolent *Motiva* (quæ vocant) quibus incitatur Agens ad agendum. Qualia ſunt (quæ vocantur) *Cauſa* προηγουμένη & προκαταρκτική. Utputa, cum vir Iracundus, levi occaſione data, alium percutit: Qui ſic percutit eſt percuſſionis *cauſa principalis*; Gladius Baculuſve quo ferit, *Inſtrumentalis*; Sed *iracunda hominis diſpoſitio* eſt cauſa προηγουμένη, animum *inducens* ſeu *diſponens* ad hunc actum; & data *occaſio* ſeu *provocatio* (tenuis licet) eſt προκαταρκτική, qua ad agendum *excitatur*.

Materia, ſeu *Cauſa materialis*, eſt vel *proxima* (ut *Corium* ex quo fit calceus;) vel *remota*, ut *Pellis* (animalis) ex qua fit *Corium*; aut (adhuc remotior) *Elementa quatuor* ex quibus ſupponimus conſtare Pellem; aut (omnium remotiſſima) *Materia prima*, ex qua conſtare dicuntur Materialia omnia, quæque ipſa eadem manet ſub omnium Formarum viciſſitudine.

Forma item, vel *remota* dicatur vel *proxima*. Utputa *Corii* ſeu *Pellis* forma (ea ſcilicet per quam *Corium* eſt aut *Pellis*,) ſunt Calcei formæ Remotiores; ſed ipſa *forma* ſeu *figura Calcei* (unde fit quod eſt Calceus) eſt Calcei forma *proxima* & *immediata*.

Finis ſimiliter, vel *proximus* eſt, vel *remotior*, vel etiam *Ultimus*. *Calcei* finis *proximus* eſt *tutamen pedis*; *remotior*, eſt *indolentia* & *ſanitas* corporis; vel *remotior adhuc*, quicquid ultra ſit propter quod indolentia illa & ſanitas ſunt deſiderabiles. Sed &, præter

hos,

hos, alii eſſe poſſunt Fines *minus principales*; utputa *Decor*, aut quicquid *Ornamenti* ſit, in hoc Calcei geſtamine.

Ubi autem *plures* ſunt ejuſmodi *Fines*, quorum alius (ut dictum eſt) ultra alium fuerit; *Fines Subordinati* dicuntur; (utpote quorum unus eſt in ordine ad alium:) omnium remotiſſimus, dici ſolet *Finis Ultimus*; reliquique, *Media* ſeu *fines intermedii* ad illum ultimum; & quidem quilibet, ad eum qui ipſo eſt remotior.

Diſtinguunt item inter *Finem operis* & *Finem operantis*: Ille eſt ad quem Res ipſa tendit; hic, ad quem ſpectat Agens. Sic, ubi conficitur *Calceus*; *Finis operis* eſt *Tutamen pedis*: Sed *Finis operantis*, eſt *Quæſtus* quem ſibi facit Calcearius conficiendis Calceis; & quidem (remotior) *victus* & *veſtitus* aliaque quæ nummis ſic acquiſitus emenda ſunt; atque (adhuc remotior) *ſanitatis* ſuæ *vitæque* conſervatio; aliaque iſtis adhuc remotiora.

Differunt item αἰτία & πρόφασις: *Cauſa* & *Prætextus*, ſeu *Prætenſio*. Quippe aliæ ſunt non raro, agendi *cauſæ veræ*; aliæ quas pro cauſis *prætendit* agens.

Cap. XX.

De Subjecto, Objecto, Adjuncto.

VOX *Subjectum*, plures admittit ſenſus ſeu ſignificatus.

Subjectum Prædicationis (ſeu Subjectum *de quo*) Correlativum habet *Prædicatum* ſeu *Prædicabile*; quod de eo vel actu prædicatur, vel ſaltem prædicari aptum eſt. (De quo ſupra dictum eſt.) Et quidem, prout ad *Prædicabile* refertur (quod de eo aptum eſt prædicari,) ſic ad hunc locum pertinet: utpote, ut *terminus ſimplex*, conſideratum. Sed prout ad *Prædicatum* refertur (quod de eo actu prædicatur,) ſic ad ſecundam Logicæ partem ſpectat; ut quod jam ſit *Subjectum Propoſitionis*.

Subjectum Inhæſionis (ſubjectum *in quo*,) Correlativum habet *Accidens*. De quo item ſupra dictum eſt.

Sed aliud porro eſt quod potius *Subjectum Adhæſionis* (quam Inhæſionis) dicas: Cui Correlativum eſt *Adjunctum*. Quod quidem non tam ſtricte unitur, ut Accidens ſubjecto ſuo, (puta, in Equo, *Color*, *Figura*, aliaque Equi Accidentia;) ſed laxius; ut *Frænum*, *Ephippium*, *Phaleræ*, &c. Quæ ad Equum *pertinere* potius dicas quam ipſi *ineſſe* ſeu *inhærere*. Adeoque *Adjuncta* dici ſolent; Equuſque, horum *Subjectum*. Sic, ad *Terram* (ut Subjectum) *Adjuncta* dicas, *Gramen*, *Segetes*, *Arbores*, &c. Ipſiſque *Arboribus* Adjuncta dicas, *Frondes*, *Flores*, *Fructus*, &c.

Atque hæc ſunt ad quæ reſpicit Prædicamentum *Habitus*. Cum hoc tamen diſcrimine; Res ipſæ, ut *Frænum*, *Ephippium*, &c. ſunt *Adjuncta*: Sed *Habitio* horum, puta *Ephippiatum eſſe*, *Frænatum eſſe*, &c, (hoc eſt, *Ephippio*, *Fræno*, *&c. inſtrui*,) ſunt *Accidentia* ad Prædicamentum illud ſpectantia.

Verum aliud adhuc eſt Subjectum, quod *Subjectum Tractitionis* ſeu *Occupationis* dicas. Subjectum *circa quod* verſatur actio. Utpote *Arbor* ſeu *Lignum*; circa quod verſatur quis *dedolando* aut etiam *ſculpendo*, quo *Statuam* inde conficiat, aut quid ſimile. Quippe hoc *Subjectum* dicas, aut etiam *Objectum*, hujus occupationis. Dicitur & *Materia circa Quam*. (Sic *Iliados Homeri*, ſubjectum, ſive objectum, eſt *Trojanum Bellum*: Et, *Odyſſeidos*, *Peregrinationes Ulyſſis*.) Eademque materia (ſen quatenus ejus ſupereſt in confecto opere) erit Materia *ex qua*: Puta, *ex qua* (ſculpendo & dedolando) fit *Statua*; eſtque hujus (quæ ſupra dicta eſt) *cauſa materialis*.

Eſtque aliud adhuc *Subjectum*, quod item *Objectum* dicitur; quod dicas *Subjectum Quod*, ſeu *Objectum Quod*: Eſtque Terminus ſeu Objectum Actionis. Utputa, cum *Videmus*, *Amamus*, *Deſideramus*, *Speramus*, &c, *Aurum*, aut quid ſimile: *Aurum* illud dicitur *Objectum* hujus *Viſionis*, *Amoris*, *Deſiderii*, *Spei*, &c. Utpote *in Quod* terminatur Actio

Cap. XXI.

De Toto & Partibus; *Diviſione, & Diſtributione.*

TOtum & *Pars* ſunt voces, ex communi uſu, ita notæ, ut (pro generali earundem ſignificatione) *Definitione* non indigeant. Quippe *Totum* eſt, quod eſt (aut eſſe poteſt) in *Partes* diviſum aut diſtributum: *Partes* autem quæ hoc *Totum* conficiunt; cujuſcunque fuerint generis illud *Totum, Parteſque*.

Sed, pro vario Diviſionis ſeu Diſtributionis genere, alio atque alio ſenſu uſurpantur *Totum* & *Pars*.

Nonnunquam Vox *Ambigua* (ſive Æquivoca ſive Analoga) diſtribuitur in varia ſua ſignificata. Eſtque hæc *Diviſio Æquivoci in ſua Æquivocata*, aut *Analogi in ſua Analogata*; (de quibus ſuo loco ſupra dictum eſt.) Dicique ſolet *Diſtinctio*. Et quando dicitur, quo ſenſu vox ea ſit hic loci intelligenda; dicitur *Diſtinctionis* illius *Applicatio*. Et quidem vix ulla Vox, aut Formula loquendi, tam certæ ſignificationis eſt, quin *Diſtinctione* nonnunquam opus erit, ut oſtendatur, quo ſenſu quod de ea dicitur verum ſit; &, quo ſenſu non ſit.

Sed præter hanc *Vocum* Diſtinctionem; *Res* ipſæ ſolent variis modis dividi; præſertim his tribus.

1. Quando *Generale* ſeu *Univerſale* quid, diſtribuitur in ſuas ſive *Species* ſive *Particularia*. Atque ſic diſtribui dicitur *Totum Univerſale, in Partes Subjicibiles*. Ut cum *Animal* (tanquam *Genus*) dividitur in duas *Species*; *Hominem*, & *Brutum*: *Homoque* in ſua *Individua, Socratem, Platonem, Petrum, Johannem*, cæteroſque. *Partes* hæ dicentur *Totius Univerſalis*.

2. Quando cujuſpiam rei *Eſſentia*, ſeu *integra Natura*, ex variis conſtitui dicitur eſſentiam eam complentibus; Dividi dicitur *Totum Eſſentiale, in Partes conſtitutivas*. Ut cum dicitur *Corpus Naturale* conſtitui ex *Materia, & Forma*: Aut *Homo* ex *humano Corpore, & Anima rationali*. Quippe hæ ſunt *Partes conſtituentes*; illud, *Totum Eſſentiale*: Eaque *Compoſitio Phyſica* dici ſolet. Similiter, Quando ex *Genere* & *Differentia* conſtitui dicitur *Species*; Ut cum *Animal* & *Rationale*, dicuntur *Partes Conſtituentes Hominis*. Eaque dici ſolet *Compoſitio Logica*, ſeu *Metaphyſica*. Et quidem utroque modo conſtitui dicitur *Totum Eſſentiale*.

3. Quando *Integrum* aliquod ex pluribus *Partibus, Particulis*, ſeu *Membris* componitur; Ut *Corpus humanum*, ex *Capite, Brachiis, Cruribus*, aliiſque membris: *Domus*, ex *Fundamento, Parietibus, Tabulatis, Tecto*, &c: *Integrum*, ex *duobus Dimidiis*, aut *Quadrantibus quatuor*; &c. *As*, ex duodecim *Unciis*; *Libra Monetaria*, ex *Viginti nummis Solidis*, &c. *Urbs*, ex aliquot *Vicis, Venellis, Ædificiis*, &c. *Totum* hoc vocatur *Integrum*, ſeu *Totum Integrale*; *Partes* vocantur *Membra*, ſeu *Partes Integrales*, aut etiam *Integrantes*.

Et ſingulæ *Diviſionum* harum, capaces ſunt *Subdiviſionum* plurium in particulas minutiores.

Sed & aliæ ſunt rerum Diviſiones ſeu Diſtributiones, ſecundum varias conſiderationes Accidentales. Puta, cum Hominum alii dicantur *Albi*, alii *Nigri*, alii *Fuſci*. Quæ non eſt diſtributio *Generis in Species*, aut *Eſſentialis* diſtributio; (Nam *Albi* & *Nigri* non ſunt diverſæ hominum Species:) Sed *Diſtributio ſecundum Accidentia*, adeoque Diſtributio *Accidentalis*. Sic *Angli, Galli, Hiſpani*, &c. ſecundum varias *Regiones*. Item, *Mercator, Faber, Medicus, Juriſconſultus*, &c. ſecundum varias *Occupationes, Profeſſiones* ſeu *Vitæ rationes*. Sic *Albedo*; *Parietis, Papyri, Lilii*, &c eſt Diſtributio *Accidentis*, ſecundum *Subjecta*. Aliæque multæ paſſim occurrunt rerum Diviſiones, pro variis *Accidentibus, Subjectis, Adjunctis*, aliiſque *Conſiderationibus* variis.

CAP.

Cap. XXII.

De Eodem & Diverſo.

IDem & *Diverſa*, vario ſenſu dici ſolent.

In *Logica*; tres recenſeri ſolent *Identitatis* & *Diverſitatis* gradus; *Numero*, *Specie*, *Genere*.

Eadem Numero ſunt quæ rem eandem particularem deſignant. Ut *Virgilius* & *Maro* (eundem numero Hominem deſignantes;) Sic *Ovidius* & *Naſo*: Item, *Bucephalus* & *Equus Alexandri*; eundem numero Equum deſignantes. Sed *Socrates* & *Plato*, utut Natura conveniunt, *Numero* tamen *differunt*. Hic, non eſt Ille.

Quæ autem Numero differunt (ut *Plato* & *Socrates*) poſſunt tamen *Natura convenire*; eaque vel *Speciali* vel *Generali*: Adeoque vel *Specie* vel *Genere convenire* dicuntur. Sin minus; *Specie* aut *Genere differre*. Sic *Plato* & *Socrates* (utut numero diverſi) conveniunt *Specie*; (cum uterque ſit *Homo*;) adeoque *Genere*, multo magis, (nam, ſi uterque *Homo* ſit, *Animal* item erit.) At *Socrates* & *Bucephalus*, non tantum *Numero differunt*, ſed & *Specie*, (cum *Homo* ſit alter, alter *Equus*;) *Genere* tamen *conveniunt*; nam *Animal* eſt uterque; *Socrates* autem & *Planta*; differunt non modo *Numero* & *Specie*; Sed & *Genere*, *Proximo*; (cum alter *Animal* ſit, altera non ſit:) Conveniunt tamen *genere Romoto*. Nam uterque eſt *Subſtantia*, & quidem *Corporea*, & *Animata*.

Harum autem, *Identitas maxima*, eſt, eorum quæ ſunt *Idem Numero*, (*Identitas Numerica* vulgo dicta;) Huic proxima, eſt, *Identitas Specifica* (eorum quæ ſunt *ejuſdem Speciei*:) Hac minor eſt, *Identitas Generica*: Major tamen eorum quæ *Genere proximo* (aut *propinquiore*) conveniunt, quam quæ conveniunt *Genere remotiore*.

Contra vero; *Diverſitas*, *major* eſt, differentinm *Genere Remotiore* quam *Propinquiore*: & horum major, quam *Specie* tantum differentium; & horum adhuc, quam differentium ſolo *Numero*. Major autem *Identitas*, minorem includit: *Diverſitas* ſimiliter.

Sed, præter has; aliæ adhuc ſunt aut Convenientiæ, aut Differentiæ, *Accidentales*. Sic *Quantitate* conveniunt *Æqualia* (qnorum eſt eadem *Quantitas*;) differunt *Inæqualia* (quorum quantitas eſt diverſa.) *Qualitate* conveniunt quæ ſunt *Similia*; differunt, quæ *Diſſimilia*. Et qnidem in una Qualitate *Convenire* poſſunt, quæ in alia *Differunt*. Sic *Sal* & *Saccharum*; *Colore* conveniunt; *Sapore* differunt. Sic res *Ejuſdem* eſſe aut *Diverſi* dicuntur, *Loci*, *Temporis*, *Regionis*, *Occupationis*, *Opinionis*, &c.

In *Metaphyſica*, aliter cenſeri ſolent *Identitatis* & *Diverſitatis* gradus. Puta, *Realis*, *Modalis*, & *Rationalis*; atque hæc quidem, vel Rationis (ut loquuntur) *Ratiocinatæ*, vel *Ratiocinantis*.

Quæ ut melius intelligantur, conſiderandum eſt (ex ante dictis,) *Hominem*, *Equum*, *Arborem*, &c, ejuſmodi eſſe ut *Exiſtentiam* & *Subſiſtentiam* quaſi de ſuo habeant; adeoque (ſignanter) *Res* dici ſolent. (Cujuſmodi, ſi non *Solæ*, *Præcipuæ* ſaltem cenſeri ſolent *Subſtantiæ*.) Sed *Rotunditas*, *Mollities*, aliaque *Accidentia*, ſubſiſtentiam de ſuo non habent; neque aliter exiſtunt quam *Modificando* rem aliquam; abſque qua, ne ipſa quidem eſſe poſſunt. Quæ itaque dici ſolent non tam *Res*, quam *Modi rerum*. Utputa, in *Pila Cerea*; poteſt quidem hæc *Cera* abſque *Rotunditate* exiſtere; non autem hæc *Rotunditas* abſque *Cera*; neque aliter quam ut per hanc Cera ſit Rotunda. (Nam, ſiquid aliud rotundum ſit, Rotunditas ejus non eſt eadem quæ erat *Ceræ*, ſed alia rotunditas.)

Jam vero ea *Realiter differre* proprie dicunt, quæ differunt ut *Res & Res*. Ut ſunt *Homo* & *Arbor*, aut etiam *duo homines*, aut etiam (aquæ) *duæ Guttulæ*; quarum hæc non eſt illa; nec illa, hæc.

Quæ autem differunt ut *Res & Modus ejus* (ut *Cera*, ejuſque *Rotunditas*;) aut ut *duo modi* ejuſdem rei (ut, ejuſdem Ceræ, *Rotunditas* & *Flavedo*;) dicuntur tantum *Modaliter* differre, (ſive ſit, ut *Res & Modus*; ſive, ut *Modus & Modus*:) Cum enim hi *Modi*, non aliam habeant *ſubſiſtentiam Rei*, quam quæ eſt *Ceræ*, ejuſve rei cujus ſunt Modi; (quæ quidem communis eſt ejuſdem *Rei* Modis omnibus:) non poſſunt illi *Modi*; vel ab ipſa Re, vel inter ſe, *differre Realiter*: adeoque non plus quam *Modaliter*.

Sed duo Modi, diverſarum Rerum, ſive ſint ejuſdem generis modi, ſive diverſi; (ut ſunt *Rotunditas Pilæ*, & rotunditas *Pomi*; aut *duarum Pilarum* Rotunditates; aut *Rotunditas* unius, & *Flavedo* alterius;) *differunt realiter*. Quippe, cum Modorum uterque non ſit *alia res* ab ea cujus eſt modus; ſintque hæ *Res* diverſæ; etiam *Modi* harum *realiter differunt*.

Hæ tamen *differentiæ Modales*, quamquam non dicantur *Reales*, non tamen ſunt mere

Imaginariæ:

Imaginariæ: adeoque dici ſolent *Differentiæ ex parte rei.* Nam hæc *Rotunditas* (idemque de aliis Modis intellige) quamquam non ſit *Res* (eo ſenſu) neque tamen *Nihil* eſt; ſed Mediæ quaſi naturæ inter *Rem* & *Nihil*: adeoque dici ſolet *Aliquid Entis*, & *Modus Entis*; ut qui non eſt *Res ipſa, quæ eſt*; ſed *Modus quo eſt.*

Eſt tamen minor adhuc differentia (quam eſt *Modalis* hæc) quam vocant *Differentiam Rationis*; ut quæ à Ratione noſtra, ſeu diverſa rerum conſideratione dependet. Ut cum *Duodecim denarios* (Monetæ noſtræ) conſideramus ut *Solidum integrum*, vel ut *Minæ* (ſeu *Monetariæ Libræ*) *partem vigeſimam*: quippe tantundem eſt utrobique atque res eadem; ſed diverſo modo conſiderata. Similiter, *Saccharum* ſive conſideratum ut *Dulce*, ſive ut *Album*; eſt adhuc *idem Saccharum.* Adeoque *Ratione tantum* differre dicuntur.

Sed & *Differentia Rationis* aſſignari ſolet duplex; *Rationis Ratiocinatæ*, & *Rationis Ratiocinantis.*

Differentiam Rationis *Ratiocinatæ*, eam vocant quæ habet (ut loquuntur) *fundamentum in Re.* Ut ſunt *Saccharum* conſideratum ut *Dulce*, atque conſideratum ut *Album.* (Quamquam enim, neque *Albedo* neque *Dulcedo*, realiter differunt ab ipſo *Sacchare*; *Albedo* tamen non eſt *Dulcedo*; neque *Dulcedo*, *Albedo.*) Quæ quidem differentiæ oriri ſolent ex variis Modis ejuſdem Rei: dicique ſolent *inadæquati Conceptus ejuſdem Rei.* Cumque ſic conſideramus Modum unum, non conſiderato altero; *Abſtrahere* dicimur: Atque hinc eſt quod dici ſolet, *Abſtrahentis non eſt Mendacium.* Utpote, qui *Saccharum* conſiderat ut *Dulce*, non conſiderato *Album* item eſſe; non tamen *Negat* eſſe *Album.*

Differre Ratione *Ratiocinante*, dicuntur, quorum Differentiæ *fundamentum in Re* non ſit, ſed ſolummodo in Ratione (conſideratione, ſeu imaginatione) conſiderantis. Utputa, cum (monetæ noſtræ) *Solidum* dicimus *Duodecuplum denarii*, aut *Subvigecuplum Libræ* monetariæ: Quippe utrovis modo tantundem dicitur. Similiter, ſi numerum *Duodenarium*, dicamus, *Ternarii Quadruplum*, aut *Binarii Sextuplum*, ($12 = 3 \times 4 = 2 \times 6$:) Quippe *Numerus* utcunque idem eſt.

Cap. XXIII.

De Definitione & Deſcriptione.

QUum *Vox* vel *Res* aliqua, ignotæ incertæve ſit, aut *Significationis*, aut *Naturæ*; neceſſarium eſt (ſaltem apprime commodum,) eam ſive *ſignificationem Vocis*, ſive *Naturam Rei*, notioribus verbis *Explicare*, atque *Determinare.* Ubi vero Vox aut res aliqua, ſit aliunde ſatis nota; Explicatione tali non eſt opus.

Quam quidem ſive *Explicationem* (ignoti) ſive *Determinationem* (incerti,) *Definitionem* vocare ſolent, aut (ſi minus perfecta ſit) *Deſcriptionem.*

Et quidem *Definitionem Vocis*, dicunt, quando vel explicatur vel determinatur, quo ſenſu Vox aliqua, aut Loquendi formula, intelligenda ſit; ſaltem eo loci quo ſpectat ea definitio. *Definitionem Rei* vero, quando ſic explicatur *Natura Rei.*

Definitionis Nomen & Uſus, videntur primitus deſumpta fuiſſe ex *Euclide* aliiſve *Matheſeos* ſcriptoribus. Qui, quoties uſurpanda venit *Vox* aliqua, ſeu *Phraſeologia*, aut *loquenda formula*, quæ apud alios aut rarius occurrit, aut minus nota ſit, aut alio forſan ſenſu hic uſurpanda quam alibi; ſolent (tollendæ ambiguitatis gratia,) in anteceſſum Definire atque Determinare, quo ſenſu velint has voces ſeu phraſeologias intelligendas eſſe. Quæ quidem eſt *Definitio Vocis.*

In horum Imitationem; *Philoſophiæ Naturalis* ſcriptores, (aliique qui Rerum Naturam explicare ſatagunt,) eandem *Definitionis* vocem adhibent, dum *Naturam Rei* breviter exponunt. Atque hanc vocant *Definitionem Rei.*

Cum hoc tamen diſcrimine; quod *Matheſeos Scriptores* (aliique qui ad eorum modum res explicatum eunt) aſſumunt ſibi libertatem (quæ & concedi ſolet) tum voces novas (ſi fert occaſio) cudendi; tum alias alio ſenſu uſurpandi quam alibi uſurpari ſolent; & utriſque eum imponendi ſignificatum quem ipſi commodum duxerint: quæ quidem, apud eum qui ſic definiverit, deinceps intelligendæ eo ſignificatu quem ipſe ante aſſignavit. At Naturalium rerum ſcriptoribus, hanc ſibi ſumere libertatem, non permiſſum eſt: Quibus definiendæ ſunt *Res*, prout ipſæ ſunt, non prout illi volunt.

Quamquam enim *Geometræ* liceat, prout ipſi libuerit, definire, Quo ſenſu velit ille Voces *Coni* & *Trianguli* uſurpare: puta, prout eas Definit *Euclides*, (qui ſic definit *Conum*, ut ſoli *Erecto* conveniat; & ſic *Triangulum*, ut ſoli conveniat *Plano Rectilineo*;) aut prout *Apollonius*, (qui ſic definit *Conum* ut etiam *Scaleno* conveniat;) aut prout *Theodoſius*,

(qui

qui ſic definit *Triangulum*, ut *Sphæricis Triangulis* etiam conveniat;) aut adhuc alias: Non tamen *Phyſico* perinde licebit, pro libitu definire, quæ fuerit *Equi* aut *Arboris* natura. Quam ſi aliter definiat quam re vera ſit; falſa erit hæc Definitio.

Definitio Vocis (quæ dicitur) fieri poteſt per Vocem aliam notiorem: Utputa ſi *Caballum* definivero, id quod alio nomine *Equum* dicimus: Aut *Equum*, id quod Anglice dicimus *a Horſe*: Item ſi dixero, *Maronem* eundem eſſe ac *Virgilium*; *Naſonem*, eundem cum *Ovidio*.

Aut etiam per Vocis Etymologiam; Utputa ſi *Triangulum* definivero *quod habet tres Angulos*: *Quadrangulum*, *quod Quatuor*. Saltem cum Vocis *uſus*, cum *Etymo* ſuo conveniat; & non (quod ſæpe fit) ab eo recedat.

Sed *juſta Definitio* ſignificantis *Vocis* (Phraſeoſve,) talis eſſe debet quæ exacte determinet (neque latius neque ſtrictius) quam late pateat Vox ea (ſeu Phraſis,) ſaltem apud hunc Scriptorem, hoc in loco. Ut ubi *Euclides* definit *Triangulum*; non quidem *Quod tres habet angulos* (utut ea vera fuerit *Definitio Grammatica*,) Sed, *Quod tribus rectis continetur*; quoniam ille *Trianguli* vocem non alio ſenſu uſurpaturus erat quam pro *Triangulo Rectilineo*; utut Vox illa, apud alios, latius extendatur.

Definitio Rei (quæ dicitur) talis eſſe debet (ſaltem ſi omnibus numeris perfecta ſit) ut definitæ Rei naturam exacte exponat; nihil omittens quod ipſi ſit *Eſſentiale*, neque admiſcens aliquid quod Eſſentiale non ſit.

Quamquam enim, etiam hic, nonnihil arbitrio permittendum ſit, quouſque Nomen rei definiendæ extendi volumus; (utputa, an *Canis* nomine, præter *Moloſſum*, Canem *Venaticum*, *Leporarium*, alioſque multum inter ſe diverſos, ſed *Canes* dici ſolitos; comprehenſum item velimus, *Vulpem*, & *Lupum*, qui ab illorum aliquibus non magis differre cenſeantur quam inter ſe differunt illorum nonnulli:) ubi tamen de Vocis ambitu convenit, quam late pateat; (quod ad *Definitionem Vocis* pertinet;) non pro arbitrio licebit noſtro, quam hujus eſſe *Naturam* velimus definire.

Definitionem hanc, conſtare docent Logici (ſaltem ubi haberi poteſt) ex *Genere proximo*, veraque *Differentia Conſtitutiva*, iſtius *Speciei* quæ eſt definienda. Utputa, cum *Hominem* definiunt *Animal Rationale*.

Quoniam vero (etiam inter *Subſtantias*) non ita facile eſt *Specificam formam* aſſignare, quo vera habeatur *Differentia* conſtitutiva; Hujus loco, adhibendam permittunt *Convertibilem* aliquam *Proprietatem*: Utputa ſi *Hominem* definiverint *Animal Riſibile*; *Equum* vero *Animal Hinnibile*.

Quoniam autem neque ſemper in promptu ſit ejuſmodi *Proprietas*; Hujus etiam loco admittenda docent *Accidentia communia*; tot ſcilicet & talia quæ ſatis diſtinguant rem definitam, ab aliis quæ cum ea conveniunt in *Appellatione Generali*. Quam tamen *Deſcriptionem* potius dicendam docent quam *Definitionem*. Utputa, ſi *Equum* definiverint, *Beſtiam quadrupedem, tali forma, tali magnitudine, geſtantem in collo jubam, prolixa cauda ornatam, docilem, tractabilem, robuſtam, humanis uſibus accommodam, onera geſtando, trahendo, inequitari aptam*, &c. Et quidem qui *Equum* ſic deſcripſerit, melius mihi videbitur *Naturam Equi* explicaſſe; quam qui ipſum definiverit, *Animal Hinnibile*. Præſertim cum, quid *Hinnire* ſit, non magis ſciamus (fortaſſe minus) quam quid ſit *Equus*.

In *Accidentibus* definiendis, haud meliorem ſperemus *Definitionem* quam quæ *Deſcriptio* dicitur: Utputa, ab *Efficiente*, à *Fine*, à *Subjecto*, *Adjunctis*, *Effectis*, *Operationibus*, & horum ſimilibus.

Et quidem nonnunquam, hand rectius definiveris, quam rem ipſam ſenſibus exponendo. Ecquis enim rectius intellexerit quid ſit *Album*, *Nigrum*, *Rubrum*, &c. quid *Lux*, *Color*, *Tenebræ*, quam *Inſpiciendo*? Quid per *Dulce*, *Amarum*, *Acidum*, &c. intelligatur, quam *Guſtando*? Quid per *Suave*, *Fætidum*, &c, quam *Odorando*? Quid per *Sonum*, *Vocem*, *Grave*, *Acutum*, &c. quam *Audiendo*? Atque in aliis ſimiliter.

Hujuſmodi autem *Definitio* (ſive Perfecta ſive Imperfecta) puta *Homo eſt Animal Rationale*; ſi tota ſimul ſumatur: eſt integra *Propoſitio*; neque ad hunc locum pertinet, (ſed ad ſecundam Logicæ partem, quæ eſt de Propoſitionibus.) Si vero *Definitio*, ſeparatim à *re Definita* conſideretur; puta *Animal Rationale*; Sic quidem eſt *Simplex Terminus*; eſtque hujus loci.

Aliæ ſunt adhuc rerum conſiderationes, quas hic tractandas expectet forte aliquis. Utputa, Quid *Simplex*, *Compoſitum*; *Neceſſarium*, *Fortuitum*, *Contingens*, *Poſſibile*, *Impoſſibile*, &c. Sed malim ad *Metaphyſicam* conſiderationem hæc remittere: Adeoque Logices *Parti primæ* finem hic impono.

PARS II.

De Secunda operatione Intellectus.

CAPUT. I.

De Propoſitione.

SECUNDA Mentis Operatio (prout dici ſolet) *in ſententiam redigit* res eas ſive voces quæ in prima conſiderantur ut *termini ſimplices*. Atque huic dirigendæ præficiunt Secundam partem Logicæ.

Utputa, cum mente concipimus *Notionem* ſive *Conceptum objectivum* aliquem qualem *vocibus ſimplicibus* ſolemus indicare; ut ſunt *Equus*, *Homo*, *Animal*, &c. hanc vocamus *ſimplicem Apprehenſionem*, dicique ſolet *prima operatio Intellectus*.

Quando autem hujuſmodi plures in *Sententiam* aliquam (prout nos loqui ſolemus) ſeu *Orationem* redigimus, ſive *componendo* ſive *dividendo* id fiat; (hoc eſt, *affirmando* ſeu *negando* unum de altero ;) ut cum dicimus, *Homo eſt Animal* ; *Equus eſt Animal*; *Equus non eſt Homo* ; &c. Dici ſolet *Compoſitio* & *Diviſio* ;(prout vel *conjunguntur* vel *ſeparantur* illi *Simplices Termini* ;) quæ *Secunda operatio Intellectus* cenſeri ſolet. De qua in libro περὶ ἑρμηνείας agit *Ariſtoteles* ; quod *de Interpretatione* exponunt Interpretes : hoc eſt, de *explicatione mentis* in Oratione aliqua, quam *Propoſitionem* vocant ſive *Enunciationem* ; aut etiam *Effatum*, *Pronunciatum*, *Axioma*, &c. prout alii aliter rem eandem nuncupare ſoleant.

Propoſitionem aptiſſime definias, *Orationem* (ſive Sententiam) *quæ quid vel Affirmat vel Negat.*

Ubi (disjunctive) dico, *affirmat vel negat* ; quia non occurrit vox Latina, quæ (*Generis* inſtar) de utroque dicatur. Si vero vocem *Aſſero* pro tali reputemus; dicas *Propoſitionem* eſſe *Orationem qua quid Aſſeritur* ; puta, vel *Affirmando*, ſi aſſeras *eſſe* ; vel *Negando*, ſi aſſeras *non eſſe*. Illam *Compoſitionem* vocant ; hanc, *Diviſionem*, quia res illic *Conjunguntur* ; hic, *Separantur*.

Atque hinc dividi ſolet *Propoſitio* ; in *Affirmativam*, qua quid affirmatur ; & *Negativam*, qua quid negatur.

Et conſequenter *Propoſitiones* aliæ dicuntur *Veræ* ; quæ ſic Affimant ant Negant ut res eſt : aliæ *Falſæ*, quæ ſecus quam res eſt Affirmant aut Negant. Utputa ſi dicam, *Homo eſt Animal* ; *Equus eſt Animal* ; ſunt quidem hæ, *Affirmationes veræ* ; ſi dicam, *Homo non eſt Equus* ; eſt hæc *vera Negatio*. Sin dixero, *Homo eſt Equus* ; *Homo non eſt Animal* ; *Falſæ* ſunt hæ Propoſitiones : illa quidem *Falſa Affirmatio* ; hæc, *Falſa Negatio*.

Hinc eſt quod alii *Propoſitionem* definiant, *Orationem indicativam* , *verum vel falſum ſignificantem*. Quod quamvis omnino repudiandum non dixerim : Quicquid enim Aſſeritur (ſive affirmando ſive negando) neceſſe eſt ut, aut *Vere* aut *Falſe* aſſeratur. Priorem tamen definitionem potiorem putaverim, & magis genuinam : Quoniam *Aſſerere* (affirmando aut negando) eſt quid antecedaneum veritati aut falſitati ejus quod ſic aſſeritur ; adeoque aptius explicat Naturam propoſitionis : Veritas autem aut Falſitas, eſt quid conſequens ad eam naturam ; ut Proprietas inde reſultans.

Sed vox *Indicativa*, (quam ego in *Aſſerendi* voce incluſam reputo) non incommode additur. Quippe Oratio quæ non eſt *Indicativa* ; hoc eſt (ut loquuntur Grammatici) *Modi Indicativi* ; aut huic æquipollens ; non ent ea, *Propoſitio* , qualis hic intenditur. Quamquam enim, apud *Euclidem*, alioſque Geometras, Propoſitiones quas vocant *Problemata* (quibus aliquid proponitur ſeu jubetur faciendum) modo *Infinitivo* aut *Imperativo* proponi ſolent; Ut, *Facere* (vel *Fiat*) *Triangulum æquilaterum*, *ſuper datam rectam terminatam* : (quæ eſt *Euclidis Propoſitio prima* :) Non tamen hæ ; ſed quæ vocari ſolent *Theoremata* (quibus aliquid *Aſſeritur*) ſunt illæ Propoſitiones quæ hic loci intelliguntur ; ut cum dicitur, *Linea recta eſt omnium eoſdem terminos habentium breviſſima*. Sic, in communi loquela, *I, fuge*, *Ne maneas*, & horum ſimile : Jubent quidem aliquid , aut Prohibent ; ſed nihil Aſſerunt ; nihil vel Affirmant, vel Negant. Pariter , ubi dixeris *Si Sol*

ortus

ortus eſt, aut *Quando ſol ortus eſt*; ſunt quidem orationes *Potentiales*, aut *Suppoſitivæ*; non autem *Poſitivæ*, *Indicativæ*, *Aſſertivæ*: Quippe hic *Supponitur* aliquid, nihil *Ponitur* ſeu *Aſſeritur*. Similiter, in *Optativis*; *O ſi* (vel *utinam*) *Sol ortus eſſet*: Optatur aliquid, nihil Affirmatur. Sed ſi compleatur ſententia, *Si ſol ortus ſit, dies eſt*: aut *cum Sol ortus eſt, dies eſt*: jam fiet oratio *Indicativa*, ſeu *Aſſertiva*; adeoque Propoſitio in eo ſenſu qui hic intenditur.

Cap. II.

De Partibus propoſitionis Categoricæ.

PRopoſitionis *Partes* numerari ſolent tres; *Subjectum*, *Prædicatum*, & *Copula*.

Subjectum eſt *id de quo* quid aut Affirmatur aut Negatur; *Prædicatum* eſt *id quod de eo* ſic vel Affirmatur vel Negatur. *Copula* vero eſt Verbum *Eſt* (aut quod huic æquipollet) quod utrumque connectit. Ut in hac Propoſitione *Homo eſt Animal*; *Homo* eſt *Subjectum* (de quo dicitur Animal;) *Animal* eſt *Prædicatum* (quod de homine affirmatur;) *Eſt* vero utrumque *Copulat*.

Subjectum, hic loci, idem fere eſt (cum aliquo tamen diſcrimine, ut mox dicetur) cum eo quod ante diximus *Subjectum Prædicationis* (aut Subjectum *De quo*;) prout à *Subjecto Inhæſionis* (aut ſubjecto *In quo*) diſtinguitur. Verum quidem eſt (quando Accidens de Subſtantia prædicatur) idem eſſe poſſe tum *Prædicationis* tum *Inhæſionis* Subjectum. Ut, cum dicitur *Paries eſt Albus*; *Paries* eſt Subjectum *Inhæſionis* (abſtracti) *Albedinis*: & Subjectum *Prædicationis* (concreti) *Albi*. Sed neque hoc ſemper fit; &, quando fit, id alio reſpectu fit: Neque hic attenditur *Inhæſio*, ſed *Prædicatio*.

Id tamen intereſt diſcriminis; quod *Subjectum Prædicationis*, ante dictum, de *aptitudine* intelligeretur; hic vero, de *actuali* prædicatione. Quippe cum *Homo* & *Animal* conſiderantur ut duo *ſimplices termini*; eſt quidem *Homo* tale ſubjectum de quo *Animal* eſt *aptum dici*: cum vero in propoſitionem compinguntur (*Homo eſt Animal*) jam de eo *actu dicitur*. Adeoque *Animal* illic appellatur (κατηγόρημα) *Prædicabile*; hic vero, (κατηγορούμενον) *Prædicatum*.

Sed gravius adhuc diſcrimen eſt. Quippe illic *Prædicari* de ſola *Affirmatione* intelligebatur; & quidem *Vera*; (adeoque illic, *Animal de homine prædicari*; idem eſt ac, *Animal poſſe de Homine vere Affirmari*:) Hic vero (ubi Forma propoſitionis ſpectatur, non Veritas) Propoſitio etiam *Negativa* & quidem *Falſa* ſuum habet (quod dici ſolet) *Subjectum*, & *Prædicatum*: Ut, ſi diceretur *Homo non eſt Animal*; etiam hic *Subjectum* eſt *Homo*; & *Prædicatum*, *Animal*.

Nam re vera, hoc in caſu, (quod & ſimiliter contingit in multis aliis,) *Nomen* non accommodatur *omnibus illis* de quibus dici intenditur; ſed illi ſaltem quod *Præcipue* attenditur; quodque præcipuum aut principale cenſetur eorum quibus poſt applicatur: cæteris autem non niſi *Catachreſtice* aut (ut molliſſime dicam) *Analogice* attribuitur. Adeoque per *Subjectum* & *Prædicatum*, hoc caſu, intelligendum eſt, *Id quod eum locum occupat in Propoſitione hac, quem, in Affirmativa & vera, occuparet Subjectum ejuſque Prædicatum verum.*

Et conſequenter, *Prædicatum* (ſeu *Attributum*) dicitur, in *Affirmativa* propoſitione, *prædicari Affirmative*; in *Negativa*, Prædicari *Negative* (hoc eſt, *Negari*) de ſubjecto. Utrobique vero, prædicari *Vere*, ſi vera ſit propoſitio; *Falſe* ſi falſa.

Sicut vero *incongrua* videatur, aut *minus commoda*, loquendi formula, ut quid de eo *prædicari* (ſive *attribui*) dicatur, quod de eo *negatur*: Poſſumus quidem (quod & faciunt aliqui) pro *Subjecto* & *Prædicato*, dicere *Antecedens* & *Conſequens* in propoſitione. Cum vero hæc nomina (ſive commode ſive incommode) antiquitus fuerint uſurpata: certe non eſt incommodum (ſive placeant ſive diſpliceant) ut ſciamus ſaltem quo ſenſu fuerint uſurpata. Neque periculum inde metuendum ſi etiamnum retineantur, (dummodo quid ſignificent intelligatur,) ut cum *Piſcinam* dicimus, etiam de ea in qua non ſunt Piſces.

Hæc duo (Subjectum & Prædicatum) dici ſolent, *duo Termini* propoſitionis. Et quidem Prædicatum, *terminus Major*; Subjectum, *terminus Minor*. Quarum quidem appellationum ratio, non abſimilis eſt ei quam modo diximus. Quoniam *Prædicatum*, ſenſu proprio & famoſiori intellectum, eſt *Generale* (ſeu *Univerſale*) aliquod, quod de *Speciali* aliquo ſeu *Particulari* (quod ſub eo Generali continetur) *Affirmatur* (ut cum dicitur *Homo eſt Animal*, aut *Bucephalus eſt Equus*.) Quo caſu *Prædicatum* eſſe ſolet vox *majoris ambitus* (certe non minoris) adeoque dicitur *terminus Major*: *Subjectum* vero, ambitus minoris (ſaltem non majoris) adeoque *terminus Minor* dicitur. Et quamquam hoc non in

omnibus propoſitionibus contingat; præſertim in Particularibus (ut, ſi dicatur *Aliquod animal eſt homo*;) Cum tamen id, plerumque, ſit in *Univerſali Affirmativa* (quæ ex omnibus propoſitionibus *potiſſima* cenſeri ſolet,) eaſdem Appellationes retinere ſolent Logici in omnibus; ut *Prædicatum* dicatur terminus *Major*; *Subjectum*, terminus *Minor*.

Hi *duo* Propoſitionis *Termini*, cenſeri ſolent *termini ſimplices*; (quorum alter de altero affirmatur aut negatur.) Quod non ita tamen intelligendum eſt ac ſi utrumvis ſit ſemper *vox unica*. Nam (ut jam ante dictum eſt) poteſt quid eſſe *complexum voce*, quod eſt *incomplexum re*. Et, prout in conſideratione Grammatica, non modo vox una, aut plures aliquot, ſed & integra ſententia, poteſt eſſe *caſus Nominativus*, ante vel poſt Verbum *Eſt*: ſic etiam *Subjectum* eſſe poteſt aut *Prædicatum* propoſitionis; Eoque caſu, ibidem conſideratur ut *terminus ſimplex*. Utputa in hujuſmodi propoſitione, *Virtus eſt vitium fugere*; *Fugere vitium*, utut poſteriore loco poſitum, eſt tum (in Grammatica conſideratione) *Nominativus ante Verbum*; tum (in conſideratione Logica) *Subjectum propoſitionis*.

Non enim hic ad *ordinem verborum*, ſed ad *Senſus* (ſeu *ſignificationis*) ordinem attendendum eſt. Adeoque quod, in conſideratione Grammatica, cenſeri ſolet *Nominativus caſus ante Verbum*; id ipſum, in conſideratione Logica, eſt (*naturaliter*, & *prima fronte*,) propoſitionis *Subjectum*: quodque illic cenſetur *Caſus nominativus poſt verbum* (Subſtantivum) *Sum*, *es*, *eſt*, &c, (aut quod hujus locum ſupplet,) eſt *Prædicatum* propoſitionis. Adeoque, ſive dixero, *Virtutis pars eſt Fugere vitium*, ſive *Fugere vitium eſt pars virtutis*; utrobique idem eſt ſenſus, & naturalis verborum conſtructio. Nam *Fugere vitium* eſt Subjectum de quo ſit ſermo; & *pars virtutis* quod de eo *prædicatur*; & Vox *Eſt*, utriuſque Copula.

Quæ non ita intelligenda ſunt, ac ſi, in omni Propoſitione, hæ Partes omnes, ſeparatim & diſtincte conſpiciantur: Sed quod, ſi ſenſum ſpectemus, diſtingui poſſunt; utut vocibus implexæ ſint & involutæ. Nam prout, nonnunquam, voces aliquammultæ conficere poſſunt unum *terminum ſimplicem* (ſive Subjectum ſive Prædicatum) in Propoſitione: ita duæ (pluresve) nonnunquam una voce implicantur. Sic unica vox *Curro*, eſt integra propoſitio; poteſtque (mente) diſtingui in tres partes ſuas *Ego ſum currens*. Ubi non modo propoſitionis ſubjectum *Ego*, vel ſubintellectum erat; vel in terminatione Verbi implicatum: ſed & *Copula* in eadem voce cum *Prædicato* involuta; quæ & alias non raro omittitur, ut quæ (pro variarum linguarum uſu, Hebrææ præſertim) ſatis ſubintelligi præſumitur.

Alii, propoſitionis *partes* faciunt, *Nomen* & *Verbum*. Per *Nomen* intelligentes *Subjectum* & *Prædicatum*; per *Verbum* autem *Copulam*.

At hic per *verbum*, non intelligendum eſt (indefinite) *verbum quodlibet*; ſed verbum *Subſtantivum* (quod dici ſolet) *Sum*, *es*, *eſt*, &c, (aut quod hujus vicem ſupplet.) Quippe aliud quodvis Verbum, ad *Prædicatum* potiſſimum ſpectat; ejuſque tantundem ſaltem pro Copula habendum quantum ſufficiat connectendis Terminis. Sic, cum dicitur, *Virgilius ſcribit verſiculos*; non reputanda erunt *Virgilius* & *verſiculos* (duo nomina) pro Subjecto & Prædicato; & (verbum) *Scribit*, pro Copula. Sed reſolvenda eſt vox *Scribit*, in *eſt Scribens*; atque tum demum, propoſitionis ſic reſolutæ, *Virgilius eſt ſcribens verſiculos*, Subjectum erit *Virgilius*; Copula, *Eſt*; Prædicatum, *Scribens verſiculos*.

Imo vero ipſa vox *Eſt*, nonnunquam ſic reſolvenda erit: nempe, cum non pro *Copula* tantum occurrit, ſed eſt ipſum *Prædicatum*. Ut ubi dicitur *Sol eſt* (*there is a Sun*;) hoc eſt, *Sol eſt exiſtens*, aut *Sol eſt quid in rerum natura*, ſeu (quod alias dicunt) *datur Sol*. Atque hoc eſt, quod vocant *eſt tertii adjecti*. Nempe, poſt *Subjectum* & *Copulam*, quod eſt tertio loco adjiciendum eſt *Prædicatum*: Adeoque, cum *eſt* includit ipſum Prædicatum, fit *tertii loci adjectum*; quod, cum Copulæ locum duntaxat ſupplet, dicitur *eſt ſecundi adjecti*, hoc eſt, *adjectum ſecundo loco*.

Similiter, in hujuſmodi propoſitione, *Virgilius fuit Poeta*; ſi id ſolum intenditur, ut, per vocem *fuit*, copulentur termini *Virgilius* & *Poeta* (abſque peculiari conſideratione Temporis;) vox *fuit* eſt *Copula*; (adeoque, per converſionem, recte concludas, *Ergo, quidam Poeta fuit Virgilius*.) Sin *Temporis* habenda erit ſpecialis conſideratio; jam *fuit* partem Prædicati includit. Utputa ſi dicatur, *Senex fuit puer*; non inde, per converſionem concludas, *Ergo, quidam puer fuit Senex*. Sed reſolvenda erit *Senex fuit puer*, in hanc *Senex eſt qui fuit puer*; unde concludas, *Ergo, quidam qui fuit puer eſt ſenex*. Quippe jam, non *puer*, ſed *qui fuit puer*, eſt prædicatum; Copulaque non *fuit*, ſed *eſt*.

Porro; Quamquam, in naturali conſtructione (ut ſupra dictum eſt) *Caſus Nominativus ante Verbum*, ſit Propoſitionis Subjectum: Sæpenumero tamen, in vera intentione Logica (quæ hic magis attendenda eſt quam Grammatica conſtructio,) reſolutionem longe aliam admittet Propoſitio: & quidem ſic involvi poteſt Propoſitio, ut plures admittat reſolutiones; prout alia atque alia eſt intentio proponentis, aut arguentis inde. Ut in hujuſmodi propoſitione, *Proximum meum amare debeo*: Subjectum, ſecundum naturalem conſtructionem, eſt *Ego* (quod Verbo *debeo* includitur;) Copula, *Sum*, (quod item in *debeo* latet,) & Prædicatum, *is quem oportet amare proximum*: adeoque ſic reſolvenda propoſitio, *Ego ſum qui debeo* (aut *quem oportet*)

amare

amare proximum; Verum eadem propoſitio, ſi ſenſum ſpectes, ſic etiam reſolvi poterit; *Amare proximum eſt, id quod debeo*, (ſeu *quod oportet*, aut *eſt officium meum*;) ubi Subjectum (de quo fit ſermo) eſt *Amor proximi*; Prædicatum (quod de eo affirmatur) *officium meum*. Vel ſic etiam; *Officium meum, eſt amare proximum*: puta, ſi quærenti *Quid ſit officium meum*; reſpondeatur, *Amare proximum*; ſenſus erit, *Officium meum, eſt* (inter alia) *amare proximum*: Ubi Subjectum (de quo fit ſermo) eſt *officium meum* (aut hujus ſaltem pars aliqua,) Prædicatum vero *Amare proximum*. Vel etiam, ſi ſic arguere velim; *Proximum meum amare debeo*; Sed *Titius eſt mihi proximus*; Ergo, *Titium amare debeo*: Manifeſtum eſt (ſecundum intentionem arguentis) quod Subjectum propoſitionis primæ eſt *Proximus meus* ſeu *Vicinus meus*; Prædicatum autem (quod de eo affirmatur,) quod *hunc amare debeo*: Adeoque argumentum, explicite poſitum, hoc erit: *Vicinus meus talis eſt ut quem amare debeam*; *Titius eſt vicinus meus*; ergo, *Titius talis eſt ut quem amare debeam*. Vel denique, *Officium meum eſt Amare proximum*: Hoc eſt (ſi *amorem* libeat ſubjectum facere) *Amor eſt officium à me proximo debitum.*

Jam vero, Quænam ex reſolutionibus hiſce (aut an alia quæpiam ab his omnibus diverſa) ſit in præſenti caſu adhibenda; non ab ipſa ſtatim verborum formula patebit (ut quæ omnium capax eſt,) ſed ab intentione loquentis judicandum erit, aut ratiocinii ſcopo. Et quamquam eadem propoſitio, retento eodem ſenſu, poſſit in tales diverſas formas transmutari, quæ ſingulis hiſce conſiderationibus ſingulatim reſpondeant: Non tamen expectandum eſt, (neque hoc intendimus) ut unuſquiſque qui Loquitur aut Scribit, ad hunc ſe adſtringat Pædantiſmum, ut hoc ſemper faciat; (non magis, inquam, quam ut teneatur, Grammaticam ſi ſpectes, voces omnes in eo ordine collocare, quem dirigeret Syntaxeos ordo:) ſed permittenda eſt cuiquam ea libertas quam variarum linguarum Idiotiſmi, & loquendi formulæ admittunt. Atque, ut Lectoris vel Auditoris ſagacitati referendum eſt, ſecundum regulas Grammaticas, juſtum Syntaxeos ordinem inveſtigare, utut alium ab ordine verborum: ita, ſecundum regulas Logicas, veram ſtructuram Propoſitionis exquirere, quamquam obſcurata ſit, ut involuta, perturbato verborum ordine, aut à Grammatica Syntaxi diverſa.

Summa rei huc redit; in omni Propoſitione conſiderandum eſt, Quid illud ſit *de quo ſit ſermo*, (quod Propoſitionis *Subjectum* erit;) &, Quid ſit *quod de eo* vel Affirmatur vel Negatur, (quod erit *Prædicatum*:) atque hi duo, propoſitionis Termini, cenſendi ſunt per *Copulam* connexi; quæ quidem Copula, vel ſeparatim exprimitur per verbum *Eſt*, vel (quod ſæpe fit) in Prædicati vocibus involvitur, indeque extricanda.

Quando hæ Propoſitionis Partes omnes, ſeparatim, & ſuo quæque ordine conſpiciuntur; dici ſolet *Directa Propoſitio*: Quando autem vel perturbato ordine, vel defectu aliquo, vel alio quocunque modo, involuta eſt, adeoque minus perſpicua; dici ſolet *Indirecta*, *Obliqua*, *Cryptica*, aut alio nomine non abſimili. Quæ quidem (κρύψεις) *Crypſes* omnes, *Obſcurationes*, *Occultationes*, aliave involucra, ſunt (quando poſtulat occaſio) tollenda: Suppleto quod deficit, aut ſubintelligitur; reſciſſo quod redundat; extricando quod involutum eſt; atque in ordinem redigendo, quod erat luxatum, aut perturbatum.

Hujuſmodi autem Propoſitio (qualem hic deſcripſimus) una ſimplex, per ſe poſita, dici ſolet *Categorica* propoſitio; (prout ab *Hypothetica* aut alias *Compoſita*, de quibus poſt dicetur, contradiſtinguitur:) Nam κατηγορεῖσθαι Græce, Latine reddi ſolet *Prædicari*, hoc eſt de aliquo Affirmari vel Negari. Cumque aliquid directe vel Affirmatur vel Negatur, (abſque ambage, tergiverſatione, circumloquutione, aut quod dicitur *without If's or And's*;) dicimus *loqui Categorice*, & *Categorice reſpondere*.

Quando autem Propoſitio conditionaliter profertur, (ut *ſi Sol oritur, dies eſt*;) aut ſit alias *Compoſita*: Dici ſolet Propoſitio *Hypothetica*; hoc eſt, *Conditionalis*. Non quod Propoſitio omnis utcunque *Compoſita*, ſit *proprie Conditionalis*; (ſunt enim alii modi quibus Propoſitiones componi poſſunt:) Sed quod, ex Propoſitionibus Compoſitis, ea præ cæteris notabilis cenſeri ſolet quæ *proprie conditionalis* eſt: adeoque nomen *potioris* placuerit omnibus impertire. Alii tamen, pro *Categorica* & *Hypothetica*, malunt dicere *Simplicem* & *Compoſitam* propoſitionem.

C A P. III.

De Qualitate Propoſitionis: Affirmativa & Negativa.

PRopoſitio ſimplex (qualem jam deſcripſimus) vel *Affirmativa* eſt vel *Negativa* (prout ante dictum) prout Prædicatum, de Subjecto, vel Affirmatur vel Negatur; hoc eſt prout *Copula* vel Affirmatur vel Negatur; ſive vel *Eſſe* dicitur vel *Non-eſſe*. Ut, ſi dicatur *Equus eſt Animal*; hic, *Animal* de *Equo* Affirmatur; propter Copulam Affirmativam *Eſt*: Sin dicatur, *Equus non eſt Lapis*; *Lapis* hic de *Equo* negatur, propter Copulam Negativam *non eſt*.

Quæ quidem negatio (*Non*) ſolet quidem, in Lingua Latina, Copulæ *præponi*; (ubi *Eſt* Affirmando dicitur; *Non eſt* negando :) Sed, in Anglicana, *poſtponitur* Copulæ nota negationis, ita tamen ut cum ea connecti cenſeatur, (ubi Affirmando dicimus *Is*; negando, *is-not* :) Atque hoc quidem cum explicite negatur Copula.

Sed, ſicut *Copula* nonnunquam involvitur cum Prædicato, ejuſve aliqua parte, (ut ſupra dictum eſt :) Sic & *Negationis* nota, quandoque cum *Subjecti* aliqua parte involvitur: Ut, cum dicitur *Nemo omnibus horis ſapit*. Ubi *Nemo* ſeu *Nullus*, tantundem valet atque *Omnis non*; & *Sapit* reſolvendum eſt in *eſt ſapiens*; Adeoque, explicite propoſita, diceretur *Omnis homo non eſt ſapiens omnibus horis*. Ubi Subjectum eſt *Omnis homo*, de quo negatur Prædicatum *ſapiens omnibus horis*, per copulam negativam *non eſt*.

Caute hic notandum eſt, Propoſitionem tum dici Negativam cum *Copula* negatur. Non enim omnis in Propoſitione negatio facit negativam propoſitionem, ſed eam ſolummodo quæ afficit copulam. Si dicatur *Animal non rationale eſt Brutum*; propoſitio Affimativa eſt. Quippe, quæ hic conſpicitur Negatio, non afficit Copulam, ſed eſt pars Subjecti. Subjectum enim eſt *Animal non rationale*, ſeu *illud animal quod non eſt rationale*, de quo Subjecto *Affirmatur* Prædicatum (*Brutum*) per copulam affimativam *eſt*. Item *Non-animal eſt non-homo*, (*That which is no-Animal is no-Man* :) eſt propoſitio Affirmativa (propter copulam *eſt*) quamvis tum *ſubjectum* tum *Prædicatum* ſint Negativi termini ſimplices.

Verum quidem eſt Propoſitionem tam ambigue proponi poſſe, ut merito dubitetur, an Affirmativa ſit an Negativa. Ut, ſi dicatur, lingua noſtra, *what is not an Animal is not a Man*; dubitari poterit an poſterior negatio *not* ad copulam pertineat, (ut *is-not* ponatur pro *non eſt*,) quo caſu propoſitio erit Negativa; an ad Prædicatum, (ut *not a man*, ſit *non-homo*,) quo caſu Propoſitio erit Affirmativa. Nam *non-animal non eſt homo*, eſt Negativa; ſed *non-animal eſt non-homo*, affirmativa propoſitio. Quæ ambiguitas oritur ex linguæ noſtræ uſu, qui negationem verbo *eſt* poſtponimus quæ ipſum afficit, Latinorum *non-eſt* reddentes per *is-not*. Sed nihil eſt periculi ab hac ambiguitate, quoniam ſenſus utrobique idem eſt; *eſt non-animal* & *non eſt animal*; utut formulæ loquendi differant. Debet autem, qui ſic ambigue loquitur, explicare (ſi poſtuletur) utro modo ſe intelligendum velit.

Idem faciendum eſt (ſiquis eſt ab ambiguitate metus) in aliis item caſibus. Ut, ſi dicatur, *Every Man is not wiſe*: Quod, ſecundum rigorem formulæ, valeret *Omnis homo non eſt ſapiens*, hoc eſt, *nullus eſt*; adeoque *ſapiens* de *omnibus* negetur. Sed, pro modo loquendi nobis ſatis familiari, cenſebitur potius pro *non omnis eſt*; quod tantundem valet atque *aliquis non eſt*. Atque ex hac formula nobis familiari, provenire puto quod etiam Latine non raro dicatur *Omnis homo non eſt doctus*, pro *non omnis eſt doctus*. Si quando autem ſit ab ambiguitate periculum, cautius loqui par eſt. Ut, ubi dicitur Mat. 7. 21. *Not every one that ſaith unto me, Lord, Lord, ſhall enter into the Kingdome of Heaven*; nam ſi pro *not every one ſhall* (*non omnis intrabit*) diceretur *every one ſhall not* (*omnis non intrabit*) videretur dici, *none ſhall* (*nullus intrabit*;) quod non commode diceretur: Nam intrabunt *aliqui*, (hoc eſt, *nonnulli*,) ſed *non omnes*, eorum qui dixerint *Domine, Domine*.

Hæc autem, quæ jam tradita eſt, Propoſitionum diſtributio in *Affirmativam* & *Negativam*; Propoſitionis *Qualitatem* ſpectare dicitur: & quærenti *Qualis ſit* propoſitio, dicendum *Affirmativa* ſit an *Negativa*.

Sunt quidem aliæ Propoſitionum *Qualitates*; utputa, *Vera* ſit an *Falſa*; item *Certa* ſit an *Dubia*; & ſimilia. Sed hæ potius *Materiam* propoſitionis ſpectant; non *Formam*, de qua jam agitur. Sed *Affirmatio* & *Negatio*, Formam propoſitionis ſpectant, quæcunque fuerit *Materia*. Sic *B eſt A*, eſt Affirmativa; *B non eſt A*, negativa; quodcunque fuerint *B* & *A*. Num autem vera ſit an falſa, hæc aut illa, conſtare non prius poteſt quam conſtet quis ſit valor ipſorum B, A. Quippe ſi conſtet B *Brutum* ſignificare, & A *Animal*; tum (propter *Materiam*) conſtabit Affirmativam veram eſſe; Negativam, falſam.

C A P.

Cap. IV.

De Quantitate Propoſitionis: Univerſali & Particulari.

IN Propoſitione (qualem deſcripſimus) Categorica; Prædicatum Subjecto applicatur (affirmando aut negando) vel *Toti*, vel ipſius *Parti*. Græce dicitur καθόλου vel κατὰ μέρος; de ſubjecto *Toto*, vel de ſubjecto *ſecundum aliquam ſui partem*. Prædicationem dicas *Totalem*, vel *Partialem*. Ubi intelligendum eſt *Totum*, de *Toto prædicationis*, ſeu *toto ambitu prædicandi*; hoc eſt, *omni eo* (quicquid ſit, aut quotcunque ſint,) *de quo Subjectum* (ſeparatim) *affirmatur*.

Quando igitur Prædicatum de Subjecto aliquo, ſecundum totum ſuum ambitum (hoc eſt, de omni eo de quo ipſum dicitur,) prædicatur (ſive affirmative ſive negative,) eſt ea *Totalis prædicatio*; eaque Propoſitio *Generalis aut Univerſalis* dici ſolet. Utputa, cum dicitur *Homo eſt animal*, intelligendo id de *quovis Homine*: eſt ea propoſitio *Univerſalis Affirmativa*. Sin dicatur, *Homo non eſt Lapis*, intelligendo item hoc *de quovis homine*: eſt ea propoſitio *Univerſalis Negativa*. Quippe illic *Animal*, *de toto* affirmatur (hoc eſt, de quovis homine, quotcunque fuerint homines,) hic, *de toto*, negatur *Lapis*.

Quando autem non de *toto* ambitu ſubjecti, ſed de ejus *parte* aliqua, intelligendum ſit Prædicatum vel Affirmari vel Negari; eſt ea *Partialis* prædicatio; eaque propoſitio *Particularis*. Utputa, ſi dicatur *Homo eſt doctus*, aut *Homines ſunt docti*, intelligendo id de *aliquo* tantum, aut *aliquibus*, non de *omni*; eſt ea Propoſitio *particularis affirmativa*: Sin ſimiliter dicatur *homo non eſt doctus*, aut *homines non ſunt docti*, intelligendo item hoc de *aliquo*, vel *aliquibus*, non de *omni homine*: Propoſitio eſt *particularis negativa*.

Atque hæc eſt (quæ dici ſolet) *Quantitas* Propoſitionis; puta *Univerſalis* ſit, an *Particularis*. Neque aliam Prædicationem (præter has duas, καθόλου & κατὰ μέρος) vel agnoſcit *Ariſtoteles*, vel rei natura patitur.

Cave autem per Univerſalitatem & Particularitatem *Propoſitionis*, intelligas Univerſalitatem & Particularitatem *Subjecti*, ut eſt *Terminus Simplex*; quaſi ea eſſet Particularis propoſitio, cujus ſubjectum eſt Particulare quid, ſeu Individuum; Univerſalis autem, cujus ſubjectum eſt vox Communis ſeu Univerſalis: Nun enim hic agitur (ut in prima parte Logicæ) de Univerſalitate aut Particularitate ſubjecti, ſeu termini ſimplicis; ſed de modo Prædicationis, ſeu applicatione Prædicati ad hoc Subjectum (ſive ipſum ſit univerſale ſive particulare) puta an toti applicetur ſubjecto, an ipſius tantum parti. Nam de *Subjecto Univerſali* (hoc eſt, de voce communi) fieri poteſt *Particularis prædicatio*; ut cum dicitur *Quidam homines ſunt Philoſophi*. Contra vero, de *Subjecto Particulari* fieri poteſt prædicatio *totalis* ſeu *univerſalis*; ut cum dicitur *Ariſtoteles eſt Philoſophus*. Quippe hic *Philoſophus* affirmatur de *Ariſtotele* ſecundum totum vocis ambitum. Et quidem de *Individuo* (determinato) non alia poteſt fieri prædicatio quam *Univerſalis*. Cum enim (verbi gratia) vox *Ariſtoteles* de uno ſolo *individuo* dicatur; quicquid de hoc *individuo* vel affirmatur vel negatur, pariter vel affirmatur vel negatur de *Ariſtotele*, ſecundum totum vocis ambitum prædicandi.

Atque hoc ſignanter notatum velim; quia novus forte hic videar, & præter aliorum loquendi formulam hæc dicere. Nam plerique Logici, Propoſitionem (quam vocant) *Singularem* (hoc eſt, de ſubjecto Individuo ſeu Singulari,) pro *particulari* habent (non *univerſali*:) Sed perperam hoc faciunt, & præter mentem Ariſtotelis (qui, quantum memini, nunquam ejuſmodi ſingularem, τὴν κατὰ μέρος appellat, aut pro tali habet,) & præter rei naturam: Non enim hic agitur de *particularitate ſubjecti* (quod ἄτομον vocat Ariſtotelis; non κατὰ μέρος,) ſed de *partialitate prædicationis*. Et quidem de eo quod eſt ἄτομον, quomodo quid κατὰ μέρος aut affirmari poſſit aut negari, non video. Neque ego interim *Novator* cenſendus ſum qui hæc dixerim; ſed illi potius novatores, qui ab Ariſtotelea doctrina receſſerint; eoque multa introduxerint incommoda, de quibus ſuo loco dicetur.

Atque hoc non de Individuo tantum *Signato* intelligendum eſt (quod *nomen proprium* vocant Grammatici;) ſed de alio quovis Individuo *Determinato*; (ſive ſit *Individuum Demonſtrativum*, ſive *Individuum ex hypotheſi* dictum, ſive alias utcunque ad unum aliquod determinatum.) Sive enim *Virgilium* dixerim, ſive *Poetam Mantuanum*, ſive *Authorem Æneidos*, ſive (Virgilium indicando) *hunc hominem*: erit utcunque ἄτομον, de quo, quod dicitur, dici non poteſt κατὰ μέρος.

Idem etiam intellige, ſi forte *Individuum* illud ſit ex pluribus partibus, ſeu particulis, aggregatum; quod dici ſolet *unum per aggregationem*. Utpote ſi, *hunc lapidum acervum* (digito monſtratum) dixerim aut *magnum* eſſe, aut *parvum*, aut *ſepulti tumulum*, aut aliud quid, de hoc acervo unico, affirmaverim aut negaverim.

Idem

Idem dicendum, ubi *de pluribus collectivè ſumptis* agitur, aut *per Omne* (quod vocant) *Collectivum* prolatis : Ut, ſi *Omnes Planetas* dixerim eſſe *Septem.* Nam hujuſmodi propoſitio (utut illud non animadvertunt) eſt *Singularis* propoſitio (non minus quam cum *Solem* dixerim eſſe *unicum,*) non enim, de ſingulis ſeparatim Planetis, ſed de conjunctim omnibus, (quæ una eſt collectio,) dicitur *Septenos* eſſe. (Secus autem eſt ſi dixero *Omnes Planetas, Stellas eſſe* : ubi *Stella,* de ſingulis ſeparatim dicta intelligitur.)

Cum tamen *Singularem* dico hanc propoſitionem (per *Omne* Collectivum) non interim negaverim *Univerſalem* eſſe, ſeu καθόλου (omnes enim *Singulares* ſunt καθόλου) Sed ſubjectum hic eſt *Omnes Planetæ,* de quibus (ut aggregato unico) affirmatur *Septem eſſe* ; non autem de *Planetis* univerſaliter dicitur (hoc eſt, non de ſingulis ſeparatim) *Septenos eſſe.*

De *Individuo Vago* (quod dicitur) aut *Indeterminato* : res ſecus eſt ; ut ſi dixero *unus homo,* ſeu *quidam homo* ; quoniam hic *quidam* (niſi alias determinetur) poteſt eſſe *quiſpiam* : adeoque certum aliquod Subjectum inde non determinatur. Adeoque *quidam homo doctus eſt,* aut etiam *quidam homines ſunt docti,* eſt propoſitio *particularis* ; utpote de *homine* prolata, non ſecundum totum vocis ambitum, ſed de aliqua ſaltem illius parte ; adeoque de *homine* κατὰ μέρος, prædicatur *doctus.* Ut mox dicetur.

Quando Propoſitionis *Subjectum,* eſt Vox *Communis* (*generalis* aut *univerſalis* dici ſolita;) poteſt ea vel *Univerſalis* vel *Particularis* propoſitionis ſubjectum fieri : prout *huic toti* (ſecundum totam ſuam amplitudinem prædicandi) applicatur, vel *ſecundum aliquam ſui partem* : Hoc eſt, prout vel de *omnibus* vel *tantum aliquibus* ſub eo generali nomine contentis, applicari intelligatur Prædicatum. Utputa cum dicitur *Homines ſunt Rationales,* de *omnibus* intelligendum erit (ſecundum totam vocis amplitudinem) eſtque propoſitio *Univerſalis* : Sin dicatur *Homines ſunt docti,* intelligendum erit, non de toto ambitu *Hominis,* ſed ſaltem de *quibuſdam hominibus* ; adeoque propoſitio *Particularis* cenſenda erit.

Quoniam autem, hoc in caſu, dubium aliquando eſſe poſſit, an qui de *homine* (verbi gratia) *Indefinite loquitur,* intelligendus ſit de *omnibus,* an de *aliquibus tantum* loqui : Solent (ubi opus eſt) *Notas* quaſdem (ſeu *ſigna*) ſubjecto præfigere, ſive *Univerſalitatis* ſive *Particularitatis* quo dubium illud tollatur, indeque conſtet an pro *Univerſali* an pro *Particulari* habenda ſit ea Propoſitio. Puta, *Omnes homines ſunt rationales* ; *Aliqui homines ſunt docti.* Neque tamen id ſemper fit ; ſed quando opus videtur.

Univerſalitatis Notæ ſunt, *Omnis, Quilibet, Cuncti, Singuli, Ambo, Uterque, Nullus non, Nullus, Nemo, Neuter, Semper, Ubique,* & ſiqua ſunt ſimilia.

Particularitatis Notæ ſunt, *Aliquis, Quidam, Nonnullus, Aliquot, Pauci, Non nemo, Unus, Duo, Tres, &c. Aliquis non, Quidam non, Non omnis, Quandoque, Alicubi,* &c.

Aliæ ſunt Notæ, quæ quamvis abſolutam Univerſalitatem non deſignant, eo tamen prope accedunt : ut, *Multi, Plurimi, Plerique omnes, pars longe maxima,* &c, prope accedunt ad Univerſalem Affirmativam ; atque ex adverſo, ad Univerſalem Negativam, prope accedunt, *Pauci, Pauciſſimi, Vix ullus, vix aut ne vix,* &c. Quæ quidem, de re probabili arguenti, (ubi demonſtrationi locus non eſt,) univerſalibus *ſuppares* haberi poſſint, & *Probabilitati* ſeu *veriſimilitudini* probandæ ſufficiunt ; adeoque ad *Opinionem* inducendam, (ſi non ad faciendam *Fidem,*) ſi nihil in contrarium conſtet.

Et quidem ipſæ Univerſalitatis notæ (utcunque Hyperbolice prolatæ) ſæpenumero nihil aliud ſignificant, quam quas *Univerſalibus ſuppares* modo diximus. Utputa cum, in communi colloquio, quotidie dicitur, *Hoc omnibus notum eſt, Nemo hoc ignorat, Nemo inficiabitur,* & (Gallis familiare illud) *Tout le mond,* (ubi forte *tres* aut *decem* ſunt ille *totus mundus,*) *Nil tale unquam contigit, In hoc conveniunt Omnes,* &c. Ubi, per *Omnes,* non aliud intelligendum erit quam *Plerique* aut *Plurimi* ; & per *Nullos,* intelligendi *Pauciſſimi.*

Notæ hujuſmodi, ſubjecto præfixæ, non pro Subjecti *parte* aliqua cenſeri ſolent, ſed ut ejuſdem *Appendices* ; dicique ſolent propoſitionis partes *Syncategorematicæ,* quaſi Accidentales & Adventitiæ ; At *Subjectum, Prædicatum,* & *Copulam,* partes vocant *Categorematicas,* utpote Propoſitioni Eſſentiales.

Negationis nota *Non,* qua Propoſitio fit *negata,* (ſive ea explicite præponatur voci *Eſt,* ſive utcunque involuta,) an pars dicenda ſit *Syncategorematica,* an (ut copulæ particula) *Categorematica,* neſcio an inter ſe ſatis conveniant Logici. Utrumvis dicas, ego non repugno. Quippe perinde eſt ſive Affirmativæ propoſitionis copulam dixeris *Eſt* ; Negativæ, *non eſt,* (ut ſit *non* pars copulæ :) an utrobique copulam dixeris *Eſt* ; &, in Negativa, *Non,* eſſe (*Syncategorematicam*) notam *Negationis,* ut eſt *Omnis* nota *Univerſalitatis.*

De aliis item Notis ; judicio aliquando opus eſt, determinare, num partes ſint *Syncategorematicæ* an *Categorematicæ* (hoc eſt, *adventitiæ,* an *eſſentiales.*) Utputa, cum dicitur, *Omnes Planetæ ſunt Stellæ,* & *Omnes Planetæ ſunt Septem.* In priori, vox *Planetæ* eſt integrum Subjectum ; & vox *Omnes* eſt, pars *Syncategorematica* ; utpote Univerſalitatis Nota ; adeoque Prædicatum *Stellæ,* de Planetis omnibus ſingulatim ſumptis affirmatur : Unde recte ſubſumas, Sed *Sol & Luna ſunt Planetæ* ; ergo *Sol & Luna ſunt Stellæ.* Sed in poſteriori, *Omnes* eſt *Categorematica,* & ſubjecti pars ; neque enim de ſingulis ſeparatim, ſed

de

de omnibus conjunctim intelligendum eſt; Adeoque non licebit ſubſumere, ſed *Sol & Luna ſunt Planetæ*, Ergo *Sol & Luna ſunt Septem*: Sed ſubſumendum eſſet *Sol & Luna ſunt omnes Planetæ*, ſi velis inde concludere, Ergo *Sol & Luna ſunt ſeptem*.

Diſcrimen hoc (inter *Omne* Collectivum, & *Omne* Diſtributivum,) ſtatim patebit, ſi pro *Omnes* ſubſtituas *Quilibet* (quod tantundem eſt atque *Omnes* diſtributive ſumptum;) ſic, pro *Omnes Planetæ ſunt Stellæ*, recte ſubſtituas *Quilibet planetarum eſt Stella*; At non item, pro *Omnes Planetæ ſunt Septem*, ſimiliter ſubſtituas *Quilibet planetarum eſt Septem*.

Similiter, cum dicitur *Hic homo eſt Poeta*, non ſatis eſt aſſumere, *Virgilius eſt Homo*, Ergo *Virgilius eſt Poeta*. Sed ſubſumendum erit *Virgilius eſt Hic homo*. Quippe propoſitionis primæ ſubjectum erat, non *Homo*, ſed *Hic homo*. Eſtque vox *Hic*, non Syncategorematica, ſed Categorematica; utpote pars Subjecti in propoſitione *Singulari*. Quæ quidem utut *Univerſalem* dixerim; (quippe omnes ſingulares ita ſunt;) non tamen de *Homine*, ſed de *Hoc homine*; prædicatur univerſaliter (ſeu Totaliter) vox *Poeta*.

Porro: ſiquis ſic arguat; *Romanus quidam eſt Author Æneidos*; *Eſtque Virgilius Romanus Ille*; ergo *Virgilius eſt Author Æneidos*: Recte arguitur. At non ita foret, ſi aſſumeretur tantummodo, *Virgilius eſt Romanus*. Quia tum *Romanus* foret Individuum *Vagum*, ſeu *Indeterminatum*; adeoque Subjectum Propoſitionis *Particularis*, ſeu Partialis; (ut quidem eſt in propoſitione prima, ſi illa ſola conſideretur:) ſed cum in ſecunda ſubſumitur *Romanus Ille*, (ſeu *Ille idem Romanus*,) *Determinatur* vox *Romanus* (indeterminata prius) ad *unum Singulare*, fitque *Individuum Determinatum*, adeoque ſubjectum propoſitionis *Singularis*. Sed, abſque hoc, incertum foret an *Romanus* in prima, & *Romanus* in ſecunda, ſint *Idem Romanus*.

Simili opus erit judicio, ſiquando de alia quapiam particula dubitari poſſit, num Syncategorematica cenſenda ſit an Categorematica.

Siquando autem, propoſitionis Subjectum, ſit vox *Communis* (ut ante dictum eſt,) adeoque capax prædicationis ſive Totalis ſive Partialis; nec tamen affixam habeat vel Univerſalitatis vel Particularitatis Notam, unde conſtet utra intendatur; (ut ſunt illæ, *Homo eſt Animal*: *Homo eſt doctus*: *Indefinitæ* dici ſolent Propoſitiones. Non quod non ſit vel Particularis, vel Univerſalis, ejuſmodi propoſitio; (certum enim eſt, alterutram eſſe;) ſed quod non ſtatim obvium ſit, utram intenderit qui ſic indefinite loquitur. Quo caſu, (ſi poſtuletur, aut opus ſit,) exponere debet, qui ſic loquitur, quo ſenſu intellectum velit. Neque enim ſemper pro *Univerſali* (quod volunt aliqui,) neque ſemper pro *Particulari* (quod volunt alii,) habenda eſt Propoſitio *Indefinita*; ſed nunc pro hac, nunc pro illa, prout vel dicti ratio vel ſcopus dicentis poſtulat.

Secundum ea quæ hactenus tradita ſunt, Quadruplicem (ſecundum Quantitatem) faciunt Propoſitionem, plerique Logici; *Univerſalem*, *Particularem*, *Indefinitam* & *Singularem*. Quod tamen non ita intelligendum eſt, quaſi hæc eſſet diſtributio *Propoſitionis*, ut *Generis*, in quatuor *Species*: Sed potius quadrupla diverſitas Propoſitionis ſecundum *Accidentales* quaſdam conſiderationes.

Cum enim *formalitas* propoſitionis conſiſtat in Prædicatione, ſeu modo applicandi Prædicatum Subjecto: poſſitque ea, ſecundum Qualitatem, non alia eſſe quam vel Affirmando vel Negando; nec, ſecundum Quantitatem, alia quam vel Totalis vel Partialis: Prout illic non plures ſunt Propoſitionis *Species*, quam Affirmativa & Negativa, (utut aliquando ſic implicari poſſit propoſitio, ut merito dubitetur num hæc an illa dicenda ſit:) Sic, ratione Quantitatis; non aliæ aſſignandæ ſunt *Species* quam *Univerſalis* & *Particularis* (prout prædicatio Totalis eſt aut Partialis;) utut nonnunquam, (quando *Indefinite* proponitur) dubitari poſſit num hæc an illa intendatur. Poſſunt tamen, utrobique diverſitates quædam *Accidentales* intervenire.

Et quidem, ratione *Quantitatis* (de qua jam agitur,) ſeu amplitudine prædicandi de expoſito Subjecto; quamquam prædicatio omnis vel Totalis ſit vel Partialis; Utra tamen harum illa ſit, non in omnibus tam liquido patet: Sunt quidem, hac ratione, aliæ *manifeſto Univerſales*, propter affixam *Univerſalitatis Notam*, (ut *Omnes homines ſunt Rationales*; *Nullus homo eſt Brutum*;) quæ (ſignanter) dici ſolent *Univerſales*: Aliæ *manifeſto Particulares*, propter affixam *Particularitatis Notam*, (ut *Quidam homines ſunt Prudentes*; *Quidam non ſunt*;) quæ (ſignanter) dici ſolent *Particulares*: Aliæ, de quibus (utut vel particulares ſint vel univerſales) non liquido conſtet (propter *nullam ejuſmodi affixam notam*, dum tamen *Subjectum* ſit *vox Communis*, utriuſvis capax,) utræ cenſendæ ſint; quæ itaque *Indefinitæ* dici ſolent, ſeu *Indefinite propoſitæ*; ſuntque nunc pro univerſalibus, nunc pro particularibus habendæ, prout fert occaſio: Aliæ denique, quæ cum Subjectum habeant *Individuum* (de quo non alia fieri poteſt quam *Totalis* prædicatio;) *Univerſales* quidem ſemper ſunt, ſed *Univerſalitatis nota* non indigent (cum, propter Subjecti naturam, aliæ non poſſint eſſe quam *Univerſales*;) dicique ſolent *Singulares*; ut *Virgilius eſt Poeta*; *Virgilius non eſt Græcus*. Non quod univerſales non ſint; ſed, quod ſint certa quædam univerſalium claſſis, quæ hoc habent peculiare, quod, de hujuſmodi *Subjectis* (ubi *unus* & *omnis* idem eſt) non poſſit aliter prædicari quam Univerſaliter.

Hæ Propoſitionum diſtributiones, de quibus hactenus dictum eſt, ſolent hoc memorali verſu (barbaro licet) inſinuari.

Quæ? Ca. vel Hyp. *Qualis*? Ne. vel Aff. Un. *Quanta*? Par. In Sin.

Hoc eſt; Quærenti *Quæ* ſit propoſitio? reſpondendum, *Categorica* ſit an *Hypothetica*. Quærenti *Qualis* ſit? reſpondendum eſt, *Affirmativa* ſit an *Negativa*. Quærenti *Quanta*? dicendum *Univerſalis* ſit, *Particularis*, *Indefinita*, an *Singularis*.

Porro; cum Propoſitio omnis (ſaltem Categorica) eſt, ratione *Qualitatis*, Affirmativa aut Negativa; & ratione *Quantitatis*, Univerſalis aut Particularis: erit, ratione ſimul *utriuſque*, vel *Univerſalis Affirmativa*, vel *Univerſalis Negativa*, vel *Particularis Affirmativa*, vel *Particularis Negativa*: quibus breviter indicandis, quatuor aſſignant vocales Literas A, E, I, O; ſecundum hos Verſiculos, memorativos:

Aſſerit, A; *Negat*, E; ſed *Univerſaliter* ambæ.
Aſſerit, I; *Negat*, O; ſed *Particulariter* ambo.

(Ubi non tam erant ſoliciti de Syllabarum quantitate, aut Syntaxeos ratione, quam ut *Rythmus* conſtet, aut ὁμοιοτέλευτον Alii tamen, quo conſtet verſus, pro *ſed univerſaliter*, ſubſtitnunt *verum generaliter*; & quo Syntaxi proſpiciatur, pro *ambo*, neglecto Rythmo, ſubſtituunt *ambæ*; reſpicientes vocem ſubintellectam, *Propoſitiones*.) Quod volunt, hoc eſt; per A, notatur propoſitio *Univerſalis Affirmativa*; per E, *Univerſalis Negativa*; per I, *Particularis Affirmativa*; per O, *Particularis Negativa*. (Quarum uſus in ſequentibus patebit.) Nequis autem de Propoſitionibus Indefinitis & Singularibus (quaſi hic neglectis) ſit ſolicitus: *Indefinita* referenda eſt nunc ad Univerſalem, nunc ad Particularem, prout res poſtulaverit: *Singularis*, ſemper ad Univerſalem.

Eoſdem Anglice, ſic reddas.

A *ſays*, and E *denies*; both *Totally*.
I *ſays*, and O *denies*; both *Partially*.


Cap. V.

De Oppoſitione Propoſitionum.

PRopoſitiones pro varia Qualitatis & Quantitatis diverſitate, eodem manente tum Subjecto tum Prædicato, Varias admittunt inter ſe Comparationes (ſeu Conſiderationes Relativas) quæ *Oppoſitiones* dici ſolent (ἀντιθέσεις.) Sin minus placeat *Oppoſitionis* Vox (quia non eſt in omnibus Oppoſitio ſtricte ſumpta, quin poſſint ſimul conſiſtere,) *Contrapoſitiones* dicas licet, (quæ vox non minus congruit Græcæ ἀντιθέσεις.) Quippe nil aliud hic intenditur quam propſitionnm ſic variatarum (oppoſito ſcilicet ſitu poſitarum) inter ſe comparatio; & Relationum indicatio quas ſic contrapoſitæ Propoſitiones inter ſe ſortiuntur.

Sed *Oppoſitionis* vocem (antiquitus uſitatam) non incommode retineas, (licet non in omnibus ſtricte conveniat) pro ea libertate quam ſibi ſolent aſſumere Logici in nominibus imponendis, (quod ante inſinuavimus, eritque aliquoties poſt inſinuandum;) Nempe, cum nomen Generale pluribus Particularibus accommodandum eſt; non tale ſemper nomen imponunt quod ex æquo omnibus conveniat; ſed quod particularium illi, quod potiſſimum ſpectant, ſatis quadrat; reliquis antem non ſine vi quadam poſſit (καταχρηστικῶς) attribui. Quod, ut alibi, ſic ſpeciatim notavimus, ubi propoſitionis *Subjectum* & *Prædicatum* dici notavimus, Propoſitionis Terminum *Minorem* & *Majorem*; quod qnidem in *Univerſali Affirmativa* (quam ut potiſſimam ſpectant) ut plurimum contingit; in reliquis autem non raro contrarinm; ut ſupra monitum eſt. Atque hic ſimiliter, quamquam non omnes hæ Contrapoſitiones, ſint *Oppoſitiones* ſtricto ſenſu; cum tamen pleræque tales ſint, commune *Oppoſitionis* nomen omnibus impoſuerunt.

Has autem, hujnſmodi Schemate Contrapoſitas, exhibere ſolent.



Hoc eſt; A, E, vocant *Contrarias*: I, O, *Subcontrarias*: A, I; & E, O; *Subalternas*: A, O; & E, I; *Contradictorias*. Hoc eſt (verbis fuſioribus,) 1. *Uni-*

1. *Univerſalis Affirmativa*, & *Univerſalis Negativa*, (quæ Quantitate conveniunt, utpote Univerſales ambæ; ſed differunt Qualitate,) *Contrariæ* vocantur. *Quæ quidem ambæ Falſæ poſſunt eſſe* (ut ſi dicatur, *Omnes homines ſunt Sapientes*; *Nulli homines ſunt Sapientes* :) ſed *non ambæ poſſunt eſſe veræ*.

2. *Particularis Affirmativa* & *Particularis Negativa*, (quæ item Quantitate conveniunt, utpote Particulares ambæ; ſed differunt Qualitate,) vocantur *Subcontrariæ*; (ut, *Hominum aliqui ſunt Sapientes*; *Aliqui, non ſunt ſapientes*.) Quarum, *utraque vera eſſe poteſt, ſed non utraque falſa*.

3. *Univerſalis Affirmativa*, & *Particularis Affirmativa*; Item *Univerſalis Negativa*, & *Particularis Negativa*; (quæ Quantitate differunt, ſed conveniunt Qualitate;) vocantur *Subalternæ* (utpote quarum altera ſub altera continetur; puta Particularis ſub Univerſali:) Quæ quidem utut Oppoſitæ dici poſſint laxiore ſenſu (hoc eſt, Contrapoſitæ,) non tamen ita ſunt Oppoſitæ quin bene conſiſtant. Harum; *ſi Univerſalis vera eſt, vera eſt & Particularis*; quippe quæ in Univerſali continetur: (Puta, ſi *omnes ſunt*, multo magis *aliqui ſunt*: Si *nulli ſunt*, certe *Aliqui non ſunt*.) *Si Particularis falſa eſt, falſa eſt & Univerſalis*; utpote quæ illam continet: (Puta, ſi falſum ſit *Aliquem eſſe*; multo magis falſum erit *Omnes eſſe*: Si falſum ſit *Aliquem non eſſe*; multo magis erit falſum *Nullum eſſe*.) *Si Univerſalis falſa ſit, poteſt tamen Particularis* (aliquando) *vera eſſe*; (Ut *Omnes homines ſunt ſapientes*; *Aliqui ſunt*: Item *Nulli homines ſunt ſapientes*; *Aliqui non ſunt*:) *ſed & poteſt* (aliquando) *falſa eſſe*; (Ut *Omnia Bruta ſunt rationalia*; *Aliqua Bruta ſunt rationalia*: Item *Nulli homines ſunt rationales*; *Aliqui homines non ſunt*.) *Si Particularis vera ſit, poteſt tamen Univerſalis eſſe falſa*; (Ut, *Aliqui homines ſunt ſapientes*; *Omnes ſunt*: Item *Aliqui homines non ſunt ſapientes*; *Nulli ſunt*:) *Sed eſſe poteſt* (aliquando) *vera*; (Ut *Aliqui homines ſunt Rationales*; *Omnes ſunt*: Item *Aliquis homo non eſt Brutum*; *Nullus eſt*.)

4. *Univerſalis Affirmativa* & *Particularis Negativa*; item *Univerſalis Negativa & Particularis Affirmativa*; (quæ tum Quantitate tum Qualitate differunt,) vocantur *Contradictoriæ*; (ut quæ ſibi mutuo contradicant.) Harum quidem *Nec ambæ poſſunt eſſe veræ, nec ambæ falſæ*: Sed ſemper altera vera eſt, altera falſa. (Adeoque dici ſolet *Omnium Oppoſitionum Maxima*.) Puta, ſi verum ſit *Omnes homines eſſe animalia*; certe falſum erit, *Aliquos non eſſe*: ſi verum ſit *Aliquos non eſſe*; falſum erit *Omnes eſſe*. Item, ſi verum ſit, quod *nulli homines ſunt Bruta*; falſum erit *Aliquos eſſe*: &, vice verſa, ſi hoc verum ſit, falſum erit illud.

Eſt autem hoc Schema, eis præſertim Propoſitionibus accommodatum, quarum Subjectum eſt *Vox Communis*; adeoque capax prædicationis Totalis, aut etiam Partialis.

In *Singularibus* autem, quarum Subjectum eſt *Individuum* (adeoque non capax prædicationis Partialis,) res aliquanto ſecus eſt. Quippe de Individuo Subjecto, quicquid dicitur, de Toto dicitur; & quicquid negatur, de Toto negatur, (ut partiali vel Affirmationi, vel Negationi, non ſit locus.) Adeoque *Affirmativa & Negativa* (ut *Virgilius eſt Poeta*; *Virgilius non eſt Poeta*;) non modo *Contrariæ* ſunt (ut in aliis Univerſalibus Affirmatis & Negatis,) ſed & (vi materiæ) *Contradictoriæ*: Adeoque nec ſimul veræ poſſunt eſſe, nec ſimul falſæ; ſed ſemper altera vera eſt, altera falſa.

(Quomodo hoc accommodandum eſt Propoſitionibus Hypotheticis aliiſque Compoſitis; poſt dicetur ſuo loco.)

Secundum has Regulas, (quæ ita certæ ſunt, ut ſua luce ſatis conſtent,) judicandum erit de *Conſiſtentia* aut *Inconſiſtentia* propoſitionis unius cum altera, (indeque arguendum de Veritate aut Falſitate unius, prout altera aut Vera eſt aut Falſa,) pro varia earum Qualitate aut Quantitate (eodem manente tum Subjecto tum Prædicato,) in ſingulis his Oppoſitionis (aut Contrapoſitionis) generibus.

Cap. VI.

De Æquipollentia Propoſitionum.

Ex Oppoſitionis doctrina, dependet ea quæ eſt de *Æquipollentia* propoſitionum: Hoc eſt, Quomodo Propoſitiones oppoſitæ (in quocunque Oppoſitionis genere) fiant, per debitam negativi *Non* poſitionem Æquipollentes. Unde judicium fiat de veritate aut falſitate unius, per veritatem aut falſitatem alterius ei æquipollentis. Quippe ſi æquipollentium una vera eſt, etiam altera vera eſt; Si falſa, falſa.

Cujus quidem doctrinæ ſummam, in hunc verſiculum (barbarum) compingunt.

Præ *Contradict*. Poſt *Contrar*. Præ poſtque *Subaltern*.

Hoc eſt; ex *contradictoriis* propoſitionibus, ſi (in utravis) Nota negationis (*non*) *præponatur* Univerſalitatis aut Particularitatis notæ, fiet hæc alteri (contradictoriarum) *Æquipollens*.

Idem fiet, in *Contrariis* (aut etiam *Subcontrariis* ;) Si *Poſtponatur*.

Item, in *Subalternis*, id fiet ſi, & *Præponatur* & *Poſtponatur*.

Accommodantur hæ Regulæ ad Linguam præſertim Latinam ; in qua, ea particulæ *Non* poſitio hoc efficit. Sed & aliis linguis aut idem fiet, aut eis ſaltem accommodari poſſunt æquivalentes Regulæ, ſi id attendatur, (quod totius doctrinæ fundamentum eſt.) Nempe,

Nota negationis *Non* (aut quæ huic æquipollet) *præpoſita* notæ Univerſalitatis aut Particularitatis, intelligitur, immediate *afficere* eam ſive *Univerſalitatem*, ſive *Particularitatem* ; non autem *Copulam* niſi per conſequentiam, aut æquivalentiam. Hoc eſt ; præfixa notæ *Univerſalitatis*, negat dictum illud eſſe *Univerſaliter* verum ; præfixa notæ *Particularitatis*, negat *vel de Particulari* verum eſſe.

Eadem negationis nota, *Poſtpoſita* notæ Univerſalitatis aut Particularitatis (& quidem propoſitionis ſubjecto) intenditur *Copulam* immediate afficere : Adeoque , manente quæ prius erat Quantitate, mutatur Qualitas : unde, ſi prius fuerit *Affirmativa*, jam fit *Negativa* ; ſi Negativa prius, jam fit Affirmativa,

Si, & *Præponatur*, & *Poſtponatur* ; utrumque fit.

Sed & illud intelligendum (pro genio Latinæ linguæ) quod duæ *Non*, ſe mutuo tollunt ; hoc eſt, *Negatio negationis* (Non non) *æquipollet Affirmationi*. Quibus præmiſſis ; rem ſingulis caſibus ſic accommodabimus.

1. Duarum propoſitionum Contradictoriarum ; ut *Omnis homo eſt animal* ; *Aliquis homo non eſt Animal* : Si notæ univerſalitatis *Omnis*, præfixero *non* ; manifeſtum eſt *negari Univerſalitatem* : Et conſequenter, ſi *non omnis eſt*, ſaltem *aliquis non eſt*, (quæ eſt altera contradictoriarum.) Similiter, ſi particularitatis notæ *Aliquis*, præfixero *Non* ; manifeſtum eſt tolli, etiam quo ad *Ullum*, quod ante dicebatur : Quippe ſi *ne aliquis* quidem *non eſt* ; certe *omnis eſt* ; adeoque fit reliquæ contradictoriarum æquipollens. Pariter ſi univerſalis ſit Negativa, & particularis Affirmativa ; puta *Nullus homo eſt Brutum* ; *Aliquis homo eſt Brutum*. Idem fit. Quippe ſi *non nullus*, tum *aliquis*. Si *non aliquis*, tùm *nullus*.

2. Duarum Contrariarum, ut *Omnis homo eſt animal* ; *Nullus homo eſt animal* ; ſi notæ univerſalitatis aut particularitatis *Poſtponatur* (ſic nempe ut directe afficiat copulam) fiet utravis reliquæ æquipollens. Nam ſi *omnis non eſt*, tum *nullus eſt* : Si *Nullus non eſt*, tum *Omnis eſt*. Idem obtinet in *Subcontrariis*, (quamquam non memini hoc à Logicis notari ſolitum :) Puta, *Aliquis homo eſt prudens* ; *Aliquis non eſt prudens* : Quippe ſi, in priori, poſt *Aliquis homo*, interponatur *Non* ; fit poſterior : Si in poſteriori id fiat ; *Aliquis non non eſt*, æquipollet priori *Aliquis eſt*.

3. Duarum Subalternarum ; *Omnis homo eſt animal* ; *Aliquis homo eſt animal* : Idem contingit ſi & præponatur & poſtponatur *Non* in utravis. Quippe, ſi *non omnis non eſt*, tum *aliquis eſt*. Si *non aliquis non eſt*, tum *omnis eſt*. Similiterque in Negativis ; *Nullus homo eſt Brutum* ; *Aliquis homo non eſt Brutum*. Quippe *non nullus non eſt*, tantundem eſt atque *Aliquis non eſt*. Item *Non aliquis non non eſt*, tantundem eſt atque *non aliquis eſt*, ſeu *nullus eſt*.

Atque hæc quidem omnia, in ſingulis caſibus, tam certa ſunt, & luce ſua manifeſta, ut de Regularum veritate (tanquam legitime demonſtrata) dubitandum non ſit. Horum caſuum præcipuos, ſolent (memoriæ cauſa) in his verſiculis compingere.

Non omnis, *Quidam non* : *Omnis non*, quaſi *Nullus*.
Non nullus, *Quidam* : ſed *Nullus non*, valet *Omnis*.
Non aliquis, *Nullus* : *Non quidam non*, valet *Omnis*.
Non alter, *Neuter* : *Neuter non*, præſtat *Uterque*.

Quos Anglice ſic reddas;

Not all, *Some not* : *All not*, the ſame as *None*.
Not none, is *Some* : *None not*, is *Every one*.
Not any, *None* : *Not any not*, is *All*.
Not either, *Neither* : *Neither not*, *Both* we call

Monendum hic duxi : quoties per Regulas ſive Oppoſitionis ſive Æquipollentiæ colligenda eſt propoſitio *Particularis* (ſive Affirmativa ſive Negativa ;) intelligendum erit ſaltem de *Aliquo* (numero ſingulari) non ſemper de *Aliquibus* (numero plurali :) Sufficit enim ad tollendam *Univerſalitatem*, ſi vel *Unus* aliquis excipiendus ſit. Pariterque, ſi negaveris *Aliquos*, non hoc ſatis eſt ut inde concludas *Nullum* ; ſed ſi negaveris *Aliquem*. Quippe, inter *Aliquos* & *Nullum*, medius intercedit *Aliquis*. Sic, ſi negaveris, *Omnes* Chriſti Apoſtolos fuiſſe domino ſuo fideles ; non hinc ſequitur *Aliquos* non fuiſſe, ſed ſaltem *Aliquem*.

Sed

Sed &, ubi (vi conſecutionis) inferri poteſt *Particularis* (de *Uno* aliquo,) ſi tamen hic *Unus* ſit *Omnis* (qui eſt caſus propoſitioonum ſingularium,) infertur porro (vi materiæ) *Univerſalis* ſeu *Totalis*. Sic ſi *Virgilium eſſe Poetam* negaveris ; aſſeris *Virgilium non eſſe Poetam* : quæ, vi cooſecutionis, eſt propoſitio *Negativa* ; &, vi materiæ, *Univerſalis* ; eo quod, de *Individuo*, omois prædicatio eſt *Totalis*. Atque hinc fit, quod, Affirmativa & Negativa, de Singulari ſubjecto, ſint (vi materiæ) *Contradictoriæ* : quæ alias, ſi utraque cenſeretur *Particularis*, forent *Subcontrariæ* (quarum utraque poſſet eſſe vera ;) ſi cenſeretur utraque (ut revera eſt) *Univerſalis*, forent *Contrariæ*, (quarum utraque poſſet eſſe falſa ;) ſed (propter materiæ neceſſitatem, quæ partialem prædicationem non admittit,) ſunt *Contradictoriæ* ; ut neque ſimul Veræ poſſint eſſe, nec ſimul Falſæ.

CAP. VII.

De Converſione Propoſitionis.

ALius adhuc eſt arguendi modus, quo ex una Propoſitione infertur alia (abſque interventu oovi Termini) quam vocant *Converſionem* Propoſitionis. Poſito ſcilicet *Subjecto in locum Prædicati*, & *Prædicato in locum Subjecti*. Sic, Propoſitio *Homo non eſt Brutum* ; mutatur, per Converſionem, in hanc *Brutum non eſt Homo*. Quarum prior, dici ſolet, Propoſitio *Converſa*, (aut *convertenda* ;) poſterior, Propoſitio *convertens* ; ſeu *in quam convertitur*.

Quo autem ſic fiat Converſio, ut à veritate *Converſæ* arguere poſſimns veritatem *Convertentis* : Has Regulas obſervandas doceot.

Primo quidem, Quod iidem, qui prius erant, maoeant Propoſitionis *Termini* ; ſed *tranſpoſiti* : (Subjectum in locum Prædicati ; & Prædicatum in locum Subjecti.) Saltem ſi excipias eam Converſionem (quam vocant) *per Contra-poſitionem* ; in qua (præter Tranſpoſitionem) mutantur termini *finiti* in *infinitos*.

Secuodo, quod eadem, quæ prius, maneat propoſitionis *Qualitas*. Puta, ſi Convertenda fuerit Affirmativa, etiam Affirmativa ſit in quam convertitur. Si illa, Negativa ; Negativa item & hæc. Non ſolent enim Affirmativam in Negativam coovertere ; nec Negativam in Affirmativam.

Tertio ; *Quantitas* Propoſitionis, aliquando *Manet*, aliquando *Minuitur*, (puta, ex Univerſali in Particularem ;) ſed non *Augetur* (ut fiat ex Particnlari Univerſalis.) Siquando autem hoc jubeatur ; (utputa cum, in ſequentibus, doceatur Reductio modi, *Baralipton* dicti, ad *Barbara* :) id non fit, ex ſola vi *Converſionis*, ſed propter alias quæ occurrunt circumſtantias ; ut ſuo loco docebitur.

Quarto ; Quando eadem retinetur Quantitas ; vocari ſolet *Converſio Simplex*. Locumque habet in *Univerſali Negativa*, & in *Particulari Affirmativa*. Quippe ſi *Nullus homo ſit Brutum*, hinc recte concludas, *Ergo nullum Brutum eſt Homo*. Item, ſi *aliquis Romanus eſt Poeta* ; hinc recte inferas, Ergo *Aliquis Poeta eſt Romanus* ; puta *Virgilius*.

Quinto ; Quando minuitur quantitas, (puta cum Univerſalis in Particularem convertitur,) dici ſolet *Converſio per Accidens* ; aut etiam *Diminuta converſio*. Locumque habet potiſſimum in *Univerſali Affirmativa*. Puta, ſi *Omnis homo eſt Animal* ; hinc recte concludas *Ergo Aliquod animal eſt homo*. Poteſt item in *Univerſali Negativa* locum habere. Puta, *Nullus homo eſt Brutum*, Ergo *Aliquod Brutum* (oempe ſiquod ſit) *non eſt homo*. (Quippe ſi, ut prius, inde concludas, per Simplicem Converſionem, *Ergo Nullum Brutum eſt Homo* ; concludas certe licet, multo magis, *Ergo Aliquod Brutum non eſt Homo* ; cum hoc in illo cootineatur.) Sed negligi ſolet hæc *Univerſalis Negativæ* converſio per Accidens ; quoniam ibidem habeas (quæ potior eſt) converſionem ſimplicem ; ut ſupra dictum eſt.

Si quæras, cur hæc converſio dicatur *per Accidens* ; ego de nominis ratione non ſum admodum ſolicitus : Satis eſt, quod ſoliti fuerint Logici ſic loqui ; neque eſt neceſſe ut rerum Nomina (utut ſine ratione impoſita) mutemus. Sin id malis, dicas (cum aliis) *Converſionem diminutam*.

Atque hæ quidem duæ converſionis formnlæ (*ſimplex* & *per accidens*) vocari ſolent *Converſiones Directæ*. Atque his ſpeciatim accommodatur *converſionis definitio* ; præſertim ubi dicitur, *retinendos eſſe eoſdem, qui prius, terminos*.

Sexto ; ſed tertia adhuc reſtat formula quæ dici ſolet *Converſio per Contra-poſitionem*. Quæ appellatio, quamvis reliquis pariter conveniat, (nam in illis item *Contraponuntur* termini,) huic tamen tertiæ peculiariter applicari ſolet. In qua, præter Terminorum (ut in reliquis) tranſpoſitionem, mutantur termini *Finiti*, in *Infinitos* : Præfixa ſcilicet negationis

nota *Non*, terminis prius poſitis: puta, pro *Homo*, *Animal*, dicitur *non homo*, *non animal*; quos vocant *terminos infinitos*.

Hanc formulam locum habere docent in *Particulari Negativa*. Atque hujus potiſſimum cauſa, videtur, fuiſſe introducta: ut quæ per neutram reliquarum converti poſſit. Puta, *Aliquod animal non eſt Homo*; Ergo *Aliquod non homo non eſt non animal*; ſeu (quod tantundem eſt) *Aliquod non homo eſt animal*; ſeu *Aliquod quod non eſt homo, eſt tamen Animal.*

Sed & ſic etiam convertas *Univerſalem Affirmativam* (etiam non minuta quantitate) in *Univerſalem Affirmativam*. Ut, *Omnis homo eſt Animal*; ergo *Omne non-animal eſt non-homo*; ſeu *Quicquid non eſt animal, non eſt homo*

Nec minus apte definienda foret hæc Converſio, (in utrovis caſu) per *Mutationem Qualitatis & (poſt tranſpoſitionem terminorum) negationem novi ſubjecti* Sed prior loquendi mos, tantundem valet.

Sed, in *Univerſali Affirmativa*, negligi ſolet hæc per *Contrapoſitionem* converſio, ut minus neceſſaria; quia eadem propoſitio (ut ſupra dictum eſt) converti poteſt per eam *converſionem directam*, quæ per *Accidens* dicitur. Eſt tamen vera Converſio, & recte concludit, eſtque uſus in ratiocinio nec contemnendi, nec infrequentis. Puta, *Omnis homo eſt animal*; Ergo, *id quod non eſt animal non eſt homo.*

Hæc Converſionum doctrina, his ſolet verſibus compingi.

E, I, *ſimpliciter* convertitur; E, A, *per Acci.*
A, O, *per contra*: ſic fit converſio tota.

Aut etiam (ne, in recitandis literis ſingularibus, facilius laberetur memoria,)

FECI *ſimpliciter* convertitur; EVA *per Acci.*
FAXO *per contra.* Sic fit converſio tota.

Anglice ſic reddas;

E, I, are *ſimply* turn'd: E, A, *by Acc.*
A, O, are *counter-put*, in going back.

Vel ſic

fEcI are *ſimply* turn'd: EvA *by Acc.*
fAxO are *counter-put*, in going back.

Propoſitio *Singularis* (ſive Affirmativa ſive Negativa) cum ſemper *Univerſalis* ſit, (ut ſupra dictum,) obſervat leges aliarum Univerſalium. Puta, *Virgilius eſt Poeta*; Ergo *Aliquis Poeta eſt Virgilius*. (Univerſalis Affirmativa in Affirmativam Particularem.) Item *Virgilius non eſt Græcus*; Ergo *Nullus Græcorum eſt Virgilius*, (Univerſalis Negativa in Univerſalem Negativam.) Atque in aliis ſimiliter.

Si autem *Convertendæ* propoſitionis *Prædicatum* ſit *Individuum* (quodcunque habuerit Subjectum;) *Convertentis Subjectum* (quippe quod fuerat *Convertendæ Prædicatum*) *Individuum* erit; & propterea propoſitio *Convertens* (ſiqua ſit) neceſſario erit *Singularis*, adeoque *Univerſalis*. Quæ itaque ſi alias foret (per converſionum leges) *Univerſalis*: nihil hic à regulis receditur. Si vero alias foret *Particularis*; hactenus inde receditur, quod quæ foret, per Regulas, *Saltem Particularis*; fit, propter neceſſitatem materiæ, *etiam Univerſalis*. Sic *Nullus Græcorum eſt Author Æneidos*; Ergo *Author Æneidos non eſt Græcus* (Univerſalis negativa, in Univerſalem negativam; per ſimplicem converſionem, ſecundum leges.) Item *Maro eſt Virgilius*; Ergo *non-Virgilius eſt non-Maro*; ſeu *Qui non eſt Virgilius, non eſt Maro*; (*per Contra-poſitionem*, ſecundum leges.) Sed, *Virgilius eſt author Æneidos*; ergo *Author Æneidos eſt Virgilius*; per leges converſionis, foret (ut eſt) Affirmativa; eſſetque *Saltem Particularis*: &, propter neceſſitatem materiæ, fit *Singularis*, adeoque *Univerſalis*.

Notes hic licet, alio alibi ſenſo dici, *Convertibiliter Prædicari*; aut *terminos eſſe Convertibiles*: nempe quando termini habent eundem ambitum prædicandi; adeoque alter de altero indifferenter dici poſſint, & quidem Univerſaliter. Ut *Virgilius eſt Maro*, & *Maro eſt Virgilius*: Item, *Omnis homo eſt riſibilis*, & *omne riſibile eſt homo*: Idemque dici poteſt de terminis quibuſque Synonymis: ut *Enſis*, & *Gladius*; Item, de *Definitione* (ſi juſta fuerit) & *Definito*; ut *Omnis homo eſt animal rationale*; & *Omne animal rationale eſt homo*. (Unde dici ſolet *Definitum* & *Definitionem*, debere *Converti*; ſeu *terminos eſſe convertibiles*, hoc eſt, *ejuſdem ambitus*.) Sed ea *convertibilitas* (utpote quæ eſt *ſimplicium terminorum*) non eſt hujus loci (ubi de *converſione propoſitionum* agitur.) De quo ſupra dictum eſt ſuo loco.

CAP.

Cap. VIII.

De Propoſitionibus Modalibus.

QUando in propoſitione aliqua, res non nude aſſeritur aut *eſſe*, non *non eſſe*; ſed cum *Modificatione* aliqua ſeu *Qualificatione* annexa, quæ *Copulam* afficiat: dici ſolet *Propoſitio Modalis*. Ut cum dicimus *Eſt certe*, *Forſan eſt*, cum ejuſmodi loquendi formulis innumeris.

Quarum quidem aliquæ ſunt (aut videntur eſſe) *Augmentativæ*, vehementius aſſerentes: Ut, *Eſt certiſſime*, *manifeſte*, *proculdubio*, &c. Quæ videntur plus dicere quam nudum *Eſt*. Aliæ *Diminutivæ*, vim aſſertionis mitigantes: Ut, *forſan eſt*, *videtur eſſe*, *fieri poteſt*, &c; qui *termini minuentes* ſunt, & minus dicunt quam nudum *Eſt*; incertitudinem aliquam innuentes.

Sed &, in communi loquela (quæ Rhetoricum potius quam Logicum verborum ſenſum exhibet,) ipſæ quæ videntur *Augmentativæ*, ſunt non raro potius *Diminutivæ*. Ut cum quærenti, *Num quid ita ſit?* qui categorice reſpondet *Eſt*; ſortius cenſebitur affirmare, quam qui dixerit *Eſt certe*, *proculdubio eſt*, &c. Solent enim hujuſmodi aſſeverationes, dubitantiam aliquam innuere; & cenſeri ſolent (hyperbolica locutione) *diffidentiam minuere*, magis quam *augere certitudinem*. Et, ſicut ante dictum eſt, de Univerſalitatis notis; *Omnibus hoc notum eſt*; *Nemo neſcit*; non aliud cenſentur ſignificare quam *Sciunt plurimi*. Sic, *Eſt certiſſime*, *proculdubio eſt*, &c, non tam *abſolutam certitudinem* innuunt quam *opinionem ſatis probabilem*. Minuſque dubitare cenſebitur qui ſimpliciter *Eſt* dicit, quam dicit *proculdubio eſt*.

Hujuſmodi *Modalium* propoſitionum (Copulam afficientium) quamquam magna ſit varietas, (ut cuique obvium erit, qui varias loquendi formulas notaverit:) Quatuor tamen ſunt quas, (ut præ cæteris notabiles,) ſelegiſſe videntur Logici; de quibus (cum de *Modalibus* agitur) diſerte loqui ſunt; cum quid *Neceſſarium*, *Contingens*, *Poſſibile*, aut *Impoſſibile*, eſſe dicunt.

Hos quatuor *Modos*, nonnunquam *Adverbialiter* exprimunt; ut *Homo neceſſario eſt Animal*; *Socrates eſt doctus Contingenter*; &c. Nonnunquam *Adjective*; ut *Neceſſe eſt*, *Hominem eſſe animal*; *Contingens eſt*, *Socratem eſt doctum*; *Poſſibile eſt*, *Ovem eſſe bicornem*; *Impoſſibile eſt*, *Hominem eſſe Lapidem*; &c. Nonnunquam aliis formulis tantundem ſignificatur: Ut ſi, pro *Neceſſario*, dicatur *fieri non poteſt quin ita ſit*: Pro *Contingente*; *non eſt neceſſe*; *ſecus eſſe poſſet*: Pro *Poſſibili*; *fieri poteſt*; *nihil impedit quin ſit*, Pro *Impoſſibili*: *non Poteſt eſſe*; *natura rei non permittit*: cum ſimilibus loquendi formulis. Non enim putanda eſt Logica pædanticam loquendi formulam affectare, ſed ſenſum dictorum conſiderare: Quæ tantundem ſignificant, pro eadem habentur propoſitione, utcunque varietur loquendi formula.

Per *neceſſarium*, intelligitur, *id quod non poteſt non eſſe*. Ut, *Hominem eſſe Animal*. Cum enim *Animalitas* ſit de eſſentia *Hominis*; neceſſe eſt, nec poteſt aliter eſſe, quin *Homo ſit animal*.

Per *Impoſſibile*, id quod *non poteſt eſſe*. Ut, *Hominem eſſe Lapidem*. Quippe cum ea ſit *Hominis* & *Lapidis* natura, ut alter *ſit*, alter *non* ſit, ſenſitivus: fieri non poteſt ut *Homo ſit Lapis*.

Per *Poſſibile*; id quod, (utut forte *non ſit*,) *poteſt* tamen (aut *poſſet*) *eſſe*. Ut, Poſſibile erat, *Ariſtotelem* (utut non fuerit) *fuiſſe Regem*.

Per *Contingens*; id quod, (utut forte *ſit*) *potuit* tamen (aut *poſſet*) *non eſſe*. Sic, Contingens eſt (non neceſſarium) *Alexandrum fuiſſe Regem*; & *Ariſtotelem fuiſſe Philoſophum*: Cum poſſet quidem ſecus eſſe.

Hi quatuor *Modi*, magnam cenſeri ſolent analogiam habere, cum quadruplici propoſitionum in Quantitate & Qualitate varietate. Puta, *Neceſſarium*, inſtar *Univerſalis Affirmativæ*: *Impoſſibile*, inſtar *Univerſalis Negativæ*: *Poſſibile*, inſtar *Particularis Affirmativæ*: *Contingens*, inſtar *Particularis Negativæ*.

Adeoque *Neceſſarium & Impoſſibile*, eſſe *contraria*: *Poſſibile & Contingens* (poteſt eſſe, poteſt non eſſe,) *Subcontraria*: *Neceſſarium & Poſſibile*; item *Impoſſibile & Contingens*; *Subalterna*: *Neceſſarium & Contingens*; item *Impoſſibile & Poſſibile*; *Contradictoria*.

Poſſuntque ſimiliter ad *Æquipollentiam* reduci, interventu Negativi *Non*, vario ſitu politi. Sic *non Neceſſarium*, eſt *Contingens*; & *non Contingens*, eſt *Neceſſarium*: *non Impoſſibile*, eſt *Poſſibile*; *non Poſſibile*, eſt *Impoſſibile*. Item *Neceſſarium*, eſt *Impoſſibile non eſſe*; *Impoſſibile*, *Neceſſarium non eſſe*; *Poſſibile*, eſt *Contingens non eſſe*; *Contingens*, eſt

Poſſibile

Poſſibile non eſſe: Denique *Neceſſarium*, eſt *non Poſſibile non eſſe*: *Impoſſibile*, eſt *non Contingens non eſſe*. Secundum Æquipollentium regulam ante traditam,

Præ *Contradict*: Poſt, *Contrar*: Præ poſtque, *Subaltern*.

Similesque ſubeunt *Converſionum* leges; ſecundum regulam ante traditam.

E, I, *ſimpliciter* convertitur. E, A, *per Acci*.

A, O, *per contra*.

Puta; ſi *Impoſſibile eſt, hominem eſſe Lapidem*; tum *Impoſſibile eſt Lapidem eſſe hominem*: Si *Poſſibile eſt, Regem eſſe Philoſophum*; *Poſſibile eſt, Philoſophum eſſe Regem*: quæ ſunt converſiones *Simplices*. Item, ſi *Neceſſarium eſt, Hominem eſſe animal*; *Poſſibile eſt, animal eſſe hominem*: Si *Impoſſibile eſt Hominem eſſe Lapidem*; tum *ſaltem contingens* (non neceſſarium) *eſt, Lapidem eſſe hominem*: Quæ ſunt converſiones *per accidens*. Denique, Si *Neceſſarium eſt, Hominem eſſe animal*: tum *Neceſſarium eſt, ut non-animal ſit non-homo*; (ſive, ut *quod non eſt animal, non ſit homo*:) Si *Contingens eſt, Hominem eſſe Philoſophum*; tum *Contingens eſt, non-philoſophum eſſe non hominem*, (ſeu, *non eſt neceſſarium, ut qui non ſit philoſophus, non ſit homo*:) Quæ ſunt converſiones *per* contrapoſitionem.

Notandum hic, *Contingens* ea notione ſumi qua opponitur *Neceſſario*; ut id ſignificet, quod *poſſit non eſſe*; (adeoque non excludit *Impoſſibile*:) non ea notione qua opponitur *Impoſſibili* (ut id ſignificet quod *poſſit eſſe*;) quo ſenſu, non *Contingens* dicimus, ſed *Poſſibile*.

Eſt tamen alius ſenſus quo ſumitur aliquando *Contingens*; pro eo quod aut *eſſe* poſſit aut *non eſſe*. Atque ſic opponi ſolent *Materia neceſſaria*, & *Materia contingens*: Ut, cum dicitur, de propoſitione *Indefinita*; quod *in materia neceſſaria*, cenſeri ſolet pro *Univerſali*; ſed, in *materia contingenti*, pro *Particulari*. Utpote, *Homo eſt animal*; *Homo non eſt Lapis*; tantundem eſſe, ac *Omnis homo eſt animal*; *Nullus homo eſt Lapis*. At *Homines ſunt docti*; *Homines non ſunt docti*; tantundem eſſe ac *Aliqui homines ſunt*; *Aliqui homines non ſunt, docti*. Ubi per *materiam neceſſariam* intelligunt tum quod neceſſe eſt *eſſe*, tum quod neceſſe eſt *non eſſe*. Adeoque comprehendit tum *Neceſſarium* quod diximus; tum *Impoſſibile*. Per *materiam contingentem*; quod nec *eſſe* neceſſe eſt, nec *non eſſe*; ſed *aut eſſe* poteſt *aut non eſſe*. Quod itaque includit tum *Poſſibile*, tum *Contingens*. Sed, in recenſendis *Quatuor Modalibus*; *Neceſſarium* & *Impoſſibile* haberi ſolent pro duobus *Modis*, (utut uterque ſit in materia *neceſſaria*:) Item *Poſſibile* & *Contingens*, pro duobus aliis: utut uterque ſit in materia *Contingenti*.

Jam, in omni *propoſitione Modali*; duas aſſignant partes, quas vocant *Dictum* & *Modum*. Ut in hac, *neceſſe eſt hominem eſſe animal*; (aut *Homo eſt animal neceſſario*:) *Dictum* vocant, id quod principaliter aſſeritur, (*Homo eſt animal*:) *Modum* vero, qui dicit qualiter aſſeritur, (*neceſſario*.) Et quidem, non unquam, eſt cur *concedamus dictum*, ſed *negemus modum*: utpote ſi dicatur *Socrates eſt Philoſophus neceſſario*; aut *neceſſarium eſt Socratem eſſe Philoſophum*; Quamquam enim verum ſit, *Socratem eſſe Philoſophum*; non tamen ita eſt *Neceſſario*, ſed *Contingenter*; potuiſſet enim ſecus eſſe. Si autem utrumvis falſum ſit, juſte negabitur Modalis propoſitio.

Item Modalis hæc eſt, 1 Tim. 1. 15. *Fidelis eſt ſermo & omni acceptatione dignus, quod Chriſtus Jeſus venit in mundum ut peccatores ſervaret*. In qua *Dictum*, eſt, *Chriſtus Jeſus venit in mundum, ut peccatores ſervaret*. *Modus* autem, *Fidelis ſermo & omni acceptatione dignus*. Quippe quod, de illo *Dicto*, per copulam *eſt*, affirmatur.

Propoſitiones *Modales*, duplicem ſubeunt conſiderationem; prout vel *Dictum* vel *Modus* præcipue attenditur. Verbi gratia, *Poſſibile eſt, omnes homines albos eſſe*.

Si *Dictum* præcipue attenditur: tum (hac conſideratione) Subjectum eſt *Homines*; Prædicatum, *Albi*; Qualitas *Affirmativa*; Quantitas *Univerſalis*. (Quippe ita eſt in *Dicto*; *Omnes homines ſunt Albi*.) Atque tum quidem, Modus (*poſſibile eſt*) habebitur pro parte *Syncategorematica*, ſeu accidentali & extranea, reſpectu habito ad ſubſtantiam (ut loquuntur) propoſitionis; quæ eſt *Univerſalis Affirmativa*, ſed *cum incertitudine* propoſita.

Sin præcipue attenditur *Modus*: Tum (ſecundum hanc conſiderationem) Subjectum propoſitionis, eſt *Dictum*, (*omnes homines ſunt albi*;) Prædicatum, eſt *Modus*, (*neceſſarium*,) quod (per Copulam *Eſt*) de Subjecto affirmatur. Eſtque, ſi Qualitatem ſpectes, *Affirmativa*: Si Quantitatem, *Singularis*, (atque, ut ſic, *Univerſalis*;) nam de *unica* Propoſitione individua, affirmatur Prædicatum, *Poſſibile*. Quippe Quæſtio hic eſt; non, an Verum ſit an Falſum; ſed an *Poſſibile* ſit an *Impoſſibile*, ut *Omnes homines ſint Albi*.

Similiter in hac; *Contingens eſt, quod aliqui homines ſint Nigri*; ſeu *Quod aliqui ſint nigri, eſt Contingens*. *Dictum* quod vocant, eſt Propoſitio *particularis affirmativa*, (*aliqui homines ſunt nigri*;) de qua quidem (ut ſubjecto ſingulari, aut individuo) Affirmatur (Prædicatum) *Contingens*. Adeoque tota ſimul Propoſitio eſt *Singularis Affirmativa*.

Sin diceretur, *non eſt Poſſibile*; aut *non eſt Contingens*; aut *non eſt Impoſſibile*, aut *non eſt Neceſſarium*: fuiſſet *Singularis Negativa*.

I Eſtque

Eſtque hæc quidem vera Analyſis Propoſitionum *Modalium*: Ubi *Dictum* (ſive Affirmativum ſit, ſive Negativum; Univerſale, aut Particulare,) eſt ſemper *Subjectum ſingulare*: *Modusque* eſt *Prædicatum*; quod, prout de illo Dicto vel Affirmatur vel Negatur, ſic vel Affirmativa eſt vel Negativa, hæc (ſingularis) Propoſitio.

Nec tamen hoc impedit quin ea maneat (quam ante diximus) Analogia ſeu Conformitas quam habent hi Modi quatuor, *Neceſſarium*, *Poſſibile*, *Contingens* & *Impoſſibile*, cum propoſitionibus, *Univerſali Affirmativa*, *Particulari Negativa*, *Particulari Affirmativa*, & *Univerſali Negativa*: Hæc enim conſideratio non reſpicit modalem propoſitionem, ut eſt integra Propoſitio; ſed modos ipſos ſeparatim conſideratos, qui ſunt Propoſitionum harum *Prædicata* Quæ non aut Quantitatem aut Qualitatem totius propoſitionis determinant.

Atque ſic quidem Logici exercuerunt ingenia ſua, in excogitandis hiſce Modalium Propoſitionum varietatibus: Sed, utplurimum, ſatis confuſe. Quodque potiſſimum erat notandum, (*Propoſitiones omnes haſce, Singulares eſſe; ſive Affirmativas ſive Negativas*;) vix aut ne vix notaverint (quantum memini) plerique omnes. Multaſque adhuc poſſent excogitaſſe varietates.

Summa rei huc redit. Quando integra aliqua Propoſitio, fit alterius Propoſitionis *Subjectum*; (hoc eſt, quando de integra propoſitione affirmatur aliquid aut negatur:) fit (quæ dici ſolet) *Modalis propoſitio*. Quæ quidem propoſitio (de qua aliquid ſic affirmatur aut negatur) *Dictum* vocatur; eſtque (Propoſitionis Modalis) *Subjectum*. Quod de ea affirmatur vel negatur, *Modus* vocatur; eſtque (propoſitionis modalis) *Prædicatum*. Et prout hic *Modus* de *Dicto* illo, aut Affirmatur aut Negatur, ſic *Modalis* illa propoſitio eſt vel *Affirmativa* vel *Negativa*. Et quoniam *Dictum* illud (quod fit Subjectum propoſitionis modalis) eſt una (*individua*) propoſitio (quamcunque habeat quantitatem aut qualitatem) Modalis illa ſemper eſt *Singularis*. Atque hoc eſt quod prupoſitionem *Modalem* ſpectat, integre conſideratam.

Sed, (ut aliarum omnium, ſic) *Modalis* hujus propoſitionis; tum Subjectum, tum Prædicatum, (quorum utrumque, ratione totius propoſitionis, cenſendi ſunt *ſimplices termini*,) poſſunt ſeparatim conſiderari; magnamque admittunt varietatem.

Si *Subjectum* ſeparatim conſideretur, (quod *Dictum* vocant, eſtque per ſe propoſitio;) hæc *una* Propoſitio, poteſt eſſe *quælibet una*; (quippe nulla eſt propoſitio, de qua non poſſit aliquid aut Affirmari aut Negari;) adeoque omnium varietatum capax eſt, quarum capax eſt propoſitio. Poteſt (inquiunt) eſſe *Affirmativa*, aut *Negativa*; & harum utraque vel *Univerſalis* vel *Particularis*. Addere potuiſſent (ſi id lubitum eſſet) *Indefinita* vel *Singularis*. Addas licet (ſi ea non ſit ſatis numeroſa varietas) Poteſt eſſe *Categorica*, vel *Hypothetica*. Poteſt eſſe *Latina*, *Græca*, *Hebræa*, *Anglica*, &c. Poteſt item vel *Longa* eſſe, vel *Brevis*; unius, duarum, trium, decem, centum, milliumve vocum. Quæ omnes (aliæque multæ) cum ante dictis combinatæ, innumerabiles procreabunt diverſitates. Sed, ex his omnibus, contenti ſunt Logici ſaltem Quadruplicem aſſignare varietatem; prout eſt propoſitio vel *Univerſalis Affirmans*, vel *Univerſalis Negans*, vel *Particularis Affirmans*, vel *Particularis Negans*: quas literis A, E, I, O, deſignant.

Si *Prædicatum* ſeparatim conſideremus (quem *Modum* vocant,) etiam hic magna eſt Varietas. (Quippe innumera ſunt quæ de hac aut illa propoſitione dici poſſunt.) Sed ex omnibus, ſaltem quatuor ſeligunt: Nempe, quod *Dictum* illud (ſeu id quod Dicitur) dici poſſit *Poſſibile*, *Contingens*, *Impoſſibile*, aut *Neceſſarium*. Hoc eſt, Quod *eſt*, aut *non eſt*, Poſſibile, *eſſe*, aut *non eſſe*. Si poſſibile eſt *eſſe*, vocant *Poſſibile*; Si poſſibile eſt *non eſſe*, vocant *Contingens*: Si *non eſt* poſſibile *eſſe*, vocant *Impoſſibile*; Si *non eſt* poſſibile *non eſſe*, vocant *Neceſſarium*.

Sed eadem caſuum varietas (quamvis id diſerte notari non ſoleat,) de aliis item Prædicatis. Utputa, ſi pro *Poſſibile* diceretur, *Notum*, aut *Creditum*, aut aliud ſimile. Nempe, eſt, aut non-eſt, *Notum*, eſſe, aut non-eſſe. Eſt, aut non-eſt, *Creditum*, eſſe, vel non-eſſe. Totidem enim hic caſus ſunt quot de *Poſſibilitate* ante oſtenſum eſt. Nec abſimiliter, quando dicitur, ſunt qui *quærunt & inveniunt*; ſunt qui *quærunt & non inveniunt*: ſunt qui *inveniunt & non quærunt*; ſunt qui *nec quærunt nec inveniunt*. Et quidem univerſaliter, Bina quæpiam, cum Binis aliis combinata, faciunt combinationes quatuor. Puta, *A*; *non-A*: *B*; *non-B*. Nempe, *A*, *B* *A*, *non-B*. *B*, *non-A*. *non-A*, *non-B*.

Adeoque putaverim, *quatuor Modos* vulgo dictos; habendos eſſe tanquam *Exemplum*, (ſive, ut loquuntur, *Inſtantiam*,) hujuſmodi varietatum, in aliis itidem combinationibus occurrentium, (ad exercendam juniorum ſagacitatem excogitatos;) non, ut integram *Modalium* tractationem. Aut imperfectam eſſe, dicendum erit, *Modalium* tractationem; ſi ad hos quatuor modos determinetur: Quippe aliæ ſunt innumeræ Propoſitiones *Modales*.

Cap. IX.

De Propoſitionibus Excluſivis, Exceptivis, Reduplicativis, Variiſque propoſitionum Suppoſitionibus.

ALiæ adhuc Propoſitiones ſunt, quæ Modalibus affines videantur, quas vocant (nomine barbaro) Propoſitiones *Exponibiles*; ut quæ non ita clare rem exprimant quin *Expoſitione* aliqua indigeant.

Omnes autem hujuſmodi Obſcuras propoſitiones aut loquendi formulas, particulatim enumerare & explicare; operoſum eſſet: adeoque ſuæ cujuſque ſagacitati atque prudentiæ relinquendum eſt, de vero ſignificatu variarum in ſingulis linguis loquendi formularum, judicium facere. Paucas tamen, quæ à Logicis notari ſolent, hic attingam; ut, ad imitationem harum, de aliis fiat judicium.

Propoſitio *Excluſiva*, dicitur ea quæ per excluſivam aliquam particulam enunciatur; quales ſunt *ſolum*, *tantum*, *unicus*, *præciſe*, *adæquate*, atque harum ſimiles. Quæ quidem particulæ (nunc Prædicato nunc Subjecto adhærentes) quanquam videantur Affirmativæ (atque, ab incautis, pro talibus non raro cenſeantur;) ſunt revera Negativæ. Utputa, cum dicimus, *Sol unicus eſt*, ſeu *tantum unus*; tantundem eſt acſi diceretur, *Non ſunt plures quam unus.* Item *Elementa ſunt tantum quatuor*, ſeu *præciſe quatuor*; hoc eſt, *non plura, quam quatuor*; aut etiam, *nec pauciora.*

Nec tamen hæ ſemper faciunt Propoſitionem Negativam, (vel etiam Excluſivam;) ſed quando Subjecto adhærent, adeoque afficiunt Copulam. Ubi enim adhærent Prædicato, faciant licet hunc *terminum* negativum; non tamen *negativam propoſitionem* faciunt, quæ alias foret affirmativa. Adeoque minus inde periculi eſt ne perperam intelligatur propoſitio. Sive enim dixerim, *Elementa ſunt quatuor*, ſive *tantum quatuor*, aut *quatuor præciſe*, (neque plura neque pauciora;) Propoſitio utcunque eſt Affirmativa, licet Prædicatum (in poſterioribus formulis) ſit *terminus negativus.*

Quando autem Subjectum ſic afficit excluſiva particula, ut etiam afficiat Copulam; *Propoſitionem* reddit *Excluſivam*; adeoque Negativam; quæ Affirmativæ ſpeciem referre videatur. Sic, ſi dixerim; (*Ex planetis omnibus*,) *ſolus Sol per ſe lucet*, (aut *lucem habet de ſuo*:) ſenſum ſi ſpectes, eſt Negativa propoſitio; huic æquipollens, *Nullus planetarum* (*excepto ſole*) *lucem habet de proprio*; (ſed à Sole mutuatitiam reliqui omnes.)

Propoſitio *Exceptiva* dici ſolet, quæ fit per exceptivam aliquam particulam, aut quæ huic æquipollet.

Atque hic etiam, ſi Prædicatum tantum afficiat, minus eſt periculi. Utputa ſi dixero, *Diluvium ſuſtulit humanum genus univerſum, exceptis octo hominibus*: (aut *omnes homines præter octo*:) Propoſitio eſt Affirmativa, ejuſque Subjectum, *Diluvium*; non minus quam ſi exceptio illa non foret. Sed Prædicatum inde patitur diminutionem; ſaltem in ſui parte aliqua. Pariter, ſi diceretur, *Qui diluvio perierunt homines*, fuerunt, *Omnes præter octo*: Propoſitio itidem Affirmativa eſt; Subjectum habens *Qui diluvio perierunt homines.* Sed Prædicatum exceptionem patitur.

Sin Exceptio directe afficiat Subjectum; fit *Exceptiva propoſitio.* Puta, ſi dicatur *Omnes homines, præter octo, diluvio perierunt.* Ubi Prædicatum (*diluvio pereuntes*) affirmatur univerſaliter de *Omnibus hominibus*; non quidem Abſolute, ſed cum hac limitatione, (ſeu modificatione) *præter octo.*

Si tamen malit quiſpiam, etiam hic, non tam dicendam eſſe *Propoſitionem Exceptivam*; quam, propoſitionis *Subjectum*, eſſe *exceptivum Terminum*: Ego non repugno. Imo ſic omnino dicendum videtur. (Quanquam alii Propoſitionem Exceptivam dixerint, quo ſenſu Singularem dicunt, cujus Subjectum eſt Singulare.) Sed tum dicendum erit Subjectum illud non eſſe (ut prius cenſebatur) *omnes homines* (de quibus non niſi limitate affirmatur prædicatum;) ſed *omnes homines præter octo*: Atque, de his quidem, Univerſaliter dicitur, quod *diluvio perierint.*

Notandum hic; quod, in una eademque propoſitione, occurrunt nonnunquam Exceptiones (ſeu Limitationes) plures. Ut, ſi dicatur, (Numb. 14. 29. Deut. 1. 35.) *Iſraelitarum nulli, qui Ægypto egreſſi ſunt adulti viri, ingreſſi ſunt terram Canaan, ut illam poſſiderent, exceptis Calebo & Joſhua*: Propoſitio hæc eſt *Univerſalis Negativa*; non tamen de *omnibus hominibus*, ſed *ſaltem Iſraelitis*; neque de *his omnibus*, ſed de *egreſſis ex Ægypto*; neque de omnibus inde egreſſis, ſed qui *adulti* egrediebantur, (puta, qui nati erant *annos ſaltem viginti*, cum exierunt inde;) & quidem *adulti viri*, (nam, de fœminis, neſcio an

idem dicendum ſit;) neque de his viris omnibus, ſed, *præter Calebum & Joſhuam*, reliquis. Atque de his *reliquis*, univerſaliter prædicatur (negative) quod non ita ſunt ingreſſi terram Canaan. Nam de *natis in eremo*, id non negatur; nec de eis qui Ægypto exierunt *pueri* aut *minorennes*, aut forte *adultæ fœminæ*, (quippe *marium* tantum recenſio facta eſt Numb. 1. 2.) Neque de *Calebo & Joſhua*, qui Ægypto exierunt *adulti*. Porro, in Prædicato, occurrit adhuc exceptio alia; nempe, *ut eam poſſiderent*. Nam, *ſpeculatum* ingreſſi ſunt exploratores reliqui (qui malum rumorem de terra bona retulerunt) ſed non ut *poſſiderent*: Et pariter judicandum de aliis Propoſitionibus Exceptivis, aut limitate prolatis.

Propoſitio *Reduplicativa* dici ſolet, quando Subjectum repetitur cum voce *quatenus*, (aut quæ huic æquipolleat.) Ut, *Homo qua homo eſt rationalis*. Atque hæc propius accedit ad *Modalium* naturam (quam Excluſiva vel Exceptiva:) quoniam hæc *reduplicatio* directe afficit *Copulam*. Dicitque non ſolum *ſic eſſe*, ſed *qua ratione ſic eſt*.

Reduplicatio hæc, quando repetitur totum Subjectum, dici ſolet, Reduplicatio *Uniformis*: Ut *Homo quatenus homo*, aut *Homo qua talis*, aut *Homo quatenus ſic*. Eſtque hæc *eſſentialis prædicatio*: Hoc eſt, Prædicatum eſt (aut reputatur) de Eſſentia Subjecti: ut *Rationalitas* de eſſentia *Hominis*, cum dicitur *Homo qua homo eſt Rationalis*. Atque hinc dictum illud, *A quatenus ipſum, ad, De omni, valet conſequentia*. Hoc eſt, *Quod homini* (verbi gratia) *competit, quatenus eſt Homo; id competit omni homini*. Eſtque hæc potiſſima Reduplicatio.

Reduplicatio *Difformis*, ea dicitur, in qua repetitur Subjectum ſed cum alia (ut loquuntur) *Formalitate*. Ut, *Homo, quatenus animal, ſentit*. Hanc ego *Specificativam* potius dixerim, quam *Reduplicativam* propoſitionem. Quoniam Prædicatum non hic affirmatur de ſubjecto (abſolute) *quatenus tali*; ſed ſub alia conſideratione quæ in ea Reduplicatione *Specificatur*. Ut cum dicimus, *Socrates eſt Rationalis, quatenus Homo; Sentit, qua Animal; Nutritur, qua Vivens; Diſputat, quatenus Philoſophus; eſt Albus, quantum ad Dentes; Niger, quantum ad Crines; Mortalis, quantum ad Corpus; Immortalis, quantum ad Animam*: & pariter in ſimilibus. Quæ quidem ſunt totidem *Specificationes* plurium capacitatum, ſecundum quas Prædicatum Subjecto competit. Atque hic (ut in Modalibus aliis) ſufficit ad negationem Propoſitionis, ut ut *Dictum* verum ſit, ſi non ſit verum *ſub hac reduplicatione*. Ut, ſi dicatur *Socrates eſt rationalis quatenus Animal*; Negaverim hanc propoſitionem veram eſſe; quoniam, eſt quidem *Rationalis*; at non *quatenus animal*, ſed *quatenus eſt Homo*.

Huc referas Diſtinctionem illam inter *Reduplicative* & *Specificative* ſumptum, quam voci *Qui* (& ſimilibus) accommodare ſolent. Ut cum dicitur, *Homines, qui Animalia ſunt, ſenſibus imbuuntur*: &, *Homines, qui prudentes ſunt, non facile decipiuntur*. In priori, vocem *Qui* dixeris *Reduplicative* intelligendam eſſe; in poſteriori, *Specificative*. Nempe, *Homines* (*utpote qui Animalia ſunt*) *ſenſibus imbuuntur*: Et *Hominum ii, qui prudentes ſunt, non facile decipiuntur*.

Multæ ſunt aliæ Diſtinctiones, paſſim adhibitæ, de vario ſignificatu vocum, & formularum loquendi. Ut, ſi dicatur *Homo eſt diſſyllabum*; Vox *Homo* (dicunt) *ſupponit materialiter*. Si dicatur *Homo eſt Animal*; *Supponit* (inquiunt) *formaliter*. Ubi (ut de puritate Latinitatis nihil dicam) id volunt; quod prius illud intelligendum eſt de ipſa voce *Homo*; Poſterius, de Re per illam vocem ſignificata.

Similiter, cum vox *Vulpes* uſurpatur pro Quadrupede ſic dicto; dicunt *Supponit proprie*; hoc eſt, uſurpatur in proprio ſuo ſignificatu. Cum uſurpatur pro homine vafro & aſtuto; dicunt *ſupponit improprie*; hoc eſt, improprie ſumitur, ſenſu metaphorico & figurato. Similiterque alias (quas vocant) *Suppoſitiones* varie diſtinguunt.

Atque ut in vocibus ſimplicibus, ſic in Syntaxi vocum conjunctarum, occurrunt ambiguitates variæ. Ut cum dicitur *Poſſibile eſt ſedentem ſtare*. Quod verum eſſe dicunt *in ſenſu diviſo*, ſed non *in ſenſu compoſito*; Hoc eſt, Poſſibile eſt ut, qui jam ſedet, alio tempore ſtet; ſed non ut (eodem tempore) ſtet dum ſedeat.

Similiter in captioſa illa propoſitione, (qua multum ſibi placere video aliquos) *Poteſt Deus facere quicquid poteſt facere*. Unde inferre ſatagunt, aut *limitatam eſſe potentiam Divinam ad res aliquot finitas*; (quod non eſt dicendum:) aut *poſſe Deum facere res infinitas* (puta, numero, magnitudine, dignitate, viribus, &c.) Atque hinc concluſum volunt; *Poſſe deum facere creaturam infinitam*. Sed argumentatio eſt Captioſa. Dico, enim, propoſitionem illam veram eſſe *diſtributive* ſumptam; (hoc eſt nihil eſt eorum quæ poteſt facere, quin id poſſit facere: ſeu, nihil eſt poſſibile, quod Deus non poteſt facere:) ſed non *Collective* ſumptam: hoc eſt, non poteſt Deus tot & talia facere, ut, cum hæc facta fuerint, non poſſit deinceps quicquam facere. Quippe hoc eſſet, Potentiam infinitam exhauriri poſſe: quæ eſt Contradictio in adjecto.

Poſſuntque aliæ innumeræ, tum in vocibus ſimplicibus, tum in orationis contextu, Ambiguitates oriri; quas omnes enumerare infiniti eſſet laboris. Et quidem nova nomina comminiſci, quibus appellentur oppoſita diſtinctionum omnium membra (tollendis his ambiguitatibus apta) ut à ſe mutuo diſterminentur; tum inſuperabilis eſt laboris, tum inutilis

plane. Mentemque magis perplexam redderet, quam rebus elucidandis inſerviret. Sufficit, ut mens ſagax, diſtincta rerum cognitione imbuta, perpendat, pro re nata, quo ſenſu quæ dicuntur intelligenda ſint; & quouſque vel admittenda ſint, vel rejicienda.

CAP. X.

De Propoſitionibus Hypotheticis.

HYpothetica Propoſitio (ſtricte ſumpta) eadem eſt cum *Conditionali*; qua quid non Abſolute affirmatur aut negatur, ſed ex Hypotheſi, ſeu ſub conditione. Ut, *Si Sol ſit ortus, dies eſt.*

Ubi ſunt duæ propoſitiones Categoricæ; per *Si* (*Conjunctionem Conditionalem*) connexæ: Sed neutra quicquam aſſerit *Abſolute*; aut *Solem eſſe ortum*, aut *diem eſſe*: Sed, *ſub conditione*; (*Si* illud, *tum* hoc.) Nihilque directe Affirmatur, præter unius cum altera *connexionem*. Eſtque Aſſertio Affirmativa, ſub Conditione Affirmativa.

Sic, *Si Sol ortus eſt, non eſt nox.* Ubi eſt, ſub conditione Affirmativa, Aſſertio Negativa.

Item, *Si Sol non ſit ortus, nox eſt.* Ubi Conditio eſt Negativa, Aſſertio Affirmativa.

Denique, *Si Sol non ſit ortus, non eſt dies.* Ubi, ſub conditione Negativa, fit negativa Aſſertio.

Quarum Prima & Tertia (quarum Aſſertiva pars eſt affirmativa, *Dies eſt*, *Nox eſt*;) non dubium eſt quin ſint Propoſitiones Affirmativæ, (ſaltem Modales.) Nam Aſſertiva pars, Affirmativa eſt; & Partium connexio, item Affirmatur. Et quamquam, in Tertia, Conditio ſit Negativa (*Si Sol non ſit ortus*;) hæc tamen nihil *ponit*, ſed *ſupponit*; Adeoque, ne Propoſitio quidem eſt, eo ſenſu quo jam loquimur; quia nihil inibi vel Affirmatur vel Negatur, ſed tantum Supponitur.

Secunda & Quarta; (ubi Aſſertiva pars eſt negativa; *non eſt Nox*; *non eſt Dies*;) duplicem ſubeunt conſiderationem. (Sicut de Modalibus ſupra monitum eſt.) Si partem *Aſſertivam* ſpectemus; eſt *Negativa* propoſitio, (eo ſenſu quo Modalem dicimus negativam, in qua *Dictum* eſt negativum;) ſed *conditionate negativa*, non abſolute. Eſtque revera *Modalis* propoſitio; cujus Negatio *modificatur* ſecundum conditionem præfixam. Si vero *Connexionem* ſpectemus; hæc Affirmatur; eritque, hac conſideratione, Propoſitio *Affirmativa*; ut ſunt Modales illæ, in quibus Affirmatur *Modus*, de *Dicto* forſan Negativo. Eſtque hæc potior conſideratio.

Conditio (in propoſitionis parte Conditionali) dici ſolet *Antecedens*. *Aſſertio* (ſeu propoſitionis pars Aſſertiva) *Conſequens* dici ſolet. Partiumque inter ſe *Connexio*, dici ſolet *Conſequentia*. Et particula connectens, *Copula* propoſitionis hypotheticæ.

Cumque hæc *Conſequentia*, in Hypothetica propoſitione, potiſſimum ſpectetur; prout hæc vera eſt aut falſa, ſi cenſenda eſt Propoſitio Vera aut falſa. Sic ubi dicitur, *Si Sol oritur, dies eſt*; vera eſt propoſitio (propter veritatem Conſequentiæ,) etiamſi nec *Antecedens*, nec *Conſequens*, verum ſit; hoc eſt, etiamſi needum *Sol ortus ſit*, needum *dies ſit*. Contra vero; etiamſi vel Antecedens, vel Conſequens, vel utrumque, verum ſit; falſa tamen eſt propoſitio, ſi *Conſequentia* vera non ſit. Puta, *Si Alexander ſit Homo, tum Bucephalus eſt Equus*: merito neganda erit, quamvis utrumque verum ſit (Alexandrum eſſe Hominem; & Bucephalum eſſe Equum:) quia nulla eſt earum inter ſe connexio; aut hujus ad illud conſequentia. Non enim inde ſequitur, *Bucephalum eſſe Equum*, ſi *Alexander ſit Homo*. Poteſt quidem eſſe illud, ſi hoc eſt; ſed non inde certo ſequitur.

Hinc liquet, quid ſit propoſitionem Hypotheticam negare; ſeu (quod tantundem eſt) ipſius Contradictoriam ponere. Nempe, *Copulam* negando; adeoque Conſequentis ab Antecedente ſequelam. Aut, ſi copula ante fuerit negata, negando hanc negationem, adeoque Copulam affirmando.

Verbi gratia, *Alexander, ſi fortis ſit, vincet.* Hujus Negatio (ſeu contradictoria hujus) non erit, *Si fortis ſit, non vincet*; (Quippe hæc *Contraria* potius cenſenda eſt, quam Contradictoria; poteſtque utraque eſſe falſa.) Neque, *Si fortis ſit, vincere poteſt*, aut *forſan vincet*; (Quippe hæc eſt ejus *Subalterna*, eritque à fortiori, vera ſi illa vera ſit.) Neque, *Si non ſit fortis, non vincet*: (Hæc utique eſt ejus *Subcontraria*; poteſtque utraque vera eſſe.) Sed *Contradictoria* erit (negando copulam ſeu connectionem) *Non, ſi fortis eſt vincet*. Quod pluribus verbis eodem ſenſu dicitur, *Non ſequitur, eum certo victurum eſſe ſi fortis ſit*; vel, *Fieri poteſt, ut non vincat, etiamſi fortis ſit.*

Sic illud Virgilii; Æneid. Lib. 2.

> ——*Non, ſi miſerum fortuna Sinonem*
> *Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget*;

Eſt

Eſt contradictoria hujus, (& hæc illius.).

——Si miſerum fortuna Sinonem

Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.

Ubi Affirmativæ ſenſus hic eſt; *Si miſer eſt Sinon, erit & mendax.* Cujus contradictoria eſt, *Non, ſi miſer, tum mendax*: hoc eſt, *Quamvis miſer eſt, non tamen mendax erit*; ſaltem, *non inde ſequitur, eum mendacem eſſe*: ſeu, *poteſt eſſe verax, etiamſi miſer ſit.* Nam his modis omnibus (eodem ſenſu) illi propoſitioni contradicitur, ſeu conſequentia negatur. Atque huic demum, *Verax eſſe poteſt etiamſi miſer*; contradictoria erit, *non poteſt eſſe verax, ſi miſer.*

Quæ ut rectius intelligantur; notandum eſt, hujuſmodi *Connexionem Hypotheticam*, vim habere *Univerſalis Affirmativæ*, ſi Conſequens Affirmativum ſit; aut *Univerſalis Negativæ*, ſi conſequens ſit negativum. (Niſi & hanc Affirmativam dixeris, propter Copulam Affirmatam, cum Conſequente Negativo: ſicut *omnis lapis eſt non animal*, pro *nullus lapis eſt animal.*) Puta, *Si—, tum ſic*; perinde valet (hac conſideratione) atque *Omnis. Si—, tum non*; perinde ac *Omnis non*, ſeu *Nullus. Non, ſi hoc tum illud*; perinde ac *Non omnis*, ſeu *Aliquis non. Non, ſi hoc tum non*; perinde ac *Non omnis non*, ſeu *Aliquis.* (Nam *Si*, univerſaliter ſumendum eſt; quaſi tantundem valens atque *Omni caſu quo.*) Atque inde judicium ſumendum eſt, de *Contrariis*, *Subcontrariis*, *Subalternis*, & *Contradictoriis*, ſecundum *Oppoſitionum* & *Æquipollentiæ* regulas ſupra-traditas.

Sed & Converſionum Regulæ hic locum habent; puta, *Alexander, ſi fortis ſit, vincet*; convertitur per Contra-poſitionem in hanc; *Si non vincet, non eſt fortis.* Aut, per Accidens (ut loquuntur) ſeu diminutionem quantitatis, in hanc, Ergo, *unus vincendi caſus eſt, ſi ſit fortis* Similiter hæc, *Si Alexander non ſit fortis, non vincet*; (quam etiam Affirmativam, ſi libet, dicas; propter Copulam Affirmatam, ſed de conſequente Negativo;) quam ſic convertas per Contra-poſitionem; Ergo, *ſi vincet, fortis eſt*: vel, per diminutionem Quantitatis, *Unus non vincendi caſus eſt, ſi non ſit fortis.* Atque hactenus de Hypothetica proprie dicta, ſeu Conditionali.

Aliæ ſunt propoſitiones, quæ licet non ſunt (ſtricte loquendo) Conditionales; à Conditionali tamen tantillum diſtant.

Ut, *Temporalis* propoſitio, ubi connexio fit per Adverbium Temporis; ut *Quando Sol ſplendet, dies eſt.*

Et, *Localis*; quando connexio fit per Adverbium Loci; ut, *Ubi Sol ſplendet, dies eſt.*

Atque has duas, ſive *Hypotheticas* dixeris, ſive Hypotheticis *Affines* perinde eſt: nam ut illa *Caſum* reſpicit (per Conjunctionem *Si*;) ſic hæ *Tempus* & *Locum* reſpiciunt, per Adverbia *Quando* & *Ubi*.

Sed & has omnes, levi negotio, ad *Categoricas Univerſales* reducas; parum detortas, ut ſunt quas *Crypticas* vocant, aut *Oblique* propoſitas. Nam *Quando* tantundem hic valet ac *Omni tempore quo. Ubi*, tantundem ac *Omni loco quo.* Et *Si*, tantundem ac *Omni Caſu quo.* Et quidem ſi (pædantice) reductas velis ad pure Categoricas (abſque vel Crypſi vel Involutione;) pro *Quando; Ubi, Si, Sol ſplendet, dies eſt*; dicas explicite, *Omne tempus quo Sol ſplendet, eſt tempus quo dies eſt*: *Omnis locus quo Sol ſplendet, eſt locus quo dies eſt*: *Omnis Caſus quo Sol ſplendet, eſt caſus quo dies eſt.* Quæ ſunt Categoricæ propoſitiones Univerſales, ſtrictiſſimo ſenſu, abſque ulla Crypſi vel Involucro.

Atque hoc explicite monendum duxi (tanquam rem non omnibus obviam) ut oſtendam has Propoſitiones Hypotheticas, ſi ſenſum ſpectes, nihil differre à puris Categoricis; ſed variis ſolummodo loquendi formulis: hoc eſt, non Logica, ſed Grammatica tantum, conſideratione differunt.

Propoſitio *Cauſalis* eſt ubi connexio fit per Conjunctionem Cauſalem; ut *Quia ſol oritur, dies eſt.* Eſtque hæc ejuſdem fere naturæ cum aliis Hypotheticis. Conditionem enim involvit, ſed porro aliquid inſuper. Nam *Quia* plus innuit quam *Si.* Nec nudam *Conſequentiam* affirmat (quæ Hypotheticæ ſufficit) ſed *Cauſalitatem* inſuper. Nuda Hypothetica, dicit, *Si hoc, tum illud ſequitur*; ſed Cauſalis, modum ſuperaddit; *ſequitur naturaliter*, aut *eſſentialiter*, ſeu *ut effectus à propria cauſa.* Adeoque differt ab Hypothetica nuda; ut *Modalis* à Categorica pura.

Sed & aliæ ſunt *Compoſitæ* Propoſitiones, quæ *Modalium* naturam imitantur. Ut propoſitiones *Similitudinis* (ubi connexio fit per Similitudinis Adverbium;) puta. *Ut ſic. Ut hoc ſic illud* Et propoſitiones *Comparationis* (ubi connexio fit per Comparationis Adverbium;) puta, *Tam, quam*; *Tantum, quantum.* Atque in his (ut in aliis modalibus) aliud eſt negare *Dictum*, aliud negare *Modum.* Ut ſi dicatur, *Ut Sol eſt cauſa luminis, ſic Nubes tenebrarum*: *Dictum* concedas (*Nubem eſſe cauſam tenebrarum*,) dum *Modum* neges; Non *ſic* eſt Cauſa. Nam Sol eſt cauſa luminis ut cauſa poſitiva, per veram efficientiam; ſed Nubes cauſa Tenebrarum, ſolummodo ut *privativa* cauſa ſeu *Negativa*; prout interpoſitu ſuo impediuntur Solares radii ne ad nos pertingant. Item, *Ut Sol deſcendit, ſic prolongantur Umbræ.* Dictum concedas, (*deſcendente ſole prolongari Umbras*,) ſed Modum neges; non *ſic* prolongantur; hoc eſt, non in eadem ratione.

Propoſitiones hæ, atque iſtiuſmodi aliæ, quamvis ab Hypotheticis, (ſeu Conditionalibus) proprie dictis, nonnihil differant; non raro tamen Hypotheticarum nomen ſortiuntur. Idque ſecundum Logicorum morem in aliis item caſibus ſatis frequentem. Quippe cum, ex compoſitis Propoſitionibus, Eas ut potiſſimas ſpectare ſolent quæ vere ſunt Hypotheticæ; id nomen (ſenſu analogico) aliis pariter Compoſitis attribunnt.

Adverſativa propoſitio, (ubi connexio fit per Conjunctionem adverſativam,) ut *Quamvis ſol ortus ſit, non eum tamen videmus*: vix aliud eſt quam *Hypothetica Negativa*, ſeu *Hypotheticæ negatio*. Quippe affirmanti, *Solem, ſi ortus eſt, videmus*; negando dicas, *Non, ſi ortus eſt, videmus*; ſeu, *quamvis ortus ſit, non tamen videmus*.

Jam hæ omnes (& ſi quæ ſint aliæ) propoſitiones Compoſitæ, ubi duæ pluresve Categoricæ, per Conjunctionem, vel Adverbium, vel quod horum inſtar eſt, in unam connectuntur, (Hypotheticæ, latiori ſenſu, dictæ;) Negantur, cum earum Connexio ſeu Copula negatur; Veræque aut falſæ cenſendæ ſunt prout Connexio illa rite aut perperam facta eſt; quæcunque fuerit veritas aut falſitas, partium componentium, ſeparatim conſideratarum.

Cap. XI.

De Propoſitionibus Copulativis & Disjunctivis.

SUperſunt adhuc duæ (ne plures nominem) propoſitionum formulæ, quæ communi *Hypotheticarum* nomine cenſeri ſolent; non alia, credo, ratione quam quod ſint (ex pluribus Categoricis) *Compoſitæ*, prout ſunt quæ ſtrictiori ſenſu dicuntur Hypotheticæ. Nimirum, *Copulativa* & *Disjunctiva* propoſitio.

Copulativa propoſitio eſt, cum duæ pluresve propoſitiones ſimplices, ſeu Categoricæ, conjunctione Copulativa connectuntur. Puta, *&*, *ac*, *atque*, *nec*, *neque*; aut quæ horum inſtar ſunt.

Suntque nonnunquam explicite ſeu diſtincte prolatæ: Ut, *Homerus fuit Græcus, & Virgilius fuit Romanus*: (ubi Categoricarum utraque eſt Affirmativa.) Vel ſic, *Virgilius non fuit Græcus, & Homerus non fuit Romanus*; ſeu, *Nec Virgilius fuit Græcus, nec Homerus Romanus*; (ubi componentium utraque eſt Negativa.) Vel, *& Ariſtoteles fuit bonus Philoſophus*; *nec Alexander, ignavus miles*; ubi altera componentium eſt affirmativa, altera negativa.

Nonnunquam (quamvis, & hic, plures propoſitiones connectuntur) id minus explicite fit, propter vel idem ſubjectum, vel idem prædicatum. Ut, *Homerus & Virgilius fuerunt Poetæ*: Item *Homerus & Virgilius non fuerunt Oratores*; ſeu, *Nec Homerus nec Virgilius fuit Orator*. Quæ, explicite prolatæ, forent, *Homerus fuit Poeta, & Virgilius fuit Poeta*; Item, *Homerus non fuit Orator, & Virgilius non fuit Orator*. Similiter, *Alexander fuit prudens & fortis*; Item *Therſites nec prudens erat nec fortis*: Item, *Ulyſſes facundus erat, ſed non formoſus*; ſeu *Non formoſus erat, ſed erat facundus Ulyſſes*. Quod noſtrum non nemo ſic reddidit, *Not fair faced he was, but he was fair-ſpoken Ulyſſes*. Hoc eſt, *Alexander fuit prudens, & Alexander fuit fortis*: *Therſites non erat prudens, & Therſites non erat fortis*: *Ulyſſes erat facundus, ſed Ulyſſes non erat formoſus*.

In quarum poſtrema, connexio fit per conjunctionem Adverſativam (ſed quæ Copulativam includit,) quoniam hic (ut ſæpe alias) altera pars propoſitionis introducitur ut reliquæ compenſativa; & quaſi ἀντίθετα proponuntur. Neque id ſolum fit, quando (ut hic) altera Affirmativa eſt, altera Negativa; ſed etiam, quando utraque eſt affirmativa, vel utraque negativa. Ut, *Errorem admiſit, ſed de eo pœnitet*. Item, *Nec innocens quidem erat, ſed nec pertinax*.

Fieri autem aliquando poteſt, ut Conjunctio Copulativa intercedat, nec tamen fiat Copulativa propoſitio. Ut, *Homerus & Virgilius ſunt duo*. Ubi *Homerus & Virgilius*, non *diſtributive* ſumendi ſunt, ſed *collective*; non enim de utrovis ſeparatim, ſed de utroque conjunctim, prædicatur *Duo*. Adeoque propoſitio ſimplex eſt, ſed de ſubjecto compoſito, ſeu copulato. Sic *Cubitus, eſt, pes & ſemiſſis*, ubi Prædicatum copulatum, de ſubjecto ſimplici dicitur, nec tamen facit copulatam propoſitionem: Quippe; ſi ſic; intelligendum foret, *Cubitus eſt pes, & Cubitus eſt ſemiſſis*. Sed jam *pes & ſemiſſis*, (hoc eſt, *ſeſquipes*,) prædicatur, & unus terminus, de ſubjecto, *Cubitus*.

Jam vero ad veritatem propoſitionis Copulativæ (ſive explicitæ ſive implicitæ) requiritur ut pars utraque (& quidem omnes, ſi plures ſint) vera ſit: ſufficitque ad negationem hujus, ſi vel una pars ſit falſa; quia ſic *Copula* negatur. Ut cum dicitur *Alexander prudens erat & fortis*; falſa erit propoſitio ſi vel non prudens fuerit, vel non fortis: Sic ſi di-

catur,

catur, *Virgilius, Ovidius, Horatius & Cicero, fuerunt Romani & Poetæ*; neganda erit propoſitio, ſi eorum unus, (puta *Cicero*,) vel non fuerit *Romanus*, vel non *Poeta*. Nam ſicut *Univerſalis* Affirmativa, *Omnis*; deſtruitur per Particularem Negativam, *Aliquis non*: ſic, ubi copulativæ propoſitionis membra Omnia aſſeruntur; falſa erit ſi vel Unum eorum non ſit verum.

Disjunctiva propoſitio eſt, quando duæ pluresve propoſitiones ſimplices, per Conjunctionem Disjunctivam connectuntur. (Ut, *vel, aut*, &c.) Nequis autem Solœciſmum ſapere putet *Conjunctionem Disjunctivam*; notandum erit, quod quamvis, quantum ad formam ſeu ſtructuram verborum (ſive Grammaticam, ſive Logicam,) Conjunguntur (hoc eſt, in unam ſententiam compinguntur) membra componentia, (unde *Conjunctionis* nomen ſortitur Vocula connectens;) Disjunguntur tamen Res ipſæ quæ his propoſitionibus ſignificantur; quare & *Disjunctiva* dicitur.

Disjunctiva, à Copulativa, in hoc ſaltem differt; quod, Copulativa, vera non eſt niſi vera ſint illius membra omnia: Vera autem eſt Disjunctiva, ſi verum ſit membrum ſaltem unum. Puta, ſi dicatur, *Aut olim Troja fuit, aut Hiſtoria de bello Trojano eſt mera Fabula*. Vera eſt propoſitio, ſi fuerit olim Troja, utut hiſtoria non ſit fabuloſa: ſed & vera eſt, ſi hiſtoria fabuloſa ſit, utut Troja nunquam fuerit. Non enim utrumque verum eſſe affirmatur, ſed ſaltem eorum alterum. Idem judicandum eſſet, ſi plura eſſent membra; nempe veram eſſe propoſitionem ſi vel unum eorum verum ſit. Eadem ratione qua particularis affirmativa *Aliquis*, non tollitur per *Aliquis non*; ſed, per *Omnis non*, hoc eſt *nullus*.

Propoſitiones ſic disjunctæ, poſſunt eſſe vel Affirmativæ ambæ, (ut modo dictæ, *Aut olim Troja fuit, aut hiſtoria de bello Trojano eſt mera fabula*;) vel ambæ Negativæ; aut etiam Affirmativa altera, altera Negativa; ut ſi diceretur (eodem ſenſu) *Aut olim Troja fuit, aut hiſtoria illa non eſt vera*: vel ſic etiam, *Aut Trojam fuiſſe non eſt falſum, aut hiſtoria illa non eſt vera*. Quodque de Disjunctiva bimembri dicitur, pariter intelligendum eſt de plurimembri.

Sed (ut de Copulativa dictum eſt) Disjunctivæ membra non ſemper ſunt explicite diſtincta; ſed nonnunquam (propter vel commune ſubjectum, vel commune prædicatum) implicantur. (Utputa, *Ulyſſes vel formoſus erat, vel facundus*; Item *Vel Cicero vel Virgilius fuit Poeta*. Hoc eſt, *Vel Ulyſſes formoſus erat, vel Ulyſſes fuit facundus*; Item *Vel Cicero fuit Poeta, vel Virgilius fuit Poeta*.) Similiter; ſi dicatur, de eo qui non loquitur; *Aut poteſt & non vult loqui; aut vult & non poteſt; aut neque vult neque poteſt*. Quæ eſt Disjunctiva trium membrorum, eaque ſingula ſunt Copulativa.

Sed fieri poteſt ut Disjunctio ſit, ubi tamen non eſt Disjunctiva Propoſitio: Nempe, ſi vel Subjectum vel Prædicatum ſit terminus disjunctivus. Ut *Omne animal eſt vel Homo vel Brutum*. Quippe non hoc innuitur, quod *Vel Omne animal eſt Homo, vel Omne animal eſt Brutum*, (quo foret disjunctiva propoſitio,) ſed, *Omne animal eſt horum alterum*. Similiter, *Vult aut non-vult, incertum eſt*. Ubi ſubjectum eſt terminus disjunctivus, ut fuerat in altera Prædicatum.

Atque hic locum habet prior illa diſtinctio de Diſtributive & Collective ſumptis. Nempe, ſi *vel homo vel brutum* diſtributive ſumatur; propoſitio eſt Disjunctiva, & huic æquipollens, *vel omne animal eſt homo, vel omne animal eſt brutum*. Sin collective ſumatur, Propoſitio ſimplex erit (non disjunctiva) ſed Prædicatum, terminus disjunctivus.

Ad Disjunctivam, referas propoſitionem *Exceptivam*, per exceptivam conjunctionem *Niſi* (aut quæ huic æquipolleat) prolatam. Puta, (ſi de ſtante quopiam in præcipitio) dicitur, *Se non præcipitabit, niſi velit ſe occidere*: Quippe tantundem eſt acſi diceretur, *Aut non præcipitabit ſe, aut vult ſe occidere*. Sed eandem etiam referas ad Hypotheticam proprie dictam. Nam *niſi*, tantundem eſt ac *ſi non*. Adeoque eodem ſenſu dixeris, *Si nolit ſe occidere, non vult præcipitare ſe*.

Nec mirum cenſeri debet quod poſſit hæc Exceptiva indifferenter referri vel ad Disjunctivam, vel ad Conditionalem. Nam omnis Disjunctiva, Conditionalem in ſe continet; imo tot ſaltem Conditionales quot ſunt Disjunctivæ membra. Si quis *Ulyſſem* dixerit, *vel formoſum eſſe vel facundum*; hæc duo dicit, *Si non formoſus, eſt facundus*: *Si non facundus, eſt formoſus*.

Similiter, cum dixero, *Aut ver eſt, aut æſtas, aut autumnus, aut hyems*; has ſaltem quatuor manifeſto includit conditionales; *Si nec ver eſt, nec æſtas, nec autumnus; tum hyems eſt*: *Si nec ver, nec æſtas, nec hyems; tum autumnus eſt*: *Si nec ver, nec autumnus, nec hyems; tum æſtas eſt*: *Si nec æſtas, nec autumnus, nec hyems; tum ver eſt*. (Nam horum ſaltem aliquod eſſe, affirmat Disjunctiva.) Quarum conditionalium omnium, Antecedens eſt Copulativa negata, trium membrorum. Sed & plures adhuc involvit conditionales: Puta, *Si non æſtas eſt, nec hyems; tum vel ver, vel autumnus*: *Si nec ver, nec autumnus; tum vel æſtas, vel hyems*: *Si nec ver, nec æſtas; tum vel autumnus, vel hyems*: *Si nec autumnus, nec hyems; tum vel ver, vel æſtas*. In quibus Antecedentes omnes, ſunt Copulativæ; Conſequentes Disjunctivæ. Et harum quælibet Disjunctiva, duas includit Conditio-

Conditionales. Puta, *Si nec æſtas eſt, nec hyems; tum, ſi non autumnus, eſt ver: &, ſi non ver, eſt autumnus.* (Et de reliquis pariter.) Quæ ſunt propoſitiones duplo conditionales; Hoc eſt, Conditionem habent ab alia conditione pendentem. Verum aliæ adhuc reſtant Conditionales, eadem Disjunctiva incluſæ: Puta, *Si non ver; tum vel æſtas, vel autumnus, vel hyems: Si non æſtas; tum vel ver, vel autumnus, vel hyems: Si non autumnus; tum vel ver, vel æſtas, vel hyems: Si non hyems; tum vel ver, vel æſtas, vel autumnus.* Quarum Conſequentes ſunt Disjunctivæ trimembres; & harum quælibet plures includit conditionales; quibus particulatim recenſendis non eſt opus. Sufficit oſtendiſſe, in una Disjunctiva, plures includi Conditionales, quarum hæc aut illa ſeligi poterit, cùm opus fuerit.

Sed ad Exceptivam redeo. De qua notandum eſt, (ut de Copulativa & Disjunctiva ante monitum eſt,) Exceptionem nonnunquam eſſe, quæ Exceptivam propoſitionem (accuratius loquendo) non facit. Utputa, *Omnes homines, exceptis octo, diluvio perierunt. Omnes homines, exceptis Adamo & Eva, naſcendo oriuntur.* In quibus (& harum ſimilibus) non tam Propoſitio cenſenda eſt Exceptiva; quam Subjectum, terminus Exceptivus, de quo (ſic limitato) Prædicatum affirmatur Univerſaliter. Quanquam & hanc nonnulli Exceptivam vocant, quo ſenſu Singularem dicunt cujus Subjectum eſt ſingulare; ut ſupra monitum.

Atque jam expendimus pleraſque propoſitionum formulas quas *Hypotheticas* vocant (latiori ſenſu) aut *Compoſitas* propoſitiones: (& quidem plures quam plerique Logicorum notare ſolent.) Non quod has putaverim (ſummam rei quod ſpectat) alias ab eis quas Categoricas dicunt; ſed earum quaſdam Crypſes, Occultationes, Detorſiones, Implicationes, per varias loquendi formulas ſive Grammaticas ſive Rhetoricas, eiſdem ſuperinductas, unde Prædicati cum Subjecto connexio facta eſt minus perſpicua. Logicique munus eſt eaſdem (cum opus fuerit) retexere, juſtamque earum Analyſin conſiderare; ut Grammatici munus eſt Syntaxin (quam vocant) orationis intelligere, voceſque utcunque inter ſe confuſas in juſtum ordinem Grammaticum (cum opus eſt) redigere; Rhetoricique, voces Tropicas ſeu Figuratas, per juſta earum ſignificata exponere.

Ariſtoteles certe, dum arguendi leges exponit, non alias memorat quam quas Categoricas vulgo dicimus; omnemque in arguendo propoſitionem præſumit Categoricæ alicujus vim habere: taleſque revera ſunt, quamvis ſub variis involucris latent.

Copulativa (ut modo oſtenſum eſt) non alia eſt quam plurium Categoricarum in unam Collectio; adeoque Categoricarum aggregatum.

Disjunctiva (quo & Exceptiva reducenda eſt) eſt plurium Conditionalium (quæ ſub ea latent) congeries: nec aliam in arguendo vim habet (ut ſuo loco dicetur) quam quæ à Conditionalis natura mutuatur.

Conditionalis ipſa, (quæque huic affines ſunt Localis & Temporalis, & ſiquæ harum ſimiles,) ſunt mere Categoricæ; Grammaticalibus tantummodo loquendi formulis deformatæ, (quibus incautis Logicis imponi ſolet,) quæ in conſideratione Logica ſunt exuendæ.

Summa rei huc redit. Omnis Affirmatio aut Negatio; hoc eſt, omnis Logica propoſitio (utcunque Grammaticis Rhetoricisve Schematibus involuta) Aliquid de Aliquo affirmat aut negat. Adeoque aliquid eſt *de quo* fit ſermo (quod Subjectum dicimus;) aliquidque *quod* de eo (ſive affirmando ſive negando) dicitur; (quod dicimus Prædicatum;) &, quidem, vel de eo *Toto* (ut in prædicatione Univerſali,) vel (ut in particulari) de ipſius ſaltem aliqua parte: Logicique munus eſt, ex variis loquendi formulis (utcunque involutis,) orationiſque aut loquentis ſcopo, (periti inſtar Anatomiſtæ) reſolvere ſeu membratim diſſecare quod dicitur, ut diſtincte percipiat (mente ſaltem ſua) Quid de Quo dicatur, & Quatenus, ſive de toto ſive ſecundum partem. Atque hoc eſt quod præcipue ſpectatur, in ſecunda parte Logicæ.

Et (conſequenter ad hoc) Quid conſequatur ex mutata aut Quantitate aut Qualitate propoſitionis (manentibus eiſdem terminis;) & quatenus vel conſiſtunt mutuo vel non conſiſtunt; & quouſque ab una ad alteram (per Æquipollentiam, Converſionem, ſimileque artificium) arguere licet, abſque introductione novi Termini.

PARS

PARS III.

De Tertia operatione Intellectus.

CAPUT. I.

De Argumentatione.

TERTIA pars Logicæ, prout dividi ſolet, tertiam (quam vocant) operationem Intellectus ſpectat: quem *Diſcurſum* vocant.

Ut enim Intellectus operatio prima ſpectare dicitur *Terminos Simplices*; Secunda, hos ſimplices terminos (aut qui ut tales conſiderantur) in *Propoſitiones* compingit; ſic Tertia ex Propoſitionibus *Diſcurſum* componit.

Ad Diſcurſum referunt *Argumentationem* & *Methodum*. Quarum alii utramque ad tertiam Logicæ partem redigunt: Alii, pro Methodo, quartam aſſignant partem. Utrumvis facias, parum refert.

Argumentatio eſt ea mentis operatio, qua Propoſitio aliqua (ſeu Aſſertio) per propoſitiones alias Probatur. Sive, qua inferimus (probamus, colligimus, concludimus) propoſitionis alicujus (de qua quæritur) veritatem, ex veritate aliarum, ut quæ ex his neceſſario ſequitur: Talium nempe, ut ſi hæ veræ ſint, veram item illam eſſe de qua quæritur, ſit neceſſe.

Hujuſmodi autem Argumentatio ſeu Illatio propoſitionis unius ex altera, vel talis eſt ut hæc ab illa inferatur vi terminorum jam poſitorum, abſque ope alterius termini aliunde petendi; (utputa, ex eo quod *omnis homo eſt animal*, neceſſario ſequitur *id quod animal non eſt, non eſſe hominem*;) atque hæc jam ante traditur in parte ſecunda, per leges Oppoſitionis, Æquipollentiæ, Converſionis, & ſiquæ harum ſimiles ſunt.

Vel (quæ ad hanc tertiam partem ſpectat) talis ut ope alterius termini (unius pluriumve) extrinſecus aſſumpti id fiat. Utputa, ſi probavero *hominem eſſe ſenſu præditum*, eo quod ſit *Animal*.

Propoſitio hujuſmodi, dum adhuc probanda eſt, dici ſolet *Quæſtio*, (utpote de qua quæritur;) ubi autem jam probata eſt, dici ſolet *Concluſio*, (utpote de qua jam, aliarum ope, concluſum eſt, eſſe veram;) aut nominibus ſaltem, quæ his æquipollent. Illæ autem, quarum ope hæc probatur, *Præmiſſæ* dici ſolent. Sunt tamen quibus Præmiſſæ (ſive unica ſive plures) Argumentationis *Antecedens* vocatur; & Concluſio, ejuſdem *Conſequens*. Hujus autem inde dependentia, dici ſolet *Conſequentia*.

Quæ quidem Conſequentia (Illatio, ſeu Dependentia) ſolet utplurimum indicari per *Illativam* particulam, *Ergo*, *igitur*, *proinde*, *itaque*, *ideo*, aut harum ſimilem: Præſertim cum (in ordine verborum) poſteriore loco ponitur Concluſio, poſt Præmiſſas.

Vel per *Nam*, *enim*, *quia*, *quoniam*, *eo quod*, aliamve particulam *Cauſalem*; præſertim ubi Quæſtio ſive Concluſio priore loco ponitur, ante propoſitiones illas (*Præmiſſas* alibi dictas) quarum ope probatur.

Verbi gratia; *Homo eſt animal*; *adeoque ſenſu præditus*. Vel ſic, *Homo eſt ſenſu præditus*; *eſt enim animal*; vel *quoniam eſt animal*; vel *eo quod ſit animal*. In quibus formulis omnibus, Quæſtio ſeu res probanda eſt, *Hominem eſſe ſenſu præditum*. Cujus propoſitionis duo Termini ſunt, Subjectum (terminus *Minor* dictus) *Homo*; & Prædicatum (terminus *Major* dictus) *ſenſu præditus*. Præmiſſa vero, ſeu probatio, ſeu (ut aliis dicitur) Argumentum quo probetur, eſt, *Quoniam eſt Animal*. Ubi, præter terminos quæſtionis, novus introducitur terminus *Animal*; qui *Medium* dicitur, ſeu *terminus medius*. Quod nomen duplici ratione ſortitur; Tum, quoniam eſt *Medium probationis*, (quo ſcilicet mediante fit probatio:) Tum, ſimili de cauſa illi propter quam propoſitionis Subjectum & Prædicatum dici ſolent terminus *minor* & terminus *major*.

Nempe; in propoſitione *Univerſali Affirmativa* (quæ propoſitionum potiſſima cenſetur) Subjectum eſt utplurimum *minoris* ambitus (ſaltem non majoris) quam eſt Prædi-

catum (utut æqualis ambitus eſſe poſſit, ubi termini ſunt convertibiles ;) & propterea Subjectum dicitur terminus minor ; & Prædicatum , major. Similiter hic, cum Univerſalis Affirmativa probanda venit ; tertius qui ad probandum aſſumitur terminus, eſt , utplurimum, majoris ambitus, quam eſt Subjectum quæſtionis ; (ſeu terminus minor ;) ſed minoris quam eſt Prædicatum (ſeu terminus major ;) diciturque propterea *medius terminus* ; ut qui (ambitu prædicandi) intermedius eſt (hoc in caſu) inter minorem & majorem terminum.

Verum quidem eſt, aliis in caſibus (ubi quæſtio probanda, non eſt Univerſalis Affirmativa,) hæc Analogia non ſemper locum habet : ſed poteſt eſſe hic ab extrinſeco aſſumptus terminus, nunc Subjecto minor, nunc Prædicato major, adeoque non utriſque intermedius. Sed cum hoc nomen ſic adeptus ſit (propter id quod in probatione Univerſalis Affirmativæ contingit ;) idem retinet (communi Logicorum conſenſu) etiam in eis caſibus ubi id non contingit.

Nam hanc ſibi ſolent Logici libertatem permittere (licentiam forte alius dixerit) imponendi nomina, ob leviculam forte rationem ; eaque demum retinendi (audaci ſatis catachreſi) etiam in illis caſibus ubi ea ratio non valet.

Si dixeris, decuiſſe potius Logicos (quorum opus eſt accuratum rationis uſum docere) in imponendis nominibus cautiores eſſe ; ut nomen inditum, rei conveniat (ſi non in omnibus) pleriſque ſaltem caſibus :

Ego non repugno. Cum tamen ſecus fecerint ; noſtrum eſt (ſi quæ ipſi ſcripſerint velimus intelligere) conſiderare, non tam quæ debuiſſent imponere, quam quæ impoſuerint nomina. Pariter acſi Tyranno cuidam nomen contigerit *Clemens*, aut Infortunato *Felix* ; non tam conſiderandum eſt (ubi illorum temporum hiſtorias legimus) quam bene viris conveniant nomina ; quam, quinam illi viri ſint, quibus hæc nomina (quacunque ratione) fuerint indita.

Termini ſic forinſecus aſſumpti, ad probationem faciendam, (præter eos qui in Quæſtione occurrunt,) nunc plures eſſe poſſunt, nunc pauciores ; ſed in qualibet hujuſmodi probatione ſaltem unus. Sic ſi arguero, *Socratem ratione præditum eſſe*, quoniam *Homo* eſt, omniſque *homo* eſt ita præditus : unicus hic forinſecus aſſumitur terminus *Homo*. Si arguero eundem *Socratem ſenſu præditum eſſe*, quoniam *Homo* eſt, omniſque homo eſt *Animal*, omneque *Animal* ſic præditum : aſſumuntur hic duo termini *Homo* & *Animal*.

Quando ſic aſſumptus terminus eſt unicus ; *Argumentatio ſimplex* dicatur ; etiamſi terminus ille, cum duobus Quæſtionis terminis compoſitus, duas faciat propoſitiones novas, ad probationem unius propoſitæ.

Ubi autem ſic aſſumpti termini ſunt plures ; Argumentatio dicatur *Complexa* ſive *Compoſita* : utpote quæ ex tot ſimplicibus compoſita quot ſunt illi aſſumpti termini.

Quo caſu, tutius eſt, (ſi non arguenti, ſaltem illi qui perpenſurus eſt argumenti vires,) gradatim procedere, ſingulaque probationis membra ſeorſim penſitare, quam habeant illa in probando vim.

Sic in argumentatione propoſita, qua probatur *Socratem ſenſu præditum eſſe*, probationis membrum primum eſt, *eo quod Homo ſit*. Quod (explicite conſideratum) hæc duo ſaltem in ſe continet ; nempe, quod *Socrates eſt homo*, & quod *homo eſt ſenſu præditus* ; quas *Præmiſſas* vocant. De quarum forte altera ſi dubitetur ; puta an *homo ſit ſenſu præditus* : Hæc jam fit nova *Quæſtio* ; ſecundo probationis membro probanda, *eo quod ſit animal* ; quod itidem hæc duo continet ; nempe, quod *homo eſt animal*, & quod *animal eſt ſenſu præditum*. Et, ſi horum alterutrum ſit adhuc dubium ; huic probando (ut quæſtioni novæ) alius ſimiliter eſt adſumendus terminus qui, rite diſpoſitus, fidem faciat. Atque ſic porro, donec ad eas præmiſſas perveniatur quæ ſint notæ veritatis.

Eſtque Logici opus Præcipuum (in hac tertia Logices parte) docere, quomodo ſeligendus ſit hic novus terminus (non enim quilibet quocunque caſu ſufficit,) & quo ordine diſponendus cum terminis in quæſtione repertis, ut ex Præmiſſarum veritate neceſſario conſequatur veritas Concluſionis.

Fuerunt autem, jam ante Ariſtotelem, qui præcepta quædam laxiora hac in re dederint ; Materiam potius quam Formam Argumentationis ſpectantia. Sed primus omnium (quantum ſcio) Ariſtoteles in ſe ſuſcepit, generales tradere & certas Regulas, de argumentandi formis ; & certo ſtatuere, quæ forent, & quæ non forent, formæ legitimæ (quas *Concluſivas* dicas) unde, ex veritate Præmiſſarum, neceſſario inferatur veritas concluſionis.

CAP.

C A P. II.
De Syllogiſmo.

ARgumentatio ſimplex (unius ope termini medii) *Syllogiſmus*, dici ſolet. Atque in tales (nunc plures, nunc pauciores,) reſolvendæ ſunt Argumentationes compoſitæ.

Syllogiſmus (cum explicite & integre exhibetur) tribus Propoſitionibus conſtat. Quæ Syllogiſmi *Materia* dici ſolent, & quidem *materia proxima*: Hæ autem, tribus Terminis; qui dici ſolent *Minor*, *Major*, & *Medius*, ſuntque Syllogiſmi *materia remota*.

Verbi gratia; Si arguitur *Socratem eſſe ſenſu præditum*, eo quod *ſit animal*. Argumentatio hæc, ſeu Syllogiſmus, explicite propoſitus, in hanc formam redigetur;

Omne *Animal* eſt *ſenſu præditum*.
Socrates eſt *Animal*. Ergo
Socrates eſt *ſenſu præditus*.

Ubi *tres termini*, ſunt *Socrates*, *Animal*, *ſenſu præditus*: (quæ eſt Syllogiſmi *materia remota*.) *Quæſtio* probanda (quæ mox *Concluſio* dicenda erit,) *Socrates eſt ſenſu præditus*; cujus Subjectum (*Socrates*) eſt *terminus minor*; Prædicatum (*ſenſu præditus*) eſt *terminus major*; *mediuſque* (forinſecus aſſumptus) *animal*. Qui quidem *terminus medius*, cum *majore* compoſitus, *Præmiſſarum* alteram format, quam itaque *Majorem propoſitionem* vocant; primo loco utplurimum (nec tamen ſemper) poni ſolitam: Idem terminus *medius*, cum *minore* compoſitus, *Præmiſſarum* reliquam format, quam itaque *Minorem propoſitionem* vocant; ſecundo loco, plerumque, poſitam. *Concluſio* autem (*quæſtio* prius dicta) ex terminis *minore* & *majore* (abſque *medio*) componitur, (unde dici ſolet *medium concludere neſcit*,) ultimo loco poni ſolita. Quæ quidem tres propoſitiones (ſic formatæ) ſunt Syllogiſmi *materia proxima*.

Non autem neceſſe eſt ut hoc ordine ſemper ponantur hæ propoſitiones tres (quamquam hic reputari ſoleat maxime regularis,) ſed eadem eſt argumentatio, (eadem concludendi vis,) in hac forma,

Socrates eſt *Animal*,
Omneque *animal* eſt *ſenſu præditum*. Ergo
Socrates eſt *ſenſu præditus*.

Si altera propoſitionum reticetur, (ſubintellecta nimirum, non expreſſa,) eadem tamen eſt argumenti vis, (& intellectu ſupplendum, quod in forma deeſt;) ſed Syllogiſmus (imperfecte propoſitus) *Enthymema* dici ſolet. Ut

Socrates eſt *animal*,
Adeoque *ſenſu præditus*.

ubi deeſt Major.

Vel ſic; Omne *animal* eſt *ſenſu præditum*;
Adeoque *Socrates*.

ubi deeſt Minor.

Vel ſic; Omne *animal* eſt *ſenſu præditum*;
Et *Socrates* eſt *animal*. Ergo.

Vel etiam ſic, brevius; Eſt *animal*. Ergo.
Ubi præſumitur concluſio, ex ante dictis nota.

Et quidem, in communi loquela, raro ſolet argumentatio tanta cum formalitate procedere; ſed ſummatim exponi, ſub Enthymematis forma, vel adhuc curtius.

Quando Propoſitionum ordo turbatur (ut, poſita minore in majoris loco, & contra;) aut omittitur aliqua, vel imperfecte exponitur; terminuſve aliquis aut deeſt, aut ordine non ſuo ponitur, aut per caſus obliquos exprimitur; vel aliud quid occurrit quo res evadat minus perſpicua; *Crypticus* dici ſolet Syllogiſmus; utpote obſcurus, perplexus, occultus, aut minus evidens quam ſi omnia rite ordinata fuerint. Quæ quidem *Crypſes*, cum res poſtulat, removendæ ſunt, omniaque in juſtum ordinem reſtituenda. In communi tamen loquela, (cum loquendi formulæ ſatis intelliguntur,) non exſpectatur hujuſmodi pædantiſmus. Quæque ante de Propoſitionibus Crypticis dicta ſunt, hic etiam intelligenda ſunt (eadem analogia) in Crypticis Syllogiſmis.

Cap. III.

De tribus Figuris.

Terminum *medium* cum *majore* diſponendum in *majore* propoſitione; cumque *minore* in *minore* propoſitione; jam dictum eſt. Quem locum autem in quaque propoſitione tenere debet, jam dicendum.

Cumque plures occurrunt caſus diſponendi *Medium* in præmiſſis; Puta, ut ſit in utraque Subjectum; vel in utraque Prædicatum; vel in una Subjectum, in altera Prædicatum: Pro triplici hac varietate, tres hinc oriuntur (quæ dici ſolent) *Figuræ*. Quas hoc verſu barbaro, utcunque exprimunt;

Sub, Præ, *prima*: bis Præ, *ſecunda*: *tertia*, bis Sub:

Hoc eſt; in prima (quæ dicitur) Figura; *Medium* eſt *Subjectum* majoris, & *Prædicatum* minoris. In ſecunda, *Prædicatum* utriuſque. In tertia, utriuſque *Subjectum*.

Eſt quidem quarta poſitio poſſibilis; puta *Præ ſub*: nempe ut (contra quam in prima) *Medium* ſit *Prædicatum* majoris, & *Subjectum* minoris. Atque propter hanc quartam poſitionem, admittendam putaverunt aliqui *Quartam figuram*; quam vocant *Figuram Galenicam*; (à *Galeno*, ut videatur, primitus introductam.) Quam tamen plerique negligunt, ut ſuperfluam, & minime neceſſariam: duplici ſaltem de cauſa.

Imprimis, quia præternaturalis (aut etiam contranaturalis) poſitio videatur; ut terminus *medius*, in ea propoſitione qua cum *majore* diſponitur, ſit *Prædicatum*; adeoque videatur *majore major*. Item, in ea qua cum *minore* diſponitur, ſit *Subjectum*; adeoque videatur *minore minor*. Nam, in qualibet propoſitione, (ut ſupra traditum eſt,) *Subjectum* dici ſolet *minor* terminus; & *Prædicatum*, terminus *major*. Atque ſic revera ſunt in Univerſali Affirmativa.

Verum quia (quicquid ſit de nominibus) in *Particularibus*, & *Negativis*, rem aliter ſe habere certum ſit, (nempe, ut vox quæ minorem habet ambitum prædicandi, poſſit Prædicati locum obtinere;) neglecta priori ratione, hanc alteram potiorem aſſignant: Nempe, Quia nihil eſt quod concludi poſſe cenſeatur in Quarta figura, quin id ipſum multo melius poſſit (& magis naturaliter) per idem *Medium* concludi in figura Prima; ut Quarta fuerit plane ſuperflua.

Exempli gratia: Ab his præmiſſis,

Socrates eſt animal,
Omneque animal eſt ſenſu præditum;

multo naturalius concludetur, (in Prima)

Ergo, *Socrates eſt ſenſu præditus*:

quam (in Quarta)

Ergo, *aliquod ſenſu præditum eſt Socrates.*

Quæ eſt illius converſa: eaque concluſa, hæc ſimul concluditur, (utpote in illa incluſa,) per regulas converſionis.

Similiter; ſi loco *Socratis* ponatur *Omnis homo*; ab his præmiſſis,

Omne animal eſt ſenſu præditum,
Omnis homo eſt animal;

multo aptius concludas (in prima figura)

Ergo, *omnis homo eſt ſenſu præditus*;

quam (in quarta)

Ergo, *aliquod ſenſu præditum eſt homo.*

quia prior illa, & hanc includit & aliquid amplius, quod ab hac poſteriore non poterit inferri. Quanquam enim, ab ea concluſione, quod *Omnis homo eſt ſenſu præditus*, rite ſequitur (per leges converſionis, abſque novo medio) quod *Aliquod ſenſu præditum eſt homo*; Ab hac tamen, non illam inferas, Ergo *Omnis homo eſt ſenſu præditus*; ſed ſaltem *Aliquis homo eſt ſenſu præditus*. Quod minus eſt, quam quod illæ præmiſſæ continent. Idemque contingit in aliis modis Quartæ figuræ; ut ſuo loco poſt oſtendetur.

Interim; non mireris, quod hunc dixerim, Syllogiſmum in prima figura,

Socrates eſt animal,
Omneque animal eſt ſenſu præditum,
Ergo, *Socrates eſt ſenſu præditus*:

atque hunc in quarta,

Omne animal eſt ſenſu præditum,
Omnis homo eſt animal;
Ergo, *aliquod ſenſu præditum eſt homo*:

Cum

Cum hunc potius, incautus quiſpiam, in *Prima* dixerit (quia *medium* videt, *ſubjectum* in priore, & *prædicatum* in poſteriore præmiſſarum;) illumque (pari de cauſa) in *Quarta*. Non enim (quod ille putaverit) ea eſt *Major propoſitio* quæ priore loco ponitur; & *Minor* quæ poſteriore: Sed *major propoſitio* eſt ea, in qua *major terminus* quæſtionis, cum medio, diſponitur; (quod in his fit, utrobique, in præmiſſarum ſecunda;) *minor propoſitio*, ea in qua diſponitur *minor terminus*; quod fit, in his, (propter tranſpoſitas præmiſſas) in præmiſſarum priore. Quodque hic monitum eſt, alibi memineris; nequando perperam judices de majore & minore propoſitione; aut imponat tibi quiſpiam (incautus) hac in re.

De figurarum Numero cum dictum ſit; ſi de Ordine porro quæras, cur hæc, illa, an iſta, dicatur prima, ſecunda, tertia: Hanc ego rem putaverim, magna ex parte, arbitrariam fuiſſe primitus; cum autem, communi fere Logicorum conſenſu, in hunc ordinem conſpiratum ſit; non eſt cur temere quiſpiam, & nulla de cauſa, perturbatum eat. Prima tamen hoc peculiare habet, quod in ea videantur termini (præ cæteris) magis naturali ordine diſpoſiti; nempe, ut Major de medio prædicetur, & medius de Minore. Cur autem eam Ariſtoteles primo loco poſuerit, res manifeſta eſt; Nempe, quia, ex *dicto de Omni & de Nullo*; (quod ille Syllogiſmorum fundamentum poſuerit) hanc directe probat; reliquas autem, ex hac. Ut ſuo loco poſt dicetur.

Cap. IV.

De Modis.

CUM de Figurarum varietate dictum ſit; ſequitur ut *Modos* (quos vocant) conſideremus. Ut autem Figurarum varietas dependet à varia diſpoſitione termini Medii cum terminis Quæſtionis; prout Subjecti aut Prædicati locum obtinet: Ita *Modorum* varietas dependet à varia tum Quantitate, tum Qualitate propoſitionum.

Ubi potiſſimum inquiritur, Qui Modi, in quaque figura, Concluſivi ſint; & qui non ſint. Hoc eſt; in quibus Modis, ex veritate Præmiſſarum, inferri poterit veritas Concluſionis; &, in quibus non poterit: ut recipiantur qui utiles ſint, rejiciantur reliqui.

Solentque Logici hac in re (quo tum phantaſiæ tum memoriæ conſulatur) adhibere literas A, E, I, O, pro deſignandis propoſitionum Quantitate & Qualitate, ſecundum ſupra traditos qualeſcunque verſiculos;

Aſſerit A, *negat* E, ſed *univerſaliter* ambæ:
Aſſerit I, *negat* O, ſed *particulariter* ambo.

Eſtque hic recordandum (quod ante dictum eſt,) quanquam (præter nomina *Univerſalium* & *Particularium*) aliquando mentio facta eſt propoſitionum *Singularium* (quæ ipſæ ſunt Univerſales; ipſaque *Singularis* appellatio, ſingularitatem Subjecti reſpicit, non modum prædicandi;) itemque *Indefinitarum*, (in quibus, ubi Subjectum eſt vox communis; non ſatis liquet, ex verborum forma, num univerſaliter an particulariter ſint intelligendæ;) ſolas tamen hac in re memorari *Univerſalium* & *Particularium* appellationes (non item Singularium & Indefinitarum;) Quoniam *Singulares* omnes ad Univerſalium claſſem pertinent (utpote in quibus Prædicatio *totalis* eſt, non *partialis*:) *Indefinitæ* autem (quanquam ex nuda verborum formula non ſatis liquet, ad utras) nunc ad Univerſales nunc ad Particulares referendæ ſunt, prout loquentis intentio aut dicti ſenſus poſtulat.

His præmiſſis; in figura Prima, *Modi* utiles ſunt hi quatuor,

Barbara, Celarent, Darii, Ferio. ——

In Secunda, quatuor illi

Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco. ——

In Tertia, Sex ——*Darapti,*
Felapton, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon.

In quorum ſingulis, tres vocales, denotant Quantitatem & Qualitatem propoſitionum. Prima, majoris: Secunda, minoris: Tertia, concluſionis: Nomina Græca his correſpondentia, quæ Interpretum Ariſtotelis aliqui, Græco textui addiderunt; ſunt

1. Γράμματα, ἔγραψε, γραφίδι, τεχνικός.
2. Ἔγραψε, κάτεχε, μέτριον, ἄχολον.
3. Ἅπασι, σθεναρός, ἰσάκις, ἀσπίδι, ὁμαλός, φέριστος.

Hi modi Quatuordecim, ſunt concluſivi omnes; in ſua ſinguli figura. Non autem in ulla, alii: nec hi quidem in alia quam in ſua figura. (Quæ poſt demonſtrabuntur ſuo loco.) Verbi gratia; *Baroco* eſt modus utilis in Secunda figura; ſed non in Tertia: & *Bocardo* in Tertia, non in Secunda: & de reliquis pariter.

Fieri quidem poteſt, ut ſimiles quandoque Modi, in pluribus Figuris reperiantur; ut *Celarent* in prima, & *Ceſare* in ſecunda; item *Darii* in prima, & *Datiſi* in tertia; item

Ferio in prima, *Feſtino* in ſecunda, & *Feriſon* in tertia. Sed, ubi hoc contingit, ex accidenti fit: & quamvis ſimiles, non tamen idem modus cenſendi ſunt, quia in diverſis figuris: adeoque diverſis nominibus inſigniuntur.

Hi modi omnes, in ſua ſinguli figura, his paucis regulis coercentur.

In Prima Figura; *Major ſemper eſt Univerſalis*; *& Minor, Affirmativa.*

In Secunda; *Major item eſt Univerſalis*; *& Concluſio* (*cum præmiſſarum altera*) *Negativa.*

In Tertia; *Minor ſemper eſt Affirmativa*; *& Concluſio particularis.*

Vel ſic brevius; *Major, in prima & ſecunda figura, eſt Univerſalis*: *Minor, in prima & tertia, eſt Affirmativa*: *Concluſio eſt, in ſecunda, Negativa*; *in tertia, Particularis.* Quæ quidem paucæ regulæ, vicem ſupplere poſſunt Modorum omnium: quippe quæ Modos utiles admittunt omnes; nulloſque alios.

Siquis proferatur Syllogiſmus, qui contra regularum harum aliquam peccat; (utpote, qui Concludit affirmative in ſecunda figura, aut univerſaliter in tertia; aut, qui Majorem habeat, in prima aut ſecunda particularem: aut Minorem, in prima aut tertia, negativam:) merito rejiciendus eſt ut falſus Syllogiſmus, ſeu illegitimus; ut qui in *forma* peccat; adeoque concluſivus non eſt, utcunque vera fuerit *materia*. Hoc eſt; quamvis utraque Præmiſſarum vera ſit, non tamen inde ſequitur Concluſionem veram eſſe.

Præter has ſingularum figurarum ſpeciales, ſunt item Generales Regulæ quæ Syllogiſmos, cujuſcunque fuerint figuræ, ex æquo ſpectant. Quarum hæ, quæ ſequuntur, ſunt præcipuæ.

Ne Præmiſſarum utraque ſit Negativa.

Nec utraque Particularis.

Et ſiqua Præmiſſarum vel negativa ſit vel particularis, talis ſit Concluſio. Quod ſic etiam proferunt, *Concluſio ſequitur deteriorem partem*; Affirmativam præ Negativa, & Univerſalem præ Particulari, potiorem reputantes.

Ne plures ſint quam tres termini.

Ne terminus medius ſit pars ulla concluſionis.

Ne plus ſit in Concluſione quam erat in Præmiſſis. Hoc eſt, ne plus in Concluſione inferatur, quam quo præmiſſarum vis extendit. Nec terminus aliquis alius in Concluſione ponatur, nec in ampliori, aut alio ſenſu, quam in præmiſſis fuerat. Quippe ſiquid horum fiat, erunt ſaltem, quoad ſenſum, quatuor termini, aut forte plures, cum ultra ternos non eſſe debeant, in ſyllogiſmo ſimplici.

Atque huc ſpectant verſus illi memorativi, quibus horum pleraque continentur;

Syllogizari, non eſt ex particulari;
Neve negativis, recte concludere ſi vis.
Siqua præit partis, ſequitur concluſio partis:
Siqua negata præit, concluſio ſitque negata.
Lex generalis erit, Medium concludere neſcit.

Quique contra regularum harum aliquam offenderit Syllogiſmus; rejiciendus eſt ut *peccans in forma*; *Paralogiſmus* dici ſolitus.

Sin verus ſit in forma ſyllogiſmus; non Neganda erit Concluſio: (quippe, veri ſyllogiſmi, ſi præmiſſæ veræ ſint, vera eſt & Concluſio:) Sed, ſi falſa ſit concluſio, aut perhibeatur eſſe, oſtendere oportebit, *materiam* ſyllogiſmi falſam eſſe; hoc eſt, præmiſſarum vel utramque, vel ſaltem alteram.

Aut *Diſtinguendum* erit; monſtrando vocem ſeu phraſin aliquam ambigue ſumptam eſſe; alioque ſenſu in propoſitionum una quam in alia: Adeoque utut (ſpecie tenus) tres tantum termini eſſe videantur, ſunt revera plures; cum vox una, duplici ſenſu ſumpta, ſint duo termini.

Sic ſiquis arguat, Da- *Omnes Canes ſunt animati*;
ri- Sed *Stellarum aliquæ ſunt Canes*:
i. Ergo *Stellarum aliquæ ſunt animatæ.*

Syllogiſmus hic, ſpecie tenus, videatur verus ſyllogiſmus, in *Darii.* Peccat tamen in *forma*, eo quod vox *Canis* in majore, proprio ſenſu ſumitur, pro animali domeſtico ſic communiter dicto: ſed, in minore, ſenſu æquivoco ſeu analogico; quo aſteriſmi duo (ſeu inſigniores in illis ſtellæ) dicantur ab Aſtronomis *Canis Major* & *Canis Minor*, ſolentque in Globis depingi, in forma Canis. *Canes* igitur, in majore & minore diverſo ſenſu poſiti, ſunt duo termini; adeoque, in Syllogiſmo, termini quatuor Sin eodem ſenſu utrobique ſumi prætendatur; altera præmiſſarum falſa erit: nempe, minor, in primo ſenſu; in ſecundo, major.

Ubi autem Syllogiſmus eſt in vera forma: Quanquam ex veritate præmiſſarum recte inferas veritatem concluſionis; non tamen ex præmiſſarum falſitate pariter inferas falſitatem concluſionis: Quippe contingere poteſt, ut vera ſit concluſio, quamvis præmiſſarum altera vel utraque falſa ſit. Ut ſiquis arguat,

Bar- *Omnes lapides ſunt ſenſu præditi,*
ba- *Omnis homo eſt lapis*: Ergo
ra. *Omnis homo eſt ſenſu præditus.*

Concluſio

Concluſio vera eſt, ſed utraque Præmiſſarum falſa. Adeoque hic non valet ea regula, *Concluſio ſequitur deteriorem partem.* Hinc dicitur,

Ex falſis falſum, verumque aliquando, ſequetur.
Ex veris poſſunt nil niſi vera ſequi.

Porro; quando neceſſitas formæ non niſi Particularem inferret, poteſt tamen Univerſalis vera eſſe, (licet non vi iſtius conſequentiæ;) ut ſiquis arguat;

Da- *Omnes ſapientes ſunt ratione præditi,*
ri- *Aliqui homines ſunt ſapientes.* Ergo
i. *Aliqui homines ſunt ratione præditi.*

Ubi concluſio particularis (propter minorem particularem) de *aliquibus* tantum hominibus concludit: Verum tamen eſt de *hominibus omnibus*; *ratione præditos eſſe.* Quæ dici ſolet *Veritas conſequentis, non veritas conſequentiæ.*

Quandoque etiam, ubi ſyllogiſmi forma non plus poſtulat quam concluſionem particularem; poteſt ea Univerſalis eſſe *neceſſitate materiæ*, non *neceſſitate formæ.* Utpote,

Da- *Cæſar & Bibulus conſentiunt:*
rap- *Cæſar & Bibulus ſunt duo Conſules.* Ergo
ti. *Duo Conſules conſentiunt.*

Ubi formæ neceſſitas (utpote in tertia figura) non plus exigit quam Concluſionem particularem, (de ſaltem *duobus* Conſulibus;) cum tamen aliunde conſtet, *duos* eſſe *omnes*, (cum non plures omnino ſint quam duo Conſules,) tantundem eſt (vi materiæ) ac *ambo Conſules*, ſeu *utrique Conſules*, (οἱ δύο, *the two Conſuls*) quæ eſt propoſitio univerſalis, non minus quam ſi eſſet *Omnes Conſules*; quoniam hic *duo* ſunt *omnes*.

Idem contingit, ubi Concluſio eſt propoſitio ſingularis (de uno Individuo) quæ, vi materiæ, (quoniam, hic, *unus* & *omnis* tantundem ſunt,) non poteſt alia eſſe quam Univerſalis. Ut

Da- *Virgilius eſt author Æneidos,*
rap- *Virgilius eſt Maro*; Ergo
ti. *Maro eſt author Æneidos.*

Ubi ſyllogiſmi forma poſtulat (de hoc ſubjecto) concluſionem affirmativam, ſaltem particularem; cum autem de hoc ſubjecto (utpote individuo) non poſſit alia eſſe prædicatio quam Univerſalis; fit inde (vi materiæ) concluſio Univerſalis, (etiam in tertia figura,) ſed non vi formæ. Secus enim foret ſi, pro *Virgilius eſt Maro*, diceretur *Virgilius eſt Poeta*; quippe tum concluderetur particulariter; Ergo *Aliquis Poeta eſt author Æneidos.*

De quantitate autem Concluſionis, in ſingulis Modis; notandum eſt, eam ſic notari (in ſingulorum modorum characteribus) ut extendatur ad ſummum eorum quæ, ex iſtis Præmiſſis, (vi formæ,) inferri poſſit: non quod ad alia etiam non extendatur quæ ſint minoris ambitus; ſed quod hæc etiam, omniàque quæ (abſque novo medio) inde inferri poſſint (puta, per regulas Oppoſitionum, Æquipollentiæ, Converſionis, aliaſque ſimiles,) in ea reputanda ſunt virtualiter contineri. Sic, ex his Præmiſſis,

Omne animal eſt ſenſu præditum;
Omnis homo eſt animal;

genuina concluſio eſt (in *Barbara*)

Ergo, *Omnis homo eſt ſenſu præditus.*

adeoque, multo magis, (ſi id probandum foret,) ſaltem

Aliquis homo eſt ſenſu præditus.

(Nam hæc particularis, in ea Univerſali includitur, per *Oppoſitionum* regulas; utpote illi ſubalterna: ut non ſit opus novo modo, quo hoc concluderetur, qui diceretur *Barbari.*) Itemque (per regulas converſionis)

Aliquod ſenſu præditum eſt homo,

(ut non ſit opus modo indirecto primæ figuræ, qui *Baralip* vocetur, quo probetur, converſa concluſionis directæ: Aut, quod eodem recidit, modo directo quartæ figuræ, qui *Balani* vocetur; quo, tranſpoſitis Præmiſſis, idem directe probetur.) Iterumque (convertendo eandem concluſionem per contrapoſitionem)

Omne non-præditum-ſenſu eſt non-homo;

hoc eſt, *Quod non eſt ſenſu præditum non eſt homo.*

Item (per regulas æquipollentiæ; quibus *nullus-non* valet *Omnis*)

Nullus homo eſt qui non eſt ſenſu præditus.

Quippe omnes hæ (& harum ſimiles) propoſitiones, virtualiter continentur in illa prima concluſione (in *Barbara*) *omnis homo eſt ſenſu præditus*; (per regulas Oppoſitionum, Æquipollentiæ, & Converſionis, ſecunda parte traditas;) abſque aſſumpto novo medio (quod Syllogiſmi opus eſt:) adeoque (quo ab illis Præmiſſis hæ probentur concluſiones) non multiplicandæ ſunt Figuræ & Modi, ſed unus modus *Barbara*, his abunde ſufficit.

Et ſimiliter judicandum eſt de reliquorum modorum concluſionibus; quæ ea virtualiter in ſe continent omnia quæ inde per eas regulas deduci poſſunt, abſque aſſumptione novi medii.

Cap. V.

De Fundamento Syllogiſmi, & Modis figuræ primæ.

FUndamentum quo nititur *Modorum* omnium jam memoratorum, (unde probetur *Concluſivos* eſſe;) eſt *Poſtulatum* illud quod dici ſolet *Dictum de Omni & de Nullo*: quod tam per ſe evidens præſumitur, ut probatione non indigeat. Nimirum, *Quicquid de Subjecto quopiam univerſaliter Affirmatur aut Negatur, id ſimiliter vel Affirmatur vel Negatur de omni eo de quo hoc ſubjectum dicitur.* Utputa, Quicquid univerſaliter affirmatur aut negatur de Animali; ſimiliter affirmatur vel negatur de quopiam Animali, ſeu de omni eo quod eſt Animal: puta de *Homine*, de *Bruto*, de *Alexandro*, de *Bucephalo*, alioque quopiam Animali.

Ex hoc Poſtulato; Figuræ primi Modi omnes probantur *Directe* (abſque ambage) per immediatam applicationem hujus Regulæ. Hic enim in Majori propoſitione Univerſaliter vel Affirmatur vel Negatur, terminus Major de Medio. (Quod ut fiat, neceſſe eſt ut ea Major ſit Univerſalis.) Nimirum, in *Barbara* & *Darii*, univerſaliter *Affirmatur*; in *Celarent* & *Ferio*, univerſaliter *Negatur*. Mediuſque terminus ille, in Minore propoſitione, affirmatur de termino Minore, (quod ut fiat, neceſſe eſt ut ea minor ſit Affirmativa.) Hinc ſequitur, Majorem illum terminum (qui de medio affirmatur aut negatur univerſaliter,) ſic vel affirmari vel negari de termino Minore (utpote de quo Medius ille in minore propoſitione affirmatur;) idque vel Univerſaliter vel Particulariter, prout de eo affirmatur Medius in propoſitione minore. Ut videre eſt in Modis ſingulis.

Bar- *Omnia animalia ſunt ſenſu prædita.*
ba- *Omnes homines ſunt animalia.* Ergo
ra. *Omnes homines ſunt ſenſu præditi.*

Ubi, ex eo quod *omnes homines* ſint *animalia*; quod prius *affirmatur* de omnibus animalibus (nimirum *ſenſu eſſe prædita*,) de *omnibus hominibus* (cum illi omnes ſint animalia) affirmandum erit.

Ce- *Nulla animalia ſunt ſenſu vacua,*
la- *Omnes homines ſunt animalia.* Ergo
rent. *Nulli homines ſunt ſenſu vacui.*

Ubi, ex eo quod *omnes homines* ſint *animalia*, *negatur* de his omnibus *ſenſu vacuos eſſe*, ut quod de *omnibus animalibus* eſt negatum.

Da- *Omnes homines ſunt ratione præditi,*
ri- *Aliqua animalia ſunt homines*, Ergo,
i. *Aliqua animalia ſunt ratione prædita.*

Ubi, ex eo quod *aliqua animalia* ſint *homines*, arguitur de *his aliquibus* affirmandum eſſe, quod ſunt *ratione præditi*, utpote quod de *omnibus hominibus* affirmandum eſt.

Fe- *Nulli homines ſunt ratione deſtituti,*
ri- *Aliqua animalia ſunt homines*; Ergo
o. *Aliqua animalia non ſunt ratione deſtituta.*

Ubi, ex eo quod *aliqua animalia* ſint *homines*, negatur de *his aliquibus*, eſſe *ratione deſtituta*, ut quod eſt de *omnibus hominibus* negandum.

Liquet igitur, hos quatuor Modos (virtute præmiſſi Lemmatis ſeu Poſtulati) Concluſivos eſſe. Nam *terminus major* qui *de medio* vel *Univerſaliter affirmatur* (ut in *Barbara* & *Darii*) vel *Univerſaliter negatur* (ut in *Celarent* & *Ferio*) pariter vel *affirmandum* eſſe vel *negandum* dicitur de *termino minore*, quatenus de hoc *affirmatur* medius ille, puta, vel de *toto* (ut in *Barbara* & *Celarent*) vel *de parte* (ut in *Darii* & *Ferio*) prout vel *de minore toto*, vel *de ejus parte*, Affirmatur ille medius terminus.

Patet etiam ratio duarum de prima figura Regularum. Nam niſi minor propoſitio ſit affirmativa, (ut *medius* de *minore* termino *affirmetur*,) nulla apparet ratio cur ea quæ de *Medio* dicantur cenſerentur *minorem* attingere. Quæque (in majore propoſitione) de *Medio* dicuntur (ſive affirmando ſive negando) ſi non de eo dicantur *Univerſaliter* (ſed de *aliquibus* tantum ſub eo contentis) non conſtat hæc *aliqua* de quibus dicuntur, ea ipſa eſſe quæ ſub *minore* termino continentur; cum poſſint eſſe alia aliqua.

Conſtat igitur tum *hos quatuor modos eſſe*, tum *alios non eſſe*, in hac figura, *Concluſivos*. Dum autem *alios non eſſe concluſivos* dicimus; non ita intelligendum eſt acſi eos excluſos vellem, qui ſunt horum alicui *æquipollentes*, (utut, tranſpoſitis terminis ſeu propoſitionibus, aut aliis Cryptibus occultentur;) aut eos ubi ab eiſdem Præmiſſis (aut quæ his æquipollent) infertur concluſio quæ in concluſione horum alicujus continetur (puta, per ſubalter-

ſubalternationem, æquipollentiam, aut converſionem. Quippe omnes hos, non *alios* eſſe ſed *eoſdem* modos dicimus, cum jam dictis, atque in ipſis contentos.

Hi quatuor primæ figuræ Modi, dici ſolent *Modi perfecti*; eo quod per immediatam applicationem iſtius *Dicti de Omni & de Nullo*, eorum conſecutio probatur.

Alii (ſecundæ & tertiæ figuræ) Modi, dicuntur *Imperfecti*. Non quaſi in illis concludendi vis ſit imperfecta, aut quaſi iocertum eſſet poſitis præmiſſis an Concluſio vera ſit: (nam, in his, concludendi vis non minus perfecta eſt, & conſecutio certa, quam in prima figura:) Sed quoniam illorum probatio, (per immediatam applicationem ad *Dictum de Omni & de Nullo*) eſt magis evidens & perſpicua. Horum autem probatio ab illorum probatione dependet; & ſupponit jam ante probatum eſſe, eos modos eſſe Concluſivos. Quæ quidem probatio, ſyllogiſmorum *Reductio* dici ſolet. De qua mox dicetur.

Nonnulli autem Logici (noſtri ſeculi, aut ſuperioris) poſthabita veterum probatione per *Dictum de Omni & de Nullo*; aliud ſubſtituunt illius loco Poſtulatum, nimirum *Quæ conveniunt in eodem tertio, conveniunt inter ſe.* Atque ad hanc regulam exigentes ſingulos ſyllogiſmorum Modos, inde concluſum eunt juſtam eorum conſecutionem. Quique ſic procedunt; negligere poſſunt eam diſtinctionem modorum *perfectorum* & *imperfectorum*; ut quæ ortum ducit ab ea methodo qua uſi ſunt Veteres, in probatione ſua ab illo *Dicto*.

Ego Veterum probationem ut potiorem amplector, Ariſtotelis methodo conformem: ſaltem hic loci potius explicandam, ut ea quæ jam olim ſcripta ſunt de hoc negotio rectius intelligantur.

Cap. VI.

De Reductione Syllogiſmorum; & Modis ſecundæ figuræ.

CUM jam probatum ſit, Modos primæ figoræ concluſivos eſſe, (per immediatam applicationem ad Regulam illam, quam fecerunt Fundamentum Syllogiſmi:) Eorum ope probatur; Modos item Secundæ & Tertiæ figuræ, Concluſivos eſſe. Methodus id probandi *Reductio* dici ſolet.

Eſtque *Reductio* duplex; altera *Oſtenſiva*, altera *per deductionem ad Impoſſibile*.

Oſtendit prior, Modum illum concluſivum eſſe, eo quod (ope quarundam converſionum & tranſpoſitionum) idem concludi poſſit per eaſdem præmiſſas (aut quod in illis virtualiter continetur) in modorum aliquo primæ figuræ; quos concluſivos eſſe jam probatum eſt. Atque hæc probatio locum habet in omnibus ſecundæ & tertiæ figuræ modis; exceptis *Baroco* & *Bocardo*.

Probat altera, propoſitum Modum concloſivum eſſe; hoc eſt, ſi præmiſſæ veræ ſint non poſſe concluſionem eſſe falſam; eo quod, ſi cooclusio falſa ſit, ejuſdem Contradictoria (per Oppoſitionum regulas) erit vera: hoc autem poſito, probabitur hujus ope, cum præmiſſarum altera, reliquam eſſe falſam: quod abſurdum eſt, ſeu impoſſibile; ponebatur enim utramque præmiſſarum eſſe veram. Atque hæc probatio extendit ad omnes modos ſecundæ & tertiæ figuræ: ſed potiſſimum inſervit duobus modis *Baroco* & *Bocardo*; ad quos probatio altera non extendit.

Totius rei proceſſus, hic eſt.

Quilibet horum modorum (reductione probandorum) ad eum primæ figuræ modum reducendum docent, qui eandem habet *literam initialem*; ſecundum directionem horum verſuum,

S, vult *ſimpliciter* verti; *P*, vero *per Acci.*
M, vult *tranſponi*: *C*, *per impoſſibile* duci.

Ubi notandum eſt, has literas eam propoſitionem reſpicere, quæ per antecedentem vocalem notatur: quæ, ſi S ſequatur, eſt *ſimpliciter convertenda*; ſi P ſequatur, eſt *convertenda per accidens*; ſi M occurrat, *tranſponendæ* ſunt præmiſſæ. Quibus peractis, habebitur ſyllogiſmus in prima figura, æquipollens huic in ſecunda aut tertia. Verum, ſi C occurrat (ut in *Baroco* & *Bocardo*,) reducendus erit modus ille (non per Reductionem *oſtenſivam*, ſed) ſolummodo *per deductionem ad impoſſibile*.

Quæ poſterior reducendi methodus (ἀπαγωγὴ dicta) in reliquis item modis reducendis locum habet; ſed eſt in hiſce neceſſaria, ut qui methodum oſtenſivam non admittunt.

Sic *Ceſare* (modus ſecundæ figuræ) probatur eſſe modus *concluſivus*; quia, per *ſimplicem* converſionem majoris (quam innuit S litera) idem concludetur in *Celarent*. Utputa,

Ceſ- *Nullum animal eſt incorporeum*:
a- *Omnes angeli ſunt incorporei.* Ergo
re. *Nullus angelus eſt animal.*

 Quippe,

Quippe, ſi hujus præmiſſæ veræ ſint, & ſpeciatim major; erit hujus converſa per converſionem ſimplicem (utpote, univerſalis negativæ,) itidem vera; *nullum incorporeum eſt animal*; cujus ope (cum minore ut prius) eadem inferetur concluſio in *Celarent*, (quem eſſe modum concluſivum, jam probatum eſt,) nimirum,

Ce- *Nullum incorporeum eſt animal,*
la- *Omnes angeli ſunt incorporei*: Ergo
rent. *Nullus angelus eſt animal.*

Nec tamen rejicimus *Ceſare* ut modum inutilem (quamvis idem in *Celarent* concludi poſſet) quia magis naturalis videtur prædicatio (& uſitatis loquendi formulis accommodatior) dicere, *nullum animal eſt incorporeum*, quam *nullum incorporeum eſt animal*: Adeoque, hoc caſu, *Ceſare* potior eſt quam *Celarent*.

Similiter *Cameſtres* probabitur modus concluſivus, Reductione ad *Celarent* (primæ figuræ modum eandem literam initialem habentem) tranſpoſitis præmiſſis (quod innuit M,) minoreque & concluſione ſimpliciter converſis (quod innuunt S literæ.) Utputa

Cam- *Omnia animalia ſunt corporea*;
eſ- *Nullus ſpiritus eſt corporeus* (Luc. 24. 39.) Ergo
tres. *Nullus ſpiritus eſt animal.*

Cujus minor ſi vera ſit, erit & hujus converſa vera, *Nullum corporeum eſt ſpiritus*. Quæ, una cum majore tranſpoſita, concludit, in *Celarent*, *nullum animal eſſe ſpiritum*.

Ce- *Nullum corporeum eſt ſpiritus*;
la- *Omne animal eſt corporeum*: Ergo
rent. *Nullum animal eſt ſpiritus.*

Quæ concluſio ſi vera ſit, erit & hujus converſa vera, *Nullus ſpiritus eſt animal*, quod ante concludebatur in *Cameſtres*. Cujus itaque ſi præmiſſæ veræ ſint, vera erit & concluſio.

Idem probabitur (tranſpoſitis præmiſſis & converſa concluſione) reducendo *Cameſtres* ad *Ceſare*, quem jam probavimus eſſe modum Concluſivum.

Nec tamen rejicimus *Cameſtres* ut modum inutilem, (quamvis idem, eodem medio, probari poſſit in *Celarent* & *Ceſare*,) quoniam aptius dicitur & naturalius, *nullus ſpiritus eſt corporeus*, quam *nullum corporeum eſt ſpiritus*; Et quidem, ſi indifferenter diceretur utrumvis, indifferenter adhiberetur *Cameſtres* aut *Celarent*: Sed & in *Cameſtres* directe concluditur *nullus ſpiritus eſt animal*, cujus non niſi converſa probatur in *Celarent* & *Ceſare*. Adeoque potior eſt, hoc caſu, *Cameſtres*.

Sic *Feſtino*, concluſivus probatur, quia per ſimplicem converſionem majoris (utpote univerſalis negativæ) idem probabitur (eodem medio) in *Ferio*.

Feſ- *Nullus infidelis per Chriſtum ſalvatur*; Mar. 16. 16.
ti- *Aliqui Judæorum per Chriſtum ſalvantur*; (Rom. 1. 16.) Ergo
no. *Aliqui Judæorum non ſunt infideles.*

Fe- *Nullus qui per Chriſtum ſalvatur eſt infidelis*;
ri- *Aliqui Judæorum per Chriſtum ſalvantur*: Ergo
o. *Aliqui Judæorum non ſunt infideles.*

Nec tamen rejicendus eſt *Feſtino*, ut modus inutilis; ſed potior, hoc caſu, quam *Ferio*; quoniam aptius dicitur *nullus infidelis per Chriſtum ſalvatur*, quam *nullus eorum qui per Chriſtum ſalvantur eſt infidelis*.

Sed *Baroco* (qui reliquus modus eſt ſecundæ Figuræ) Reductione *Oſtenſiva* non probabitur; ſed deductione *ad Impoſſibile* (quod C notat.) Quoniam, ſi concluſio falſa ſit, probabitur (in *Barbara*) alteram præmiſſarum eſſe falſam; non (ut ſupponitur) veram utramque. Puta,

Ba- *Omnes in Chriſto fideles ſalvantur*; Joh. 1. 16.
roc- *Aliqui Judæorum non ſalvantur*: Ergo
o. *Aliqui Judæorum non ſunt in Chriſto fideles.*

Quippe ſi hæc concluſio vera non ſit, vera erit (per Oppoſitionum Regulas) ejuſdem contradictoria, *Omnes Judæi ſunt in Chriſto fideles*; Cujus ope (cum Majore ut prius) probabitur (in *Barbara*) contradictoria Minoris (quam indicat C litera.) Adeoque non erat utraque præmiſſarum vera, ſi concluſio falſa ſit.

Bar- *Omnes in Chriſto fideles ſalvantur*;
ba- *Omnes Judæi ſunt in Chriſto fideles*: Ergo
ra. *Omnes Judæi ſalvantur.*

Similiter quilibet ſecundæ figuræ modus demonſtrabitur eſſe concluſivus; Quia, ſi ſecus; retenta majore ſumptaque concluſionis contradictoria, probabitur minor eſſe falſa.

Sed negligendum hic eſt indicium initialis literæ; ipſarumque S, P, M; ut quæ omnes accommodantur Reductioni oſtenſivæ.

Sic, modo dicti in *Ceſare* ſyllogiſmi, ſumpta contradictoria concluſionis, probabitur in *Ferio* contradictoria minoris. Probabitur, inquam, in *Ferio*: Cum enim minor in *Ceſare* ſit A, cujus Contradictoria ſit O; probanda hæc erit in *Ferio*.

Fe- *Nullum*

Fe- *Nullum animal eſt incorporeum*;
ri- *Aliquis angelus eſt animal*; Ergo
o. *Aliquis angelus non eſt incorporeus.*

Similiter, ſyllogiſmi modo dicti in *Cameſtres*, ſi concluſio falſa ſit, probabitur (in *Darii*) contradictoria minoris.

Da- *Omne animal eſt corporeum*;
ri- *Aliquis ſpiritus eſt animal*; Ergo
i. *Aliquis ſpiritus eſt corporeus.*

Item ſyllogiſmi modo dicti in *Feſtino*, minoris contradictoria (ſi concluſio falſa ſit) probabitur in *Celarent*.

Ce- *Nullus infidelis per Chriſtum ſalvatur*;
la- *Omnes Judæi ſunt infideles*; Ergo
rent. *Nullus Judæorum per Chriſtum ſalvatur.*

Sed negligi ſolent hæ probationes Apagogicæ, in aliis omnibus (præterquam in *Baroco*) ſecundæ figuræ modis; quoniam in reliquis locum habet Reductio *Oſtenſiva*; quæ potior haberi ſolet.

CAP. VII.

De Modis Tertiæ Figuræ.

Similiter demonſtrabitur, Modos Tertiæ figuræ Concluſivos eſſe: Nempe omnes, excepto *Bocardo*, Reductione oſtenſiva; hi autem, cum reliquis, deductione ad Impoſſibile.

Sic *Darapti* & *Datiſi* probantur concluſivi, Reductione oſtenſivâ ad *Darii*; minoris converſione per accidens in *Darapti*; ſed ſimplici in *Datiſi*.

Da- *Omnes fideles ſunt Deo chari*;
rap- *Omnes fideles ſunt afflicti*: (Heb. 12. 6.) Ergo
ti. *Aliqui afflicti ſunt Deo chari.*

Da- *Omnes fideles ſunt Deo chari*;
ti- *Aliqui fideles ſunt afflicti*: Ergo
ſi. *Aliqui afflicti ſunt Deo chari.*

Da- *Omnes fideles ſunt Deo chari*;
ri- *Aliqui afflicti ſunt fideles*: Ergo
i. *Aliqui afflicti ſunt Deo chari.*

Nec tamen rejiciendi ſunt hi modi; (quanquam idem probari poteſt eodem medio, in *Darii*:) quoniam aptius dicetur (ſaltem non minus apte) *omnes fideles ſunt afflicti*, ſeu *aliqui fideles ſunt afflicti*, quam *aliqui afflicti ſunt fideles*.

Idem de *Diſamis* probabitur; nempe, idem (ſeu quod huic æquipollet) eodem medio probatum iri in *Darii*. Puta

Di- *Aliqui fideles ſunt afflicti*;
ſam- *Omnes fideles ſunt Deo chari*; Ergo
is. *Aliqui Deo chari ſunt afflicti.*

Nam, ſimpliciter convertendo majorem, & tranſponendo Præmiſſas, inferetur converſa concluſionis hujus, (ut modo) in *Darii*; & nova converſione concluſionis in *Darii*, reſtituetur concluſio in *Diſamis*: cujus itaque, ſi Præmiſſæ veræ ſint, vera erit concluſio.

Da- *Omnes fideles ſunt Deo chari*,
ri- *Aliqui afflicti ſunt fideles*; Ergo
i. *Aliqui afflicti ſunt Deo chari.*

Adeoque (per novam converſionem)
Aliqui Deo chari ſunt afflicti.

Idem fiet, reductione ad *Datiſi*, (quem jam probavimus eſſe modum concluſivum,) tranſpoſitis Præmiſſis & ſimpliciter convertendo Concluſionem; atque tum demum (ſi id placet) ad *Darii*, ſimpliciter convertendo minorem in *Datiſi*.

Nec tamen rejiciendus eſt *Diſamis*; quia, non raro, major & concluſio in *Diſamis* aptius dicuntur, quam earum converſæ in *Darii* aut *Datiſi*; nec opus eſt nova converſione concluſionis ut habeatur quæſitum.

Felapton & *Feriſon* reducuntur ad *Ferio*, (adeoque probantur eſſe modi concluſivi,) eodem modo quo *Darapti* & *Datiſi* reducuntur ad *Darii*; convertendo minorem per accidens in *Felapton*, & ſimpliciter in *Feriſon*.

Fe- *Nulla bruta ſunt Religionis capacia,*
lap- *Omnia bruta ſunt animalia*; Ergo
ton. *Aliqua animalia non ſunt Religionis capacia.*

Fe- *Nulla bruta ſunt Religionis capacia,*
riſ- *Aliqua bruta ſunt animalia*; Ergo
on. *Aliqua animalia non ſunt Religionis capacia.*

Fe- *Nulla bruta ſunt Religionis capacia,*
ri- *Aliqua animalia ſunt bruta*; Ergo
o. *Aliqua animalia non ſunt Religionis capacia.*

Aptius autem dici videatur *bruta eſſe animalia,* quam *aliqua animalia eſſe bruta*; adeoque non rejiciendi ſunt *Felapton* & *Feriſon*, (quanquam idem eodem medio concludi poſſit in *Ferio*;) ſed non raro potiores ſunt illi.

Reliquus figuræ tertiæ modus *Bocardo*, non poteſt Reductione *Oſtenſiva* probari, ſed deductione ad impoſſibile, (quod notat litera C,) ut de *Baroco* ante dictum eſt. Cum hoc tamen diſcrimine; in *Baroco* (reliquiſque ſecundæ figuræ modis) retinetur Major (cum contradictoria Concluſionis) ut evertatur Minor: in *Bocardo* (modiſque tertiæ figuræ,) Minor retinetur (cum contradictoria Concluſionis) indeque concluditur Contradictoria Majoris; (adeoque non poſſe utramque Præmiſſarum veram eſſe ſi Concluſio ſit falſa.) Unde verſus illi,

Servat majorem, variatque ſecunda *minorem.*
Tertia *majorem variat, ſervatque minorem.*

Adeoque, in *Baroco*, C ſequitur ſecundam vocalem (quia minor evertitur;) in *Bocardo*, primam; quia evertitur major.

Boc- *Aliqui Chriſtiani non ſunt vere fideles,*
ar- *Omnes Chriſtiani fidem profitentur*; Ergo
do. *Aliqui fidem profitentium non ſunt vere fideles.*

Quem eſſe modum Concluſivum ſic arguitur: Quoniam, ſi concluſio falſa ſit (adeoque ipſius contradictoria vera) probabitur Præmiſſarum alteram falſam eſſe, (non utramque veram eſſe, ſi concluſio ſit falſa;) Nam, ſumpta (pro majore) concluſionis contradictoria & retenta minore, concludetur (in *Barbara*) contradictoria majoris.

Bar- *Omnes qui fidem profitentur ſunt vere fideles*;
ba- *Omnes Chriſtiani fidem profitentur*; Ergo
ra. *Omnes Chriſtiani ſunt vere fideles.*

Idem in reliquis tertiæ figuræ Modis pariter oſtendetur, ope alicujus modi primæ figuræ; illius nempe, cujus Major notatur ea vocali, quæ eſt contradictoria vocali Concluſionis in tertia figura, & concluſio, ea vocali, quæ contradictoria eſt vocali Majoris in tertia figura; aut quæ hanc ſaltem contradictoriam includit.

Sic major antedicti ſyllogiſmi in *Darapti* evertetur per *Celarent*. (Nam E, vocalis Concluſionis in *Celarent*, includit O contradictoriam majoris A in *Darapti*; ut Univerſalis particularem: & ſimiliter in ſequentium aliquibus.)

Ce- *Nulli afflicti ſunt Deo chari,*
la- *Omnes fideles ſunt afflicti*; Ergo
rent. *Nulli fideles ſunt deo chari.*

Iſtiuſque in *Datiſi*, ope *Ferio*.

Fe- *Nulli afflicti ſunt Deo chari,*
ri- *Aliqui fideles ſunt afflicti*; Ergo
o. *Aliqui fideles non ſunt Deo chari.*

Iſtius in *Diſamis*, ope *Celarent*.

Ce- *Nulli Deo chari ſunt afflicti,*
la- *Omnes fideles ſunt Deo chari*; Ergo
rent. *Nulli fideles ſunt afflicti.*

Iſtius in *Felapton*, ope *Barbara*.

Bar- *Omnia animalia ſunt religionis capacia.*
ba- *Omnia bruta ſunt animalia*; Ergo
ra. *Omnia bruta ſunt religionis capacia.*

Iſtius in *Feriſon*, ope *Darii*.

Da- *Omnia animalia ſunt religionis capacia.*
ri- *Aliqua bruta ſunt animalia*; Ergo
i. *Aliqua bruta ſunt religionis capacia.*

Sed omnes hæ demonſtrationes per impoſſibile, præter eam quæ eſt de *Bocardo*, negligi ſolent, (vel poſthaberi,) eo quod reliqui modi admittant Reductionem Oſtenſivam, quæ potior haberi ſolet.

Atque jam demonſtravimus, trium Figurarum receptos Modos omnes, eſſe Concluſivos; adeoque

adeoque ſyllogiſmum quemvis in horum Modorum quolibet formatum, verum eſſe; ut, ſi veræ ſint Præmiſſæ, erit etiam Concluſio vera.

Quod eo fuſius (& diſtincte) proſequutus ſum, quoniam plurimi eorum qui Logicæ dant operam, reſpicere ſolent has ſubtilitates omnes, de Oppoſitione, Æquipollentia, & Converſione Propoſitionum, & Reductione Syllogiſmorum, tanquam inutiles nugas, tironum animis torquendis tantum aptas: Non animadvertentes (quod in his potiſſimum intenditur) ideo introductas eſſe, ut inde probetur, receptas argumentandi formas, ſyllogiſmorum præſertim, Concluſivas eſſe; indeque, ex Præmiſſarum veritate, recte inferri veritatem concluſionis.

Facile probatu eſſet, Syllogiſmos alios omnes, qui non ſunt in horum modorum aliquo conſtituti, nec qui horum alicui (quoad ſenſum) æquipollent; non eſſe Concluſivos: Examinando poſſibiles omnes terminorum majoris & minoris in quæſtione, cum medio connectendi modos, & oſtendendo nullos eorum, qui expoſitorum alicui non æquipollent, concluſivos eſſe; exhibitis exemplis, ubi, in illis formis, ex veris Præmiſſis inferri poſſit falſa Concluſio.

Sed huic labori jam ſuperſedeo; contentus (in ſequentibus capitibus) oſtendere, quod ſaltem ii omnes qui perhiberi ſolent ut utiles atque ab his diverſi; vel concluſivi non ſunt, vel non alii ab expoſitis, ſed iidem ipſi (ſi ſenſum ſpectes) aut his æquipollentes, utcunque deformati, luxati, aut alias Cryptice diſtorti; aut ſaltem inutiles & ſuperflui, cum, quod ſic probari perhibetur, id ipſum aptius & magis naturaliter, eodem medio, in his probetur.

Cap. VIII.

De Modis Indirectis.

PRæter Modos jam enumeratos (quos *Directos* vocant,) ſunt qui alios ſuperaddunt, quos vocant Modos *Indirectos*. Taleſque, in Figura Prima, numerant quinque,

——*Baralipton*,
Celantes, *Dabitis*, *Fapeſmo*, *Friſeſomorum*,

Ubi, pro primo & ultimo, aptius dicas *Baralip*, & *Friſeſom*, (nam quod ſequitur, in his vocibus, inutile eſt; complendo verſui ſuperadditum;) aut potius *Friſeſmo*; nam M litera non intelligenda eſt Concluſionem afficere, ſed ſolum innuit tranſpoſitionem Præmiſſarum.

Vocantur autem *Indirecti*, quia duo termini, in Concluſione, apparent *Inverſi*; Puta, terminus Major (ſaltem qui cum medio diſponitur in prima propoſitione, quam pro majore habent) fit Subjectum Concluſionis; & terminus Minor (ſaltem qui in ſecunda propoſitione, quam pro minore habent, cum medio diſponitur) Concluſionis Prædicatum; contra quam in Directo ſyllogiſmo fieri debet.

Ba- *Omne animal eſt ſenſu præditum*,
ra- *Omnis homo eſt animal*; Ergo
lip. *Aliquod ſenſu præditum eſt homo.*

Hunc modum eſſe concluſivum contendunt, quia concluſionem convertendo per accidens (quod innuit P) fiet Syllogiſmus in *Barbara*. Hoc eſt (nam hoc volunt hic loci per *converſionem per accidens*) ſi ex particulari affirmativa, *aliquod ſenſu præditum eſt homo*; fiat, per converſionem, Univerſalis affirmativa, *Omnis homo eſt ſenſu præditus*; poterit hoc, ex illis Præmiſſis, concludi in *Barbara*.

At, inquam, hæc Univerſalis affirmativa, non poteſt (per leges converſionis) inferri ab illa Particulari affirmativa. Verum quidem eſt (per Converſionis leges in ſecunda parte ſtabilitas) Univerſalem affirmativam, converti poſſe *per accidens* in Particularem affirmativam; ſed non vice verſa, hæc in illam. Poſſumus ab hac univerſali *omnis homo eſt ſenſu præditus*, convertendo inferre, Ergo, *aliquod ſenſu præditum eſt homo*. Non autem, ex hac, *aliquod ſenſu præditum eſt homo*, recte inferre, Ergo *omnis homo eſt ſenſu præditus*. Quanquam enim hoc verum ſit, non tamen inde ſequitur. Secus enim, perinde ſequeretur, quia *aliquis homo eſt albus*, Ergo *omne album eſt homo*.

Non negaverim tamen quin hic Modus (qualis qualis) ſit concluſivus; ſed tum hoc probarem, non convertendo affirmativam illam particularem in Univerſalem; ſed ſic potius, Quoniam ex eiſdem Præmiſſis.

Bar- *Omne animal eſt ſenſu præditum*,
ba- *Omnis homo eſt animal*;

inferri poteſt (in *Barbara*) hæc univerſalis, Ergo

ra. *Omnis homo eſt ſenſu præditus*:

 adeoque

adeoque (hanc convertendo per accidens)

Aliquod ſenſu prædítum eſt homo.

Sed porro dicerem, hunc non alium eſſe Modum à *Barbara* diſtinctum, (ſaltem ſuperfluum eſſe & inutilem, ut qui in illo includitur :) ſed eum ipſum Modum paulo diſtortum ; ubi, pro concluſione directa, ponitur ejuſdem converſa, quæ (cum aliis) in ea directa continetur.

Non ſufficit ad alium diſtinctum Modum conſtituendum, ut Concluſio non ſit *formaliter eadem* cum concluſione in *Barbara*, licet in ea virtualiter contenta.

Nam, eadem ratione, novus inſtituendus eſſet Modus, quo, ab eiſdem Præmiſſis, concluderetur *Aliquos homines eſſe ſenſu præditos*, (hæc enim, licet virtualiter in ea contineatur, non tamen eſt formaliter eadem cum Univerſali, *Omnes homines ſunt ſenſu præditi*,) quod nemo hactenus dixerit ; ſed diceretur potius, Particularem illam, in hac Univerſali, virtualiter contineri, (indeque eliciendam) per Regulas de Subordinatione.

Aliuſque porro, quo ab eiſdem Præmiſſis probetur, *Quod non eſt ſenſu præditum non eſſe hominem* : (Qui pariter concluſivus eſſet, quoniam, ab eadem directa concluſione, hanc rite inferas, Convertendo per contrapoſitionem ; nec tamen eſt, cum illa, formaliter eadem :) qualem tamen Modum nemo hactenus aſſignavit.

Et quidem, ſi levicula hujuſmodi variatio Concluſionis, novum induceret Modum ; multiplicandi eſſent in immenſum Modi, contra quam hic intenditur. Quippe ſcopus hujus doctrinæ eſt, ut reducatur Modorum numerus ad (quam commode fieri poteſt) pauciſſimos ; aliique qui his æquipollent, aut in hiſce continentur, pro eiſdem habeantur.

Quodque de *Baralipton* dictum eſt, pariter intelligendum erit, paucis mutatis, de *Dabitis* ; quæ eſt parilis deformatio modi *Darii*, ac eſt *Baralipton* modi *Barbara*.

Da- *Omne animal eſt ſenſu præditum,*
bi- *Aliquis homo eſt animal* ; Ergo
tis. *Aliquod ſenſu præditum eſt homo.*

Da- *Omne animal eſt ſenſu præditum,*
ri- *Aliquis homo eſt animal* ; Ergo
i. *Aliquis homo eſt ſenſu præditus.*

Adeoque (hanc convertendo ſimpliciter)
Aliquod ſenſu præditum eſt homo.

Similiter, *Celantes* eſt deformatio modi *Celarent* ; ſimpliciter convertendo concluſionem.

Ce- *Nullum animal eſt ſenſu vacuum,*
la- *Omnis homo eſt animal* ; Ergo
rent. *Nullus homo eſt ſenſu vacuus.*

Adeoque (ſimpliciter convertendo concluſionem)
Nullum ſenſu vacuum eſt homo.

Ce- *Nullum animal eſt ſenſu vacuum,*
lan- *Omnis homo eſt animal* ; Ergo
tes. *Nullum ſenſu vacuum eſt homo.*

Hi itaque tres modi, *Baralip*, *Dabitis*, *Celantes*, nil novi præſtant aliud, quam quod pro directa concluſione in *Barbara*, *Celarent*, *Darii*, ejuſdem exhibeant converſam (inibi contentam) ut videantur, rem bene ordinatam, aliquatenus turbare ; adeoque modum *indirectum* facere.

Sed in *Ferio*, concluſio (utpote particularis negativa) non poteſt converti (aliter quam per contrapoſitionem) ut ſic fiat ſyllogiſmus indirectus. Adeoque (quo aliquid inordinatum ſeu deformatum exhibeant) Concluſionem retinent, & utramque Præmiſſarum convertunt, eaſque tandem (quo videatur Syllogiſmus in prima figura, & indirectus,) tranſponunt. Cumque minor in *Ferio* ſit particularis Affirmativa, adeoque certo poſſit in particularem Affirmativam converti (unde habetur modus *Friſeſmo* ;) quandoque etiam, vi materiæ, in Univerſalem affirmativam, (unde habetur *Fapeſmo* ;) hinc, pro *Ferio*, duos habemus modos indirectos *Fapeſmo*, & *Friſeſmo* (ſeu *Friſeſomorum*) concluſivos quidem ambos, ſed ſuperfluos, ut qui nil aliud ſunt quam deformatio modi *Ferio*.

Fe- *Nullus homo eſt ratione deſtitutus,*
ri- *Aliqua animalia ſunt homines* ; Ergo
o. *Aliqua animalia non ſunt ratione deſtituta.*

Friſ- *Aliqui homines ſunt animalia,*
eſm- *Nihil ratione deſtitutum eſt homo* ; Ergo
o. *Aliqua animalia non ſunt ratione deſtituta.*

Fap- *Omnes homines ſunt animalia,*
eſm- *Nihil ratione deſtitutum eſt homo* ; Ergo
o. *Aliqua animalia non ſunt ratione deſtituta.*

Qui

Qui modi (quales quales) Concluſivi quidem ſunt (utpote deformationes modi *Ferio*) ſed ſuperflui, cum idem naturalius & clarius probetur in *Ferio*.

Notandum item, Regulas ante traditas de Prima figura (Majorem eſſe univerſalem, & Minorem affirmativam,) non hic tenendas eſſe : Quippe contrarium accidit in *Friſeſmo*, de utraque ; in *Fapeſmo*, ſaltem de minore.

Notandum porro ; quanquam in *Friſeſmo*, præter Præmiſſarum tranſpoſitionem (quo concluſio appareat indirecta,) utraque præmiſſarum etiam convertitur (quo videatur adhuc in prima figura,) hoc tamen factu neceſſarium non eſt. Sed modus indirectus non minus foret Concluſivus, ſi neutra Converſionum fieret ; vel ſi una tantum. Unde provenient modi indirecti, de quibus, qui nobis hos cuderunt quatuor, omnino tacent.

Si (tranſpoſitis præmiſſis) *neutra* convertatur ; concluſivus adhuc modus erit indirectus, ſed in quarta figura, ut *Firemo* ; nempe ſi mera tranſpoſitio præmiſſarum cenſebitur mutare Modum : ſi non, manebit adhuc *Ferio*.

Si tantum convertatur minor in *Ferio* (jam facta Major poſt tranſpoſitionem) erit modus indirectus in tertia figura, ut *Friſemo*.

Si tantum major in *Ferio* (jam facta minor poſt tranſpoſitionem) erit modus indirectus in ſecunda figura, ut *Fireſmo*.

Fi- *Aliqua animalia ſunt homines,*
re- *Nullus homo eſt ratione deſtitutus* ; Ergo
mo. *Aliqua animalia non ſunt ratione deſtituta.*

Friſ- *Aliqui homines ſunt animalia,*
em- *Nullus homo eſt ratione deſtitutus* ; Ergo
o. *Aliqua animalia non ſunt ratione deſtituta.*

Fir- *Aliqua animalia ſunt homines* ;
eſm- *Nullum ratione deſtitutum eſt homo* ; Ergo
o. *Aliqua animalia non ſunt ratione deſtituta.*

Quæ quidem Formæ ſi concluſivæ ſint, erunt (ex abundanti) non minus concluſivæ *Faremo*, *Frapemo*, *Fareſmo*, ſiquando *Materia* patitur A pro I ſubſtitui ; quamvis non poſſit ex I in *Ferio* (per converſionis aut ſubalternationis leges) certo inferri A in his. Quod de *Baralipton* & *Fapeſmo* ante monitum eſt.

Fa- *Omnia animalia ſunt homines* ;
rem- *Nullus homo eſt ratione deſtitutus* ; Ergo
o. *Aliqua animalia non ſunt ratione deſtitutæ.*

Frap- *Omnes homines ſunt animalia,*
em- *Nullus homo eſt ratione deſtitutus* ; Ergo
o. *Aliqua animalia non ſunt ratione deſtituta.*

Far- *Omnia animalia ſunt homines* ;
eſm- *Nullum ratione deſtitutum eſt homo* ; Ergo
o. *Aliqua animalia non ſunt ratione deſtituta.*

(Res adhuc evidentior foret in *Faremo* & *Fareſmo*, ſi, pro *Animal*, ſumeretur medium *Riſibile*, quo etiam in his Major ſit vera.)

Adeoque jam, ex uno *Ferio*, ſuppullulantur ſaltem Octo modi ſpurii ; concluſivi omnes, ſed ſuperflui, & merito rejectanei ; cum unus *Ferio* pro his omnibus ſufficiat.

Parilis modorum ſuperfœtatio, ex aliis item directis Modis facile oſtenderetur, ſi hujuſmodi deformatio ſufficeret novis Modis procreandis. Hoc ſaltem monendum duxi ; Nempe, Per nudam præmiſſarum tranſpoſitionem, ex ſingulis in ſecunda figura modis directis, totidem conſtituentur *indirecti* in eadem figura : Item ex ſingulis in tertia figura directis, totidem orientur in eadem figura indirecti : Ex ſingulis item in prima figura directis, totidem orientur indirecti in quarta ; &, vice verſa, ex ſingulis in quarta directis, totidem orientur indirecti in prima. Quibus ſi accenſeantur alii ex leviculis mutationibus oriundi, numerus Modorum ſine modo creſcet in immenſum.

Laudanda potius eſt Ariſtotelis ſagacitas, & mirandum ingenium, qui ſimplices argumentationes omnes ſic ad paucas redegit formas, ut nulla ſit (juſtam habens conſecutionem) quæ non ad earum aliquam referatur.

Contenti itaque ſimus trium figurarum modis quatuordecim directis ;

1. *Barbara, Celarent, Darii, Ferio* ; ——
2. *Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco* ; ——
3. ——*Darapti*,
Felapton, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon.

Qui omnes, jam demonſtrati ſunt, Concluſivi : Atque, in ſuo quique ordine, utiles omnes. Quanquam enim horum nonnulli (vi aliqua adhibita) ſuppleri poſſe videantur aliunde, (quod in variis Reductionibus oſtenſum eſt :) Attamen, in illis ipſis Modis qui (quoad formam)

formam) videntur æquipollentes ; Materia tamen talis eſſe poteſt ut nunc hic, nunc ille modus, ſit accommodatior, & prædicatio magis naturalis ; adeoque neuter rejiciendus.

Ideoque, in hujuſmodi ratiocinio ; *Omnes homines ſunt ſenſu præditi* ; eo quod *ſint animalia* ; (ſuntque *omnia animalia ſic prædita* :) Adeoque *quod non eſt ſenſu præditum, non eſt homo*. Et, quoniam *Omnes*, multo magis *Aliqui homines* ſunt ſic præditi. Et quoniam *omnes homines* (imo, ſi vel *aliqui*,) *ſunt ſenſu præditi* ; certum eſt *aliqua ſenſitiva* (ſeu *ſenſu prædita*) *eſſe homines*. Et conſequenter, *Verum eſſe non poteſt, Nihil ſenſu præditum eſſe hominem* ; vel etiam *Nullum hominem eſſe ſenſu præditum* : imo, ne quidem *aliquem hominem non eſſe ſenſu præditum*, aut *aliquid non ſenſu præditum eſſe , hominem*. Hoc totum ratiocinium non aliud eſſe dixerim, quam unum Syllogiſmum in *Barbara*. Quoniam, præter terminos quæſtionis, (*Homines* ſunt *ſenſu præditi*,) unicum aſſumitur probationis *medium*, nempe *Animal*. Qui quidem Syllogiſmus in formam reductus, hic eſt.

Bar- *Omnia animalia ſunt ſenſu prædita*,
ba- *Omnes homines ſunt animalia* ; Ergo
ra. *Omnes homines ſunt ſenſu præditi*.

Reliquaque omnia, totidem ſunt conſequentia, quæ in primaria concluſione continentur , (quod vult Ariſtoteles cum docet, ejuſdem Syllogiſmi plures eſſe concluſiones ; nimirum eas omnes quæ in primaria continentur ;) indeque elicienda (abſque novo Syllogiſmo) per argumentationes propoſitionales (ſecunda parte traditas ;) puta, per Regulas Subalternationis, Oppoſitionis, Æquipollentiæ, & Converſionis ; non adſcito novo Medio. Nempe, à Concluſione generali, *omnes homines ſunt ſenſu præditi*, ſequitur (converſa per contrapoſitionem) *quod non eſt ſenſu præditum, non eſt homo* : & quidem à fortiori (per Subalternationis regulas) ſaltem *aliquos homines ſic eſſe præditos* : atque hinc (per ſimplicem converſionem) aut à primaria concluſione (convertendo per accidens) *aliquos ſenſu præditos eſſe homines* : atque hinc (per Contradictoriarum regulam) *falſum eſſe, Nihil ſenſu præditum eſſe hominem* ; *Falſum* item (utpote primariæ concluſioni contrarium) *Nullum hominem eſſe ſenſu præditum* ; imo *falſum eſſe* (ut eidem concluſioni contradictorium) *ſaltem aliquem hominem non eſſe ſenſu præditum* ; falſum item (per Contrapoſitionis regulam) *aliquid non ſenſu præditum eſſe hominem* ; Imo hæc falſa eſſe (per regulam Contradictoriorum) utpote anteprobatis Contradictoria. Si autem non admittenda ſint hujuſmodi Supplementa, per Illationes Propoſitionales ; (ab ipſa propoſitionis forma abſque novo medio ;) pro ſingulis hiſce tot comminiſcendi erunt novi Modi. Quippe omnia hæc, ab eiſdem præmiſſis, poſſe (ſaltem per ſaltum) inferri, certum eſt.

Cap. IX.

De Quarta figura.

PRæter Tres Figuras jam memoratas, ſunt qui *Quartam* aſſignant, (*Galenicam* vulgo dictam, ut à *Galeno* introductam,) in qua Medius terminus (contra ordinem Primæ figuræ) ſit Prædicatum majoris & Subjectum minoris propoſitionis ; id eſt *Præ. Sub.* pro *Sub. Præ.*) cui aſſignant hos quinque modos ;

Sunt *Cadere*, & *Fedibo*, *Digami*, *Fegano*, *Balanique*.

Regulaſque aſſignant duas ; Quod ſit *Concluſio particularis*.; & *Minor Affirmativa*. Sed ab utriſque excipiunt *Cadere*.

Sunt autem hi quinque Modi, iidem ipſi (præmiſſis tantum tranſpoſitis) cum quinque Modis *Indirectis* in prima figura.

Sive enim ſic arguamus (& vocetur *Baralipton*)

Ba- *Omne animal eſt ſenſu præditum*
ra- *Omnis homo eſt animal* ; Ergo
lip. *Aliquod ſenſu præditum eſt homo*.

aut ſic, (& vocetur, *Balani*,)

Ba- *Omnis homo eſt animal*,
la- *Omne animal eſt ſenſu præditum* , Ergo
ni. *Aliquod ſenſu præditum eſt homo*.

argumentatio plane eadem eſt, eademque concludendi vis ; Nempe eadem utriuſque cum hac in *Barbara*.

Bar- *Omne animal eſt ſenſu præditum*,
ba- *Omnis homo eſt animal* ; Ergo
ra. *Omnis homo eſt ſenſu præditus*:

adeoque (per converſionem)

Aliquod ſenſu præditum eſt homo.

Item, ſive ſic, in *Celantes*,

Ce- *Nullum animal eſt ſenſu vacuum,*
lan- *Omnis homo eſt animal*; Ergo
tes. *Nullum ſenſu vacuum eſt homo.*

ſive ſic, in *Cadere.*

Ca- *Omnis homo eſt animal,*
de- *Nullum animal eſt ſenſu vacuum*; Ergo
re. *Nullum ſenſu vacuum eſt homo.*

eadem utriuſque argumentatio eſt cum hac in *Celarent*,

Ce- *Nullum animal eſt ſenſu vacuum,*
la- *Omnis homo eſt animal*; Ergo
rent. *Nullus homo eſt ſenſu vacuus.*

adeoque (per ſimplicem converſionem)

Nullum ſenſu vacuum eſt homo.

Similiter; ſive ſic arguamus, in *Dabitis*,

Da- *Omne animal eſt ſenſu præditum,*
bi- *Aliquis homo eſt animal*; Ergo
tis. *Aliquod ſenſu præditum eſt homo.*

ſive ſic, in *Digami*,

Di- *Aliquis homo eſt animal,*
gam- *Omne animal eſt ſenſu præditum*; Ergo
i. *Aliquod ſenſu præditum eſt homo.*

eadem eſt utriuſque argumentatio cum hac in *Darii*,

Da- *Omne animal eſt ſenſu præditum,*
ri- *Aliquis homo eſt animal*; Ergo
i. *Aliquis homo eſt ſenſu præditus.*

adeoque (per converſionem ſimplicem)

Aliquod ſenſu præditum eſt homo.

Iterumque; ſive ſic arguamus, in *Fapeſmo.*

Fap- *Omnes homines ſunt animalia,*
eſm- *Nihil ratione deſtitutum eſt homo*; Ergo
o. *Aliqua animalia non ſunt ratione deſtituta.*

ſive ſic, in *Fegano.*

Fe- *Nihil ratione deſtitutum eſt homo,*
ga- *Omnes homines ſunt animalia*; Ergo
no. *Aliqua animalia non ſunt ratione deſtituta.*

eadem utrobique argumenti vis eſt.

Porro, ſive ſic arguamus, in *Friſeſmo*,

Friſ- *Aliqui homines ſunt animalia,*
eſm- *Nihil ratione deſtitutum eſt homo*; Ergo
o. *Aliqua animalia non ſunt ratione deſtituta.*

ſive ſic, in *Fedibo*,

Fe- *Nihil ratione deſtitutum eſt homo,*
di- *Aliqui homines ſunt animalia*; Ergo
bo. *Aliqua animalia non ſunt ratione deſtituta.*

eadem utrobique eſt argumentatio. Atque omnium quatuor, eadem cum hac in *Ferio.*

Fe- *Nulli homines ſunt ratione vacui,*
ri- *Aliqua animalia ſunt homines*; Ergo
o. *Aliqua animalia non ſunt ratione vacua.*

Nullus itaque apparet prætextus, cur & illi figuræ Primæ Modi *Indirecti*, tum & hi *Directi* Modi figuræ Quartæ, ſimul admittantur, cum iidem ſint utrique; Hoc eſt, eædem utrobique præmiſſæ (ſed tranſpoſitæ,) eædemque Concluſiones. Adeoque qui alteros admittunt, omittunt alteros.

Videntur autem mihi conſonantius cum ratione loqui, qui hoſce modos vocant Directos figuræ Quartæ, quam figuræ Primæ Indirectos. Non enim illa ſemper eſt (quod hi videntur putaſſe) Major propoſitio quæ primo loco ponitur, ſed in qua habetur major terminus Quæſtionis, (ſive primo ſive ſecundo loco ponatur,) Minor, in qua minor terminus; ut neutiquam immutet modum, præmiſſarum tranſpoſitio. Facit quidem indirectum ordinem propoſitionis (hoc eſt, alium ab eo qui præſcribi ſolet) ſed Modum non immutat.

Sed, ſive hoc ſive illo modo quis loqui malit, eædem ipſæ rationes ſuperius allatæ, pro rejiciendis modis Indirectis (ſive primæ ſive aliarum figurarum,) perinde valent pro omittendis Figuræ Quartæ modis (utpote qui iidem ipſi ſunt;) quoniam id ipſum eodem medio

 probabitur

probabitur (& quidem aptius & naturalius) in directis modis figuræ primæ, quod probandum perhibetur ſive in Modis indirectis ſive in quartæ figuræ modis.

Objiciat forte aliquis; eadem ratione rejiciendos eſſe ſecundæ & tertiæ Modos aliquammultos, quoniam idem eodem medio (ſed paulo coactius & vi aliqua facta) probari poſſit per modos aliquos figuræ primæ. Verbi gratia, quicquid in *Darapti*, *Diſamis*, & *Datiſi*, probabitur, id ipſum (aut quod ipſi æquipollet) probabitur (eodem medio) in *Darii*. Pariterque in aliis aliquot modis.

Atque hoc quadantenus verum eſſe, non inficiamur; (ſed probavimus ipſi, ubi de Reductionibus agebatur:) poſſe idem eodem medio ſic probari. Sed id, non raro, fiet ſatis coacte, & non ſine violentia quadam; locutionibus minus naturalibus & à communi forma loquendi magis remotis. Quo caſu, cum uterque modus adhiberi poſſit, eum prætulerim qui aptius fluit; nunc illum primæ figuræ, nunc illum ſecundæ aut tertiæ; ut uterque utilis ſit & non rejiciendus.

Verbi gratia; ſi probatum vellem, *Subſtantias ſenſitivas aliquas* (utut non omnes) *rationales item eſſe*; mediumque adhibere *Animal*. Poteſt hoc in *Darii* ſic concludi;

Da- *Omnia animalia ſunt ſenſu prædita,*
ri- *Quædam rationalia ſunt animalia.* Ergo
i. *Quædam rationalia ſunt ſenſu prædita.*

adeoque (per ſimplicem converſionem)

Quædam ſenſu prædita ſunt rationalia.

ſed Minor & Concluſio, utut veræ ſint, minus tamen naturales, quam ſi ſic argueretur in *Diſamis*;

Diſ- *Quædam animalia ſunt ratione prædita*;
am- *Omnia animalia ſunt ſenſitiva*; Ergo
is. *Quædam ſenſitiva ſunt ratione prædita.*

adeoque, hoc caſu, *Diſamis* prætulerim.

Si autem probatum vellem, *Aliqua animalia eſſe rationalia*, Mediumque probationis adhibere *Homines*; poteſt hoc in *Diſamis* ſic concludi,

Diſ- *Quidam homines ſunt animalia,*
am- *Omnes homines ſunt rationales*; Ergo
is. *Quædam rationalia ſunt animalia.*

adeoque (per ſimplicem converſionem)

Quædam animalia ſunt rationalia,

aut ſic, in *Datiſi*.

Da- *Omnes homines ſunt rationales,*
ti- *Quidam homines ſunt animalia*; Ergo
ſi. *Quædam animalia ſunt rationalia.*

aut ſic melius, in *Darapti*.

Da- *Omnes homines ſunt rationales,*
rap- *Omnes homines ſunt animalia*; Ergo
ti. *Quædam animalia ſunt rationalia.*

ſed omnium optime, & maxime naturaliter, in *Darii*;

Da- *Omnes homines ſunt rationales,*
ri- *Quædam animalia ſunt homines*; Ergo
i. *Quædam animalia ſunt rationalia.*

adeoque, hoc caſu, prætulerim *Darii*, præ *Diſamis*, *Datiſi*, aut *Darapti*.

Siquis igitur ſic arguerit (ſuccincte) *Quædam ſenſitiva eſſe rationalia*, quia *quædam animalia ſic ſunt*: Hunc dixerim ſyllogiſmum in *Diſamis*, potius quam in *Darii*, quoniam illic aptius hoc concludetur.

Sin arguerit, *Quædam animalia eſſe rationalia*, ut qui *Homines ſint*: Dixerim hunc ſyllogiſmum eſſe in *Darii*, vel (ſi libet) in *Darapti*, potius quam in *Diſamis*, aut *Datiſi*, quoniam hoc illic aptius concludetur.

Ideoque, quamvis hi omnes poſſint eandem rem eodem medio probare; id tamen naturalius fiet nunc in hoc, nunc in illo, nunc in altero; ut omnes utiles ſint, & non rejiciendi.

Verum hoc non contingit in Modis Indirectis, aut Quartæ Figuræ modis; ubi prædicatio ſemper eſt coactior & minus naturalis; ut ante fuerit in ſingulis oſtenſum.

CAP.

C a p. X.

De Modis Propriis.

QUod jam concluſum eſt; Sufficere modos quatuordecim directos, in figuris prima, ſecunda, & tertia jam oſtenſos, (utpote ad quorum aliquos recte referantur ſyllogiſmi omnes Concluſivi,) adeoque tuto poſſe reliquos omitti; à pleriſque Logicis admitti ſolet; cum his ſaltem limitationibus; Si de ſolis *Categoricis* intelligatur; atque, Si ex ſolis illis conſiſtant propoſitionibus, quæ vulgo cenſeri ſolent aut Univerſales aut Particulares.

Sed *Petrus Ramus*, quique illum hac in re ſequuntur, *Ariſtotelem* culpandum ſentiunt, quod omnino omiſerit (uti ipſi putant) *Syllogiſmos Hypotheticos*, & (quos ipſi vocant) *Syllogiſmos Proprios*, hoc eſt, quorum Præmiſſæ ſunt Propoſitiones *Singulares*. Quos Syllogiſmos dicunt (& dicunt vere) Syllogiſmos eſſe *Concluſivos*, atque in frequenti uſu; adeoque non eſſe omittendos.

Ego autem (qui Ariſtotelem in neutris culpandum cenſeo,) de Syllogiſmis Hypotheticis poſt dicturus, ſuo loco; de Syllogiſmis *Propriis* ſeu *Singularibus*, hic agam.

Quod Syllogiſmi qui præmiſſarum vel alteram vel utramque habent *Singularem*, & jure poſſint, & ſæpe ſoleant, in ſingulis Figuris adhiberi; nemo (quod ſciam) negaverit.

Ex quidem quoties præmiſſarum una tantum eſt ſingularis; de ea (ut plurimum) ambigi non ſolet; cum à pleriſque haberi ſoleat ea propoſitio pro *Particulari*, adeoque ſyllogiſmi illi ad eos modos referri ſolent qui propoſitionem Particularem in illo loco admittunt. Adeoque hujuſmodi ſyllogiſmum

Omnes fideles juſtificantur,
Petrus eſt fidelis; Ergo
Petrus juſtificatur.

Syllogiſmum in *Darii* dixerint; atque, ut talem, admittendum.

Si autem utraque præmiſſarum Singularis ſit, aut ſaltem Major in figura prima vel ſecunda; hic hærent; quia neque Majorem particularem patitur figura prima aut ſecunda, nec utramque præmiſſarum ulla figura.

Adeoque cenſent, quo his caſibus proſpiciatur, admittendos eſſe in ſingulis figuris (præter Ariſtotelicos quatuordecim) *Modos Proprios*; præmiſſas habentes *Singulares* ambas. Quales hi ſunt,

Meſſias eſt hominum Redemptor,
Jeſus Nazarenus eſt Meſſias; Ergo
Jeſus Nazarenus eſt hominum Redemptor.

Judas Iſcariotes, erat perfidus,
Judas Iſcariotes, erat Apoſtolus; Ergo
Unus Apoſtolorum erat perfidus.

Verum hoc ab errore magno (ſed nimis communi) ortum eſt; Propoſitionem *Singularem*, pro *Particulari* habentium; cum ſit revera *Univerſalis*, atque ut ſic ab *Ariſtotele* habita, (qui propoſitionem *Univerſalem* ſeu καθόλου, eam definit, *quando nihil Subjecti accipere licet de quo non dicetur Prædicatum*:) & quidem quoties propoſitionis Subjectum eſt Individuum (adeoque partes non habet,) neceſſe eſt ut quicquid de eo dicitur (ſeu affirmando ſeu negando) dicatur καθόλου, *de toto*; *non* κατὰ μέρος, *ſecundum partem* ejus: ut propoſitio Singularis, ſemper ſit *Univerſalis*.

Quod Errori primitus anſam dederit, hoc credo fuiſſe; *Individuum* ſeu *Vox ſingularis* (quæ de unico dicitur) contradiſtinguitur (in doctrina de Prædicabilibus, quæ *Ariſtotelis* non eſt, ſed *Porphyrii*,) *voci communi* ſeu *Univerſali* (quæ de pluribus dicitur;) unde propoſitionem *Singularem* putaverint *Univerſalem* eſſe non poſſe, ſed *Particularem* eſſe. Sed diſtinguendum erat inter *particularem terminum* & *particularem propoſitionem*. Atque ut *terminus Univerſalis* (ſeu vox communis, ut *Homo*) poteſt eſſe Subjectum *particularis propoſitionis*, (cum ſcilicet prædicatio eſt *partialis* de *univerſali* ſubjecto, ut *Aliqui homines ſunt virtute præditi*:) ſic de *Singulari* ſubjecto poteſt eſſe *Univerſalis* propoſitio (cum prædicatio eſt *totalis*; ut *Sol ſua luce ſplendet*:) nec quidem alia poteſt eſſe quam Univerſalis, cum non ſit locus *partiali* prædicationi de Subjecto *Individuo*. Qua de re Exercitationem jam dudum conſcripſi, Anno 1639, quam poſtea typis editam dedi, An. 1643. Ad calcem hujus ſubnexam.

Qui quidem Error ſi deponatur; nulla ſupereſt dubitatio, quin hi omnes ſyllogiſmi locum ſuum inveniant in Modis Ariſtotelicis.

Sic Syllogiſmus modo memoratus; non eſt in *Darii*, ſed in *Barbara*.

Bar- *Omnes fideles juſtificantur*,
ba- *Petrus eſt fidelis*; Ergo
ra. *Petus juſtficatur*.

Eſtque hic qui ſequitur, non in *Ferio*, ſed in *Celarent*, (quod Apoſtoli argumentum eſt, Heb. 7. 5,6, 13, 14.)

Ce- *Nemo de tribu Juda eſt Sacerdos Aaronicus*; Sed
la- *Dominus noſter eſt de tribu Juda*; Ergo
rent. *Dominus noſter non eſt Aaronicus ſacerdos*.

Et pariter judicandum eſt de aliis ejuſmodi, in quibus una præmiſſarum eſt Univerſalis de Subjecto ſingulari.

Neque aliter, ſi utraque præmiſſarum talis ſit; ut modo memorati duo; (de *Domino Meſſia*, & de *Juda Iſcariote*,) quorum alter eſt in *Barbara*; alter, in *Darapti*.

Atque ſex illi (*Ramiſtis* dicti) *Modi Proprii*, ſuos habent locos in modis *Ariſtotelicis*; quorum hæc exempla ex *Downamo* tranſcribo ſuis quæque modis reſtituta.

Bar- *Octavius eſt hæres Cæſaris*,
ba- *Ego ſum Octavius*;
ra. *Sum igitur hæres Cæſaris*.

Ce- *Antonius non eſt filius Cæſaris*;
la- *Tu es Antonius*;
rent. *Non es igitur filius Cæſaris*.

Ceſ- *Ageſilaus non eſt pictus ab Apelle*,
a- *Alexander eſt pictus ab Apelle*,
re: *Alexander igitur non eſt Ageſilaus*.

Cam- *Cæſar oppreſſit patriam*,
eſ- *Tullius non oppreſſit patriam*; Ergo
tres. *Tullius non eſt Cæſar*.

Da- *Socrates eſt Philoſophus*,
rap- *Socrates eſt homo*; Ergo
ti. *Quidam homo eſt Philoſophus*.

Fe- *Therſites non eſt Philoſophus*,
lap- *Therſites eſt homo*; Ergo
ton. *Quidam homo non eſt Philoſophus*.

Non igitur, ob hoſce ſyllogiſmos, novis Modis opus eſt. Sed *Rami* error (niſi inadvertentiam mollius dixeris) hoc ipſi faceſſebat negotium novos comminiſcendi Modos; exiſtimantis propoſitionem Singularem (quam ille *Propriam* vocat) Particularem eſſe, quæ eſt revera Univerſalis.

C A P. XI.

De Syllogiſmo Expoſitorio.

NEC ſolus eſt hac in re *Ramus*, cum ſuis; Sed idem videntur alii ſenſiſſe, qui ejuſmodi Syllogiſmos, ſaltem in tertia figura, *Expoſitorios* vocant (quaſi à jam traditis diverſos) quibus exempla proponuntur ſingularia, propoſitionis quæ ſit amplioris ambitus. Utputa, *Imperatorum aliqui fuerunt Tyranni*; exempli gratia, *Nero* & *Caligula*; *Aliqui eruditi*, ut *Auguſtus*: Qui ſyllogiſmi ſunt (ſuccincte exhibiti) in *Darapti*. Item, *Militum aliqui non fuerunt fortes*, ut *Therſites*: *Aliqui non fortunati*, ut *Xerxes*: Qui ſyllogiſmi ſunt (breviter prolati) in *Felapton*. Qui explicite prolati, in hujuſmodi forma conſpicerentur.

Da- *Nero fuit Tyrannus*,
rap- *Nero fuit Imperator*; Ergo
ti. *Aliquis Imperator fuit tyrannus*.

Fe- *Xerxes non fuit fortunatus*,
lap- *Xerxes fuit miles*; Ergo
ton. *Quidam miles non fuit fortunatus*.

& de reliquis pariter.

Non autem neceſſe eſt, in Syllogiſmis expoſitoriis, ut exemplum ſemper ſit Singulare ſeu Individuum:

Individuum: ſufficit ſi minus generale ſit quam id cui ſubjungitur. Verbi gratia, *Aliquæ virtutes ſunt difficiles*, ut *Patientia & Fortitudo* *Aliquæ Voluptates non ſunt deſiderabiles*, ut *quæ vitiis adhærent*. Qui fuſius expoſiti, hanc ſubibunt formam,

Da- *Patientia eſt difficilis*,
rap- *Patientia eſt Virtus*; Ergo
ti. *Quædam virtus eſt difficilis.*

Fe- *Voluptates cum vitiis connexæ non ſunt deſiderabiles*,
lap- *Voluptates cum vitiis connexæ ſunt Voluptates*; Ergo
ton. *Quædam Voluptates non ſunt deſiderabiles.*

In Expoſitoriis ſyllogiſmis non infreqnens eſt (& videtur elegans) tranſponere præmiſſas. Ut

Nero fuit Imperator,
Sed fuit tyrannus; Ergo
Quidam Imperator fuit tyrannus.

Xerxes fuit miles,
Sed infortunatus; Ergo
Quidam miles fuit infortunatus.

Sed hujuſmodi tranſpoſitiones (ſive in his ſive in aliis ſyllogiſmis) non immntant ſyllogiſmi Modum: quippe idem Modus manet, eademque argumentationis vis, quocunque ordine habeantur propoſitiones.

Cap. XII.

De inveniendo Modo, & Medio termino.

CUM de *Quæſtione* probanda conſtat, & termino *Medio* quo probetur: pro inveniendo *Modo* in quo fiat, Conſiderandum eſt, Qnomodo poſſit hic medius terminus, cum utrovis Extremorum in Quæſtione, commodiſſime componi (ſive ut Subjectum ſive ut Prædicatnm,) ut optime inſerviat probandæ Quæſtioni: & ſi plures occurrant Modi, ſeligendus eſt ille qui potior videtur. Quod exemplo melius intelligetur.

Si probatum velim *quod ſint nonnulla animalia quæ non ſunt ratione deſtituta*; vel (ut in uſitatiori forma proferatur) *Quædam animalia non ſunt ratione deſtituta*; Mediumque velim adhibere *Homines*: Poteſt hic medius terminus, cum Minori *Animalia* componi, vel ut Prædicatum, (*Aliqua animalia ſunt homines*;) vel ut Subjectum, (*Aliqui homines*, imo *omnes homines, ſunt animalia*:) & quoniam hæc poſterior prædicatio videatur magis naturalis (ubi vox generalior de minus generali affirmatur; & quidem fortius, ſi id univerſaliter fiat;) hanc (ut potiſſimam) pro Minori ſeligo *Omnes homines ſunt animalia.* Poteſtque idem medius terminus, cum Majori, *ratione deſtituta*, diſponi Negative (quod poſtulat Quæſtionis tenor) vel ut Prædicatum (*Nihil ratione deſtitutum eſt Homo*,) vel (quod naturalius videtur) ut Subjectum (*aliquis homo non eſt*, imo *nullus homo eſt, ratione deſtitutus*;) hanc (ut potiſſimam) pro Majori ſeligo, *Nullus homo eſt ratione deſtitutus.* Unde ſtatim conſtat, Syllogiſmum fore in *Felapton.*

Fe- *Nulli homines ſunt ratione deſtituti*,
lap- *Omnes homines ſunt animalia*; Ergo
ton. *Aliqua animalia non ſunt ratione deſtituta.*

Poteſt quidem idem concludi in *Feriſon*, ſumpta minore particulari (*aliqui homines ſunt animalia*;) aut in *Bocardo*, ſumpta majore particulari (*aliqui homines non ſunt ratione deſtituti*:) ſed utrumque horum eſſet, *minus* ſumere quam liceret.

Poſſet item concludi (in ſecunda figura) in *Feſtino*; Converſis præmiſſis, (Majore, ſimpliciter; Minore, per accidens;)

Feſ- *Nihil ratione deſtitutum eſt homo*,
ti- *Aliqua animalia ſunt homines*; Ergo
no. *Aliqua animalia non ſunt ratione deſtituta.*

Sed tum forent præmiſſæ minus naturales quam in *Felapton.*

Sed in *Baroco* (ejuſdem figuræ) concludi non poteſt per hoc Medium; quia deeſſet Major Univerſalis affirmativa; quippe dici non poteſt *Omnia animalia ſunt homines.*

Et quamvis hoc dici poſſet, indeque (cum univerſali negativa) concludi in *Ceſare*, *Nulla animalia ſunt ratione deſtituta*; (adeoque multo magis *Aliqua non ſunt*;) aut in *Cameſtres*, *Nullum ratione deſtitutum eſt animal*, (adeoqne per converſionem, *Nullum animal eſt ratione deſtitutum*; &, multo magis, *aliqua non ſunt*;) Non tamen id fiet in *Baroco* (ſumpta

minore particulari, quæ erat in *Cameſtres* univerſalis ;) quippe tum concluderetur *Aliquod ratione deſtitutum non eſt animal* ; unde non poſſet (per converſionem) inferri, (quod probandum erat) *Aliquod animal non eſt deſtitutum ratione* ; quoniam particularis negativa non eſt convertenda ſimpliciter.

Ba- *Omne animal eſt homo,*
ro- *Aliquod ratione deſtitutum non eſt homo* ; Ergo
co. *Aliquod ratione deſtitutum non eſt animal.*

Sed poteſt item in *Ferio*, idem eodem medio ſic probari.

Fe- *Nulli homines ſunt ratione deſtituti,*
ri- *Aliqua animalia ſunt homines* ; Ergo
o. *Aliqua animalia non ſunt ratione deſtituta.*

At hic, Minor, eſt minus naturalis quam in *Felapton.*

Et propterea (perpenſis omnibus) quamvis poſſit idem concludi, in *Feriſon*, *Bocardo*, *Feſtino*, & *Ferio* ; eſt tamen omnium potiſſimus modus *Felapton.*

Omitto modos omnes *Indirectos* ſupra nominatos, *Friſeſmo*, *Fapeſmo*, *Firemo*, *Friſemo*, *Fapemo*, *Fireſmo*, *Faremo*, *Fareſmo* ; modoſque *quartæ* figuræ dictos, *Fegano* & *Fedibo* : ut qui omnes non alii ſunt quam dictorum aliqui deformati.

Pariterque fiet in aliis caſibus, prout ſagax diſcretio facile judicabit, ubi de *Quæſtione* (ſeu *concluſione*) conſtat, & termino *Medio.*

Sed de inveniendo termino *Medio* (qui datæ Quæſtioni conveniat) ſupereſt difficultas. Quod ſagacitati diſputantis permittendum cenſeo.

Sunt quidem, apud Logicos nonnullos, Regulæ plures *de Inventione Medii termini* : intellectu ſatis perplexæ, quaſi torquendis magis quam inſtituendis tironum animis excogitatæ ; & vix quidem aut ne vix uſui alicui aptæ ; quibus itaque recenſendis abſtineo.

Sed (ut planiſſime rem exponam) ſumma omnium huc redit. Ex quantitate & qualitate Quæſtionis, ſeu Propoſitionis probandæ , ſtatim conſtat, quibus Modis illa concludi poſſit. Nempe A, ſolummodo in *Barbara* ; E, in *Celarent*, *Ceſare*, & *Cameſtres* : I, in *Darii*, *Darapti*, *Diſamis* & *Datiſi* ; (ſed & in *Barbara*, quoniam I includitur in A :) O, in *Ferio*, *Feſtino*, *Baraco*, *Felapton*, *Bocardo*, & *Feriſon* ; (ſed & in eis Modis quæ pro E aſſignantur ; quia O in E continetur.) Atque tum quærendus eſt (pro cujuſque ſagacitate) terminus Medius qui Modorum debitorum alicui ſit accommodus. Nimirum, ſi probanda ſit Affirmativa propoſitio, quærendus eſt terminus medius qui cum utroque extremo conveniat : Si Negativa ; qui cum extremorum altero conveniat, cum altero diſſentiat. Exempli gratia ; Quo concludatur O (quæ maximam admittit varietatem,) Quærendus eſt terminus medius, qui vel cum Majore diſſentiat & conveniat cum Minore, (qui commodus ſit in *ferio*, *feſtino*, *felapton*, *feriſon* , *bocardo* , *celarent* & *ceſare* ;) vel qui cum Majore conveniat & cum Minore diſſentiat, (qui commodus ſit in *Baroco* & *Cameſtres* :) Atque in aliis ſimiliter ut res poſtulaverit. (Ubi per *Convenire*, talem eſſe intelligo, qui cum altero diſponi poſſit in propoſitione *Affirmativa* ; per *Diſſentire*, ſimiliter in propoſitione *Negativa* ; ſive ut Subjectum ſive ut Prædicatum, idque vel Univerſaliter vel Particulariter.) Cumque talis excogitatus eſt Medius terminus : de Modo conſtabit per ante dicta.

Cap. XIII.

De Enthymemate, Sorite, aliiſque Syllogiſmorum Accidentibus.

Diſtinguuntur aliquando Syllogiſmi, ſecundum varias Circumſtantias Accidentales ; indeque obtinent peculiares Appellationes ; deque eis ita aliquando diſſerunt Logici, ac ſi eſſent aliæ, à Syllogiſmis, argumentationis ſpecies : cum tamen aliæ non ſint, quam Syllogiſmi, talibus Circumſtantiis induti.

Sic Syllogiſmus imperfecte prolatus (ſubintellecta præmiſſarum altera) *Enthymema* dicitur. Cujus in argumentando non alia vis eſt, quam prout ſyllogiſmi naturam ſubit, poſſitque (cum opus) in ea forma explicari.

Quando utriuſque præmiſſarum ſubjectum eſt *Singulare* (ut quod *Nomen Proprium* vocant Grammatici) *Ramus* Syllogiſmum *Proprium* appellat, & poſt eum alii. Idem tertiæ figuræ Modos (quam ille primam facit, primamque tertiam,) contracte prolatos, *Syllogiſmos ſimplices contractos* vocat (ut reliquarum figurarum modos, vocat *Simplices Explicatos.*) Eoſdemque contractos, præſertim ubi Medium eſt Singulare, vocant alii *Syllogiſmos Expoſitorios.* De quibus ante dictum eſt.

Ubi

Ubi plura Enthymemata (catenæ inſtar) continuantur (alterum in alterius confirmationem) *Sorites* dici ſolet, ſeu Argumentorum acumulatio, (σωρείτης à σωρὸς *Cumulus.*) Ut ſi dicatur, *Omnes homines ſunt animalia; & omnia animalia ſunt viventia* (ſeu *animata*;) *omniaque animata, corpora; corporaque omnia, ſubſtantiæ; Ergo Omnes homines ſunt ſubſtantiæ*: Tot hic accumulantur Syllogiſmi in *Barbara* (curte prolati) quot ſunt intermedii termini (*animal, animatum, corpus*;) qui explicite prolati ſic ſe habebunt,

Bar- *Omne Corpus eſt, ſubſtantia*, Sed
ba- *Omnis homo eſt Corpus*; Ergo
ra. *Omnis homo eſt ſubſtantia.*

Cujus minor probatur ſecundo Syllogiſmo,

Bar- *Omne animatum eſt Corpus*, Sed
ba- *Omnis homo eſt animatus*; Ergo
ra. *Omnis homo eſt Corpus.*

hujuſque minor, Syllogiſmo tertio,

Bar- *Omne animal eſt animatum*, Sed
ba- *Omnis homo eſt animal*; Ergo
ra *Omnis homo eſt animatus.*

quæ Syllogiſmorum congeries, in Soritem collecta, probat *Omnes homines* (ut qui ſunt *animalia*, adeoque *animata*, & propterea *corpora*) eſſe *Subſtantias.*

Nonnunquam principali Syllogiſmo, ejuſve propoſitionum alteri, adhæret (ut probatio ſubſidiaria) appendicula quædam (quæ eſt novi argumenti brevis inſinuatio) *Proſyllogiſmus* (προσυλλογισμὸς) dictus: (pro quo male dicitur ab aliquibus *proſyllogiſmus.*)

Bar- *Omne vitium* (utpote malum) *eſt fugiendum,*
ba- *Ebrietas eſt vitium*; Ergo
ra. *Ebrietas eſt fugienda.*

Ubi, in probationem majoris, appendix addita (*utpote malum*) hoc in ſe continet argumentum,

Bar- *Omne malum eſt fugiendum,*
ba- *Omne vitium eſt malum*; Ergo
ra. *Omne vitium eſt fugiendum.*

Idem foret, ſi minori adhæreret appendicula, puta

Bar- *Omne malum eſt fugiendum,*
ba- *Ebrietas* (ut quod vitium eſt) *eſt malum*; Ergo
ra. *Ebrietas eſt fugienda.*

Ubi inſinuatum eſt hoc ſubſidiarium argumentum in minoris probationem,

Bar- *Omne vitium eſt malum,*
ba- *Ebrietas eſt vitium*; Ergo
ra. *Ebrietas eſt mala.*

Totumque poteſt ſic in breve compingi, *Ebrietas* (*utpote quod vitium eſt, adeoque malum,*) *eſt fugienda.* Quem *Soritem* dicas.

(Idem dicas ſi utrique præmiſſarum talis adhæreat appendicula.)

Qualis quidem Argumentatio, quamvis (diſtincte conſiderata) ſit in plures integros Syllogiſmos reſolubilis, non tamen expectandum eſt ut pædantiſmus ejuſmodi in communi diſſertatione affectetur (ſed elegantius abeſt) cum quilibet præſumitur vim argumenti breviter prolati ſatis intelligere.

Cap. XIV.

De Syllogiſmis Obliquis & Modalibus.

PRæter ante memoratas, aliæ ſunt adhuc Syllogiſmorum Crypſes ſeu Obſcurationes, quibus (in communi loquela) receditur à ſtrictis Syllogiſmorum (in Modo & Figura) formulis: Sed eadem manet argumenti vis quæ foret ſi omnia rigidiſſime obſervarentur.

Huc ſpectat qui Logicis dici ſolet *Syllogiſmus ex obliquis*: quando terminorum unus aut alter obliquis caſibus exprimitur. De qua quidem Obliqua ſeu indirecta prædicatione diximus, quando de Propoſitionum Crypſibus agebatur: quodque ibi dictum eſt, etiam hic facile accommodabitur. Talis hic eſt.

Bar- *Cujuſque hominis voluntas ab intellectu regitur,*
ba- *Plato eſt homo*; Ergo
ra. *Platonis voluntas ab intellectu regitur.*

De his, plures ſolent Regulæ à Logicis tradi: Quales hæ ſunt (& harum ſimiles;)

Si

Si extremorum alter (aut pars ejus) oblique exprimitur in præmiſſis; eadem obliquitas (ſeu ea Syntaxeos aut Conſtructionis ratio) retinenda eſt in Concluſione: Ut hic, *ejus voluntas ab intellectu regitur.*

Si medius terminus oblique exprimitur in altera præmiſſarum; extremorum ille qui cum eo conjungitur, parem obliquitatem ſortietur in concluſione: Ut hic, *Hominis* in Majore & *Platonis* in Concluſione.

Quarum loco hanc ſaltem obſervare tutum erit; (quæ & in aliis caſibus uſui erit;) Perpendat quis (mente ſua) quid foret ſi (ſublata Crypſi) in ſtrictam formam redigerentur omnia; Cui ſi æquipollet Cryptica locutio, res in tuto erit. Quippe ſic reſolvitur Grammatica Involutio, in Prædicationem pure Logicam. Sic nimirum,

Bar- *Quilibet homo eſt ita natura conſtitutus ut voluntas ejus ab intellectu regatur.*
ba- *Plato eſt homo*; Ergo
ra. *Plato eſt ita natura conſtitutus ut voluntas ejus ab intellectu regatur.*

Adeoque remota quæ erat in Grammatica Syntaxi involutione, connexio Logica clara eſt & evidens; & præcedenti æquipollens.

Quod frequentis item uſus eſt aliis in caſibus. Nam caute diſtinguendum eſt, inter Grammaticam Syntaxin (quæ ſæpe eſt ſecundum varios variarum linguarum idiotiſmos varie involuta) & connexionem ſeu prædicationem Logicam quæ in argumento intenditur. Ut, in præſenti caſu, Subjectum Majoris (ſeu Caſus Nominativus, qui dicitur, verbo præfixus) eſt *cujuſque hominis voluntas*; ejuſque Prædicatum (quod de hoc ſubjecto affirmatur) *ab intellectu regitur*, ſeu *eſt, ab intellectu directa*: Sed manifeſtum eſt, ab argumentatione, Subjectum ejus Logicum, (ſeu id de quo fit ſermo) eſt (non *Cujuſque voluntas*, ſed) *Quilibet homo*; & Prædicatum, (ſeu quod de eo dicitur,) *voluntas ejus regitur ab intellectu.* Et Concluſionis ſubjectum (qui eſt Minor terminus) eſt *Plato* (non *Platonis voluntas*,) atque de *Platone* concluditur quod *voluntas ejus regitur ab intellectu*, (qui eſt quæſtionis terminus major, ſeu Prædicatum;) mediuſque terminus eſt *Homo.* Dixi, *ab argumentatione* manifeſtum eſt, hoc intendi: Nam, ſi formam verborum ſpectemus, ſeu Grammaticam Syntaxin, capax erat ea major propoſitio, diverſæ Reſolutionis Logicæ; ſed, ex argumentationis ſcopo, manifeſtum eſt hanc eſſe debitam reſolutionem, hoc in argumento.

Syllogiſmus Modalis, dici ſolet in quo propoſitionum una aut plures Modales ſunt. Quarum quidem propoſitionum cum magna ſit varietas, Quatuor tamen *Modi* ſolent hic à Logicis conſiderari; *Neceſſarium, Impoſſibile, Poſſibile, Contingens.* De quibus cum alibi dictum ſit fuſius, non erit opus hic multa dicere. Quoniam hi, revera, non tam *formam* Syllogiſmi, quam *materiam* ſpectant.

Nam quantum ad Syllogiſmi formam (prout eſſe dicitur in *Modo & Figura*,) conſideratur modalis propoſitionis *Dictum* ſolummodo, non *Modus.* Moduſque ſolummodo ſpectat ſyllogiſmi materiam; hoc eſt, propoſitiones ipſas; *an* & *quatenus* veræ ſunt. (Cave autem hic confundas *Modum Syllogiſmi*; cum *Modo propoſitionis Modalis.*) Cum enim veritas concluſionis (quatenus à præmiſſis infertur) dependet à veritate præmiſſarum, (dummodo Syllogiſmi forma juſta ſit:) Modificatio quælibet *Augmentativa* ſeu confirmativa (ut *certum eſt, neceſſarium eſt*, &c.) Eſt confirmativa Concluſionis; non quantum ad Formam ſyllogiſmi (quæ ſemper illativa eſt ſeu concluſiva, modo debita ſit,) ſed quantum ad materiam, ſeu veritatem præmiſſarum; quæ catenus illativæ ſunt, quatenus veræ: Pariterque Modificationes *Diminutivæ* (ut *poſſibile, fortaſſe*, &c.) Minuunt certitudinem concluſionis. Quippe ſi præmiſſarum altera *dubia* ſit, ſeu tantum *poſſibilis, probabilis*, aut *veriſimilis*; non major eſſe poteſt certitudo concluſionis quatenus hinc inferendæ. Poteſt forte aliunde certa eſſe; ſed non hinc. Sic ſiquis arguat,

Bar- *Philoſophi ſunt ſapientes,*
ba- *Socrates erat Philoſophus*; Ergo
ra. *Socrates erat ſapiens.*

Hic, modo certum ſit utramque præmiſſarum veram eſſe; certum eſt de concluſione (eo quod forma vera eſt:) ſi vero, verbi gratia, dubia ſit major (an *omnes Philoſophi fuerint ſapientes*) dubia erit & concluſio; ſive ea modificatio expreſſa ſit, ſive non ſit. Adeoque ſi major fuerit, Omnes Philoſophi *ſunt* (*probabiliter*) ſapientes, aut *præſumuntur eſſe* ſapientes: idem de Socrate (modo ſit Philoſophus) *probabile* eſt, aut *præſumi* poteſt. Si autem aliunde certum ſit eum fuiſſe ſapientem; non tamen id hinc probatur.

Regulæ de *Syllogiſmo ex Obliquis*, etiam hic fere locum habent: ſaltem huc facile accommodentur.

Jam vero, prout Syllogiſmus ubi præmiſſæ certæ ſunt (notæque ſic eſſe) concluſionis inducit firmam *fidem*: ſic ubi ſaltem altera eſt dubia, inferre tantum poteſt *opinionem*, eamque eo plus minuſve dubiam, prout ita ſunt præmiſſæ aut harum altera.

CAP.

Cap. XV.

De Inductione & Exemplo.

DUÆ adhuc reſtant Argumentationum formæ, hic recenſeri ſolitæ: *Inductio* & *Exemplum*. Quæ quidem, ut plurimum, *incertam dubiamque* faciunt probationem; ſæpe tamen ſatis *Probabilem*. Non poſſunt utique reputari *perfecti Syllogiſmi* (niſi cum *Inductio plena eſt*,) quia non *Argumentationis perfectæ* formæ. Quatenus autem ſunt Argumentativæ, eatenus ſunt Syllogiſticæ: Et prout ſunt imperfectæ argumentationes ita ſunt (& in eodem gradu) imperfecti Syllogiſmi. Ut non ſit opus aliam hinc inferre Argumentationis ſpeciem à Syllogiſmo diverſam.

Inductio eſt Argumentationis ſeu Syllogiſmi forma, qua probatur quid verum eſſe de Generali quopiam, ex eo quod verum ſit de Particularibus omnibus ſub eo generali contentis; ſaltem de tot horum enumeratis, ut credibile ſit de reliquis item eſſe verum.

Et quidem ſi Enumeratio plena ſit, ſyllogiſmi perfecti vim habet; Utpote ſiquis arguat *Planetas omnes excepto Sole, lumen à Sole mutuari*: oſtendendo id ſingulatim de *Saturno, Jove, Marte, Venere, Mercurio, & Luna*. Eſt enim Syllogiſmus in *Darapti*, in hac forma,

Da- *Saturnus, Jupiter. Mars, Venus, Mercurius, & Luna, lumen à Sole* (*ſeparatim*) *mutuantur*; Sed
rap- *Hi ſunt, omnes planetæ excepto Sole*; Ergo
ti. *Omnes planetæ, excepto Sole, lumen à Sole* (*ſeparatim*) *mutuantur*.

Siquis objiciat, hunc non eſſe legitimum in *Darapti* Syllogiſmum, eo quod Concluſionem habeat Univerſalem: Dicendum erit, hanc Univerſalem (qualis qualis eſt) eſſe *Univerſalem Collectivam*; quæ *Singularis* eſt. Eſtque vox *Omnis* hic loci (quæ dici ſolet) *pars Categorematica*; utpote pars termini Minoris (ut ex minori propoſitione liquet:) qui hic eſt (non *Planetæ*, ſed) *Omnes Planetæ* (*excepto Sole*,) ſeu tota collectio reliquorum (excepto Sole) Planetarum, quæ *Collectio* unica eſt; adeoque concluſio *Singularis*. Quæ quidem (ut ſingulares aliæ) quamvis ſit (ut ſupra oſtenſum eſt) propoſitio *Univerſalis* (vi materiæ;) non tamen talis ut non poſſit eſſe concluſio in tertia Figura. Quippe in tertia figura, quoties Minor terminus ſeu Prædicatum minoris propoſitionis (adeoque ſubjectum concluſionis) eſt quid ſingulare, neceſſe eſt ut concluſio ea ſit (vi materiæ, non formæ,) ejuſmodi Univerſalis.

Idem ante oſtenſum eſt in pauciori numero,

Da- *Cæſar & Bibulus conſentiunt,*
rap- *Cæſar & Bibulus ſunt bini Conſules*; Ergo
ti. *Bini Conſules conſentiunt.*

Eſtque ea Enumeratio particularium, haud aliud quam ipſum generale aliis verbis prolatum, ſeu ipſius exegeticum. Puta *Cæſar & Bibulus* idem aliis verbis ac *bini Conſules* (*al Ño, the two.*) Adeoque quod verum eſt de alteris, etiam de alteris verum erit.

Si autem *Darapti* minus placeat, poteſt idem per ſimplicem minoris converſionem (quæ in prædicationibus identicis ſive reciprocis ſemper admittenda eſt) ſic in *Barbara* proferri.

Bar- *Cæſar & Bibulus conſentiunt,*
ba- *Bini Conſules ſunt Cæſar & Bibulus,*
(ſeu, *iidem qui Cæſar & Bibulus*;) Ergo
ra. *Bini Conſules conſentiunt.*

Eademque forma argumentationis erit cum hac,

Bar- *Virgilius eſt Poeta,*
ba- *Maro eſt Virgilius*, (ſeu, *idem qui Virgilius*,) Ergo
ra. *Maro eſt Poeta.*

Aut hæc etiam

Bar- *Virgilius & Ovidius ſunt Poetæ*;
ba- *Maro & Naſo ſunt Virgilius & Ovidius,*
(ſeu, *iidem qui Virgilius & Ovidius*;) Ergo
ra. *Maro & Naſo ſunt Poetæ.*

Inductionem igitur dicas, ſyllogiſmum vel in *Darapti* vel in *Barbara*, (cum *enumerata particularia* idem ſint atque *omnia*:) Malim tamen, in *Darapti*; quoniam aptius dictu videtur, *Cæſar & Bibulus ſunt bini Conſules*, quam *Bini Conſules ſunt Cæſar & Bibulus*, (quamvis neque hoc inepte dicitur.) Sic nempe,

Da- *Hi conſentiunt,*
rap- *Hi ſunt Omnes*; Ergo
ti. *Omnes conſentiunt.*

Vel ſic; (& videbitur Syllogiſmus *Ex obliquis*, in *Barbara*,)

Bar- *Hi ſunt omnes*,
ba- *Verum eſt de his*; Ergo
ra. *Verum eſt de omnibus.*

Sed etiam hic eſt in *Darapti*. Nam *omnes*, quanquam ultimo loco ponatur, eſt tamen concluſionis Subjectum (non Prædicatum,) nempe id de quo dicitur, verum eſſe; adeoque minor terminus Syllogiſmi. Quod, ſi Crypſin tollas, ſtatim patebit, in hac forma;

Da- *Hi ſunt, tales ut de quibus verum eſt,*
rap- *Hi ſunt Omnes*; Ergo
ti. *Omnes, ſunt tales ut de quibus verum eſt.*

Atque ita ſe res habet in Inductionibus omnibus (Affirmativis, intellige,) ubi enumeratio plena eſt & perfecta.

Idem fiet ſi, enumeratis aliquot, reliqua voce aliqua collectivâ inſinuentur. Puta, ſi, pro enumeratis omnibus minoribus planetis, dicatur, *Luna, Venus, Mercurius, Ceterique.* Nempe, ſi de *Ceteris* illis res pariter vera ſit.

Si Inductio fuerit Negativa: Idem de *Felapton* intelligendum erit, quod (in Affirmativis) dicitur de *Darapti*. Puta

Fe- *Neque Saturnus, neque Jupiter, neque Mars, neque alius quiſpiam minorum Planetarum, ſplendet ſuo lumine;*
lap- Sed *Saturnus, Jupiter, Mars, cæterique minores, ſunt præter Solem Planetæ omnes*; Ergo
ton. *Nullus Planetarum, præter Solem, ſplendet ſuo lumine.*

Atque ſic in aliis, ubi propoſitio Negativa per Inductionem probatur.

Inductiones hujuſmodi (tum Affirmativæ tum Negativæ) frequenti uſu ſunt (ut alibi, ſic) ſpeciatim in Demonſtrationibus Mathematicis, (quæ, ex omnibus, cenſeri ſolent abſolutiſſimæ.) Nimirum; Ubi, Propoſitionis Univerſalis enumeratis caſibus omnibus, probatur verum eſſe de ſingulis caſibus quod affirmatur; indeque concluditur, verum eſſe de omnibus. Exempli gratia: *In omnibus Triangulis Rectilineis, tres ſimul anguli æquantur duobus rectis*; Demonſtrabitur oſtendendo, quod *verum hoc eſt in Rectangulis*; *verum eſt in Obtuſangulis*; *verum item in Acutangulis*; (*ſuntque hi, cujus omnes Triangulorum Rectilineorum*;) Ergo, *In omnibus Triangulis rectilineis verum eſt.* Similiter; Ubi (Negative) probant quid, *Neque majus eſſe, neque minus eſſe*, Ergo, *Non eſſe inæquale.*

Idem fit in *Dilemmate*, & *Syllogiſmis Diſtributivis*, (de quibus poſt dicetur:) ubi, enumeratis caſibus omnibus, probatur de *ſingulis*, aut *eſſe* quid, aut *non eſſe*; indeque concluditur de *omnibus*. Quæ quidem Argumentationes (utut id notari non ſolet,) non aliæ ſunt quam *Inductiones*.

Verum, ſi particularium enumeratio ſit imperfecta, aut adjuncta particula collectiva (quæ cætera comprehendat) ſit ex probabili tantum conjectura, adeoque incerta, (quæ eſt plurimarum Inductionum conditio,) Concluſio conjecturalis tantum eſt, aut probabilis, non omnino certa. Atque per unam (quam vocant) *Inſtantiam* in contrarium, evertitur.

Utputa, ſiquis arguat, *Cornutis beſtiis omnibus deeſſe dentes ſuperiores*; eo quod ſic eſt in *Bove, Ove, Capro, nec ſecus eſt* (quantum ſcimus) *in cæteris*; Ergo (quatenus ſaltem ſcimus) *in omnibus*. Concluſio hæc certa non eſt, ſed ſaltem veriſimilis; non pro defectu formæ Syllogiſticæ, ſed pro incertitudine materiæ, ſeu veritatis præmiſſarum. Poſſibile enim eſt (quamvis id neſciamus) ut in aliis quibuſdam ſecus ſit. Et vel una in contrarium Inſtantia evertit probationem.

Sic ſiquis, *Planetas omnes mutuato lumine ſplendere*, Inductione probatum eat, quia ſic eſt in *Luna, Venere, Mercurio, cæteriſque*. Evertitur probatio, oſtendendo id non ſic eſſe in *omnibus cæteris*; quia non in *Sole*. Et quidem, licet id in *Luna, Venere, Mercurio & Marte*, ex phaſibus creſcentibus & decreſcentibus (Teleſcopio inſpectis) ſatis probetur; non tamen id conſpectum eſt in *Saturno* & *Jove*. Eſt tamen (eadem analogia) de illis etiam credibile: &, de Jove ſaltem ejuſque ſatellitio, conſtat ex Eccliplibus Circum-Jovialium, Joviſque à Circum-Jovialibus factis. (De *Saturno* numquid tale hactenus obſervatum ſit, nondum audio.) Sed, quicquid de his ſit, *Solis* ſaltem inſtantia evincit, non *omnes Planetas* mutuato lumine ſplendere.

Quodque de Imperfecta Inductione dictum eſt, id de *Exemplo*, à fortiori verum eſt. Nimirum, quando loco plenæ enumerationis particularium (ad probationem Univerſalis) per Unum aliquod particulare (aut forte pauca) oſtenditur verum eſſe quod dicitur. Quod quidem probabile facit (idem ſimili caſu accidere poſſe quod præſenti caſu contingit) id autem certo fore, non probat. Non ob formæ defectum, ſed ob incertitudinem materiæ. Quippe hoc ſolo nititur fundamento, *Quod uno caſu contingit, id alio caſu ſimili, non eſt improbabile* (*ſed veriſimile potius, & merito expectandum,*) *ut pariter contingat.*

Sic illud *Jezebelis* minitantis, 2 Reg. 9. 31. *Num Zimri pacem habuit, qui dominum occidit ſuum?* Ubi vis argumenti hæc (in *Barbara*.)

Bar- *Quod*

Bar- *Quod de Zimri factum eſt qui dominum occidit ſuum, id* (merito expectes) *tibi continget, Jehu, qui occidiſti tuum.*
ba- Sed *male periit Zimri qui dominum occidit ſuum*;
ra. Ergo (merito expectes) *tu male peribis qui occidiſti tuum.*

Ubi ſi major abſoluta fuiſſet, ita foret & concluſio, (atque ſic forte intellectum vellet Jezebel dum minabatur;) cum vero ea dubia ſit & conjecturalis (ſive incertitudo illa inſinuetur, ſive non,) ſic eſt & concluſio: Quod de Modalibus ſyllogiſmis ante oſtenſum eſt.

Quæ igitur in imperfectis Inductionibus, aut Exemplo (quæ ipſa eſt imperfecta Inductio) contingit Argumentationis imbecillitas, non à forma fit (quæ Syllogiſtica eſt) ſed ab incertitudine materiæ; quam hic non reſpicimus, de forma argumentationis intenti.

Utraque tamen Argumentatio (utut incerta propter incertitudinem materiæ) magni tamen uſus eſt & frequentis.

Inveſtigationis, præcipuum eſt Inſtrumentum; ubi particularia examinando & obſervando, pervenimus ad univerſalium cognitionem, quam inde colligimus. Atque huc tendit (quæ dicitur) *Experimentalis Philoſophia.* Quanquam enim, in ordine Naturæ, proceſſus ſit à Cauſis ad Effecta: in ordine tamen cognitionis, proceditur ab effectis obſervatis, ad inquiſitionem cauſarum. Et quidem, in Magnetis effectibus jam notis, niſi obſervatum ante fuiſſet (idque caſu, credo, primitus,) quod Magnes ferrum alliceret, atque reſpiceret Septentrionem; nemo id, ex magnetis natura cognoſceret, aut ſuſpicaretur quidem. Pariterque in multis aliis.

In rebus Prudentia gerendis (ſive in Politicis, ſive Oeconomicis, ſive Ethicis, aut etiam rebus Mechanicis) *Exempla* eorum quæ ante contigerunt (quamvis haud inde certe concludas quid poſt futurum ſit) præcipuus dux eſt in actionibus noſtris dirigendis. Ubi enim varietas caſuum & accidentium quæ certo prævideri non poſſunt, magnam inducit incertitudinem præſagiendi: ea probabilitate contenti ſimus neceſſe eſt, quam rei natura patitur; nempe, quid cum ratione expectandum eſt ut probabiliter eventurum, potius quam quid certo continget; atque ad eam normam actiones noſtras dirigere.

In Hiſtoricis item, ipſiſque rebus Juridicis, (ubi in rem *Facti* inquiritur,) vehemens Præſumptio, & magna rei Probabilitas (abſque infallibili probatione) rebus determinandis plerumque ſufficit; &, in rebus dubiis, major probabilitas minori prævalet.

Cap. XVI.

De Syllogiſmis Hypotheticis; Conditionalibus, Temporalibus, & Localibus.

Syllogiſmi qui dici ſolent *Hypothetici,* ii ſunt in quibus Propoſitiones (una vel plures) ſunt Hypotheticæ. Per *Hypotheticas* intelligendo non illas ſolum quæ ſunt ſtricto ſenſu Hypotheticæ, ſeu *Conditionales*; ſed quæ aliis item modis ſunt compoſitæ: ſicut ſupra oſtenſum eſt.

Quique propoſitiones ſuas omnes habent hypotheticas, dici ſolent *Hypothetici puri*: ſi unam aut alteram; *partim Hypothetici.*

De his autem, *Ariſtotelem* magnæ inſimulant culpæ, ut alii, ſic præſertim *Ramus* quique illum ſequuntur: eo quod, præter *Categoricos* (quibus ſolis inſervire putant Modos & Figuras *Ariſtotelis*) de ſyllogiſmis *Hypotheticis* omnino non ſolicitus videtur: Qui tamen (inquiunt) & magni & frequenti uſui ſunt; (atque ab ipſo *Ariſtotele* frequenter adhibiti;) non poſſunt autem ad ſuos Modos & Figuras referri.

Ego autem, Quod bono uſui ſunt hi Syllogiſmi, ultro profiteor: Quod autem ad Ariſtotelicos Modos & Figuras referri non poſſint, hoc Nego; atque à *Ramo* ſuiſque, hac in re erratum credo.

Et quidem, quantum ad horum aliquos, video *Ramiſtas* ipſos haud gravatim permiſſuros, ut eo referantur. Exempli gratia, hujuſmodi Hypotheticum (qui *purus* dici ſolet)

Si Socrates eſt animal, Socrates eſt ſenſu præditus;
Si Socrates eſt homo, Socrates eſt animal; Ergo
Si Socrates eſt homo, Socrates eſt ſenſu præditus.

huic in *Barbara* æquipollere volunt

Bar- *Omne animal eſt ſenſu præditum,*
ba- *Omnis homo eſt animal*; Ergo
ra. *Omnis homo eſt ſenſu præditus.*

adeoque *Socrates*, ſi *homo* ſit. Ipſoſque *Ramiſtas* reperio hujuſmodi Syllogiſmos, pro Categoricis, diſerte admittentes.

Aut etiam hujuſmodi (qui eſt partim hypotheticus)

Si homo eſt, eſt animal;
Sed *homo eſt*, Ergo *Eſt animal*.

huic æquipollentem, (ſive in *Darii*, ut volunt illi; ſeu potius in *Barbara*;)

Bar- *Omnis homo eſt animal*,
ba- *Socrates eſt homo*; Ergo
ra. *Socrates eſt animal*.

Aut etiam hunc,

Si *homo eſt*, *eſt animal*;
Sed *non eſt animal*: Ergo *non eſt homo*.

huic æquipollentem (ſive in *Baroco*, ſeu potius in *Cameſtres*;)

Cam- *Omnis homo eſt animal*,
eſ- *Hic non eſt animal*; Ergo
tres. *Hic non eſt homo*.

Atque in aliis ſimiliter, ubi duo membra Majoris Hypotheticæ, commune habent ſubjectum.

Ubi autem ſecus eſt (ut in hac, *Si Sol ſplendet, dies eſt*,) non video quod hujuſmodi admittant Æquipollentiam.

Quod largiuntur, ego impræſentiarum accipio. Quamvis non putem hanc hypotheticam *Si homo eſt, tum eſt animal*, huic perfecte æquipollentem Univerſali, *Omnis homo eſt animal*. Non enim (in eadem forma) perinde valeret, *Si Ebrietas ſit vitium, eſt ſpecies intemperantiæ*; atque, *Omne vitium eſt ſpecies intemperantiæ*.

Credo etiam non difficulter hunc etiam admiſſuros eſſe pro Categorico (ſive æquivalente)

Omne animal eſt ſenſu præditum;
Si Bucephalus eſt Equus, *Bucephalus eſt animal*; Ergo
Si Bucephalus eſt Equus, *Bucephalus eſt ſenſu præditus*.

Aut ſic

Omne animal eſt ſenſu præditum,
Bucephalus (ſi ſit equus) *eſt animal*; Ergo
Bucephalus (ſi ſit equus) *eſt ſenſu præditus*.

Vel etiam ſic,

Si Equus eſt animal, *eſt ſenſu præditus*,
Sed *Bucephalus eſt Equus*; Ergo
Si Equus eſt animal, *Bucephalus eſt ſenſu præditus*.

Sunt enim hi omnes, ejuſdem naturæ cum *Modalibus*, & Syllogiſmis *ex Obliquis*; eaſdemque cum illis regulas admittunt. Eſtque *Modificatio* quædam ſeu *Qualificatio* propoſitionis, hæc annexa Conditio.

Quos autem hic potiſſimum intendunt Logici, (cum Syllogiſmos Hypotheticos omiſſos conqueruntur,) illi ſunt quorum Major eſt Hypothetica; Minor vero & Concluſio propoſitiones Categoricæ.

Tales autem, in communi uſu, notari ſolent hi Quatuor: *Conditionales duo* (ſub quibus *Temporalem* & *Localem* comprehendo;) *Disjunctivus unus*; & *Negativus Copulativus*, quem alii vocant (ſed parum recte) *Disjunctivum ſecundum*.

Syllogiſmus *Conditionalis*, (ſeu hypotheticus proprie dictus,) Majorem habet Conditionalem; qualis hæc,

Si Sol ortus eſt, dies eſt.

Unde duplici forma arguunt. Vel *ponendo antecedentem* (ſive affirmativa ſit ſive negativa) *ut ponatur conſequens* (ſive affirmativa ſit ſive negativa:) quam vocant *Conditionalium formam primam* (Ramus, *Syllogiſmum Connexum primum* vocat;) puta,

Sed *Sol ortus eſt*;
Ergo *Dies eſt*.

Vel *tollendo Conſequentem, ut tollatur antecedens*; quæ eſt Conditionalium *forma ſecunda* (Ramus *Syllogiſmum connexum ſecundum* vocat;) puta

Sed *non eſt dies*;
Ergo *Sol non eſt ortus*.

Ubi *ponere* & *tollere* potius dicimus quam *affirmare* & *negare*, ut ab ambiguitate caveatur: Nam *ponere* conſequentem eſt aliquando *negare* (modo ea ſit *negativa*) & *tollere* eſt *affirmare*. Ut, ſi diceretur, *Si Sol non oritur, non eſt dies*; Ubi, poſitio antecedentis (*ſol non oritur*) eſt negativa, & ſublatio conſequentis (*dies eſt*) eſt affirmativa.

Conditionalibus hiſce, ſubjungo (ut ejuſdem plane naturæ) ſyllogiſmos *Temporales* & *Locales*.

Temporalis in prima forma, hic eſt,

Quando Sol ortus eſt, dies eſt,
Sed *Sol ortus eſt* (ſeu *Jam Sol ortus eſt*;)
Ergo, *Dies eſt*, (ſeu *Jam dies eſt*.)

In

In ſecunda forma;

Quando Sol ortus eſt, dies eſt:
Sed *non eſt dies* (ſeu *Jam non eſt dies*;)
Ergo *Sol non eſt ortus*, (ſeu *Jam Sol non eſt ortus.*)

Localis, in prima forma;

Ubi Sol ortus eſt, dies eſt;
Sed *hic Sol ortus eſt*; Ergo
Hic dies eſt.

In ſecunda forma;

Ubi Sol ortus eſt, dies eſt;
Sed *hic non eſt dies*; Ergo
Hic Sol non eſt ortus.

Hos ego non ut novas Hypotheticorum formas adjungo, ſed ut ſub *Conditionalibus* comprehendendos; cum quibus ejuſdem ſunt Naturæ.

Horum poſteriores (*Locales duos*,) *Ramus*, cum ſuis, admittunt pro *Categoricis*. Eo quod in Aſſumptione habetur, non ſimpliciter *Sol ortus eſt*, aut *Non eſt Dies*; (ut in *Conditionalibus* & *Temporalibus*;) ſed *Hic Sol ortus eſt*, & *Hic non eſt dies*, (utpote de certo loco.) Atque in concluſione ſimiliter.

Temporales autem, (cum talem non præfixam habeant, in Aſſumptione & Concluſione, additionalem particulam) ad *Conditionales* referunt, nec pro *Categoricis* admittunt.

Non advertentes, vocem *nunc* ſeu *jam* (utut non expreſſam) in ſignificatione verbi *Eſt* incluſam. Quippe *Dies eſt*, aut *Sol oritur*; tandundem eſt atque *Jam dies eſt*, *Jam Sol oritur*: Atque *Non eſt dies*, *Sol non ortus eſt*; tantundem atque *Jam non eſt dies*, *Jam Sol non ortus eſt*. Quæ quidem ſubintellecta vox *jam*, ſi exprimatur; tantundem facit *jam* in Temporalibus, & *hic* in Localibus.

Idem evidentius eſt ſi de alio quam præſenti tempore fiat ſermo; puta,

Sed *jam ante horam, Sol ortus erat*;
Ergo *jam ante horam, dies erat.*

Et quidem, hoc in caſu, (ubi applicatio fit ad particulare aliquod tempus,) etiam *Ramiſtæ* admittunt Temporalium eandem rationem eſſe & Localium; adeoque poſſe Temporales item pro Categoricis haberi.

Sed Hypotheticos ſtricte ſumptos, ſeu Conditionales; & Temporales item ubi aſſumptio (ut in Conditionalibus) eſt indefinita; pro Categoricis (aut his æquivalentibus) non admittunt.

Ego autem omnium eandem eſſe rationem exiſtimo; omneſque pro Categoricis habeo, quales ſunt Syllogiſmi *ex obliquis* dicti, aliique Cryptice prolati. Quod ut clarius pateat, pro *Ubi* ſubſtituas *Quo loco*; pro *Quando*, *Quo tempore*; pro *Si*, *Quo caſu*: aut (quo pateat eſſe, ut oportet, major univerſalis) *Quocunque loco*, *Quocunque tempore*, *Quocunque caſu*; ſeu *Omni loco quo*, *Omni tempore quo*, *Omni caſu quo*. Eritque Major univerſalis (affirmativa aut negativa, prout contigerit,) in Prima figura, pro formis primis; in Secunda figura, pro ſecundis. Minor autem (quæ hic indefinite ponitur) poteſt eſſe vel *Univerſalis*, vel *Particularis*, vel (qui eſt Univerſalium caſus unus) *Singularis*, prout caſus contigerit.

In Localibus ſic,

Bar- *Ubicunque* (ſeu *omni loco quo*) *ſol ortus eſt*, *dies eſt*; Sed
ba- *Ubique* (ſeu *omni loco*) *Sol ortus eſt*: Ergo
ra. *Ubique* (ſeu *omni loco*) *dies eſt*,

Vel Da- *Ubicunque* &c. Sed
ri- *Alicubi* (ſeu *aliquo in loco*) *Sol ortus eſt*; Ergo
i. *Alicubi* (ſeu *aliquo in loco*) *dies eſt.*

Vel Bar- *Ubicunque* &c. Sed
ba- *Hic* (ſeu *hoc in loco*) *ſol ortus eſt*; Ergo
ra. *Hic* (ſeu *hoc in loco*) *dies eſt.*

Vel Bar- *Ubicunque* &c. Sed
ba- *Londini Sol ortus eſt*; Ergo
ra. *Londini dies eſt.*

Similiter in Temporalibus;

Bar- *Quandocunque* (ſeu *Omni tempore quo*) *Sol ortus eſt*, *dies eſt*; Sed
ba- *Semper* (ſeu *omni tempore*) *Sol ortus eſt*; Ergo
ra. *Semper* (ſeu *omni tempore*) *dies eſt.*

Vel Da- *Quandocunque* &c. Sed
ri- *Aliquando* (ſeu *aliquo tempore*) *Sol ortus eſt*; Ergo
i. *Aliquando* (ſeu *aliquo tempore*) *Dies eſt.*

Vel Bar- *Quandocunque*, &c. Sed
ba- *Nunc* (ſeu *hoc tempore*) *Sol ortus eſt*; Ergo
ra. *Nunc* (ſeu *hoc tempore*) *Dies eſt.*

Vel Bar- *Quandocunque*, &c. Sed
ba- *Jam ante horam, Sol ortus erat*; Ergo
ra. *Jam ante horam, dies erat.*

Item in conditionalibus;
Bar- *Si* (ſeu *omni caſu quo*) *Sol ortus eſt, dies eſt*; Sed
ba- *Omni caſu, Sol ortus eſt*; Ergo
ra. *Omni caſu, dies eſt.*

Vel Dar- *Si* &c. Sed
ri- *Aliquo caſu Sol ortus eſt*; Ergo
i. *Aliquo caſu dies eſt.*

Vel Bar- *Si*, &c. Sed
ba- *Præſenti caſu ſol ortus eſt*; Ergo
ra. *Præſenti caſu dies eſt.*

Vel Bar- *Si*, &c. Sed
ba- *Tali caſu ſol ortus eſt*; Ergo
ra. *Tali caſu dies eſt.*

Adeoque omnes Syllogiſmi, in prima forma conditionalium, Majore exiſtente Univerſali Affirmativa; ſunt vel in *Barbara*, vel in *Darii*, prout minor eſt vel Univerſalis vel Particularis.

Majore, inquam, *exiſtente Univerſali*: Quippe ſi, per *Quando, Ubi, Si*, non intelligatur *Quandocunque, Ubicunque, Omni caſu quo*; ſyllogiſmus non erit concluſivus; utpote, ex Majore particulari in prima figura.

Quodque de *Barbara* & *Darii* dictum eſt, quum conſequens eſt Affirmativa, (*dies eſt*;) Idem de *Celarent* & *Ferio* intelligendum erit, quum conſequens eſt *Negativa*: Ut puta, ſi, pro *Dies eſt*, dicatur *Non eſt nox*.

Fe- *Quandocunque ſol ſplendet, non eſt nox*;
ri- *Quandoque ſol ſplendet*; Ergo
o. *Quandoque non eſt nox.*

Vel Ce- *Quandocunque*, &c. Sed
la- *Nunc ſol ſplendet*; Ergo
rent. *Nunc non eſt nox.*

Atque ſimiliter in Localibus & Conditionalibus, prioris formæ.

Sed & (ſi id mavis) hos etiam ad *Barbara* & *Darii* referas; ſic eos reſolvendo;
Bar- *Tempus quo ſol ſplendet, eſt tempus quo non eſt nox*; Sed
ba- *Hoc eſt tempus quo ſol ſplendet*; Ergo
ra. *Hoc eſt tempus quo non eſt nox.*

Vel Da- *Tempus quo ſol ſplendet*, &c. Sed
ri- *Aliquod tempus eſt quo ſol ſplendet*; Ergo
i. *Aliquod tempus eſt quo non eſt nox.*

Qui à præcedentibus non aliter differunt quam ut *Lapis eſt non-animal*, & *Lapis non eſt animal*; forma differentes, ſed eodem ſenſu.

Jam, prout Conditionales in prima forma, non aliud ſunt quam Syllogiſmi in prima Figura (cryptice deformati:) ita qui ſunt in ſecunda Forma conditionales, ſunt ſyllogiſmi (pariter deformati) in ſecunda Figura.

In Temporalibus, ſic
Cam- *Quandocunque Sol ortus eſt, dies eſt*; Sed
eſ- *Nunquam eſt* (aut *nunc non eſt*) *dies*: Ergo
tres. *Nunquam eſt* (aut *nunc non eſt*) *Sol ortus.*

Vel Ba- *Quandocunque*, &c. Sed
ro- *Quandoque non eſt dies*; Ergo
co. *Quandoque Sol non eſt ortus.*

In Localibus pariter,
Cam- *Ubicunque Sol ortus eſt, dies eſt*; Sed
eſ- *Nuſquam eſt*, (vel *hic non eſt*) *dies*: Ergo
tres. *Nuſquam eſt* (vel *hic non eſt*) *Sol ortus.*

Vel Ba- *Ubicunque*, &c. Sed
ro- *Alicubi non eſt dies*; Ergo
co. *Alicubi non eſt Sol ortus.*

In Conditionalibus item,
Cam- *Si* (vel *quo caſu*) *Sol ortus eſt, dies eſt*; Sed
eſ- *Nullo caſu* (vel *non in præſenti caſu*) *dies eſt*: Ergo
tres. *Nullo caſu* (vel *non in præſenti caſu*) *Sol ortus eſt.*

Vel Ba- *Si* (vel *quocunque caſu*) &c. Sed
ro- *Aliquo caſu non eſt dies*: Ergo
co. *Aliquo caſu Sol non eſt ortus.*

Quando

Quando Conſequens Majoris eſt Negativa; pro *Cameſtres* & *Baroco*, ſubſtituas *Ceſare* & *Feſtino*.

Ceſ- *Quandocunque Sol ortus eſt, non eſt nox*; Sed
a- *Semper* (aut *nunc*) *nox eſt*; Ergo
re. *Semper* (aut *nunc*) *Sol non eſt ortus*.
Vel Feſ- *Quandocunque*, &c. Sed
ti- *Quandoque nox eſt*; Ergo
no. *Quandoque Sol non eſt ortus*.

Et ſimiliter de cæteris.

Sed & hic (ſi id mavis) retineas *Cameſtres* & *Baroco*; ſi, pro *non eſt nox*, ſubſtituas *eſt tempus quo non eſt nox*.

Præter has duas Cooditionalium formas (*ponendo antecedentem ut ponatur conſequens*, & *tollendo conſequentem ut tollatur antecedens*,) quas Concluſivas eſſe oſtendimus, & Syllogiſmis in Prima & Secunda figura æquipollentes: Duæ ſunt aliæ Conditionalium formæ, quæ Paralogiſticæ ſunt, & non-concluſivæ: *Tollendo antecedentem ut tollatur conſequens*; & *Ponendo conſequentem ut ponatur antecedens*.

Prior eſt, ubi arguitur *à ſublatione antecedentis ad ſublationem conſequentis*; ut
Si Bucephalus eſt homo, tum eſt animal;
Sed *non eſt homo*; Ergo *non eſt animal*.

Ubi ex veris præmiſſis infertur falſa concluſio. Cujus error idem eſt atque *Minoris negativæ in prima figura*; quam non permittunt iſtius Figuræ leges.

Poſterior eſt, ubi arguitur *à poſitione conſequentis ad poſitionem antecedentis*; ut
Si Bucephalus eſt homo, tum eſt animal;
Sed *eſt animal*; Ergo *eſt homo*

Ubi item ex veris præmiſſis infertur falſa concluſio. Hujus error idem eſt, atque *Syllogiſmi Affirmativi in ſecunda figura*; in qua noo alia concludi poteſt quam Negativa propoſitio.

CAP. XVII.

De Syllogiſmo Disjunctivo.

SYllogiſmus *Disjunctivus*, eſt, in quo Major eſt Disjunctiva propoſitio affirmativa; cujus uno membro in Aſſumptione negato, reliquum concluditur: aut (ſi plura fuerint) ſublatis in Aſſuptione membris uno vel pluribus, ſaltem unum ex reliquis concluditur. *Ramus*, *Disjunctum primum* vocat; quoniam ille (ut alii non pauci) disjunctum alium habet, quem *ſecundum* vocat; ſed quem ego non admitto, adeoque hunc ſimpliciter *Disjunctivum* voco.

Puta, ab hac Majore disjunctiva,
Aut dies eſt, aut nox;
Utrovis membro remoto, reliquum concludo;
Sed *non eſt dies*; Ergo *eſt nox*.
Vel *non eſt nox*; Ergo *eſt dies*.

Si plurium ſit quam duorum membrorum, pluries arguetur; Ut ab hac majore
Vel ver eſt, vel æſtas, vel autumnus, vel hyems.
Aſſumas *Sed neque ver eſt, neque æſtas, neque autumnus*; Ergo *eſt hyems*.
Aut *Neque ver, neque æſtas, neque hyems*; Ergo *autumnus*;
Aut *Neque ver, neque autumnus, neque hyems*; Ergo *æſtas*.
Aut *Neque æſtas, neque autumnus, neque hyems*, Ergo *ver*.

Item ſi unum aut duo membra removeas; concludas de uno ex reliquis;
Puta, Sed *non eſt ver*; ergo *vel æſtas, vel autumnus, vel hyems*.
Aut Sed *neque ver, neque æſtas*; ergo *vel autumnus, vel hyems*.
Et pariter de reliquis.

Ut cognoſcas autem quo referendus eſt hujuſmodi ſyllogiſmus; conſiderandum primo eſt, quantum hujus argumentativum eſt, & quid redundat.

Quippe in hac disjunctiva *Aut dies eſt, aut nox*; duæ latent conditionales; *ſi non eſt dies, eſt nox*; & *ſi non eſt nox, eſt dies*. Quarum nunc hæc nunc illa utilis, & reliqua redundat. Si probaturus ſum *Diem eſſe*; utilis eſt hæc, *ſi non eſt nox, dies eſt*, (redundante reliqua;) indeque aſſumo, ſed *non eſt nox*; ergo *eſt dies*. Si probaturus ſum *Noctem eſſe*; redundat ea, & utilis eſt altera; *ſi non eſt dies, nox eſt*: ſed *non eſt dies*, ergo *eſt nox*.

Utrovis modo, Syllogiſmus hic Disjunctivus (reſciſſo quod redundat) non alius eſt quam Conditionalis primæ formæ (ubi arguitur *à poſitione antecedentis*, *ad poſitionem conſequentis*:)

quentis :) adeoque vel in *Barbara* vel in *Darii* prout intelligitur Minor vel ut Univerſalis, vel ut Particularis. Minor enim, quamvis videatur negativa; eſt revera Affirmativa utpote Affirmatio ſeu Poſitio antecedentis. Sic enim reſolvas;

Bar- *Caſus quo non eſt dies, eſt caſus quo nox eſt* ; Sed
ba- *Hic eſt caſus quo non eſt dies* : Ergo
ra. *Hic eſt caſus quo nox eſt.*

Et pariter in aliis.

Si plurium adhuc membrorum ſit Disjunctiva, totidem ſaltem Conditionales in ſe continet quot ſunt disjunctivæ membra ; imo plura, (ut ſupra ſuo loco oſtenſum eſt :) ſed quarum una tantum utilis eſt (nunc hæc, nunc illa, nunc altera, prout exigit intenta concluſio,) cæteris redundantibus.

Sic in disjunctivo illo ſyllogiſmo,

Aut ver eſt, aut æſtas, aut autumnus, aut hyems ;
Sed *nec ver eſt, nec æſtas, nec autumnus* ; Ergo *hyems.*

Quanquam plures in ſe contineat Conditionales, illa Major disjunctiva : tota tamen argumenti vis ab una pendet; puta

Si neque ver eſt, nec æſtas, nec autumnus ; *tum eſt hyems.*
Sed *nec ver eſt, nec æſtas, nec autumnus* : Ergo *eſt hyems.*

Quem eſſe ſyllogiſmum in *Barbara*, ſupra oſtenſum eſt.

Cap. XVIII.

De Syllogiſmo Negativo-Copulativo.

ALia adhuc eſt Syllogiſmi forma quam plerique Logici Syllogiſmum item *Disjunctivum* reputant; (*Ramus, Disjunctum ſecundum* vocat :) In quo Major eſt disjunctiva ; indeque arguitur, *à poſitione membri unius ad remotionem alterius, ſeu reliquorum.* Puta,

Aut dies eſt, aut nox ;
Sed *Eſt dies* ; ergo *non eſt nox.*
Vel *Eſt nox* ; Ergo *non eſt dies.*

Hunc autem ego Paralogiſmum reputo ; non concluſivum Syllogiſmum.

Fieri quidem poteſt ut talia nonnunquam membra ſint quæ non poſſunt ſimul conſiſtere (ut, hic, *Dies* & *Nox* ;) quo caſu, uno remoto, reliquum ponitur. Verum ubi hoc contingit ; id vi *materiæ* fit, non *formæ* ; eſtque (quod aiunt) *veritas conſequentis*, non *veritas conſequentiæ.* Quippe ſi ſic arguam (in eadem forma)

Aut Homerus aut Virgilius de Bello Trojano ſcripſit :
Sed *Homerus ſcripſit* ; Ergo *non Virgilius.*
Vel *Virgilius ſcripſit* ; Ergo *non Homerus.*

Manifeſtum eſt, utrovis modo, ex veris præmiſſis falſam inferri concluſionem. Nam *uterque* de Bello Trojano ſcripſit.

Huic quo occurratur ; hanc interponunt cautionem ; Nempe, *Intelligendum eſſe de membris ſic oppoſitis, ut non poſſint ſimul conſiſtere* ; *ſecus, argumentum non valebit.* At hoc, inquam, fit *vi materiæ* non *vi formæ* ; adeoque formam non eſſe concluſivam.

Quod volunt, hoc eſt. Ita intelligendam eſſe Majorem acſi ſic expreſſe diceretur,

Vel dies eſt, vel nox ; *non utrumque.*

Atque hinc (fateor) recte arguas,

Sed *dies eſt*, Ergo *non nox.*
Aut *nox eſt*, Ergo *non dies.*

Sed hoc ſequitur, non propter Disjunctionem, *aut dies eſt, aut nox*, (quæ hic nullius eſt valoris;) ſed propter annexam Negationem, *non utrumque* : hoc eſt ; *non eſt & dies & nox.* Quippe Major, ut jam concipitur, bimembris eſt ; cujus membrum primum eſt disjunctiva propoſitio, *aut dies eſt aut nox* ; quæ has duas includit conditionales, *ſi non eſt dies, nox eſt* ; *ſi non eſt nox, eſt dies* ; ſed quarum utraque ad rem præſentem nihil faciunt : Membrum poſterius (quo ſolo nititur argumentum) eſt propoſitio *Negativa Copulativa* (ſeu potius Copulativa negatio) *non ſimul eſt & dies & nox* (unde recte arguas, à poſitione unius ad remotionem alterius ;) adeoque potius dixerim (cum aliis aliquot) *Negativum-Copulativum*, quam *disjunctivum* ſyllogiſmum, quippe pars ea disjunctiva, hic nihil agit. Pars autem altera (*non eſt & dies & nox*,) has duas involvit Conditionales ;

Si dies eſt, non eſt nox.
Et *Si nox eſt, non eſt dies.*

Quarum nunc hæc, nunc illa, uſui eſt ; non utraque. Nempe, ſi *noctem non eſſe* probaturus ſum, ſic arguo :

Si eſt dies, non eſt nox:
Sed *eſt dies*; Ergo *non eſt nox*.
Si, *non eſſe diem*; ſic arguo;
Si nox eſt, non eſt dies;
Sed *nox eſt*; Ergo *non eſt dies*.

Poſtquam igitur totam Disjunctivam ſepoſuimus (ut ad argumenti vim nihil facientem) & Conditionalium alteram (quæ in Negativa-Copulativa latebant;) quod ſupereſt argumenti, eſt Syllogiſmus *Conditionalis* prioris formæ (*à poſitione antecedentis ad poſitionem conſequentis*;) quem non alium eſſe, à Syllogiſmo Categorico in prima figura, ſupra oſtenſum eſt.

Atque jam ſyllogiſmorum *Hypotheticorum* (ut dici ſolent) formas omnes, uſu receptas, breviter expendimus: oſtendimuſque, ad quem Modum & Figuram ſint reducendæ ſingulæ. Ut non porro culpandus ſit, eo nomine, Ariſtoteles; quod ſyllogiſmos omnes (concluſivos) ad Figurarum ſuarum Trium, modos aliquos, reduci poſſe dixerit.

Cap. XIX.

De Dilemmate, ſeu Syllogiſmo Diſtributivo.

Reſtat Argumentationis forma *Dilemma* dictum, (Hypotheticis non abſimilis;) quæ nunc fere Syllogiſmus *Disjunctivus* dici ſolet; malim *Diſtributivum* dicas. Cujus Major eſt *Conditionalis*, conſequentem habens *Disjunctivam*, ſeu potius *Diſtributivam*; cujus pars utraque (aut etiam omnes, ſi plures ſint,) in Minore negatur; unde de toto negative concluditur. In hujuſmodi fere forma;

Si omnino; tum vel ſic, vel ſic:
Sed *neque ſic, neque ſic*: Ergo *non omnino*.

Quod ad aliorum Disjunctivorum formam ſic efferas,
Vel ſic, vel ſic, vel non omnino;
Sed *neque ſic, neque ſic*: Ergo *non omnino*.

Vel ad formam Conditionalium
Si neque ſic, neque ſic; tum *non omnino*:
Sed *neque ſic, neque ſic*: Ergo *non omnino*.

Tale eſt Apoſtoli argumentum, Rom. 3. 9, 12.
Siquis per opera legis juſtificandus ſit, tum vel Judæus vel Gentilis:
Sed, *neque Judæus neque Gentilis*. (Quæ ſeparatim probaverat.)
Ergo, *Nemo*.

Familiare exemplum eſt;
Si Planta ſit animal; tum vel homo, vel brutum:
Sed *neque homo eſt neque brutum*: Ergo *non eſt animal*.

Vel (quod eodem recidit) in *Cameſtres*:
Cam- *Omne animal eſt vel homo vel brutum*; Sed
eſ- *Planta eſt neque homo, neque brutum*; Ergo
tres. *Non eſt animal*.

Vel adhuc, magis explicite:
Cam- *Omne animal eſt, aut homo aut brutum*;
eſ- *Nulla planta eſt, aut homo aut brutum*, Ergo
tres. *Nulla planta eſt animal*.

Si pro *nulla planta eſt*, diceretur *aliqua planta non eſt*; foret in *Baroco*.

Interim notandum, Syllogiſmi hujus (ſic expoſiti) Majorem (utut, propter diſtributionem, videatur propoſitio Compoſita, ſeu Hypothetica) ſimplicem eſſe *Categoricam*; cujus Prædicatum eſt terminus Diſtributivus: tantundem utique acſi diceretur *Omne animal*, eſt, *unum horum*.

Eſtque *Dilemma*, ſeu ſyllogiſmus hujuſmodi Diſtributivus, nil aliud quam *Negativa Inductio*: ubi, enumeratis particularibus, quod oſtenditur negari de ſingulis, concluditur, negandum de omnibus. Aut, enumeratis caſibus omnibus, quod oſtenditur falſum de ſingulis, concluditur falſum eſſe de omnibus.

Atque, ut in aliis Inductionibus, ſic hic; enumeratio caſuum ſeu particularium, aliquando plena eſt & perfecta; aliquando partialis & imperfecta, ſed cum annexa particula collectiva (expreſſa vel ſubintellecta) quæ omiſſa comprehendat: Et de his idem cenſendum quod de Inductionibus dictum eſt ſupra.

Expendimus igitur Argumentationum formas omnes, quæ ut uſu receptæ recenſeri ſolent;

 Omneſque

Omneſque invenimus (utut aliis quandoque nominibus ſpecialiter inſignitas) aut ſyllogiſmos eſſe (utcunque mutilatos, deformatos, deordinatos, variiſque Cryptibus obſcuratos) aut ex pluribus ſyllogiſmis compoſitas. Totaque Argumenti vis, ex diſpoſitione ſyllogiſtica dependet.

Cap. XX.

De Fallaciis.

ANtequam ea dimittam quæ Syllogiſmi (ſeu Argumentationis) *Formam* ſpectant; de *Fallaciis* aliquid dicendum videtur, ſeu (quod dici ſolet) ſyllogiſmo *Sophiſtico*. De quibus (poſt Ariſtotelem) plerique Logici ſolent diſſerere. Non quod hæ legitimæ ſint Argumentationum Formæ, quibus uti par eſt; ſed ut ab illis (ut à ſcopulis) caveamus.

Fallaciæ dici ſolent, quia non tam ad veritatem inveſtigandam inſerviunt, quam ad Fallendum; &, ſub ſpecie argumentationis, incautis imponendum; & veritatem potius perplexam reddere ſolent quam expedire.

Sophiſmata item dici ſolent; & argumentationes *Sophiſticæ* & *Captioſæ*; utpote eis familiares quos *Sophiſtas* vocabant. Qui, oſtentationis gratia, victoriam magis quam veritatem ambiebant; litigando aliis negotium faceſſere fatagantes.

Quinque erant præ cæteris, ad quorum unum aliquod conabantur hi ſophiſtæ redigere adverſarium; (*Sophiſtarum Metæ* dictæ;) *Redargutio*, *Falſum*, *Inopinabile*, *Solœciſmus*, & *Nugatio*. Nimirum, vel 1. Ut ſibi contradicere cogeretur adverſarius (admittendo quod ante negaverat, aut negando quod ante affirmaverat:) Vel 2. admittere quod eſt manifeſto falſum; aut 3. quod ut falſum vulgo reputatur, utpote paradoxum: vel 4. ſolœciſmum aliquem & incongruam locutionem adhibere; aut 5. frivolum quid & nugatorium; puta, quod ad rem præſentem non faciat: aut importunam repetitionem eorum quæ jam ante fuerant refutata.

In hunc finem Sophiſmata quædam adhibebant; puta paralogiſmos, & ambigue dicta, aliaque quæ ſpeciem aliquam argumentationis præ ſe ferrent, ſed juſtam concludendi vim non habebant. Quæ quidem, antequam Ariſtoteles veras arguendi leges conſtituerat, magis erant ad fallendum apta, quam poſt haſce conſtitutas & receptas.

Horum aliqua, ſuo præſertim tempore uſitatiora, collegit Ariſtoteles; quæ, poſt illum, alii ſolent Logici recenſere; dum poſt Syllogiſmum Demonſtrativum, atque Topicum, agunt etiam de Syllogiſmo Sophiſtico. Ego (mutato ordine) præmitto potius; quia ſpectant horum ſophiſmatum pleraque, ſyllogiſmi Formam, magis quam materiam.

Et quidem aptiſſime ſolvuntur, oſtendendo, quomodo à vera forma ſyllogiſmi deflectunt: utpote vel contra generales ſyllogiſmorum regulas peccantia, (puta, ut ſyllogiſmi ex ſolis particularibus, aut ex ſolis negativis, aut ex pluribus quam tribus terminis conſiſtentes, aut ſimile quid peccantes:) aut contra peculiares particularium figurarum regulas, (puta, ſi Major ſit, in prima aut ſecunda figura, particularis; ſi Minor ſit, in prima vel tertia, Negativa; ſi Concluſio ſit, in ſecunda figura, affirmativa; aut, in tertia, de communi ſubjecto Univerſalis; aut etiam perturbatus ſit terminorum ordo, aut tranſpoſitæ Præmiſſæ, quo videatur ſyllogiſmus in alia figura modove quam revera eſt; aut quid horum ſimile:) ut minus ſit neceſſarium (ei qui veram ſyllogiſmi ſtructuram probe intelligit, & rite perpendit,) novam de Fallaciis tractationem adjungere; quoniam (ut dici ſolet) *Rectum eſt index ſui & obliqui*.

Cum tamen id faciant alii, ego eos hac parte ſequar: recenſendo *Fallacias* (quas vocant) tredecim; Sex *in dictione*, & Septem *extra dictionem* dici ſolitas.

Fallaciæ dictionis (ſeu, *in dictione*,) recenſeri ſolent, *Æquivocatio*, *Amphibologia*, *Compoſitio*, *Diviſio*, *Accentus*, & *Figura dictionis*.

1. *Æquivocatio*; quando vox aliqua duplici ſenſu uſurpatur, (adeoque duos terminos revera conſtituit, dum videtur unicus:) ſive id fiat propter ejuſdem vocis diverſam ſignificationem nativam, (ut *Liber* Bacchus, & *liber* à ſervitute; item *Liber* codex, & *liber* cortex; ſic *crevi* à *cerno*, & *crevi* à *creſco*; *tentus* à *teneo*, & *tentus* à *tendo*; *infractus* participium ab *infringo*, & *infractus* compoſitum ab *in* & *fractus*, ſenſu plane contrario; item *immutatus* participium ab *immuto*, & *immutatus* compoſitum ab *in* & *mutatus*; aliaque multa:) ſive propter ejuſdem vocis ſenſum proprium, diverſum à figurativo; (ut *Vulpes* quadrupes, & *Vulpes* pro homine aſtuto; *Homo* pictus, & *homo vivus*; vir *ſalubris* & *ſalubris* potio; aliaque multa.) Sic ſiquis arguat *ſtellam latrare*, quia *ſtella quædam Canis dicitur*; *Deumque habere oculos, aures, nares*, &c. quia dicitur (ſenſu figurato) *videre*, *audire*, *olfacere ſuavem odorem*,

rem, &c. Facile reſpondebitur captioſo argumento, diſtinguendo varios ſenſus ejuſdem vocis, indeque oſtendendo ſyllogiſmi quatuor terminos (ſi ſenſum ſpectes) ubi tres ſaltem (ſono) comparent:

2. *Amphibolia*, ſeu *Amphibologia*; ubi ambiguitas oritur, non tam à ſingularium vocum diverſo ſenſu, quam à varia conſtructione cujus capax eſt ſententia. Ut in noto illo, *Aio te, Æacida, Romanum vincere poſſe*, (*I ſay, the Roman you ſhall kill*;) ubi non liquet, ex ſono vocis, an *Romanus Æacidem*, an *Æacides Romanum*, occiſurus eſſet. Sic in nuncio, Regum noſtrorum cuidam fatali, *Edwardum Regem occidere nolite timere bonum eſt*; ubi dubium eſt an conſtruendum ſit, *occidere nolite*, an *nolite timere*. Pariter, ſi quis à dicto Proverbiali, *Æthiopem lavare* (pro inutili labore) id factum ſenſu literali arguat: aut ſi à quopiam *Ironice* dicto, idem quis arguat ſenſu proprio. Ut in *Eliæ* ſarcaſmo in *Baaliticos* ſacerdotes; de *Baale* ludentis, 1 Reg. 18. 27. *Altum clamate*; *nam certe deus eſt*; *ſed vel meditatur, vel proſequitur, vel eſt in itinere, vel forte dormit, & excitandus eſt.* Ubi ab ironice dictis, ſi quis argueret ſenſu directo; refellendus eſt, diſtinguendo ſenſum verum à fallaci: & oſtendendo, ob ſenſum duplicem, quatuor eſſe in ſyllogiſmo terminos.

Hujuſmodi ambiguitates, cum craſſæ ſunt & manifeſtæ; facile deteguntur adeoque vitantur: Periculum autem eſt, quando ita ſubdole quis arguit, ut, ſub verborum formulis ſpecietenus manifeſtis, & minime ſuſpicandis, latentem ſenſum inſinuare ſatagat qui non eſt admittendus. Siquis, probaturus, *poſſe Deum facere homines numero infinitos actu*; ſic argueret; *Poteſt deus facere quot poteſt facere*, (clamitetque hoc tam indubium eſſe, ut ſiquid in propoſitione culpandum ſit, hoc ſaltem erit quod ludicra videatur, utpote identica;) indeque aſſumat; *Eſt autem eorum numerus* (quos poteſt facere) *vel finitus*, (quod non dicendum eſt, quia ſic determinaretur Dei potentia ad finitum aliquem hominum numerum, ut eo plures non poſſit facere;) *vel infinitus*, (quod probatum eunt:) adeoque poſſe eſſe *homines actu infinitos numero*: (quodque de *infinitis numero* dicitur, pariter oſtendetur de *infinitis magnitudine*, *infinitis potentia*, *dignitate*, *excellentia*, &c; poſſeque igitur creaturas eſſe omnibus modis infinitas.) Talia memini me, (cum puer eram) argumenta legiſſe plura apud *Rodericum* de *Ariaga* ſcholaſticum: Sed non tam puer eram, quin potuerim fallacem ſenſum diſcernere. Adeoque negandam eſſe majorem propoſitionem (de qua tam glorioſe clamitant qui ſic arguunt) eo ſenſu qui neceſſarius eſt ad inferendam eam concluſionem. Quippe illud *quot poteſt facere*, intelligendum erit vel *diſtributive* de ſingulis, (qui patentior ſenſus prima facie videatur;) atque ſic certum eſt, *Deum poſſe facere quot poteſt facere*; hoc eſt, *nullus eſt eorum quos poteſt facere, quin eum poſſit facere*; (ſed hic ſenſus non ſufficit argumento:) vel *collective* intelligendum, nempe *poſſe Deum tot facere, ut cum hi facti fuerint, non poſſit plures facere*; (ut qui totam ſuam poteſtatem jam in actum redegerit:) Atque hoc ſenſu (qui ipſis neceſſarius erit) neganda eſt ea propoſitio: nempe *poſſe deum tot facere, ut deinceps alios facere non poſſit.* Quippe hoc eſſet potentiam inexhauſtibilem, actu exhaurire.

3. Fallacia *compoſitionis*, quando male componuntur ea quæ ſeparatim vera ſunt. Ut, ſi *Abrahamus* de *Iſaaco* diceret (poſt natum *Jacobum*) *Pater eſt*, & *meus eſt*; ergo *meus pater.* Quod eſt argumentum (ut loquuntur) *à bene diviſis ad male conjuncta.* Sic, *poſſibile eſt album eſſe nigrum*, & *ſedentem ſtare*; vera ſunt in *ſenſu diviſo*, ſed non in *ſenſu compoſito*: Hoc eſt, poſſibile eſt ut, quod *jam* eſt album, fiat *alio tempore* nigrum; ſed non, ut ſit *nigrum dum manet album*: Item, ut, qui *jam* ſedet, *alio tempore ſtet*, non eodem. Sic, *poſſibile eſt, eum Romæ eſſe qui Londini eſt*; Nempe alio tempore, non eodem. Item, *duo & tria ſunt par & impar*; Nempe, *ſeparatim* ſumpti, alter par eſt, alter impar numerus; Sed, *conjunctim* ſumpti, *duo & tria*, hoc eſt *quinque*, ſunt impar numerus, non par.

4. Fallacia *diviſionis*, quando male dividuntur ea quæ junctim vera ſunt: Sic *omnes planetæ ſunt ſeptem*; nempe *collective* ſumpti, quod verum eſt; non autem *diſtributive* ſumpti: adeoque male quis inde argueret, *Solem & Lunam* eſſe *ſeptem*, eo quod ſint planetæ: Quippe verum id eſt (ut loquuntur) in *ſenſu compoſito*, ſed non in *ſenſu diviſo.* Similiter ſiquis argueret *Socrates* eſt *mortuus*, ergo *Socrates eſt*: Item, de Pictura; *eſt homo pictus*, ergo *eſt homo*: Et, de falſa moneta; eſt *argentum ſimulatum*, ergo *eſt argentum*: Quod eſt, *arguere* (ut loquuntur) *à bene conjunctis ad male diviſa.* Atque idem intelligendum de aliis *terminis* (ut loquuntur) *diminuentibus*; ubi adjectum vel tollit vel minuit id cui adjicitur. Solvuntur autem hæ fallaciæ ſive *Compoſitionis* ſive *Diviſionis*, diſtinguendo ambiguos ſenſus, indeque oſtendendo plures adeſſe terminos quam oportuit.

5. Fallacia *Accentus* ſeu *Pronunciationis*; quando voces eiſdem literis ſcriptæ, aut non multum diverſis, ſenſu tamen differentes, promiſcue confunduntur, (ſive id temere factum ſit, ſive data opera ad fallendum.) Ut *hortus* & *ortus*; *hara* & *ara*; (quæ ſpiritu differunt:) Item *malum* adjectivum, & *malum* pro pomo; ſic *edo* de cibo comeſto, & *edo* de libris editis; (quæ differunt quantitate primarum ſyllabarum;) ſic *cervus* & *ſervus*; *ſeu* & *ceu*; *concilium* (à conciendo) & *conſilium* (à conſulendo:) *callidus* & *calidus*; *Jenna* & *genna*; *Jena* & *gena*; (diverſis literis, ſed eodem ſono, prout nunc dierum proferri ſolent:) Sed

 craſſiores

craſſiores ſunt hæ fallaciæ quam ut perito imponant. Solvuntur diſtinguendo ea quæ confunduntur, indeque monſtrando pluralitatem terminorum.

6. Fallacia à *Figura dictionis* dici ſolita, quando quis ab aliquali ſimilitudine ſeu derivationis analogia, parem ſignificationis analogiam concludit. Ut, quia κρύπτω & καλύπτω tantundem fere ſignificant; item *condo, tego, claudo*; ergo ἀποκρύπτω & ἀποκαλύπτω tantundem ſignificarent; itemque *recondo, retego, recludo*. Similiter, in lingua noſtra, quia *to* & *unto* tantundem ſignificant: ergo *toward* & *untoward*: Item, quia *roſt meat* & *meat roſt* tantundem ſignificant; itemque *baked pudding* & *pudding baked*: ergo tantundem ſignificarent *pan pudding* & *pudding pan*; *mill horſe* & *horſe mill*. Quibus ſolvendis, ſufficit, negare argumentum ab *Analogia* in omnibus verum eſſe: præſertim ubi quid contrarium ſuadeat. Quippe hujuſmodi Fallacia *materiam* ſyllogiſmi magis ſpectat, quam *formam*: dum id præſumitur ut univerſaliter verum, quod non eſt.

Fallaciæ *extra dictionem* dictæ, ſunt, quæ non tam ab ipſis vocibus ſeu loquendi formulis dependent, quam à materia vocibus ſubſtrata; ſolentque numerari ſeptem: *Fallacia Accidentis*; *A dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter*; *Ab ignoratione Elenchi*; *A non-cauſa pro cauſa*; *Fallacia conſequentis*; *Petitio principii*; & *Fallacia plurium interrogationum*.

1. Fallacia *accidentis*; cum *accidentarium* quiddam confunditur cum eo quod eſt *eſſentiale* ſeu principaliter intentum. Puta, ſi de quopiam dicatur, *Quod emit comedit* (nimirum quoad rei ſubſtantiam, non omnia ejus accidentia;) indeque quis inferret, ſed *crudum emit*, ergo *crudum comedit*: argumentatio fallax eſt; quoniam de *re ipſa* intelligendum erat, non de re ſic *qualificata*. Item; *qui naſcitur moritur*; ſed *naſcitur infans*, ergo *moritur infans*: ſeu contra, *mortuus eſt ſenex*, ergo *natus eſt ſenex*: Intelligendum enim erat de identitate *perſonæ*, non identitate *ætatis*. Pariter; *Gladius & enſis idem ſunt*; ſed *Gladius eſt vox triſſyllaba*; ergo & *enſis*: Fallit argumentum; cum id quod de identitate *ſignificationis* dictum erat, traducitur ad *numerum ſyllabarum*; quod plane accidentarium eſt ad id de quo fiebat ſermo. Solvitur diſtinguendo ſenſus diverſos, indeque oſtendendo pluralitatem terminorum.

2. *A dicto ſecundum quid, ad dictum ſimpliciter*; quum quid ſenſu limitato ſeu conditionato prolatum, applicatur tanquam abſolute dictum. Ut, ſi *Æthiops* concluditur *albus eſſe*, quoniam eſt *albus dentes*: Aut quis *ſapere* concluditur, quia eſt *ſapiens opinione ſua*: Aut *cognitione præditus*, propter *cognitionem falſo dictam*. Solvitur hæc (ut reliquæ) diſtinguendo varios ſenſus.

3. *Ab ignoratione elenchi*: ubi *elenchus* intelligitur, de *confutatione ante-dicti*, ſeu *contradictorii probatione*: Adeoque *ignoratio elenchi*, eſt, cum quid profertur ut contradictorium, quod contradictorium non eſt, ſed cum antedicto ſatis conſiſtens. Jam vero, ut Affirmatio & Negatio ſint vere contradictoriæ, tres ſaltem conditiones recenſeri ſolent ut neceſſariæ: Nimirum, ut ſint, 1 *ad idem*, 2 *ſecundum idem*, & 3 *eodem tempore*. Puta, ſiquis *Poetam* dixerit *laſcivum* eſſe, de *Catullo* loquens; huic non contradicitur, dicendo *Virgilium* (poetam) *non eſſe* laſcivum: quia non *ad idem*. Sic dicenti *Æthiopem nigrum eſſe*, non contradicitur dicendo *dentes eſſe albos*; quia non ſecundum idem, ſeu, non eodem reſpectu; Nam alter de corporis colore, alter de colore dentium loquitur. Item dicenti *Johannem & Jacobum ſimiles eſſe* (intelligendo corporis formam) non contradicit qui *prudentem* alterum, alterum *imprudentem* dixerit. Item, ſiquis *Juvenem* fuiſſe quempiam dixerit; alter *ſenem*; nulla fit contradictio ſi non de *eodem tempore* fit ſermo. Solvitur hoc, monſtrando nullam eſſe contradictionem, propter defectum harum conditionum alicujus.

4. *A non-cauſa pro cauſa*. Quando quidpiam ut cauſa aſſignatur illius rei cujus non eſt cauſa. Utpote, ſiquis *vini uſum* interdixerit, eo quod *ebrios faciat*; quippe hoc non ab *uſu* ſed ab *abuſu* vini provenit. Sic Apoſtolus arguit, Rom. 7. 7, 12. *non culpandam eſſe legem*, tanquam *peccati cauſam*; ſed *concupiſcentiam*, quæ à lege occaſionem peccandi ſumeret. Pariter, cum *Cometæ* (quia quandoque præcedunt) aſſignantur ut *cauſæ* mortis Principum, ſimiliumque. Et *Elias* ab *Achabo* inſimulatus ut *perturbator Iſraelis*, 1 Reg. 18. 17. Reſpondetur, oſtendendo veras cauſas; vel ſaltem, has non eſſe.

5. Fallacia *Conſequentis*; quando quid à quopiam infertur ut conſequens quod inde non ſequitur. Ut cum *proſperum ſcelus*, *virtus* vocatur; & *afflicta virtus*, *ſceleris* damnatur, (ut in caſu *Jobi*;) quaſi quidem, *omne proſperum, bonum eſſet*; *omne afflictum, malum*. In quibus nulla eſt rerum connexio neceſſaria. Similiter, quoties illatio ſecus facta eſt quam per Logicæ leges fieri debet. Puta, (contra leges Converſionum;) Quoniam *omnes homines ſunt animalia*, ergo *omnia animalia ſunt homines*: Aut etiam, Quia *animalium aliqua non ſunt homines*; ergo *aliqui homines non ſunt animalia*. Aut, (contra leges ſyllogiſmi,) *Si homo, tum animal*; ſed *non homo*, ergo *non animal*: vel, ſed *animal*, ergo *homo*. Item; *Remunerabitur pietas, vel in hac vita, vel in futura*, ſed *in hac vita*, ergo *non in futura*; aut, ſed *in futura*, ergo *non hac*: Non ſequitur, inquam, nam *in utraque*; ut quæ *promiſſa habet & hujus vitæ, & futuræ*, 1 Tim. 4. 8. Similiter, ſi contra alias ſyllogiſmorum leges peccetur. Reſpondetur, monſtrando errorem formæ; aut, alios in ea-

dem forma oſtendendo, ubi ex veris præmiſſis infertur concluſio manifeſto falſa.

6. *Petitio principii*; quando aſſumitur quod erat probandum; ſive eiſdem verbis id fiat, ſive quæ tantundem ſignificant; aut, quæ præſumunt quod erat probandum. Item, ſi *ignotum per ignotius* probatum imus, aut per *æque ignotum*. Puta, ſi *mundum incepiſſe* probaret quis, eo quod *tempus aliquando fuit quo primum exiſteret*; quod tantundem eſt. Item, quod vocant, *diſputare in circulo*; ad id redeundo à quo primum diſceſſum erat. Utputa, ſiquis *Ignem urere* probaret, eo quod ſit *calidus*; & mox (paucis forte intermiſſis) *calidum* eſſe, quia *urit*. Refellitur, monſtrando nugacem proceſſum arguentis dum nequicquam promovetur.

7. Fallacia *plurium interrogationum*: dum plures ita complicantur quæſtiones, ut nec junctim negari poſſint, nec junctim affirmari. Utputa, ſi interrogetur, Num *Homerus & Virgilius fuerint Græci*? Num *Virgilius & Cicero fuerint Poetæ*? Num *Ulyſſes fuerit formoſus & facundus*? Ubi nec utrumque concedendum eſt, nec utrumque negandum. Reſpondendum eſt, vel negando copulativum, (*non utrumque*:) vel ſeparatim alterum affirmando, alterum negando.

Atque hæ ſunt quæ receuſeri ſolent fallaciæ: Non, quod hæ ſint omnes; aut quod harum aliquæ non poſſent omitti (ut cum aliis coincidentes:) ſed quod has præ reliquis notare ſoleant Logici; & ſiquæ occurrant aliæ, poſſunt vel ad harum aliquas referri, vel ſimili modo refelli. Et quidem pleræque commune admittunt reſponſum; vel oſtendendo quod peccetur contra formam ſyllogiſmi; vel diſtinguendo varios ſenſus quibus terminorum aliquis uſurpatur, indeque oſtendendo pluralitatem terminorum.

Interim hic monendum duco; quod hæ *Fallaciæ*, utcunque juſtam argumenti vim non habeant, apprime tamen commodæ ſunt ad id omne quod *ingenioſum* vulgo dicimus: Ut ſunt joci, facetiæ, dicteria, ſcommata, ſarcaſmi, retorſiones lepidæ, (*witt, ralliery, repartie.*) Quippe hoc omne fundari ſolet in hujuſmodi Fallaciarum aliqua. Nonnunquam alluſio fit ad verborum ſonos; nunc ad ambiguam vocum ſignificationem; nunc ad dubiam ſyntaxin; nunc proverbialiter dici ſolita accommodantur ſenſu proprio; aut vice verſa: nunc aliud aperte dicitur, aliud clam inſinuatur; ſaltem oblique inſinuatur, quod non erat directe dicendum; nunc verba contrario ſenſu captantur, & retorquentur; nunc veriſimile, inſinuatur ut verum, ſaltem ut ſuſpectum; nunc de uno dicitur, quod, mutato nomine, de alio intellectum vellent; nunc ironice laudando vituperant; nunc objecta ſpicula, reſpondendo declinantur, aut etiam (obliquata) alio diriguntur, forte ſic ut authorem feriant; & fere ſemper ex ambiguo luditur. Quæ quidem fallaciarum formulæ, ſi frigidæ ſint craſſæque, ridentur; ſi ſubtiliores, arrident; ſi acutæ, titillant; ſi aculeatæ, pungunt.

Cap. XXI.

De materia Syllogiſmorum.

De Syllogiſmorum *Formis* hactenus dictum eſt; atque (ut quæ eo ſpectant) de *Fallaciis*, quæ ſunt à juſta forma deviationes. Reſtat, ut de Syllogiſmorum *Materia* agamus; hoc eſt, de Veritate & Certitudine propoſitionum. Quippe utcunque accuratæ ſint argumentationum formulæ; ſi tamen propoſitiones ipſæ (quam *Materiam* dicimus) aut non ſint veræ, aut non certæ, infirmum eſt argumentum. Quanquam enim, etiam tum, concluſio vera eſſe poſſit, & inde (ſi veræ eſſent) neceſſario ſequeretur: ſi tamen præmiſſarum vel utraque, vel ſaltem altera, non ſit vera; non *inde ſequitur* veram eſſe concluſionem; &, ſi vera ſit, ſaltem *non probatur* vera eſſe.

Jam vero Veritas aut Falſitas propoſitionum (ex quibus conſtat argumentum) judicanda eſt (præcipue) à Principiis iſtius Artis ſeu Scientiæ ad quam potiſſimum ſpectat id de quo arguitur. Utpote, in Naturali Philoſophia, ex Principiis Naturæ; aut ſaltem Naturali Hiſtoria: In Philoſophia Morali, à Principiis Praxeos, ſeu legibus Boni & Mali: In Mathematicis, à principiis ſuis: In Metaphyſicis, ex ſuis; (quo referendæ ſunt pleræque Regulæ ſeu Axiomata, quæ tradi ſolent in ea Logices parte quam Topicam vocant; ſaltem niſi Metaphyſicam velimus cum Logica confundere:) Atque in aliis ſimiliter.

Et quoniam in his non ſemper ad abſolutam Certitudinem pervenire datum ſit: contentos eſſe oportet eo qui haberi poteſt *Probabilitatis* gradu: Adeoque pro Univerſali admittere, quod ut plurimum contingit, quodque merito expectemus; uſque dum quidpiam de præſenti caſu appareat in contrarium.

Hinc eſt quod, abſque omni ſcrupulo, haberi ſoleat Univerſalis propoſitio, quod *Omnis homo eſt Bipes*, (nec plures nec pauciores habens quam duos pedes:) quodque hoc ſit Inductione ſatis comprobatum, quoniam hoc in *Petro, Johanne, Jacobo*, cæteriſque, conſpicimus

mus indies: & ſiquid in contrarium aliquando contingat; pro *manco, mutilato, monſtro, prodigiove* haberi ſolet. Atque tum demum intelligenda dicetur propoſitio, de hominibus *perfectis*, de hominibus (ut loquuntur) *generaliter* ſumptis, hoc eſt hominum parte longe maxima. Adeoque *Titius* (ut qui homo eſt) *præſumetur* duos habere pedes (nec plures) niſi contrarium pateat. Et quidem ſi contrarium comperiatur, dicetur hic caſus extraordinarius. Quando igitur arguimus, *Titium* (cum homo ſit) *bipedem eſſe*: Hoc *apprime probabile*, ſeu veriſimile, dicendum erit, potius quam *abſolute certum*.

Et quidem, ſi incomperta fuiſſet & plane ignorata *Maurorum* gens; non minus cenſenda foret univerſalis propoſitio, *Omnis homo eſt albus*, quam *Omnis homo eſt bipes*. Jam vero, cum magno numero mortales (Mauritaniæ incolæ) comperiantur aut *Nigri* aut *Fuſci*; contenti ſumus id Particulariter proferre, Hominum *aliqui* (aut forte, *plerique* hominum) *albi ſunt*; non, *Omnes*.

Pariter; ſiquando compareat aut *Corvus albus*, aut *Cygnus niger*, dicetur *rara avis in terris*: &, quanquam non *impoſſibilis* habeatur, tam raro tamen contingens, ut dicatur rotunde (in hiſtoria naturali) *Omnes Corvi nigri ſunt*; & *omnes Cygni, albi*.

Pari ratione, cenſeri ſolet *Riſibilitas* Humani generis *Propria*; & à Rationalitate inſeparabilis: Adeoque *Homo* & *Riſibilis*; item *Rationalis* & *Riſibilis*; termini convertibiles: (*omnis homo eſt riſibilis*, & *omne riſibile eſt homo*.) Quod quidem eo uſque obtinet, ut hoc fere unicum ſit exemplum, quod plerique Logici proferunt, *perfectæ* demonſtrationis, ſeu (ut loquuntur) *potiſſimæ*: Dum nempe, de *Subjecto* (Homine) demonſtrant *Eſſentiale conſequens* (Riſibilitatem,) per *Eſſentiale conſtituens* (Rationalitatem,) unde *immediate* & *adæquate* profluere volunt Riſibilitatem. Non quod ulla ſit (quantum ego video) neceſſaria (in rei natura) connexio Riſibilitatis cum Rationalitate; ſed ſolummodo, quia (quatenus obſervatum fuerit) generis humani omnes (data occaſione) Ridere (ſed & Flere) aliquando ſolent; quod de aliis animalibus non fuit (hactenus) obſervatum, aut (ſi ſic) diſſimulatum eſt.

Et quidem tota *Naturalis Philoſophia* vix aliud eſt quam *Naturalis Hiſtoria* in ordinem digeſta. Siquid ibi erratum ſit in materiis colligendis; id non Logicæ imputandum eſt (cujus eſt obſervata digerere) ſed ab imperfecta rerum obſervatarum collectione. Quodque de Naturali Philoſophia dictum eſt; de aliis pariter intelligendum eſt, circa quæ verſatur Logica.

Si autem, à rebus rite obſervatis, indebita fiat illatio; illudque inde ut certum concluditur, quod tantum eſt Probabile; aut non concluditur Probabile, cum id ſuppetat unde hoc ſaltem concludatur: hoc erit defectui Logicæ imputandum.

Hac conſideratione factum eſt, quod Syllogiſmi (pro ratione materiæ) diſtingui ſoleant in *Apodicticum*, *Didaſcalicum*, & *Sophiſticum*.

Sophiſticum jam conſideravimus; ut qui Syllogiſmi *Formam* potius ſpectat quam *Materiam*; quippe ad fallendum magis quam probandum comparatus eſt.

Apodicticus (ſive *Demonſtrativus*) eſt, qui putatur *abſolutam certitudinem* probare; indeque creare (quam vocant) *Scientiam*, ſeu certam cognitionem; *Scientificus* inde dictus.

Didaſcalicus, (qui & *Topicus*, & *Dialecticus* dicitur,) qui, ex præmiſſis ſaltem Probabilibus, *Probabilitatem* ſaltem probat; indeque *Opinionem* ſeu probabilem conjecturam creare dicitur. Deque his duobus poſterioribus reſtat dicendum.

CAP. XXII.

De Demonſtratione.

SYllogiſmus *Apodicticus* ſive Demonſtrativus (à Græca voce ἀπόδειξις dictus; quæ Latine *Demonſtratio* reddi ſolet;) talis appellari conſuevit Syllogiſmus (ſeu Syllogiſmorum ſeries) qui ex certis Principiis certam infert concluſionem: Adeoque non tantum probabilem conjecturam, ſed abſolutam certitudinem rei probatæ facit.

Tales reputari ſolent, quas vocant *Demonſtrationes Mathematicas*: in quibus, ex Principiis ita certis, ut de eis nemo (qui ea intelligit & perpendit) merito dubitare poteſt; id quod proponitur probandum ita certo deducitur (Syllogiſmi unius pluriumve ope) ut de ejus veritate non poſſit dubitari. Atque ab hac δείξεως ſeu ἀποδείξεως ſignificatione apud Mathematicos, mutuatur (credo) Ariſtoteles eandem vocem pro argumentis omnium certiſſimis; quippe quod de talibus vox ea ſoleat apud Matheſeos ſcriptores uſurpari.

Cumque Demonſtrationes omnes (quæ hanc merentur appellationem) tales ſint; non tamen eodem omnes dignitatis gradu haberi ſolent. Utut enim eadem *certitudo*, non tamen eadem eſt omnium *evidentia*.

Eſt quæ dici ſolet *Demonſtratio* τῦ ὅτι (*quod ſit,*) quæ oſtendit rem *eſſe* : & *Demonſtratio* τῦ διότι (*cur ſit,*) quæ oſtendit unde ſit quod ita eſt; veraſque rei cauſas aperit.

Atque ex Demonſtrationibus τῦ ὅτι, alia dicitur *Apagogica* (ſeu per impoſſibile,) alia *Oſtenſiva*.

Demonſtratio *Apagogica* (ἀπαγωγὴ) deducendo ad Abſurdum ſeu Impoſſibile ; non directe probat quid *eſſe verum*, ſed *non eſſe falſum*, (eo quod, ſi falſum foret, ſequeretur inde Abſurdum quid ſeu Impoſſibile,) indeque concludit verum eſſe. Hujus exempla ſupra dedimus in Reductione modorum *Baroco* & *Bocardo*. Eſtque in frequenti uſu apud Matheſeos ſcriptores. Sic demonſtrat Archimedes, *Circulum æqualem eſſe Triangulo Rectangulo quod latera circa angulum rectum habeat alterum Semidiametro alterum Perimetro circuli æquale* : monſtrando, quod *non ſit inæqualis*. Quippe neque Major (quia ſic foret Rectilineum aliquod circulo Inſcriptum, ipſo circulo majus ;) neque Minor (quia ſic foret Rectilineum, circulo Circumſcriptum , ipſo circulo minus; &, utrovis modo, totum minus eſſet parte ſui ; quod abſurdum eſt & impoſſibile :) Adeoque (cum non ſit inæqualis) Æqualis eſt. Simili fere modo deſcribit *Ovidius* fluctum *decumanum*, (*poſterior nono eſt, undecimoque prior.*) Sic paſſim apud Mathematicos probatur quid alteri æquale eſſe; eo quod ſit Majus quam quidpiam eo altero minus, & Minus quam quidpiam eo altero majus. Sic, ſi adeſſe homines probemus, *plures quam novem*, & *pauciores quam undecim*, (propter abſurdum quidpiam utrovis caſu ſecuturum,) ſequitur omnino adeſſe *decem*. Et univerſim, cum quidpiam verum eſſe probemus, eo quod, ſi falſum foret, abſurdi quidpiam inde ſequeretur ; Probatio dicetur *Apagogica*. Quæ infimi gradus cenſetur Demonſtratio.

Demonſtratio *oſtenſiva* τῦ ὅτι, quando directe probatur rem ita eſſe. Utputa, ſi probemus *ſex & quatuor* tantundem eſſe atque *ſeptem & tria*, quoniam utrumvis eſt *decem*.

Utravis harum admitti ſolet, apud Mathematicos, pro juſta Demonſtratione: Ut qui, ad Demonſtrationem, nil porro poſtulant, quam ut *Præmiſſæ certæ ſint*, ſitque concluſionis inde *certa illatio*.

Logicorum tamen plurimi, utut *minus certitudinis* paſſim admittant (quod facile eſt probatu) *plus formalitatis* poſtulant, ut quid dicatur Demonſtratio. Et quidem, niſi probetur *Effectus* per propriam *Cauſam*; vel ſaltem *Cauſa* per *Effectum* proprium ; (utcunque certa ſit & indubia probatio :) *Demonſtrationis* nomine non dignantur ; nequidem τῦ ὅτι.

Demonſtratio quæ dicitur τῦ διότι, oſtendit, non modo, *quod ſit* quid, aut quod *non ſit* ; ſed *cur*, ſeu *quam ob cauſam* ſit vel non ſit. Puta, ſi probetur (Negativa) quod *Piſces non reſpirant*, quia *non habent pulmones* ; Aut (Affirmativa) quod (certo tempore) *futura eſt Eclipſis ſolis* ; quia (tum temporis) *interponetur Lunare corpus inter nos & ſolem* : Hanc agnoſcent eſſe Demonſtrationem τῦ διότι, quia Effectus per Cauſam probatur.

Ad eam autem quam vocant *Demonſtrationem potiſſimam*, (utpote omnium excellentiſſimam & perfectiſſimam,) plura adhuc poſtulant tanquam neceſſaria. Nimirum, ut *Effectus* probetur per *Cauſam propriam, immediatam*, & *adæquatam*.

Magna quidem hic occurrit apud Logicos ſcrupuloſitas de conditionibus Demonſtrationis *Potiſſimæ* ; quæ ſcilicet & quot requirantur ut demonſtratio dicatur *Potiſſima* : ſed omnium ſumma in his fere continetur, ut Cauſa per quam fit Demonſtratio ſit *propria, immediata* & *adæquata*.

Ejuſque ſpecimen hoc ſolent exhibere. *Omne Rationale eſt Riſibile* : *Omnis homo eſt Rationalis* : Ergo *Omnis Homo eſt Riſibilis*. Quæ eſt ſyllogiſmus in *Barbara* ; (voluntque in nullo alio Modo concludi poſſe *Demonſtrationem potiſſimam*.) Affectio (*Riſibilis*) demonſtratur, inquiunt, de (*Homine*) ſubjecto Adæquato (quippe *omnis* & *ſolus* homo eſt riſibilis;) per *propriam* cauſam ſeu cauſam per ſe (non cauſam aliquam per accidens,) nimirum, eo quod ſit *Rationalis*, (quippe, à Rationalitate, proprie atque eſſentialiter fluere docent Riſibilitatem ;) cauſamque *immediatam* , (utpote à qua tam immediate oritur ut nulla intercedat conſideratio intermedia per quam connectatur, cum Rationalitate, Riſibilitas;) & quidem cauſam *adæquatam* ; ut, ubi altera ſit, ibi ſit & reliqua, nec uſpiam alias ; quippe talem eſſe volunt Rationalitatem Riſibilitatis cauſam.

Si ſcrupuloſius inquiratur in rem hanc ; Numqua ſit *eſſentialis connexio* inter rationalitatem & riſibilitatem, quò ſit ea *propria cauſa* hujus, ſeu *cauſa per ſe* ; ut Rationalitas, propter ipſam ſui *Eſſentiam*, non poſſit eſſe abſque Riſibilitate ; neque hæc abſque illa : & quidem *immediata*, abſque interventu alius conſiderationis qua connectantur ; atque *adæquata*, ut ad omnes rationales extendatur atque ad hos ſolos : ſubtilior forſan eſſet inquiſitio quam ut ei facile ſatisfiat. Sed foret illa Phyſices, ſeu Naturalis Philoſophiæ inquiſitio ; non, Logices. Sufficit, ad rem præſentem, ut, dato quod hæc ita ſint, appoſitum hoc ſit ſpecimen, ſeu Exemplum, *Potiſſimæ demonſtrationis*. Hoc eſt ; Poſito quod ea ſit *Rationalitatis* natura, ut inde *neceſſario* profluat (& *immediate*) *Riſibilitas* ; eaque ſit *Riſibilitatis* natura ut non poſſit aliunde oriri quam per *immediatam reſultantiam* à rationalitate ; atque tam ampla ſit utriuſque extenſio, ut ad *omnes* homines, eoſque *ſolos*, pertingat : Tum accommodum erit hoc exemplum Demonſtrationis *potiſſimæ*. Sed & porro docent ; quod, ſi hæc non ſit appoſitum exemplum, merito dubitandum ſit, numquod aliud ſit in rerum natura exemplum aptius.

Ego

Ego ſpecimen potius quæſiverim in Mathematicis, (dato, quod *Definitio Mathematica* habenda ſit pro *Eſſentia* rei definitæ :) Quippe hic, ſi uſpiam, ſperandum videatur tale ſpecimen.

Tale forſan hoc cenſebitur, de *recta linea* ; niſi quod deſit una vox Latina, qua ſignificetur *linea recta* ; qualis eſt *homo* qua nuncupetur *animal rationale*. Dicatur, ſi placet, *Strictura* ſeu *extractura* (prout ſive à *ſtringendo*, ſive potius ab *extrahendo*, linea recta dicitur apud nos *ſtreight* ; eſtque vox *extrahura* Juriſconſultis noſtris, alio ſignificatu, nota.) Unde ſi arguamus.

> *Linea quævis Recta eſt omnium intra eoſdem terminos breviſſima.*
> Sed, *ſtrictura quævis eſt linea recta.* Ergo
> *Strictura quævis eſt linearum omnium intra eoſdem terminos breviſſima.*

Quippe hic *Affectio*, ſeu prædicatum concluſionis, (*breviſſima linearum eoſdem terminos habentium,*) demonſtratur de *Subjecto* (*ſtrictura,* ſeu linea recta,) ut *adæquata proprietas,* per ipſam *Eſſentiam* (ſeu *ſtricturæ formalem rationem*) quæ eſt εὐθύτης ſeu *Rectitudo.* Quippe ab ipſa *Rectitudine* (atque à nihilo alio) neceſſario atque immediate reſultat, quod ſit *omnium breviſſima eoſdem terminos habentium.* Ipſa enim εὐθύτητος ſeu *rectitudinis* ratio (quæ, ex communi uſu, mente melius concipitur, quam poſſit aliis verbis definiri ;) eſt propria, immediata, & adæquata cauſa hujus *brevitudinis.* (Εὐθύτητος vocem interpono, quoniam apud Græcos, aliud eſt εὐθὺ, aliud ὀρθὸν illud de Lineis ; hoc, de Angulis, dictum. Pro quibus Latini promiſcue dicunt *Rectum.*)

Vel (dimiſſo quod pro recta linea nomen fecimus *ſtricturam*) pro *linea recta* ponamus ejuſdem definitionem Euclideam ; ut ea ſit *quæ inter puncta ſua jacet* (ἐξ ἴσου) *æqualiter,* (ſeu *præciſe, exacte, æquabiliter* ; nos dicimus *juſt between.*) Quæ itaque intelligenda eſt id ipſum ſignificare quod nos, ſub *rectitudinis* notione, mente concipimus : (&, mihi quidem, ipſum *rectitudinis* nomen, facilius intellectu videtur, ex communi uſu, quam talis definitio ; quod uſu venire comperimus in definiendis vocibus notiſſimis.) Unde ſic arguimus :

> *Quæ æquabiliter jacet inter ſua puncta, eſt linearum omnium eoſdem terminos habentium breviſſima* ; Sed
> *Recta inter ſua puncta æquabiliter jacet* : Ergo
> *Recta eſt linearum omnium eoſdem terminos habentium breviſſima.*

Quæ demonſtratio eſt, aliis verbis, eadem quæ prius.

Sic demonſtrabitur, *Circuli radios æquales eſſe,* &, *in eodem plano omnes* : eo quod, per *definitionem* Circuli (quæ ejus eſſentiam continet) Circulus eſt *figura plana,* centrique à circumferentia *diſtantia* eſt *ubique eadem.*

Similiaque in Mathematicis (quam in aliis ſcientiis) facilius inveniamus ; eo quod magna hic conceditur libertas (per definitiones magnâ ex parte arbitrarias) limitandi & determinandi definitæ vocis ſignificatum (adeoque *Eſſentiam* rei quam innuit ea vox) & quidem alibi aliter , (aliud enim ſignificat *Triangulum* apud *Euclidem* ; aliter apud *Theodoſium* : *Conuſque* & *Cylindrus* aliter apud *Apollonium* ſignificant quam apud *Euclidem* :) atque ex Vocis ſenſo (ſic determinato) facilius eſt *Proprietates* invenire, quæ inde neceſſario & immediate reſultent. Sed in Philoſophia Naturali, verbi gratia, poſtquam convenit quod vox *Equus,* illud deſignat *Animal* quod eo nomine vocari ſolet : non ita facile eſt determinatu, quid ſit abſolute & adæquate neceſſarium ad hujus animalis *Eſſentiam* (quæ non eſt arbitrio noſtro determinanda, ſed ita ſumenda ut in rerum natura reperitur ;) quæque ab ea Eſſentia immediate & adæquate reſultant Proprietates.

Sed redeamus ad illud quod vulgo ſolet exhiberi ſpecimen : In quo *Riſibilitas* præſumitur à *Rationalitate* immediate & adæquate fluere ; & *Rationalitas* conſtituere & adæquate determinare *Eſſentiam* Hominis, ut ab aliis animalibus diſtincti ; adeoque *illa* per *hanc* de *omnibus hominibus* demonſtrari, demonſtratione *potiſſima* & *perfectiſſima.*

Si per idem *Medium* probatum eatur *Petrum eſſe riſibilem* ; (eo quod omnis rationalis ſit riſibilis ; atque Petrus rationalis ; adeoque riſibilis :) Admittent hanc *Demonſtrationem* eſſe, ſed non quam vocant *Potiſſimam* : quoniam non *immediate* & *adæquate* reſultat à *Petreitate* ſua (ut loqui amant) ſed ab ipſius *Humanitate* ; quæ aliis cum eo hominibus communis eſt.

Pariter, ſi probetur *omnes homines eſſe ſenſu præditos* ; eo quod ſint *animalia* ; ſitque *animali* eſſentiale *ſenſitivum eſſe* : Neque hanc permittent dici *Potiſſimam* demonſtrationem ; (licet hic, ſubjectum ſit *Univerſale* ; non *Individuum,* de quo negant demonſtrationem fieri poſſe : *ſingularium,* inquiunt, *non eſt demonſtratio.*) Quanquam enim ſit (ut loquuntur) prædicatio *per ſe* (non *per accidens*) & *in primo modo dicendi per ſe,* (in quo *Prædicatum eſt de Eſſentia ſubjecti* ; quippe ita ſunt *Animal* & *Senſitivum* reſpectu *Hominis,* utpote ipſius Genus, & Differentia conſtitutiva remota ;) non tamen *quatenus ipſum* (ut loquuntur) ſeu *Univerſale primo* ; quia non *immediate* & *adæquate* de homine dicitur *Senſitivum* ; ſed Homini convenit quatenus eſt *Animal* : neque ab *Humanitate* ſua, ſed ab *Animalitate* reſultat, eſſe Senſitivum : ſed nec adæquate convenit Homini, ſed eſt ipſi cum aliis animalibus commune. Adeoque demonſtratio non Potiſſima.

Alias item habent ſubtiles ſpeculationes de *Demonſtratione*, atque ad eam *requiſitis*; ſed quæ magis curioſæ ſunt quam cognitu neceſſariæ: quas igitur omitto.

Verum hoc utcunque tenendum eſt; Quod clariſſima atque evidentiſſima tum Probandi tum Docendi methodus (quæque animo maxime ſatisfacit) ea eſt, qua, *Rem ita eſſe*, oſtenditur, per veram cauſam unde fit ut ita ſit. Adeoque potius eſt (quatenus id fieri commode poteſt) hac uti methodo, ut magis ſcientifica: Nec prius acquieſcere (tanquam in plena probatione) quam rem affirmatam habeamus à principiis ita certis & evidentibus deductam, ut de eis mens humana merito dubitare non poſſit; atque ita immediatis, ut vel non poſſint, ſaltem non indigeant, per notiora quam ipſa ſunt probari, (Quales ſunt quæ *κοιναὶ ἔννοιαι*, ſeu *communes notiones* dici ſolent:) vel à propoſitionibus quæ jam ante fuerint ab ejuſmodi principiis deductæ.

Eſtque hæc methodus, quam Matheſeos præſertim ſcriptores proſequi ſolent. Quibus mos eſt, *Poſtulata* quædam & indubia *Axiomata* præmittere, indeque (per conſequentias indubias) propoſitiones alias inferre; atque ab his demum alias; atque ſic deinceps, donec ad id perventum ſit quod demonſtrandum ſuſcipiunt.

C A P. XXIII.

De Syllogiſmo Topico.

SYllogiſmus *Topicus* (qui & *Dialecticus* dici ſolet, & *Didaſcalicus*) talis haberi ſolet ſyllogiſmus (ſeu ſyllogiſmorum ſeries) qui firmam potius Præſumptionem, ſeu Opinionem valde probabilem creat, quam abſolutam certitudinem. Non quidem ratione *Formæ*, (nam Syllogiſmi omnes, ſi in juſta forma, ſunt Demonſtrativi; hoc eſt, ſi Præmiſſæ veræ ſint, vera erit & Concluſio,) ſed ratione *Materiæ*, ſeu *Præmiſſarum*; quæ ipſæ, utplurimum, non ſunt abſolute certæ, & Univerſaliter veræ; ſed ſaltem probabiles, atque utplurimum veræ.

Nomen habet à Græco verbo *τόπος* (*locus*,) quo utitur Ariſtoteles pro deſignandis Locis ſeu ſedibus argumentorum; quæ ſunt ſelecta quædam materiæ capita unde duci ſolent argumenta. Puta; à natura *Cauſarum* & *Effectuum*; *Subjecti* & *Accidentium* ſeu *Adjunctorum*; rerum item *Diſſentanearum* ſeu alias inter ſe *comparatarum*; *conjugatorum* item ſeu vocum ab eadem origine varie deflexarum; *Totius* & *Partis*; *Generalium* item & *Specialium*; *Definitionis* & *Diviſionis*; *Teſtimoniorum*; atque horum ſimilium. Quæ à variis Logicis varie ſolent enumerari. Ego eo ordine recenſui quo in *Sanderſoni* Logica occurrunt; ut qui liber eſt in juvenum manibus familiaris, Locoſque hos ad pauciora capita reducit, ille, quam alii multi. Non enim mihi in animo eſt, aut ſtudioſe omnia conquirere, aut fuſe proſequi: ſed ſpecimina quædam exhibere.

His autem Locis, ſeu Argumentorum capitibus, ſubnectere ſolent quaſdam Regulas, Axiomata, ſeu Propoſitiones receptiores, quæ Argumentorum materiam ſubminiſtrent; cum earum Limitationibus, Exceptionibus, aliiſque Cautionibus neceſſariis.

I. *De Cauſa & Effectu.*

Voces has hic adhibeo in ampliori earundem ſignificatu; Ut cauſam reſpiciant *Efficientem*, *Materialem*, *Formalem*, & *Finalem*; item Totalem & Partialem (five ſolitariam & ſociam;) Actualem & Potentialem; Proximam & Remotam; Propriam & Accidentariam (ſive per ſe, & per accidens:) De quibus hujuſmodi ſolent tradere propoſitiones.

1. *Si Cauſa eſt, Effectus eſt; ſi non illa, neque hic.* Puta, ſi Sol oritur, dies eſt: ſi non, non eſt. Sed hæc, inquiunt, Regula non ſemper obtinet; Utpote, 1. de cauſa Remota; ut cum hauſtus vini eſt cauſa Ebrietatis; nec ſemper tamen. 2. Si interveniat Impedimentum; ut cum Lapis, utut Gravis, à deſcenſu impeditur. 3. Si ſit cauſa tantum per accidens; ut cum terram fodiens invenit theſaurum; nec tamen ſemper. 4. Si cauſa ſit partialis & per ſe inſufficiens; ſic, currenti non omni contingit præmium. 5. Si effectus talis ſit ut permanere poſſit, remota cauſa; ut Ædificium remoto conditore. 6. Cum effectus idem à variis cauſis oriri poſſit; ut Mors, à Veneno, Morbo, Gladio, &c. à quorum aliquo ſi caveatur, poteſt tamen ab alio inferri.

2. *Si effectus eſt, cauſa eſt; ſi non ille, neque hæc.* Pariles admittit exceptiones cum regula præcedente.

3. *Qualis eſt cauſa, talis eſt effectus; & contra.* Ut, ſi arbor bona, fructus item bonus erit. Non tamen obtinet, 1. in productionibus Æquivocis; ut cum deformis Pictor, bellam Picturam facit. 2. Si extrinſeca quædam cauſa varietatem induxit; ut cum Glacies non eſt Liquida, ut fuerat ex qua fiebat Aqua.

4. *Quod facit tale, illud eſt magis tale.* Ut, Ignis qui calefacit Aquam, eſt magis calidus.

Nec ſemper tamen ; utpote, 1. Vinum quod facit Ebrium, non ipſum Ebrium eſt, (utpote hujus incapax :) 2. Pater non eſt, quam Filius, magis Homo, (quia ſubſtantiæ non recipiunt magis & minus :) 3. Nec Præceptor ſemper doctior quam Diſcipulus, (ut qui partialis tantum cauſa fuerit :) Pariterque in multis aliis.

5. *Cauſa eſt prior effectu.* Intelligitur præcipue de cauſa Efficiente ; ſed & in aliis item locum habet, ut Materia, & Forma ; etiam in Fine, prout hic cauſæ rationem ſubit ; hoc eſt, quatenus Efficientem incitat ad agendum. Intelligendum autem eſt, *Prius natura* ; non ſemper *prius tempore*. Nam *Ignis* ejuſque *calor*, ſunt contemporanei ; item *Sol*, ejuſque *Splendor*. Præſertim in cauſis *Moralibus* ; ut *Mors Chriſti* eſt tempore poſterior, quam *ſalus Adami*.

Sed hujuſmodi Propoſitionum veritas, cum earundem Exceptionibus & Limitationibus, (an, & quatenus, veræ ſint, aut non ſint :) ad *Metaphyſicam* proprie ſpectat ; ubi natura Cauſæ & Effectus, aliarumque Relationum tranſcendentalium, cum earum Affectionibus & Proprietatibus, conſiderari ſolent : indeque huc transferuntur.

Si vero ea omnia huc inde tranſcribenda ſint, (aliter quam ſpeciminis, ſeu exempli gratia ;) eo tantum quod poſſint eſſe Syllogiſmorum Materia : pariter tranſcribendum eſſet Metaphyſices corpus integrum (nam & reliqua omnia fieri poſſunt Materia Syllogiſmorum :) Nec Metaphyſices tantum, ſed reliquarum omnium Artium & Scientiarum dictamina : Puta (ex Naturali Philoſophia) quod ſunt *Quatuor Elementa* ; *Septem Planetæ* ; quod *Materia & Forma ſunt corporis partes conſtituentes* ; Item (ex Morali Philoſophia) quæ ad *Virtutes & Vitia* ſpectant ; ad *Bonum & Malum* ; ad *Paſſionum regimen* ; Item (ex Matheſi) *tres angulos trianguli rectilinei æquales eſſe duobus rectis* : aliaque iſtiuſmodi. Quippe hæc omnia eſſe poſſunt materia Syllogiſmorum.

Sed Logica & Metaphyſica, prout à plurimis tractantur, ita commiſceri ſolent, ut non mirum ſit alteram ab altera multa mutuari : *Ramuſque* & qui illum ſequuntur, totam fere Metaphyſicam, (qualis eſt *Tranſcendentium* doctrina , quæque generales Entium affectiones ſpectant,) ad Logicam relegandam malunt ; ejuſque propterea partem primam ampliandam.

Quod autem de propoſitionibus ad *Cauſam & Effectum* ſpectantibus dictum eſt ; ad alios qui ſequuntur locos Topicos perinde ſpectat.

II. *De Subjecto & Accidente.*

Non tam ſtricte ſumendæ ſunt hæ voces, ut cum *Subjectum* pro *Subſtantia* ſumitur ; & *Accidens* pro eo omni quod Subſtantiæ contradiſtinguitur : Sed per *Subjectum* intelligunt id omne quod, præter ipſam ſui eſſentiam, alia ſibi attributa habet accidentalia ; & per *Accidens*, omne id quod huic ſubjecto ſic attribuitur. Sic *Numerus* (utut ipſe ſit Accidens) dicitur eſſe *Par* & *Impar* : Eſtque Numerus hic pro ſubjecto habendus ; Paritaſque & Imparitas ſunt ejus Accidentia. Poteſtque tale Accidens eſſe vel Proprium vel Commune ; item vel Inhærens vel Adhærens (ſeu internum aut externum ;) item Antecedens, Concomitans, & Conſequens ; & (inter alia) rei Signa & Circumſtantiæ. De quibus Accidentibus, hujuſmodi tradunt propoſitiones.

1. *Subjecti & Accidentis proprii, ſi alterum eſt, eſt & reliquum* ; *ſi alterum non ſit, tum neque reliquum.* Nempe, propter eorum convertibilitatem. Si Homo, tum Riſibilis ; & contra.

2. *Si ſubjectum eſt, tum & ejus Commune accidens* ; *ſed non contra.* Si Corvus eſt, tum Niger ; (quod de Accidente inſeparabili locum habet, non de ſeparabili :) Sed non contra, ſi Niger, tum Corvus eſt.

3. *Si commune accidens non ſit, tum neque eſt ſubjectum* : *ſed non contra.* Limitanda hæc eſt ut præcedens.

4. *Si res ſit, ſunt & neceſſariæ loci temporiſque circumſtantiæ* ; *ſi non hæ, neque res eſt* : *ſed non contra.* Si Milo Clodium occidit, tum Clodius tunc & ibidem vivus erat, (abſque quo non potuit illum occidere Milo :) ſed non contra ; ſi tunc aderat tum eum occidit Milo.

5. *Si cujuſpiam antecedens, concomitans, aut conſequens* ; *tum id eſt cujus hoc eſt antecedens, concomitans, aut conſequens.* Sed locum non habet niſi ubi connexio eſt neceſſaria. Si ſit Eclipſis Lunæ, eſt Plenilunium : ſed non contra ; ſi Plenilunium, tum eſt Eclipſis. Ubi autem connexio non eſt neceſſaria, illatio non eſt niſi conjecturalis ; eaque magis minuſve probabilis, prout ita eſt connexio.

III. *De Diſſentaneis & Comparatis.*

Diſſentanea ſunt vel *Diſparata* (ut Bos & Equus ;) vel *Oppoſita* (de quibus in prima parte Logices dictum eſt ; nimirum *Relativa*, *Contraria*, *Privativa*, & *Contradictoria*.) *Comparata* ſunt vel ſecundum *Qualitatem* (Simile, aut Diſſimile :) vel ſecundum *Quantitatem*, (Æquale, aut Inæquale ; Plus, aut Minus.) De quibus hujuſmodi tradunt regulas.

De Relativis.

Si Relativorum alterum eſt, eſt & reliquum. Si Parens eſt, eſt Proles. Sed locum non habet in *Relativis ſecundum Dici ſed non ſecundum Eſſe* : Ut, eſt *viſibile* ergo eſt *viſio*.

De

De Contrariis.

1. *Si contrariorum alterum ſit, alterum non eſt.* Si calidum, non frigidum. Sed locum non habet in gradibus remiſſis; ut in Aqua Tepida, ubi eſt aliqnid Caloris, & aliquid Frigoris.

2. *Si alterum non ſit, alterum eſt.* Si Numerus non ſit Par, eſt Impar. Sed non valet, niſi cum neceſſe eſt ut eorum alterum ſit.

3. *Contrariorum idem eſt Genus, & idem Subjectum.* Si Albedo Color ſit, eſt & Nigredo Color. Si Amor ſit in Facultate concupiſcibili, ita eſt & Odium.

4. *Contrariorum contraria eſt ratio.* Si Bonum ſit appetendum, Malum eſt fugiendum. Non valet autem in affectionibus ſeu prædicationibus remotioribns; (non, quia Album eſt Viſibile, Nigrum eſt Inviſibile.) Neque ratione communis ſubjecti; (oon, quia Sanitas eſt animatorum, Morbus eſt inanimatorum.) Neque in eo qood eſt per accidens; (non, quia vir albus videt, ergo vir niger cæcus eſt.) Nec ubi res dependet ex diverſa conſtitutione ſubjecti; (non, quia Calor indurat Lutum, ergo Frigus emollit.) Aliiſque caſibus innumeris.

5. *Quod majori bono contrarium eſt, id eſt majus malum.* Utputa, quia Sanitas Divitiis præſtat, ergo Ægrotum eſſe eſt malum majus Paupertate. Neque tamen ſemper valet: nam parum Ægritudinis minus malum eſt, quam magna Paopertas. Item, quia Philoſophum eſſe, eſt majus bonum quam ſimpliciter poſſe legere; non inde ſequitur majus eſſe malum, non eſſe Philoſophum, quam neſcire literas.

De Privativis.

1. *Si Habitus eſt, Privatio non eſt; ſi hæc eſt, non ille.* Siquis videt, non eſt cæcus; ſi cæcus, oon videt.

2. *Si Habitus non ſit, Privatio eſt; ſi non hæc, tum ille.* Siquis non poſſit videre, cæcus eſt; ſi oon cæcus, videre poteſt. Sed non valet niſi in ſubjecto capaci, temporeque debito, aptiſque circumſtantiis. Lapis enim non Cæcus dicendus eſt, etſi non videat; nec qui in tenebris ſitus eſt, aut cum oculis clauſis; neque (quod aiunt) catulus ante diem nonum, cum nondum ſit tempus debitum.

De Contradictoriis.

Contradictoriorum, ſi alterum ſit, alterum non eſt; ſi illud non ſit, hoc eſt. Paries ſi non ſit albus, eſt non-albus; ſi non-albus, non eſt albus.

De Diſparatis.

Diſparatorum, ſi unum ſit, reliqua non ſunt. Siqnid ſit Equus, id non eſt Bos, Ovis, Leo, &c. Sed oon valet in concretis Accidentibus: ſi lac (verbi gratia) ſit album, aut mel flavum, non ſeqoitur, non eſſe dulce; cum utrumqne eſſe poſſit.

De Comparatis.

Similibus & Proportionalibus conveniunt Similia & Proportionalia: Diſſimilibus & non-proportionalibus, Diſſimilia & non-proportionalia. Si Plato ſit mortalis; ſic & Socrates. Si Argenti uncia valet quinque nummos ſolidos, duæ unciæ valebunt decem ſolidos. Non tamen locum habet, niſi intelligatur *reduplicative*, quatenus tale. Non, ſi Æthiops ſit rationalis, erit & Corvus; quamvis uterque ſit niger. Nec Adamas dupli ponderis eſt (præciſe) dupli valoris; ſed quadrupli, aut etiam pluris.

Plus, minus, æquale, attribueoda ſunt non tantum *rebus* invicem comparatis, ſed & *propoſitionum* probabilitati. Atque ſic Comparatis, accommodari ſolent Regulæ ſeu Propoſitiones, aliæ *Generales*, aliæ *Speciales*, de magis minuſve Bonis.

Generales, ſunt hujuſmodi.

1. *Quod eſt natura tale, id eſt magis tale, quam quod tale eſt per participationem.* Sic Sol eſt magis Lucidus quam Aer.

2. *Quod eſt tale per ſe, eſt magis tale quam quod eſt tale per accidens.* Sic Cibus magis eſt ſalubris quam Medicina.

3. Item, *Quod à contrario magis diſtat, quam quod minus.* Sic, ſub Polis frigidius eſt quam ſub Tropicis; quia remotius ab Æquatore.

4. Item, *Quod plus operatur, quam quod minus.* Fervidior ignis eſt, qui magis calefacit.

5. Item, *Quod de Cauſa plus habet, quam quod minus.* Sic robuſtior eſt Juvenis quam Senex.

6. Item, *Cui Definitio magis convenit, quam cui minus.* Sic illud Medium eſt magis utile, quod plus conducit ad finem.

Sed his omnibus, aliiſque ſimilibus, communis adhibenda eſt limitatio, *cæteris paribus*.

Speciales regulæ (de magis minnſque Bonis) ſunt hujoſmodi.

1. *Id melius eſt, in quo ſunt plura bona.* Adeoqne Peripateticorum Felicitas, melior quam Stoicorum.

2. Item, *Quod ad plura conducit.* Ut Jnſtitia, quam Fortitudo.

3. Item, *Quod eſt deſiderabile propter ſe, quam quod propter aliud.* Adeoque Pax quam Bellnm.

4. Item, *Quod per ſe bonum eſt, quam quod per accidens.* Adeoque Bonæ Leges, quam Mali Mores.

5. Item, *Quod eſt magis permanens* Ut Virtus quam Pulchritudo.
6. Item, *Quod eſt per ſe tale.* Ut αὐτάρκεια quam Divitiæ.
7. Item, *Quod ad meliorem finem conducit.* Ut artes liberales quam quæſtuariæ.
8. Item, *Quod circa melius objectum verſatur.* Ut Theologia quam Medicina.
9. Item, *Quod ad perfectionem conducit, quam quod eſt pure neceſſarium.* Ut Viſus quam Tactus.
10. Item, *Quod propius accedit ad deſideratum finem.* Ut Meſſis quam Sementis.
11. Item, *Quod meliori ſimile eſt, quam quod deteriori.* Ut Æs quam Plumbum.

Sed his item communis eſt adhibenda limitatio, *Cæteris paribus.*

De Veriſimilitudine Propoſitionum, hujuſmodi tradi ſolent Regulæ.

1. *Quæ æqualiter aut ſunt, aut non ſunt; eorum ſi alterum eſt, eſt & reliquum; ſi non id, neque hoc.* Sic de Honoribus & Divitiis, quæ videntur ad Felicitatem pariter conducere: ſi illi non ſufficiant, neque hæ. De Cibo, & Potu; ſi ille ſit ad vitam neceſſarius, tum & hic.

2. *Si quod magis eſt probabile, non eſt; neque erit id quod eſt minus probabile.* Si non omnibus placet *Homerus*, multo minus *Mævius*.

3. *Si id ſit quod eſt minus probabile, tum & id quod eſt magis probabile.* Si Latrocinium ſit morte puniendum, multo magis & Sacrilegium.

Sed adhibenda communis limitatio, *Cæteris paribus.* Atque etiam tum, Argumentum non certum erit, ſed ſaltem probabile. Sæpe enim id accidit, quod minus eſt probabile.

IV. *De Conjugatis, Notatione, & Derivatione.*

Conjugata; proprie, ea ſunt vocabula quæ, propter affines ſignificationes, affinem item ſonum, & derivationem ſortiuntur; ut ab eadem Origine derivata. Ut *Juſtus, Juſtitia, Juſte*, &c. Ex quibus, *Abſtractum* & *Concretum* quæ dicuntur, præ cæteris (ut ſupra dictum) conſiderari ſolent. Sed, in Argumentatione, affinitas Significationis, potior eſt quam Soni affinitas.

Per *Notationem* intelligi ſolet, ratio nominis ab Etymologia ſeu Derivatione petita. Ut *Philoſophia*, ab *amore ſapientiæ* nomen habet. Et, à *Conſilio, Conſul*; ut qui Reipublicæ *conſulere* debet, &, cum opus eſt, *conſilium* adhibere. Non ſemper tamen Etymologiæ reſpondet ſignificatio. Ut *Piſcina*, ubi non ſunt piſces. Sic *Triquetrum* pro Triangulo. Aliaque; ubi rebus nomina non conveniunt.

De his, hujuſmodi tradunt regulas.

1: *Ubi alterum Conjugatorum convenit, convenit & reliquum; ubi non illud, neque hoc.* Socrates, ſi Juſtus eſt, Juſte agit. Liberalis cogitat liberalia. Amicus amat. Sed ſæpe fallit Regula: Ut 1. ſi affinitas ſit ſoni magis quam ſignificationis, (ut, Vinum habet, ergo eſt Vinolentus.) 2. Cum actus pauci non ſufficiunt ad concludendum habitum, (non, ſi aliquando juſte agit, ergo juſtus eſt.) 3. Quando arguitur à potentia ad habitum, (riſibilis eſt, ergo ridet.) Sed & ſæpe alias.

2. *Si hoc illi conveniat, tum & conjugatum hujus conjugato illius: & contra.* Si albedo eſt color, tum album eſt coloratum. Fallit autem, 1. Si conjugatio ſeu affinitas, ſit in ſono, non in ſenſu. 2. Si arguatur affirmative à Concreto ad Abſtractum (ubi prædicatio non eſt *per ſe*, ſed tantum *per Accidens*:) Ut, Album eſt Dulce (puta Lac aut Saccharum) ergo Albedo eſt Dulcedo. 3. Si arguatur negative ab Abſtracto ad Concretum; ut, Albedo non eſt Dulcedo, ergo album non eſt dulce.

De Notatione, has habent Regulas:

1. *Cui convenit Notatio ſeu Derivatio, ei convenit Notatum ſeu Derivatum: & contra.* Puta, Amor Sapientiæ præſtantior eſt peritia Militari; ergo ſic eſt Philoſophia (ἀπὸ τοῦ φιλεῖν τὴν σοφίαν dicta) ut quæ eſt Amor ſapientiæ. Sic Figura expoſita, probabitur eſſe Triangula, quia tres habet angulos; rectilinea, quia rectis lineis terminatur; æquicrura, quia crura habet æqualia; æquilatera, quia habet æqualia latera: Aut, non eſſe, quia non ſic habet.

2. *Cui convenit nomen, ei congruit ratio nominis, ſeu derivatio: & contra.* Triangulum eſt, ergo tres habet angulos; Aut, non eſt, ergo non ſic habet. Et ſic de cæteris. Sed ſæpe fallunt hæ regulæ; & plus habent Elegantiæ, quam Virium Argumenti. Præſertim, ſi frigidæ ſint aut ludicræ derivationes (ut *Lapis*, quia *lædit pedem*; *frater* quaſi *fere alter*; *mons* à *non movendo*; *teſtamentum*, quaſi *teſtatio mentis*; *ſincerum*, quaſi *ſine cera*; *ſimplex*, quaſi *ſine plica*; addas, pari jure, *calceamentum* quaſi *calceatio mentis*; *ſimplus*, quaſi *ſine pilo*; *ſingulus*, quaſi *ſine gula*; &c.) Item; ubi nomen manet, ceſſante nominis ratione. Ut *Piſcina*, cum deſunt piſces: *Pendo, rependo, expendo, impendo*, de nummis etiamnum dicta, quia *pendere* ſolebant olim, quos jam *numeramus*. Sic ſyllogiſmi ſeu propoſitionis terminus *major* aut *minor* dicitur, non ſemper qui talis eſt, ſed qui talem locum occupat; ut ſupra monitum eſt. Aliaque multa.

V. *De Toto & Partibus.*

De his, hujuſmodi tradi ſolent Regulæ:

1. *Si totum eſt, partes ſunt.* 2. *Si partes non ſunt, neque totum eſt.* Sed fallit utraque ſi partes illæ non ſint abſolute neceſſariæ. Sic *Homo* quis eſſe poteſt, quamvis deſit *Manus*.

3. *Si*

3. *Si totum non eſt, partes non ſunt.* 4. *Si partes non ſunt, totum non eſt.* Sed fallit utraque de partibus ſeparatim ſumptis, *Fundamentum* eſſe poteſt, ubi nondum eſt *Domus.*

VI. *De Genere & Specie.*

Has voces hic uſurpant, non ſtricto ſenſu, prout in doctrina de Prædicabilibus: ſed per *Genus* intelligunt quidpiam generalius; per *Speciem*, quidpiam ſpecialius, particularius, ſeu minus generale. Regulæ ſunt hujuſmodi.

1. *Si Generale non ſit* (aut *negetur*;) *ſic & Speciale.* Si, non *Animal*; tum non *Homo*, non *Brutum*, non *Petrus*, non *Bucephalus*, &c.

2. *Si Speciale ſit, eſt & Generale.* Si Homo, ſi Petrus; tum Animal.

3. *Quod convenit, aut non convenit, generali; pariter convenit, aut non convenit ſpeciali.* Intelligendum autem eſt de eis quæ conveniunt, aut non conveniunt, *Univerſaliter*; non *Particulariter.* Si *omne* animal ſit ſenſitivum; tum brutum. Sed non, ſi *aliquod* animal ſit rationale, tum ſic eſt brutum.

4. *Quod convenit aut non convenit ſpeciali, pariter convenit aut non convenit generali.* Sed limitandum eſt: nempe quòd *omnibus* ſpecialibus convenit, convênit generali *Univerſaliter*: quod ſpecialium *aliquibus*, id generali convenit *particulariter.*

VII. *De Definitione & Diviſione.*

Definitio non hic ſtricte ſumitur, prout Deſcriptioni contradiſtinguitur; ſed ita ut deſcriptionem includat quamcunque adæquatam, aut prædicatum convertibile.

Per Diviſionem intelligunt omnem diſtributionem Totius in Partes: præſertim ſi tales ſint partes ut non coincidant. Regulas has tradunt.

1. *Si definitio ſit, eſt & Definitum; ſi non hoc, neque illa.* Si animal rationale, tum Homo: ſi non Homo, nec Animal rationale. Non autem valet, niſi de perfectis Definitionibus aut Deſcriptionibus adæquatis.

2. *Membrorum in Diſtributione oppoſitorum; ſi unum non eſt, alterum eſt: ſi illud eſt, hoc non eſt.* Non valet autem, niſi membra talia ſint ut non poſſint coincidere.

VIII. *De Teſtimonio.*

Argumentum à Teſtimonio, dici ſolet *Argumentum Inartificiale.* Quia non tam fundatur in natura Rei quam Authoritate dicentis. Et quo major eſt Authoritas dicentis (unius pluriumve) eo major eſt hujus Argumenti vis.

Regulas has tradunt.

1. *Argumentum à Teſtimonio, non valet Negative.* Quod intelligunt, non de Negativo Teſtimonio, ſed de Teſtimonii defectu. Ut, Ariſtoteles non hoc dicit; ergo non eſt.

Hinc tamen non raro fit violenta præſumptio: quando juſta ſe offert dicendi occaſio, & merito præſumi poſſit ſic dictum iri, ſi ſic foret. Nonnunquam etiam hinc recte concluditur. Puta; ſacra ſcriptura nuſquam hoc (vel directe vel per conſequens) affirmat; Ergo non eſt Articulus Fidei. Item; Non eſt hoc delictum capitale, quia nulla Lege ei ſtatuitur pœna capitalis.

2. *Divino Teſtimonio* (*recte intellecto*) *credendum eſt abſolute.*

3. *Senſus Teſtimonio, adhibenda eſt fides.* Sed cum hac limitatione; Modo non fiat alicunde ſenſuum deceptio.

4. *Artifici in arte ſua credendum.* Nec ſemper tamen; Puta ſi peritior artifex contradicat; aut aliunde cauſa pateat cur ei non credatur.

5. *Plurium teſtimonium teſtimonio pauciorum eſt præferendum.* Intellige, *cæteris paribus.* Secus eſſe poteſt ſi pauciores illi ſunt ſapientiores, aut fide digniores, aut judices magis competentes; item ſi aliunde ſit ex ea parte major veriſimilitudo.

6. *Teſtimonium Antiquiorum prævalet Recentiorum teſtimonio.* Quod potiſſimum valet in rebus Hiſtoricis, & rebus Religionis. Secus eſt in Artium peritia; ubi Poſteriores non raro ſunt præcedentibus peritiores.

Hæc autem Argumenta Topica jam enumerata (& horum ſimilia,) *Regulæque, Maximæ,* ſeu *Axiomata,* de illis tradita; ita ſunt pleraque in ſe incerta, totque exceptionibus & limitationibus obnoxia: ut difficile ſit plus quam Probabilitatem ſeu veriſimilitudinem inferre (utcunque perfecta ſit ſyllogiſmi forma) propter Præmiſſarum incertitudinem.

Idem dicendum eſt de cujuſvis Artis Scientiæque Regulis Placitiſve; ubi Præmiſſæ ſunt incertæ dubiæve.

Sed porro dicimus; Quocunque jure Propoſitiones jam enumeratæ (ſive certæ ſive incertæ) cenſeri poſſint *Materia* ſyllogiſmi: eadem ratione alterius cujuſvis Artis Scientiæve, aut Subjecti cujuſcunque de quo argumentandum ſit, Propoſitiones ſic pariter cenſeri poſſunt. Et propterea jam recenſitæ (ex Metaphyſica potius quam Logica deſumptæ) ut ſpecimina tantum cenſendæ ſunt, non ut juſti limites eorum quæ *Materia* ſyllogiſmorum cenſenda ſunt.

Summaque, de Materia Syllogiſmi, dictorum huc fere redit: ſi Præmiſſæ ſyllogiſmi (rite conſtituti) certæ ſint; Concluſio item certa eſt; ſi probabiles; ſic & hæc: & magis minuſve veriſimilis, prout illæ ſunt.

Cap. XXIV.

De Methodo.

QUÆ ad *Syllogiſmi* ſeu Argumentationis rem ſpectant, ita peractis: ſupereſt ut de *Methodo*, porro dicam: quam alteram *Diſcurſus* partem faciunt Logici. Nam ut Logica ita Differere docet ut argumentatio cogens ſit & concluſiva: ſic ea Methodo Ordineve res digerere ſeu ordinare, ut vel rerum ipſarum Naturæ aptius conveniat, vel ſaltem inſtituto differentis.

Cum vero magna ſit diverſitas tum in ſcopo quem ſibi proponunt differentes, tum in eorum quibuſcum differitur captu, ingenio, præjudiciis: Difficile eſt certas Methodi Regulas præſcribere quæ omnibus ſatisfaciant.

Hiſtoricus (ſi nil aliud ſibi habeat propoſitum quam Hiſtoriam ipſam) Temporis utplurimum ordinem ſectatur: ea primum referendo quæ prius occurrunt.

Aut etiam, ſi variorum generum res recenſiturus eſt; (puta, partim Civiles, partim Eccleſiaſticas:) aut variarum Gentium; (puta Anglorum, Gallorum, Hiſpanorum, aliorumque Hiſtoriam:) Quanquam pro hujuſmodi ſubjectis variis, varias hiſtoriæ partes faciat; in ſingulis tamen rationem Temporis, utplurimum, perſequitur. Neque tamen hoc tam rigide obſervat (utut hæc, cæteris paribus, potior methodus cenſeatur;) quin & ea, per Anticipationem, aliquando ante referat quæ poſt contingant; temporeque antecedentia (aut per incogitantiam, aut propter aliam quæ occurrat ratio, omiſſa) aliquando Poſtponat.

Poetæ autem, præſertim Comici Tragicive, Elegantius cenſentur temporum ordinem invertere; &, tanquam ex abrupto, à Medio ordiri; Lectoremque aliquandiu ſuſpenſum tenere, donec tandem aliquando occaſionem aperire libeat ante dictorum. Pariterque in fictis Hiſtoriis quas *Romanicas* vocant.

Orator autem, eo potius ordine curabit omnia diſponere, ut maxime putaverit valitura apud eos quibus peroratur. Adeoque hoc aut illud dicere vel non dicere (nam & celandi ars eſt pariter ac dicendi,) atque hoc aut illo ordine; prout Temporis, Locive, & Perſonarum ratio ſuaſerit.

Philoſophiam ſi conſideremus; etiam hic Methodi ſunt diverſæ.

In *Practicis* & *Prudentialibus*; à Fine ſolent, ſeu propoſito Scopo, ordiri; (Ut, in *Ethicis*, à Beatitudine; quid ſit, ſeu in quo conſiſtit;) & poſt de Mediis quibus acquiratur.

In *Speculativis*; à Cauſa ordiuntur (ſeu quod primum eſt in operando) indeque ad Effectus procedunt. Aut etiam à Subjecto; cujus Nomen, Naturam, & Species inquirunt; indeque ad Accidentia, Adjuncta, Proprietates & Affectiones procedunt; cum Principiis Cauſiſque harum Affectionum; aliaque demum Concomitantia, ſeu Conſequentia; & Contraria.

Sed & in Speculativis; alia eſt Inveſtigationis methodus, alia Traditionis ſeu Inſtitutionis.

Inveſtigandi methodus, à Particularibus ad Univerſalia procedit. Verbi gratia; Obſervando quid in Thoma, Richardo, Johanne, Socrate, Platone, &c. contingit: hinc colligunt, quid ſit humano generi commune, & quid hujus illiuſve proprium, aut huic illive genti peculiare. Deinde; obſervando quid hominibus, quadrupedibus, piſcibus, alitibus, &c. contingit; hinc colligunt, quid ſit animalibus commune, quid cujuſque ſpeciei proprium. Poſtea, quid Animalibus, Plantis, Metallis, Mineralibus, &c. contingit; hinc colligunt quid ſit cuique generi peculiare, & quid horum omnium commune. Indeque procedunt ad naturam Corporis in genere inveſtigandam; aut etiam Subſtantiæ; & tandem Entis communes affectiones.

Ubi autem, inveſtigando, ad horum notitiam pervenitur: Tradendi methodus, ſeu inſtituendi & docendi, plane eſt contraria. Quippe hic (quum oporteat, quod aiunt, diſcentem credere,) docentur primum Generalia, indeque ad Particularia deſcenditur. Utputa, quid ſit quod Ens dicimus; deinde quid Subſtantia, & Accidens; quidque horum utrique commune, quid proprium ſit; Tum ad Subſtantiæ ſpecies deſcenditur; quid Corpus, quid Spiritus: Indeque ab ſubordinata genera, ſpecieſque & tandem individua. Sic quæ pluribus conveniunt, ſimul & ſemel traduntur, ut non ſit neceſſarium eadem de ſingulis repetere.

In his tradendis, varias docent Regulas obſervandas eſſe; Ut ſunt hujuſmodi. 1. *Brevitatis* regula; ut, quam commode fieri poteſt, ſuccincte tradantur quæ docenda ſunt; abſque frivolis & importunis excurſionibus ad ea, quæ rem præſentem non ſpectant.

2. *Harmoniæ*; ut, partes inter ſe congruant, non adverſentur.

3. Ὁμογενείας; ut Homogenea Heterogeneis non immiſceantur.

4. *Juſtæ Conſecutionis*; ut eo ordine ſuccedent omnia, quem rerum natura poſtulat; vel ita ut præcedant faciliora, lucem ſecuturis præbitura.

5. *Diſtinctionis*; ut quæ invicem diſtincta ſunt, diſtincte tradantur, & non confuſe; commodæque fiant Partitiones & Tranſitiones, ut opus fuerit.

6. *Perſpicuitatis*;

6. *Perſpicuitatis*; ut tales adhibeantur voces, phraſes, & loquendi formulæ, quæ clariſſime explicent quid intellectum volumus; (non intricatæ, perplexæ, & intellectu difficiles:) atque ſic ut pars alia aliam illuſtret; ſintque omnia captui diſcentium accommodata.

7. *Decori*, & Uniformitatis, ut pars parti commode reſpondeat: non una pars (& forte quæ minoris eſt momenti) fuſe & copioſius quam par eſt tradatur, dum alia (majoris forte momenti) vix leviter attingatur.

Verum hæc præcepta, & quæ ſunt hujuſmodi, quamvis obſervatu digna ſint, quatenus id commode poſſit fieri: non tamen ita neceſſaria ſunt quin poſſit quis juſta occaſione ab eis recedere; & (vel illuſtrationis vel alia juſta cauſa) aut anticipare, aut poſtponere, aut loco non ſuo tradere, quæ ſcitu digna ſunt, potius quam omittere.

Matheſeos ſcriptores, peculiari quaſi jure, ſibi licentiam ſolent facere ab his præceptis recedendi; neque tam ordinis elegantiam aut concinnitatem affectant, (quamvis hanc etiam,) quam ut omnia, quæ probanda habent, ab antecedentibus probentur.

Adeoque ordiri ſolent à Definitionibus neceſſariis, ſeu vocum (phraſiumque) explicationibus; ſiquæ uſurpandæ occurrant voces ſibi peculiares & non alibi obviæ, aut non ſatis notæ, aut non eo ſenſu: ut de vocum ſignificatione conſtet. Quaſque ſic aut explicatione aut limitatione indigere ſentiunt, non prius uſurpant quam definiendo id fecerint; ſi non ſtatim ab initio, ſaltem in proceſſu operis loco opportuno.

Hiſce ſubjungunt Poſtulata & Axiomata ſive *communes notiones*; quæ ſunt propoſitiones tantæ certitudinis & evidentiæ, ut probatione non indigeant; quas igitur admitti poſtulant, ut ab illis poſtea (utpote conceſſis) arguere liceat.

Deinde ad Propoſitiones demonſtrandas accedunt; eo ordine collocandas, ut præcedant illæ quæ ſolis definitionibus, axiomatibus & poſtulatis probari poſſint; ſequantur aliæ quæ ab his dependent; ſic diſpoſitæ, ut à præconceſſis & anteprobatis demonſtrentur reliquæ.

Quamvis igitur Methodiſtis commodius videatur; ut (verbi gratia) quæ ad Punctum ſpectant omnia præcedant; deinde quæ ad Lineas rectas & curvas; priuſquam de Angulis aut Figuris dicatur quicquam: Item ut Univerſalia ante tradantur quam Particularia, cum hæc in illis contineantur: Euclidi tamen viſum eſt ea invicem miſcere, quæ Puncta, Lineas, Angulos, & Figuras ſpectant: & prius particularia nonnunquam tradere quam generalia quibus ea continEantur; eo quod illis opus ſit ad hæc demonſtranda. Hinc incipit Prop. 1. à conſtructione Trianguli æquilateri (quæ ex ſolis definitionibus & poſtulatis abſolvi poſſet) quoniam ea ſtatim opus foret ad prop. 2. & 3. Quæ tamen, poſt propoſitionem 22, (qua docetur triangulum conſtituere quæ latera habeat datis rectis æqualia,) non foret neceſſaria, ut quæ in hac contineatur. Sed non potuit propoſitio 22 præmitti, quoniam ad hujus conſtructionem & demonſtrationem aliis opus erat nondum traditis. Similiter, ſi ante fuerit tradita propoſitio 32, (trianguli angulum externum æqualem eſſe duobus oppoſitis internis) non opus eſſet propoſitione 17 (qua oſtenditur, utrovis duorum eſſe majorem;) quippe qui eſt utriſque ſimul æqualis, eſt utrovis major. Item poſt demonſtratum (quod fit ad prop. 32.) Trianguli tres angulos duobus rectis æquales eſſe; omitti poſſet prop. 16. qua docetur, eorundem trium duos quoſvis duobus rectis eſſe minores. Sed propoſitiones 16 & 17 adhibendæ prius erant ad probationem eorum, quæ propoſitioni 32 probandæ inſerviebant. Adeoque erant illæ particulares præmittendæ; neglecta concinnitatis conſideratione.

Si quidem in Mathematicis (ut in aliis diſciplinis) oporteret (abſque probatione) diſcentem docenti credere: foret ea concinnitas præoptanda: ſed cum eam ſibi neceſſitatem imponant Mathematici, ut probentur omnia ab ante traditis; neceſſe erit eum in tradendo ordinem obſervari qui erit ad probationes neceſſarius.

Conſiderandum enim eſt Corpus Geometriæ, non ut Ædificium ante conditum, & jam deſcribendum; ſed ut jam in condendo, cujus partes aliæ alias ſuſtinere debeant.

Qui Palatium jam conditum ſatagit deſcribere; poterit ille, ſi libet, uno capite Feneſtras omnes deſcribere; (quot ſint, quo ordine diſpoſitæ, & quomodo adornatæ:) alio, oſtia; tum turres; (aut, ſi libet, ab his incipere:) atque tum (introſpiciendo) aulam, cœnacula, cameras; tandemque ad cellas deſcendere, & fundamenta. Sed qui condit hoc ædificium, inde ordiri neceſſe habet, unde poſſit; & tali ordine procedere. Adeoque à Fundamentis ordiri oportebit; & poſt Cellarum parietes poſitos, contignationem primam imponere; atque tum oſtia, feneſtras, caminos, miſtim conſtruere, huic camerationi inſervientes; deinde, poſt ſecundam contignationem, oſtia, feneſtras, aliaque hic neceſſaria conſtruere; & ſic porro, donec ad tectum & turres tandem perveniatur. Alio plane ordine quam quo conditi deſcriptor (concinnitatem ſecutus) ſibi placeret. Pariterque Geometra, de lineis, angulis, figuris, miſtim agit, eo ordine quo conſtruendi & demonſtrandi poſtulat neceſſitas.

Pariterque in aliis aliarum rerum tractationibus, methodice diſponendis; quanquam ante tradita præcepta uſui eſſe poſſint, non tamen ad ea ſtricte adigendus eſt traditor, quin multa arbitrio permittenda ſint, eoque judicio utendum, ut methodi apices minutuli non impedimento ſint ei quod potiſſimum intendebatur.

MONITUM
AD
LECTOREM.

C*UM in ſuperioribus, præter aliorum loquendi formam, Propoſitiones* Singulares *pro* Univerſalibus *habeam*; (*Lib.* 2. *cap.* 4. & *lib.* 3. *cap.* 10.) *Item, Syllogiſmos* Hypotheticos *vulgo dictos, ad* Categoricorum *Modos & Figuras referendos*, (*Lib.* 3. *cap.* 16. & *ſeq.*) *Ariſtotelem in utroque ſecutus: Idque* (*locis citatis*) *ſatis me confeciſſe judico: Viſum tamen eſt* (*cum ea res Paradoxa plurimis videatur*) *Diſſertationes duas hic ſubnectere, quibus rem illam jam olim fuſius proſecutus eram. Cumque* (*Lib.* 1. *cap.* 6. & *alibi*) *inſinuatum ſit,* Accidentia *omnia* (*prout à* Subſtantia *diſtinguuntur*) *non tam* Res, *aut* Entia, *cenſenda eſſe, quam* Modos Entis (*ut jam loquuntur,*) *ſeu* (*ut Ariſtoteles*) ὄντος ὄντα (*quanquam ea ſit Diſputatio Metaphyſica magis quam Logica,*) *duabus illis Tertiam ſubjungo Diſſertationem quæ eo ſpectat. Quæ quamvis de* Quantitate *nominatim agat,* (*eamque oſtendat* Modaliter *tantum a* Re quanta *differre;*) *idem tamen* (*hoc confecto*) *ad alia item Accidentia extendendum erit. Quorum etiam pleraque jam olim apud Metaphyſicos cenſentur haud plus differre: qui ad differentiam Prædicamentalem ſufficere docent* Modalem *differentiam, aut etiam* Rationis *ſaltem* ratiocinatæ. *Atque harum quidem Diſſertationum Primam & Tertiam, jam olim conſcripſeram pro* Theſibus (*ut loquuntur*) *quas in* Emanuelis *Collegio* Cantabrigiæ (*tum Juvenis*) *Diſputationibus ibidem publicis defendebam, A. D.* 1638, & 1639; *Annoque* 1643 *edidi. Secunda paulo ſerius* (*ſed jam ante multos annos*) *conſcripta eſt, Annoque* 1687 *primum edita.*

THESIS

THESIS PRIMA.

Propoſitio Singularis, in diſpoſitione Syllogiſtica, ſemper habet vim Univerſalis.

NIHIL infelicius eſt iis ingeniis (ſi *Scaligero* credamus) quæ mordicus ſentiunt, Majores noſtros nihil ignoraſſe: quæque pertinaciter tuentur errores, quos ii, qui commiſere, ſi viverent, emendarent. Χαλεπὸν γὰρ ἐστιν ἄνθρωπον ὄντα μὴ διαμαρτάνειν ἐν πολλοῖς, τὰ μὲν ὅλως ἀγνοήσαντα, τὰ δὲ κακῶς κρίναντα, τὰ δὲ ἀμελέστερον γράψαντα. Unde mihi nunquam abſurdum viſum eſt, à communi ſententia cum ratione diſſentire.

Propoſitio Singularis, apud Logicos, vel pro Particulari, vel pro nova quadam ſpecie habita eſt: cum mihi tamen eam ad Univerſalium claſſem pertinere, luce meridiana clarius ſemper viſum eſt.

Cujus in examine, pro Lemmate habeatur; Formalem rationem Propoſitionis conſtare in Compoſitione Prædicati cum Subjecto. Quod ſtatuit *Smiglecius*, diſp. 12. qu. 7. (quæ compoſitio ſeu nexus præcipue in Copula attenditur.) Ex vario igitur modo compoſitionis horum extremorum, alius atque alius propoſitionis Modus oritur. Ubi itaque compoſitio ſeu nexus prædicati cum ſubjecto Vere fit, & ut ſe res habet, propoſitio Vera eſt; ubi nexus ſeu applicatio Falſe fit, ea Falſa eſt propoſitio: ſint partes, hoc eſt, termini ſimplices, ſive veræ ſive falſæ. Unde hæc propoſitio, *Hirco-cervus eſt quoddam conflatum ex Hirco & Cervo*, vera eſt; licet uterque terminus falſus, falſitate ſcilicet ſimplicium terminorum; hoc eſt, Non-Ens, ſeu Ens rationis: (Ens enim & Verum convertuntur.) Illa vero, *Lapis eſt homo*, falſa eſt, licet termini veri veritate ſimplicis apprehenſionis, quia falſo applicantur. Item, cum Neceſſarius eſt nexus terminorum, propoſitio Neceſſaria eſt; ſint licet termini, Entia contingentia. Et ſic in reliquis affectionibus propoſitionis.

Cum autem Compoſitio ſive nexus terminorum, in qua conſtat formalis ratio propoſitionis, in Vinculo attendatur; hinc ſequitur, affectiones propoſitionis judicandas eſſe, non ratione Terminorum, ſed potius reſpectu Vinculi. Unde Axioma Affirmatum, à *Ramo* definitur, cujus vinculum affirmatur; Negatum, cujus vinculum negatur: ſive termini ſint affirmati, ſive negati, parum intereſt: Hæc propoſitio igitur *Omne non-rationale eſt non-homo*, eſt propoſitio affirmativa, licet extremum utrumque ſit negans: Hæc vero *Lapis non eſt homo*, eſt propoſitio negans, ex terminis utriſque affirmativis. Idem dicendum de propoſitione Simplici & Compoſita; ad vinculum ſcilicet attendendum eſſe. Unde *Gutberlethus* hanc propoſitionem *Animal eſt vel homo vel brutum*, axioma ſimplex eſſe ſtatuit, non disjunctivum, cum uno verbi-vinculo contineatur; licet poſterior terminus ſit disjunctus: Hanc vero propoſitionem, *Omne animal vel eſt homo vel eſt brutum*, credo eum inter axiomata compoſita numeraturum.

Hinc colligo; Ut alias propoſitionum affectiones, ita etiam Univerſalitatem & Particularitatem ſumendas eſſe, non à terminis, ſed à terminorum compoſitione & nexu. Affectiones enim Formam ſequuntur, non Materiam. Male igitur à pleriſque Logicis diſtribuitur axioma, ſeu propoſitio, in Univerſalem, cujus ſubjectum eſt univerſale; Particularem, cujus ſubjectum eſt particulare; & Singularem, cujus ſubjectum eſt ſingulare: cum diſtributio petenda eſſet à modo compoſitionis, quod eſt Formale in propoſitione; non à quantitate terminorum, hoc eſt, à parte materiali. Propoſitio ergo Univerſalis eſt, in qua applicatio prædicati ad ſubjectum eſt univerſalis; Particularis, in qua applicatio eſt particularis. Nec alias ſpecies agnoſco.

Quid autem velim per prædicationem vel applicationem univerſalem & particularem, melius ex Græca *Ariſtotelis* appellatione, quam ex Latina Interpretum eluceſcet. Quod enim nobis eſt Univerſale & Particulare, illud Ariſtoteli eſt καθόλου & κατὰ μέρος, de *toto* & *parte*, ſive ſecundum partem; hoc eſt, de ſubjecto vel toto, vel ſecundum partem: non autem κατὰ πάντων & τινῶν, de *omnibus* & *quibuſdam*. Quare non minus recte redderetur *totalis* & *partialis* prædicatio; quam Univerſalis & Particularis; niſi quod mos aliter obtinuerit.

Univerſalis igitur prædicatio eſt, quando prædicatum dicitur καθόλου, de toto ſubjecto, (totum intelligo Prædicationis, ſive totam ejus latitudinem & ambitum prædicandi;) quando ſcilicet prædicatum totaliter attribuitur ſubjecto, non partialiter cum reſtrictione ad aliquam ſubjecti partem, ſed ad peculiare quiddam intra ſubjecti ambitum comprehenſum; tunc nimirum quando de quocunque dicitur ſubjectum, de eodem dicatur etiam & prædicatum. Igitur hæc propoſitio *Omnis homo eſt animal*, eſt Univerſalis; quia nihil continetur ſub ambitu *Hominis*, ſeu de nullo dicitur *Homo*, quin de eodem dicatur *Animal*. Hæc

autem *Aliquis homo eſt doctus*, Particularis; quia non de tota hominis ſpecie dicitur, ſed κατὰ μέρος, ſecundum partem aliquam, hoc eſt, de aliquo individuo ſub ea ſpecie. Non autem ideo univerſalis eſt prior propoſitio, quia nota *Omnis* præfigitur, & poſterior particularis quia ei præponitur *Aliquis*, (uti nonnulli, ex tironibus præcipue, arbitrantur:) Non enim ideo Univerſalis eſt, quia notam habet Univerſalitatis; ſed, quia univerſalis eſt, ideo nota præponitur; ut agnoſcit *Downamus*. Nota igitur univerſalitatis deſignat aliquando univerſalem propoſitionem, non autem facit. Idem dic de nota particularitatis.

Jam vero, ut ad præſentem controverſiam accedamus; in propoſitione Singulari, neceſſe eſt, ut prædicatio ſit καθόλου, *de toto*, cum ſubjectum ſingulare ἄτομον ſit & individuum in partes, (ſubjectivas intelligo; loquimur enim de toto prædicationis, non integrali;) Impoſſibile enim eſt ut aliquid κατὰ μέρος ſecundum partem dicatur, de illo quod ἄτομον eſt & partes nullas habet. Neceſſe igitur eſt, ut, quicquid de Individuo dicitur, ſive ſubjecto Singulari, dicatur de toto; &, per conſequens, propoſitio ſingularis ſemper erit καθόλου.

Atque hoc ipſum eſt quod vult *Ariſtoteles*; & qui aliter *Ariſtotelem* exponunt, detorquent, non interpretantur. Audiamus igitur *Ariſtotelis* mentem de propoſitione Univerſali, ſive, quod idem eſt, de dicto κατὰ παντὸς καὶ κατὰ μηδενὸς, de omni & de nullo: Τὸ δὲ ἐν ὅλῳ εἶναι ἕτερον ἑτέρῳ, καὶ τὸ κατὰ παντὸς κατηγορεῖσθαι θατέρου θάτερον, ταὐτόν ἐστιν. Λέγομεν δὲ τὸ κατὰ παντὸς κατηγορεῖσθαι, ὅταν μηδὲν ᾖ τῶν τοῦ ὑποκειμένου λαβεῖν καθ' οὗ θάτερον οὐ λεχθήσεται· καὶ τὸ κατὰ μηδενὸς ὡσαύτως. Quid diſertius dici poſſet pro cauſa noſtra? *Tunc demum* κατὰ παντὸς (non κατὰ πλείστων) *de omni*, (ſive de toto,) *dicitur aliquid, quando nihil ſubjecti accipere licet, de quo alterum* (hoc eſt, prædicatum) *non dicetur*. Aſſumo. In propoſitione ſingulari affirmante, nihil ſubjecti ſumere licet, de quo prædicatum non dicatur. Concludo igitur. Propoſitio ſingularis affirmans, eſt κατὰ παντός. (Eodemque modo, propoſitio ſingularis negans, erit κατὰ μηδενός.) Verbi gratia: Si dixeris *Socrates eſt doctus*: Quæro, quidnam eſt intra ambitum *Socratis*, de quo non dicatur *Doctus*? Si nihil; igitur erit κατὰ παντὸς per *Ariſtotelis* definitionem. At vero, cum *Socrates* de uno ſolo homine dicatur, & de illo dicatur *doctus*; nihil aliud *Socratis* ſupereſt de quo negetur: ut patet.

Idem licet concludere ex ipſius *Rami* definitione: cum definiat Axioma Speciale (quod poſtea ſubdividit in Particulare & Proprium) eſſe, quando conſequens non omni antecedenti attribuitur. Sed quam bene convenit hæc definitio axiomati Proprio, quæ tamen illi eſt altera ſpecies axiomatis ſpecialis? Si in axiomate proprio conſequens *non omni* antecedenti tribuatur, oſtendat quæſo *cui non*? Si autem hoc oſtendi non poſſit (ut quidem non poteſt) qua ratione dicat *non omni* attribui, non video; cum *non omnis* & *quidam non* idem valere, ex regulis Æquipollentiæ, certiſſimum eſt. Vel igitur oſtendat *Ramus* axioma proprium affirmans *Alicui non* attribui, vel ego illi negabo, *non omni* attribui; &, per conſequens, definitionem ſuam, axiomatis ſpecialis, non convenire axiomati Proprio. Mala igitur definitio illa ſit neceſſe eſt, quando definitio generis non convenit utrique ſpeciei. Imo vero, ſi rem expendamus, inveniemus alteram ſpeciem, ſcilicet axioma particulare, (quod contradiſtinguitur axiomati proprio,) ejuſdem prorſus eſſe latitudinis cum Genere, ſeu Axiomate ſpeciali. Nam axioma Speciale eſt, quando conſequens non omni antecedenti attribuitur; Particulare, quando conſequens particulariter antecedenti attribuitur. Tantum igitur diſtant axioma Speciale & Particulare (h. e. genus & ſpecies) quantum *non omni* & *particulariter*. Quod quantillum ſit, ex *Gutberletho* diſcas; qui explicaturus, quid velit *Ramus* per *particulariter*, expreſſis verbis confundit: *Particulariter*, inquit, *hoc eſt, non omni*. Patet igitur, quam leviter agant Ramiſtæ, dum genus à ſpecie, illis vocabulis diſtinguant, inter quæ ne ipſi quidem ullam agnoſcunt differentiam.

Sed ad *Ariſtotelem* revertor: Qui duos tantum agnoſcit modos prædicandi; de *toto* & *de parte*, καθόλου καὶ κατὰ μέρος, Univerſalem & Particularem. Nec quidem potuit plures admittere. Quicquid enim de altero dicitur, neceſſarium eſt ut vel de illo Toto vel de ipſius Parte aliqua dicatur. Quicquid etiam ab altero removetur, vel à Toto, vel à Parte tantum, removeatur neceſſe eſt. Nec enim poſſibile eſt medium invenire, quod de altero dicatur, nec tamen de toto, neque ſecundum partem. Pro certo igitur & indubitato principio ponatur, Omnem propoſitionem (Categoricam intelligo) quæcunque demum ipſa ſit, vel Univerſalem eſſe, vel Particularem; hoc eſt, vel καθόλου, vel κατὰ μέρος.

Atque hinc patet, perperam feciſſe *Ramum*, ipſiuſque ſequaces, dum, præter Syllogiſmum Generalem & Specialem, Proprium adjunxerint. Quum enim propoſitiones proprias, ſeu Singulares, non potuerint Particularium regulis coercere; commenti ſunt novam quandam ſyllogiſmi ſpeciem, aliis antea incognitam, quam Proprium appellant. Et axiomata propria, quæ illi inter Specialia numerabant, à reliquis ſpecialibus diſcrepare videntes, ab omni ſyllogiſmorum ſpecie antea nota abhorrere arbitrati ſunt: neſcientes interim, ſaltem non advertentes, iiſdem quibus Generalia regulis contineri.

Patet etiam, quid judicandum ſit, de quadruplici Propoſitionis diviſione, in Univerſalem, Particularem, Indefinitam, & Singularem: Nimirum, ſpecies ſine neceſſitate multiplicari: cum Singularis ſemper reducenda ſit ad Univerſalem; Indefinita vero, nunc ad hanc, nunc ad Particularem. Atque hoc ſecundum mentem *Ariſtotelis*; qui quadrifariam illam diviſionem

nem nuſquam (ni fallor) tradidit. Nominat, fateor, Indefinitam propoſitionem, præter prædictas duas ſpecies, Univerſalem & Particularem; non autem quaſi quid eſſet ab utriſque diſtinctum; ſed, quod ex ipſis propoſitionis verbis vix ſatis conſtet, ad utram duarum reducenda ſit, (cum ſignum indicem non habeat appoſitum,) & pro ſubjecta materia nunc ad hanc, nunc ad illam referenda ſit, ſemper tamen ad alterutram. De Singulari vero propoſitione, ne verbum habet; nec opus eſt, cum ſemper reducenda ſit ad Univerſalem. Perperam tamen à Logicis pleriſque intruditur, quaſi nova ſpecies, omnino contra rationem, mentemque *Ariſtotelis*.

Atque hactenus probata eſt Theſis noſtra à priori, & quidem demonſtrative. Subnectam & argumenta à poſteriori nonnulla: ut lucidius appareat veritas. Sed præmonendum eſt, eorum aliqua univerſaliter concludere de omni propoſitinne ſingulari: alia vero particulariter, ita tamen ut quæ illic concluditur de una, potuerit de qualibet; atque hæc, inductione facta, idem valerent acſi concluderetur univerſaliter: alia denique ducta eſſe ab ejuſmodi proprietatibus, quæ ſolis univerſalibus conveniunt, non autem omnibus, unde nec omnibus ſingularibus; quæ licet vi ſua probent tantum aliquas ſingulares univerſalium vim habere, cum tamen, hoc conceſſo, pauci ſint qui reliquum negarent (cum nulla ſufficiens ratio aſſignari poſſit cur quædam ſint univerſales non autem aliæ) valebunt & hæc argumenta non multo minus quam ſi eſſent univerſalia.

Primo igitur. Major in prima & ſecunda figura ſemper eſt καθόλου, (ut à pluribus antehac demonſtratum eſt;) At aliquando eſt ſingularis. Ergo, aliqua ſaltem ſingularis eſt καθόλου. Vel ſic. Quæcunque propoſitio poteſt eſſe major in prima vel ſecunda figura, ea eſt καθόλου. Sed quælibet propoſitio ſingularis poteſt eſſe major & in prima & in ſecunda figura. Ergo &c. Inſto in prima in *Barbara*.

Bar- *Auguſtus fuit Imperator.*
ba- *Octavius fuit Auguſtus.* Ergo
ra. *Octavius fuit Imperator.*

In ſecunda in *Cameſtres.*

Cam- *Virgilius fuit Romanus.*
eſ- *Homerus non fuit Romanus.* Ergo
tres. *Homerus non fuit Virgilius.*

Et quidem fieri poſſet in quibuſlibet modis utriuſque figuræ: imo in quocunque modo cujuſcunque figuræ, aſſumpta quacunque propoſitione ſingulari in locum univerſalis. Ut experienti videre erit cuilibet.

Secundo. Ex puris particularibus nihil concluditur. At ex puris ſingularibus aliquid concluditur. Ergo, ſingularis non eſt particularis: &, per conſequens, eſt univerſalis; cum ante probatum ſit, nullam poſſe fieri prædicationem, quin erit vel καθόλου, vel κατὰ μέρος. Major in confeſſo eſt. Minor exemplis ſupra adductis probata eſt.

Non ſolum autem ex ſingularibus puris concluditur aliquid, ſed ex mixtis ſingulari cum particulari, non minus quam ex univerſali cum particulari: ſed (ut illic) ſemper concluditur particulariter, cum particularis propoſitio ſit debilior pars. Verbi gratia.

Da- *Virgilius fuit doctus.*
ri- *Aliquis Poeta fuit Virgilius.* Ergo
i. *Aliquis Poeta fuit doctus.*

Item

Feſ- *Virgilius non fuit Græcus.*
ti- *Aliquis Poeta fuit Græcus.* Ergo
no. *Aliquis Poeta non fuit Virgilius.*

Ubi notandum obiter, hos ſyllogiſmos, & hujuſmodi alios, conſtantes ex ſingulari & particulari præmiſſis, ad nullos *Rami* modos reduci poſſe, cum tamen conſequentia & ſatis firma ſit & perſpicua: noſtra tamen hypotheſi poſita, facile ad *Ariſtotelis* modos reducuntur.

In tertia figura non inſto; cum enim in tertia figura idem ſit ſubjectum in utraque præmiſſarum, fieri non poteſt ut altera ſit propoſitio ſingularis, altera particularis, cum de ſubjecto ſingulari non poſſit prædicari particulariter.

Tertio. Tres ponuntur gradus neceſſitatis; κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, ᾗ καθόλου πρῶτον. Confeſſum eſt etiam apud omnes, ſuperiorem gradum neceſſitatis ſemper etiam includere inferiorem. Unde propoſitio καθ' αὑτὸ eſt etiam propoſitio κατὰ παντὸς, propoſitio vero καθόλου πρῶτον eſt & καθ' αὑτὸ & κατὰ παντὸς. At propoſitio ſingularis ſæpe eſt καθ' αὑτό. Ergo & κατὰ παντός. Verbi gratia, *Socrates eſt animal*; *Plato eſt ſubſtantia*; *Bucephalus eſt equus*; ſunt propoſitiones Eſſentiales, in primo modo dicendi *per ſe*. Sunt ergo κατὰ παντός.

Quarto. Omne genus prædicatur Univerſaliter de ſuis ſpeciebus, (ut & eſſentialiter:) At Individuum, ſaltem ſecundum *Ramum*, eſt ſpecies: Ergo de Individuo prædicatur genus univerſaliter. Aut, ſi non ſit genus; tamen ut ſe habet genus ad ſpeciem, ita ſpecies ad Individuum: At genus prædicatur univerſaliter & καθόλου de ſua ſpecie: Ergo & ſpecies de Individuo. Poteſt ergo Individuum eſſe univerſalis propoſitionis ſubjectum.

Quinto. Probatur ex regulis Converſionum. *Socrates non eſt equus*, eſt propoſitio negans;

gans; eaque vel univerſalis, ut nos dicimus; vel particularis, ut alii. Non autem particularis. Ergo &c. Probatur minor. Quia propoſitio particularis negans, convertitur tantummodo per Contrapoſitionem. At propoſitio hæc convertitur, primo, converſione ſimplici, *nullus equus eſt Socrates*; ſecundo, per accidens, *aliquis equus non eſt Socrates.* Utroque hoc modo convertitur univerſalis negans (eaque ſola,) neutro vero particularis negans: Eſt ergo hæc propoſitio non particularis, ſed univerſalis. Patet etiam ulterius ex ipſa converſione: Convertitur enim ſingularis negans, in univerſalem; at in converſione nunquam augetur quantitas, ſæpe minuitur. Iterum: *Socrates non eſt Plato*, convertitur, *Plato non eſt Socrates*: At particularis negans non convertitur niſi per contrapoſitionem.

Sexto. Ex regulis Reductionum. Propono enim hunc Syllogiſmum,

Ceſ- *Qui interfecit Hectorem non ſupervixit bello Trojano.*
a- *Omnes Græci reduces ſupervixere bello Trojano.* Ergo
re. *Nullus Græcorum reducum fuit interfector Hectoris.*

Dico hunc ſyllogiſmum eſſe in *Ceſare* ex majore univerſali; duplici ratione: Primo, ſi major eſſet particularis, concluſio foret particularis, (quia ſemper ſequitur debiliorem partem;) at non eſt. Ergo. Secundo, per modum reductionis; reducitur enim ad *Celarent*, per ſimplicem converſionem majoris; Sic

Ce- *Nullus qui ſupervixit bello Trojano fuit interfector Hectoris.*
la- *Omnes Græci reduces ſupervixere bello Trojano.* Ergo
rent. *Nullus Græcorum reducum fuit interfector Hectoris.*

Hic Syllogiſmus ſi eſſet ex majore particulari, non eſſet in ullo modo. Nec uſpiam apud *Ramum* invenietur ejuſmodi ſyllogiſmus, (cum tamen & veriſſimus ſit & utiliſſimus:) Imo nec (poſita illorum hypotheſi, ſcilicet quod major ſit particularis) reduci poſſet ad alium modum. Alium accipe,

Ceſ- *Author Epiſtolæ ad Hebræos non fuit auditor Chriſti.* Heb. 2. 3.
a- *Omnes duodecim ſelecti fuerunt auditores Chriſti.* Ergo
re. *Nullus ex duodecim ſelectis fuit Author Epiſtolæ ad Hebræos.*

Impoſſibile autem eſt in ullo ex *Rami* modis, per hoc medium, probare hanc concluſionem.

Septimo. Hunc ſyllogiſmum propono,

Omnes magnanimi ſunt fortes.
Therſites non eſt fortis. Ergo
Therſites non eſt magnanimus.

Hic Syllogiſmus vel eſt in *Cameſtres* ex minore & concluſione univerſalibus; vel in *Baroco*, ex eiſdem particularibus. Sed non eſſe in *Baroco*, ſic probatur. Syllogiſmus in *Baroco* non poteſt reduci niſi reductione per impoſſibile: At hic ſyllogiſmus reducitur ad *Celarent* reductione oſtenſiva, eodem modo quo *Cameſtres*; ſcilicet tranſpoſitis præmiſſis, & minore concluſioneque ſimpliciter converſis: Hoc modo.

Ce- *Nullus fortis eſt Therſites.*
la- *Omnes magnanimi ſunt fortes.* Ergo
rent. *Nullus magnanimus eſt Therſites.*

Erat igitur in *Cameſtres*, ex minore & concluſione univerſalibus; non in *Baroco*, ex iis particularibus.

Infinitus eſſem ſi ſingulis inſiſterem quæ hac in re dici poſſent: Unico argumento concludo.

Octavo igitur & ultimo. Propoſitio ſingularis nec fortiorem nec debiliorem vim habet quam Univerſalis; ergo eandem & æqualem. Non fortiorem: Quia ex præmiſſis univerſali & ſingulari aliquando concluditur ſingulariter; (quod non eſſet ſi univerſalis eſſet debilior, quia concluſio ſemper ſequitur debiliorem partem:) ut in hoc, & ſimilibus innumeris;

Cam- *Omnes magnanimi ſunt fortes.*
eſ- *Therſites non eſt fortis.* Ergo
tres. *Therſites non eſt magnanimus.*

Nec debiliorem habet: Quia ex univerſali & ſingulari aliquando concluditur univerſaliter: (quod non eſſet ſi ſingularis eſſet pars debilior) ut in hoc ſyllogiſmo, & aliis.

Ceſ- *Interfector Hectoris non ſupervixit bello Trojano.*
a- *Omnes Græci reduces ſupervixere bello Trojano.* Ergo
re. *Nullus Græcorum reducum fuit interfector Hectoris.*

Cum igitur nec fortiorem nec debiliorem vim habeat Singularis quam Univerſalis; ſequitur neceſſario, Propoſitionem ſingularem eandem vim in diſpoſitione ſyllogiſtica ſemper habere, quam habet univerſalis. Quod erat demonſtrandum.

Corollaria, & Objectiones ſolutæ.

Hinc ſequitur, primo, Propoſitionem ſingularem affirmantem & negantem opponi immediate, hoc eſt, contradictorie. Nam ſublata Univerſalitate affirmantis, ponitur negans ἀμέσως. Quoniam prædicatio partialis non poteſt eſſe de eo quod eſt ἄτομον.

Sequitur ſecundo; Propoſitionem univerſalem affirmantem converti converſione ſimplici;

plici; & particularem affirmantem convertibilem in propoſitionem καθόλου quoties prædicatum convertendæ eſt Individuum. Poſito enim prædicato in locum ſubjecti, quicquid de individuo ſubjecto dicitur, dicitur καθόλου.

Sequitur tertio; Concluſionem in tertia figura eſſe καθόλου (contra quam docent Logici,) quoties minor terminus Syllogiſmi, (hoc eſt, prædicatum minoris,) eſt Individuum. Quia prædicatum minoris in tertia figura, eſt ſubjectum concluſionis; quod cum ſit Individuum, de eo quicquid dicitur, dicitur univerſaliter.

Objiciet forſan aliquis; An igitur, *Socrates eſt doctus*, perinde eſt ac *Omnis homo eſt doctus*? Non eſt. At, inquiet, quid ni? cum utraque propoſitio ſit univerſalis. Recte. Sed replico; An *omnis homo eſt rationalis*, idem valet ac *omne animal eſt rationale*? Negabit credo. At, inquam, Quare? annon utraque eſt univerſalis? Eſt certe. Conjicio quid reſponſurus eſt; utraque propoſitio eſt quidem univerſalis, non tamen æquipollent; quia in altera Rationalitas univerſaliter attribuitur Homini, & recte; in altera vero univerſaliter attribuitur Animali, ſed male. Pariter ego, non (inquam) perinde eſt *Socratem* doctum dicere, & *omnem hominem*; ſubjectis enim differunt, quamvis utraque propoſitio ſit univerſalis. *Doctus* univerſaliter prædicatur de *Socrate*, non de *Homine*.

Urgebit. Dici univerſaliter, eſt *dici de multis*. Fateor in prædicatione ſimplicium terminorum, non in prædicatione propoſitionis. Aliud eſt *dici de multis* in tractatu de prædicabilibus, aliud *dictum de omni* in tractatu de propoſitione. At nunc agitur, non de quantitate ſimplicium terminorum, ſed de quantitate propoſitionis & terminorum nexu. Univerſale, ſeu vox communis, poteſt eſſe ſubjectum propoſitionis particularis; & Individuum pariter, ſeu vox ſingularis, ſubjectum propoſitionis univerſalis.

Fatendum tamen eſt, Propoſitionem ſingularem leviculam aliquam diſcrepantiam habere ab aliis Univerſalibus, (ut in Corollariis videre eſt,) non tamen talem quæ ſingulares ex univerſalium numero eximat. Tria ſunt, nec ſcio plura, (& plerique forſan ne hæc attenderent,) quæ diſcrepantiæ ſpeciem exhibent: Ubique tamen provenit à materia propoſitioni ſubſtrata, potius quam à formali propoſitionis diſpoſitione: nuſquam tollitur illud in quo formale propoſitionis univerſalis conſiſtit; quod hoc eſt, ut nihil inveniatur intra ſubjecti ambitum de quo non dicatur prædicatum. Expendam ſingula.

Primum hoc eſt. Univerſalis propoſitio affirmans & negans, opponuntur Contrarie; Singulares vero Contradictorie: earumque utraque poteſt eſſe falſa; harum non ita. Siquis hinc argueret, propoſitionem ſingularem vim univerſalis non habere;

Reſpondeo primo: Eodem argumento probari poſſe, nec eſſe particularem; quia neque propoſitio particularis affirmata & negata opponuntur Contradictorie, ſed Subcontrarie: & earum utraque poteſt eſſe vera; harum non ita. Sicut *Ramus* videatur ſatis caviſſe, qui ſyllogiſmum proprium diverſam ſpeciem conſtituit tam à generali quam ſpeciali: Regero, 1. ad hominem: Male pro *Ramo* arguitur ex iis, quæ ipſe pro nugis habet, & ex Logica ſua exulare fecit. Ille enim de Oppoſitione, Æquipollentia, & Converſione propoſitionum nihil habet; ut nec de Reductione ſyllogiſmorum. 2. Novum prædicandi modum facere non poteſt, cum impoſſibile ſit aliquid de alio dici, quod tamen nec de toto, nec ſecundum partem de eo dicatur. Ut ſupra fuſius explicavimus.

Reſpondeo ſecundo. Non ſingularibus tantum hoc accidit, ſed & aliis univerſalibus quibuſdam. Nam 1. in materia neceſſaria & impoſſibili, ex negatione & affirmatione univerſali, altera ſemper vera eſt, altera falſa. Unde regula illa; Quod contrariarum, in materia Contingenti, utraque poteſt eſſe falſa. Idem accidit in propoſitionibus factis per *Omne* collectivum: quas tamen univerſales eſſe, nemo, quem ſcio, negavit. (Poſſent tamen, fateor, eadem ratione, qua negant ſingulares: ſunt enim revera ſingulares illæ, cum prædicatum nonniſi uni antecedenti tribuatur.) Hujuſmodi namque propoſitiones, *Omnes Apoſtoli ſunt duodecim*, & *Omnes Apoſtoli non ſunt duodecim*; Item *Omnes Planetæ ſunt ſeptem*, & *Omnes Planetæ non ſunt ſeptem*: non minus ſunt Contradictoriæ, quam *Virgilius eſt Poeta*, & *Virgilius non eſt Poeta*. Si igitur illas pro univerſalibus agnoſcant, cur non & Singulares?

Reſpondeo tertio. Ratio hujus contradictionis inter propoſitionem ſingularem affirmantem & negantem, pendet ex neceſſitate materiæ, potius quam ex ipſa propoſitionis natura & forma. Quoties enim ſubjectum univerſalis propoſitionis eſt diviſionis capax (ut in diſtributivis & materia contingente,) & prædicatum ſigillatim applicatur ſubjecti partibus, affirmans & negans univerſaliter, non opponuntur immediate & contradictorie, quia licet aliquid de Toto non recte affirmetur, de Parte tamen affirmari poterit, ergo nec de Toto negabitur: ubi vero materiæ neceſſitas particularem prædicationem omnino prohibet, & neceſſario requirit, ut, quod de illo ſubjecto dicatur, dicatur de Toto, (ut in materia neceſſaria & impoſſibili, & in univerſali collectiva, ut & in propoſitione ſingulari;) ibi prædicatum vel de toto dicitur, vel de toto negatur, cum de parte dici & de parte negari non poſſit, propter ἀτομίαν & indiviſibilitatem ſubjecti.

Reſpondeo quarto. Conſequitur hoc ex noſtra theſi, non eam oppugnat. Si enim quicquid de Individuo dicitur, dicatur καθόλου, impoſſibile eſt ut ſecus eſſet quin affirmatio & negatio ſint oppoſitæ immediate; particularis enim intermedia eo ipſo excluditur.

 Nec

Nec aliunde patet ratio hujus oppoſitionis immediatæ, quam ex hoc fundamento. Vel enim ſemper καθόλου prædicatur (prout nos aſſerimus) vel ſemper κατὰ μέρος. vel aliquando de toto aliquando ſecundum partem. Si ſemper de parte; licet de una aliqua dicatur, quid impedit, quin de alia negetur, ita ut affirmatio & negatio ſimul ſint veræ? cum affirmatio particularis quoad unam partem non impediat negationem particularem quoad aliam partem. Si aliquando καθόλου aliquando κατὰ μέρος, (prout Ramiſtarum doctrina videtur innuere; qui quoties una præmiſſarum propria eſt, eam pro particulari habent, non autem ſi utraque ſit propria :) Si ſic, inquam, (quamvis id gratis dictum ſit, nec ulla appareat ratio, cur hæc non illa ſit univerſalis, imo cur eadem promiſcue nunc ſit univerſalis nunc particularis ;) oppoſitio nec ſic eſſet immediata : licet enim affirmatio καθόλου falſa ſit, poſſet tamen quoad aliquam partem (ſi aliquando partialiter prædicetur) vera eſſe ; unde nec negatio καθόλου vera: poſſent ergo & negatio & affirmatio ſimul eſſe falſæ, & non contradictorie oppoſitæ. Neceſſe eſt igitur, ut, ſi opponantur immediate, ideo ſit quia ſingularis propoſitio ſemper eſt καθόλου, unde vel de toto dicetur, vel de toto negabitur. Confirmat igitur Theſin noſtram, non oppugnat, quod videbatur prima fronte debilitare. Et hoc telo repercuſſo, eadem opera repercutientur & reliqua.

Secundum ſequitur. Propoſitio particularis affirmans converti aliquando poteſt in ſingularem. Unde ſingularis videri poteſt non majorem habere quantitatem, quam habet particularis; quia in converſione non augenda eſt quantitas. Verbi gratia, *Aliquis homo eſt Socrates*, ergo *Socrates eſt homo.*

Reſpondeo. Vi converſionis, ſequitur *Hominem* dici de *Socrate*: Neceſſitate materiæ, dicitur καθόλου, quoniam de ἀτόμου nihil prædicatur κατὰ μέρος. Hinc ſequitur, neceſſitate conſequentis, Convertens καθόλου Converſæ κατὰ μέρος.

Idem fieri neceſſe eſt, quoties propoſitio ſingularis affirmans convertenda eſt in ſingularem verbi gratia, *Virgilius eſt Maro*, ergo *Maro eſt Virgilius*. Quæ converſio non eſt ex particulari in particularem (ut plerique autumant,) nec ex univerſali in particularem; ſed ex univerſali in univerſalem. Ubi neceſſitate conſequentiæ, ſequitur *Virgilium* de *Marone* dici; neceſſitate vero conſequentis, ſequitur dici Catholice.

Reſpondeo ſecundo. Eadem eſt difficultas, ſi pro particulari haberetur: Nam ſingularis negans convertitur in univerſalem negantem. Verbi gratia, *Socrates non eſt brutum*, ergo *nullum brutum eſt Socrates*. Quare, ſi prior eſſet particularis, augenda eſſet quantitas.

Singularis igitur negans convertitur ſimpliciter (ad modum univerſalium,) nunc in ſingularem, nunc in univerſalem. Verbi gratia, *Socrates non eſt Plato*, ergo *Plato non eſt Socrates*. Item, *Socrates non eſt brutum*, ergo *nullum brutum eſt Socrates*. (Sicut, è contra, *Nullum brutum eſt Socrates*, ergo *Socrates non eſt brutum.*) Sin eſſent hæ propoſitiones negantes particulares, non eſſent convertendæ niſi per contrapoſitionem.

Reſpondeo tertio. Non in ſingulares tantum, ſed & in alias univerſales aliquando convertitur particularis. Verbi gratia, *Aliquot homines ſunt omnes Apoſtoli*, ergo *Omnes Apoſtoli ſunt homines*, vel *omnes Apoſtoli ſunt aliquot homines*.

Hactenus vidimus, quomodo ſingulares differunt à reliquis univerſalibus in affectionibus Propoſitionis, Oppoſitione ſcil. & Converſione: & iſtius differentiæ rationem reddi non poſſe niſi ex noſtra Theſi. Propugnat igitur theſin noſtram, non adverſatur. Utut autem maxime adverſaretur, Ramiſtas tamen nequaquam adjuvat (quos habeo ζητῶν opponentes; reliqui tacite adverſantur, dum, in paradigmatis modorum, propoſitiones ſingulares ponunt pro particularibus :) Ramiſtæ namque Oppoſitionem, Converſionem, &c, nihil curant. Si igitur in reliquis, de quibus ipſi agunt, cum univerſalibus convenirent, ſatis eſt cur ipſi ſaltem noſtram theſin admittant.

Tertium ſic eſt. Propoſitio univerſalis non concluditur in tertia figura, (hoc eſt, ſecundum *Ramum*, in ſyllogiſmo ſimplici contracto :) At propoſitio ſingularis hic concluditur.

Sed neque hoc Ramiſtis opitulatur magis quam priora : Illi enim rem negant; nec admittunt concluſionem propriam in ſyllogiſmo contracto : Qui definitur à *Ramo*; *Quando Argumentum pro exemplo ita ſubjicitur Particulari quæſtioni, ut utramque partem antecedens, & aſſumptione affirmatum intelligatur.* (Si ergo quæſtio ſemper ſit Particularis, certe nunquam Propria ſecundum illos.) Explicat hoc *Downamus*; *Quæſtio*, inquit, *debet eſſe particularis*; *non generalis, aut propria.* Item, Rationem reddens cur *ſyllogiſmus Proprius* eſſe dicitur *ex utraque propria*, non autem *ex omnibus propriis*, hanc aſſignat, *Quia in contracto ſyllogiſmo, concluſio ſemper eſt particularis, etiam cum utraque pars antecedentis eſt propria.* Hoc igitur à Ramiſtis non urgendum, qui hujuſmodi ſyllogiſmos non admittunt.

Dari vero concluſiones ſingulares in tertia figura, certiſſimum eſt, (licet vix quiſquam hoc adverterit.)

Ba- Da- *Maro eſt Poeta.*
raſ- rap- *Maro eſt Virgilius.* Ergo
ta. ti. *Virgilius eſt Poeta.*

Item

Item
Ce- Fe- *Maro non fuit Ovidius.*
laſ- lap- *Maro fuit Virgilius.* Ergo
ten. ton. *Virgilius non fuit Ovidius.*

Etiam cum neutra præmiſſarum ſit ſingularis. Verbi gratia,

Ce- Fe- *Nullum brutum eſt Socrates.*
lip- riſ- *Aliquod brutum eſt Bucephalus.* Ergo
en. on. *Bucephalus non eſt Socrates.*

Item
Ba- Da- *Omne brutum eſt animal.*
tip- tiſ- *Aliquod brutum eſt Bucephalus.* Ergo
a. i. *Bucephalus eſt animal.*

(Ubi, ſi major eſſet particularis, nihil concluderet. Eſſet enim ſyllogiſmus ex puris particularibus.)

Hoc toties fiet, quoties prædicatum minoris eſt Individuum. Conſequentiæ horum ſyllogiſmorum ex ſe ſatis patent. Quod ſi non, poſſent (ſi opus eſſet) ad primam figuram reducendo, demonſtrari.

Sed neque hoc officit noſtræ aſſertioni. Nam

Reſpondeo (ut prius.) Vi conſequentiæ ſequitur, de *Bucephalo*, prædicari *animal* affirmative, *Socratem* negative, &c. Neceſſitate conſequentis, prædicantur καθόλου, quoniam ſubjectum eſt ἄτομον.

Secundo. Sed in aliis quibuſdam univerſalibus eadem eſt difficultas. Verbi gratia,

Hi ſeptem ſunt ſtellæ erraticæ.
Hi ſeptem ſunt omnes planetæ. Ergo
Omnes planetæ ſunt ſtellæ erraticæ.

Triplex igitur hæc differentia, in propoſitione ſingulari ab aliis univerſalibus, neutiquam enervat aſſertionem noſtram, nec debilitat quicquam, (niſi propoſitionem ſingularem ideo diceremus univerſalem omnino non eſſe, quia ſemper eſt :) ſed ſupponit & confirmat. In ſingulis enim inſtantiis, poſito (vi conſequentiæ) de tali ſubjecto fieri prædicationem; ſuppoſito interim quicquid de hoc ſubjecto dicitur dici καθόλου, infertur hujuſmodi prædicatio univerſalis. Quod, ubi ſubjectum eſt vox communis, ſecus accidit; poſito enim de ſubjecto communi dici prædicatum, nondum conſtat, an ea prædicatio univerſalis ſit, an particularis; quoniam utriuſque capax eſt.

Propoſitio ergo categorica, vel eſt καθόλου, vel κατὰ μέρος. Hæc κατὰ μέρος, quæ non de ſubjecto toto dicitur, ſed quoad partem aliquam ſubjectivam. Illa καθόλου, quæ de ſubjecto dicitur, quoad totam ipſius latitudinem prædicandi; hoc eſt, de partibus ſingulis ſubjectivis. Cujus ſubjectum, ſi ſit vox communis & multis applicabilis, iis omnibus applicatur etiam prædicatum, prout in pleriſque univerſalibus : Sin vox ſit ſingularis, & uni tantum applicabilis; huic uni & prædicatum applicatur; prout in ſingularibus, & in propoſitionibus per *Omne* collectivum.

Non enim eodem modo dicitur *Omnes planetæ ſunt ſeptem*, & *omnes planetæ ſunt ſtellæ*; alterum enim collective dicitur, alterum diſtributive. *Omnes* diſtributive, idem eſt ac *Singuli*: *Omnes* collective, eſt ſingulorum collectio. At, ſingulorum collectio, eſt ſingularis, eſtque Totum (non univerſale, ſed) integrale. Planetæ ſunt ſeptem; at planetarum ἰδέα unica eſt. *Omne* diſtributivum, eſt ſyncategorematicum : *Omne* collectivum, eſt Categorematicum; eſtque pars ſubjecti. Unde non recte concluditur, *Omnes planetæ ſunt ſeptem* ; *Sol & Luna ſunt planetæ* ; Ergo *Sol & Luna ſunt ſeptem* ; niſi aſſumeretur *Sol & Luna ſunt omnes planetæ*. Non enim *Planetæ*, ſed *Omnes Planetæ*, eſt ſubjectum majoris, eſſetque prædicatum minoris : ſumitur enim collective.

Sive autem de ſingulis quibus attribuitur ſubjectum univerſale, ſive de uno cui attribuitur ſubjectum ſingulare, dicatur prædicatum ; utrobique tamen, nihil ſubjecti accipere licet de quo non dicetur prædicatum ; quod, ſecundum *Ariſtotelem*, eſt formalis ratio propoſitionis univerſalis. Quare, & propoſitio de ſubjecto ſingulari, eſt propoſitio καθόλου, ſive Dictum de Omni. Quod erat demonſtrandum.

THESIS SECUNDA.

Syllogiſmi Hypothetici, aliique Compoſiti; referendi ſunt omnes ad Ariſtotelicos Categoricorum Modos.

VUlt Ariſtoteles, præter tres ab ipſo traditas Figuras, earumque Modos, non alios ullos eſſe Syllogiſmos. Quo nomine à variis varie reprehenditur doctrina Peripatetica.

Sunt qui illam Redundantiæ incuſant; quod, præter Syllogiſmos, alias enumerat Argumentandi Formulas; Enthymema, Soritem, Dilemma, &c. quas illi omnes ad Syllogiſmum referendas volunt.

Verum hæc lis facile dirimitur. Quippe idem vult ipſe Ariſtoteles. Neque enim ille aliam hiſce formulis argumentandi vim ineſſe vult, quam quæ à Syllogiſmis oritur, eſtque eo referenda; &, ſiquod de ſequela dubium oriatur, ad illam normam exigenda. Syllogiſmos autem docet, non ſemper ſolemni pompa, tanquam inſtructa acie, procedere: Sed, utplurimum, expeditiori forma & per compendia exponi; Omiſſa propoſitionum una aut altera, ut in Enthymemate, ſed quæ ſubintelligatur, poſſitque ex reliquis animo ſuppleri, vel etiam (ſi poſtuletur) diſertis verbis adjungi: Aut etiam, quod in Proſſyllogiſmis fit, levius adhuc inſinuari; indicato tantum fonte, unde quis (non plane imperitus) ſyllogiſmum formet: Nonnunquam etiam plurium ſive Syllogiſmorum ſive Enthymematum formulas in unam compagem ſtrictim arctari, ut in Sorite, atque Dilemmate; quæ tamen, ſi id exigatur, in juſtos Syllogiſmos reſolvenda eſſe intelligitur, à quibus totam ſuam arguendi poteſtatem obtinent. Quæ quidem Syllogizandi Compendia, non quæ potuerat omnia, enumerat; (quippe id infiniti eſſet inutiliſque laboris,) ſed ex multis aliquot (ſpeciminis gratia) præſertim, quæ ſua ſaltem ætate potiſſimum obtinuerant, ſtatiſque innotuerant nominibus. Neque aliud hoc eſt (adeoque non ab illis culpandum) quam quod faciunt *Ramus* ejuſque Aſſeclæ, quum ſuas (quas vocant) Syllogiſmorum *Crypſes* recenſent, ubi quid vel deficit vel redundat vel tranſponitur aliove quovis modo mutatur. Quæ omnia, quum opus eſt, in juſtum ordinem redigi & poſſe, & debere, docent ipſi.

Redundantiæ ſimiliter incuſant, quod Syllogiſmum diſtribuat in Dialecticum, Apodicticum, & Sophiſticum; cum Syllogiſmi omnes, in quacunque materia, modo ſint legitimi, ſequelam quod ſpectat, ſunt pariter Demonſtrativi; ſive quos Apodicticos vocat, ſive quos Dialecticos: ſin fuerint non legitimi, ut ſunt Sophiſtici; ne Syllogiſmi dicendi erunt.

Sed neque eſt hæc lis ardua. Non enim ſyllogiſmum *Ariſtoteles* in hos ut ſpecies diſtribuit, quaſi, formam quod ſpectat, hæ ſint aliæ atque aliæ ſyllogiſmorum ſpecies. Sed Syllogiſmorum quædam Accidentia conſiderat, non ex forma, ſed materia, ſeu re ſubjecta dependentia; atque pro diverſa materia circa quam verſantur, alios Dialecticos, alios Apodicticos appellat. Formam autem quod ſpectat, vult omnes eſſe Apodicticos ſive Demonſtrativos; nempe ex veris præmiſſis non niſi verum ſequi poſſe in quacunque materia. Sophiſticos autem ſive Syllogiſmos ſive Paralogiſmos quod ſpectat; non pro juſtis Syllogiſmorum formulis haberi vult, atque imitandis; ſed pro vitiis: qui itaque fugiendi ſunt, & ſiquando obtruduntur refellendi. Sicut, in Tabulis Geographicis & Hydrographicis, non tantum via recta deſcribitur; ſed notantur etiam devia & ſcopuli, ut caveantur; præſertim ſicubi majus eſt errandi periculum.

Miſſis itaque redundantiis hiſce, quas ſtrictim notaſſe ſufficiat; defectus quos prætendunt conſiderandi veniunt.

Cauſantur aliqui; præter tres quas habet Ariſtoteles, quartam adhuc eſſe Figuram, quam *Galenicam* dicunt, (utpote à *Galeno*, quod ſcimus, primo indicatam:) ſed &, in tribus illis Figuris, alios adhuc eſſe Modos, quos *Indirectos* vocant, ab *Ariſtotele* omiſſos; in quibus tamen certa concludendi vis eſt.

Quod quidem neque nos inficiamur, neque inficiaturus eſſet Ariſtoteles. Sed dicimus, omnes illos ſive Quartæ Figuræ Modos, ſive aliarum Indirectos, non aliud eſſe quam Modorum ab Ariſtotele traditorum detorſiones, & tranſpoſitiones terminorum in ſitum minus naturalem. Non autem hoc voluit *Ariſtoteles*, non poſſe Modos hos tranſpoſitis ſive terminis ſive propoſitionibus in alias formas detorqueri; ſed, detortas illas formulas, in legitimum & naturalem ordinem reſtitutas, non alios quam modos Ariſtotelicos conſtituere. Nempe, figuræ quartæ modi omnes ad primæ figuræ modos referendi, modique indirecti reliquarum ad directos: à quibus non aliter differunt, quam quod propoſitiones terminive indebito ordine diſponantur & minus naturali; non quod aliam ab illis concludendi vim ſortiantur. Quod in ſingulis oſt[illegible] ſu facile eſſet, ſi id jam ageretur. Et quidem ne *Ramus*

ipſe, ejuſve aſſeclæ, *Ariſtotelem* hoc nomine reprehendunt; nec alios eſſe volunt modos eos, quam Crypſes illorum ab *Ariſtotele* traditorum.

Sed duplicis adhuc defectus doctrinam hanc inſimulant. Nempe quod ſyllogiſmorum ſimplicium modos *Proprios* non memoret; atque ſyllogiſmos (quos vocant) *Compoſitos*, omittat omnes, negligatque: cum tamen & hi & illi frequenti uſu occurrant, juſtamque habeant & naturalem concludendi vim. Sic enim *Ramus* ſchol. dialect. lib. 7. cap. 12. *Docetur*, inquit, (lib. 1. Prior. cap. 22, 23.) *Omnes ſyllogiſmos per tres figuras expoſitas fieri & concludi: & falſo docetur. Sunt enim ex Propriis Enunciatis Syllogiſmi qui præſcriptis legibus in unaquaque figura concludi non poſſunt. Sunt præterea Connexi, duorum generum; ſunt Disjuncti, duorum item generum; quibus etiam hic Organicus Auctor multo frequentius utitur, quam ſimplicibus à ſe expoſitis.*

Et quidem fatemur ultro, tum juſtam horum conſequentiam, tum & frequentem uſum, idemque falſurum fuiſſe *Ariſtotelem* non eſt quod dubitemus, & legitimos eſſe ſyllogiſmos. Sed negamus eſſe ab Ariſtotele omiſſos, aut alios hos eſſe à modis ab illo traditis.

Modos *Proprios* quod ſpectat; jam alias rem abſolvimus (Theſ. 1.) ubi oſtendimus, *Propoſitiones Singulares*, quas illi *Proprias* vocant, ſyllogiſmum quod ſpectat, *univerſales eſſe omnes*. Adeoque ipſorum quos vocant Modos *Proprios*, non alios eſſe quam Ariſtotelicorum (in prima figura) *Barbara, Celarent*; (in ſecunda) *Ceſare, Cameſtres*; (in tertia) *Darapti, Felapton*. Quod cum alias jam fuſius oſtenſum eſt, non opus eſt ut hic repetam.

Supereſt ut oſtendam (quod præſentis inſtituti eſt) Syllogiſmos *Hypotheticos*, alioſque quos vocant *Compoſitos*, ad Ariſtotelis *Categoricos*, quos *Simplicium* modos vocant, referendos eſſe, atque ad horum normam exigendos.

Quoniam vero, cum *P. Ramo* ejuſque aſſeclis, potiſſimum hic res eſt; (inter quos præ reliquis *Dounamum* ſeligo, ut qui *Rami* veſtigiis preſſius inſiſtit, ejuſque mentem ſatis fideliter exprimit; neque ab eo hac in re diſcedunt, quod ſciam, alii ſive qui *Ramo* diſerte nomen dederunt, ſive qui Ramæam doctrinam cum Ariſtotelica conjunctam volunt, ſive ſuccenturiatam:) operæ pretium erit deſpicere, quouſque nos inter conveniat; ut quæ demum ſit differentia rectius perſpiciamus.

Non negat *Dounamus*, quin ſyllogiſmi ſimplices omnes, ad Figuras Ariſtotelicas referendi ſint; modoſque ab illo aſſignatos; (ſaltem ſi, quos ille *Proprios* appellat, reliquis accenſeantur.) Nullos enim vel ille, vel ex Ramiſtis alii, agnoſcunt alios ſyllogiſmos ſimplices, præter Modos Ariſtotelicos, & (de quibus jam ante dictum eſt) ſuos Proprios. Quod & ipſe diſerte tradit, *lib. 2. cap. 10. pag.* 670, 671.

Fatetur etiam *ſyllogiſmum ſimplicem non ex ſolis propoſitionibus ſimplicibus* (*Categoricis vulgo dictis*) *perpetuo conſtare*; imo *ſyllogiſmum ſimplicem* (Categoricum vulgo dictum) *ex partibus omnibus compoſitis conſtare poſſe*, ibid. pag. 664.

Adeoque *ſyllogiſmum compoſitum* cum eſſe (cum *Ramo*) definit *ubi tota quæſtio eſt pars altera propoſitionis* (*affirmatæ & compoſitæ*,) *Argumentum eſt pars reliqua*: lib. 2. cap. 13. p. 715.

De vocibus *Affirmatæ & Compoſitæ* poſt dicetur. Interim hujuſmodi ſyllogiſmum,

Si Socrates eſt Animal, Socrates ſentit;
Sed, ſi Socrates eſt Homo, Socrates eſt animal:
Ergo, ſi Socrates eſt Homo, Socrates ſentit.

Aut etiam hunc

Si ſol ſplendet, dies eſt;
Sed, ſi ſol ſupra horizontem conſpicitur, ſol ſplendet:
Ergo, ſi ſol ſupra horizontem conſpicitur, dies eſt.

Utut ex ſolis propoſitionibus compoſitis ſeu hypotheticis conſtet, pro ſyllogiſmo categorico ſeu ſimplici habendum vult: (ut ibidem patet, & *pag.* 716. ubi & alios culpat quod ſecus ſenſerint;) eo quod non tota quæſtio, ſed pars conſequens, cum medio diſponitur, in Propoſitione; pars antecedens in Aſſumptione. Et quidem rectiſſime: eſt enim ſyllogiſmus in *Barbara*; ut poſt dicetur.

Atque hoc ipſum (ibidem monet) *plerunque accidere in propoſitionibus relatis*. Quænam autem illæ ſint, oſtenderat *lib. 2. cap. 5. p.* 595. [Relatio (inquit) eſt multiplex; nimirum, Relatio eſſentiæ (cujus notæ ſunt *is qui, id quod*;) & Loci (cujus notæ ſunt *ubi ibi*;) quæ ad ſimplicia axiomata referendæ ſunt: relatio Conſequentiæ, Cauſæ, & Temporis, quæ in connexis locum habent: relatio Qualitatis & Quantitatis, in Copulatis; quatenus ſcilicet abſolute enunciatur.]

Quare autem *Relationem Temporis* (cujus notæ ſunt *quando tunc*) non periode ad *Simplicia Axiomata* referendam vult atque *Relationem Loci* (cujus notæ *ubi ibi*;) non video: niſi propter id quod ex *Ramo* (quem ſequitur) citat, *pag.* 729. *Concludendi enim modus hic idem eſt* (nempe qualis in ſyllogiſmo connexo) *quando propoſitio eſt relata temporis*. Non advertens quod in hujuſmodi ſyllogiſmo; *Quando ſol ſplendet, dies eſt: ſed ſol ſplendet; Ergo dies eſt*: in Aſſumptione & Concluſione, Vox *tunc* latet quidem in verbo *eſt*

(præſentis temporis;) ſed ſubintelligenda erat,non minus quam vox *hic* in relatis Loci; puta *Ubi ſol ſplendet, dies eſt: ſed hic Sol ſplendet; Ergo hic dies eſt.*

Sed, utut ſit; cum tamen *Relativum Temporis* (cujus notæ ſunt *Quando Tunc*) *Axiomati Connexo* (cujus notæ *Si, Tum,*) *affine* dicit (*cap.* 13. *p.* 723.) utut poſſit quidem (ſicut illud) *Connexi Syllogiſmi* Propoſitio eſſe; non ita tamen ſemper eſſe, ibidem ipſe monet, ſed *ad ſyllogiſmum ſimplicem pertinere, quoties non tota quæſtio, ſed pars conſequens in propoſitione diſponitur: quod* (inquit) *ſemper fit, cum de certo & definito tempore quæſtio eſt.* Cujus Exemplum hoc ipſe præbet,

> *Cum ſol eſt in Cancro, æſtas eſt;*
> *At hoc tempore Sol eſt in Cancro:*
> *Ergo, hoc tempore æſtas eſt.*

Et quidem, hoc conceſſo, non video quin & omnia (ut loquitur) *Relata Temporis,* ſimiliter ad ſyllogiſmum ſimplicem referenda ſint. Nam perinde eſt ſive dicam, *Hoc tempore ſol eſt in Cancro*; ſive ſimpliciter, *Sol eſt in Cancro*; Nam & hic ſubintelligitur *Nunc* ſeu *hoc tempore,* utpote in verbo *eſt* incluſum & conſignificatum. Vel, ſi ne hoc quidem ſubintellectum velimus, ſed ſaltem *Aliquando* &c; etiam ſic ſyllogiſmus ſimplex erit; puta,

> *Cum* (ſeu *quo tempore*) *ſol eſt in Cancro, æſtas eſt;*
> *Sed Aliquando* (ſeu *aliquo tempore*) *ſol eſt in Cancro:*
> *Ergo, Aliquando* (ſeu *aliquo tempore*) *æſtas eſt.*

Hoc tantum intereſt; quod Syllogiſmus jam futurus eſt in *Darii* (propter aſſumptionem & concluſionem particularem;) qui prius (propter tum aſſumptionem tum concluſionem ſingularem, adeoque univerſalis vim habentem,) mihi quidem, fuerat in *Barbara*; ſed juxta illos (qui ſingulares habent pro particularibus) in *Darii.*

Relationes Quantitatis, Qualitatis, & Loci; refert ipſe omnes (*ibidem* p. 723.) *ad ſyllogiſmos ſimplices; quoniam in hujuſmodi relatis non tota quæſtio cum argumento diſponi ſolet, ſed conſequens.*

Adeoque ſyllogiſmi hujuſmodi,

> *Quantus eſt hic, tantus ille;*
> *Sed hic eſt Bilibris;*
> *Ergo & ille eſt Bilibris.*
>
> Item, *Ut* A *ad* B, *ſic* α *ad* β;
> *Sed* A *ad* B *eſt in ratione dupli;*
> *Ergo* α *ad* β *in ratione dupli.*
>
> Item, *Ubi ſol ſplendet, dies eſt;*
> *Sed ubique ſol ſplendet:*
> *Ergo ubique dies eſt.*
>
> Vel, *Sed hic Sol ſplendet:*
> *Ergo hic dies eſt.*
>
> Vel, *Sed alicubi Sol ſplendet:*
> *Ergo alicubi dies eſt.*

Habendi erunt omnes pro Syllogiſmis ſimplicibus, ſeu Categoricis: idque vel in *Barbara* vel in *Darii,* prout Minor & Concluſio ſunt vel Univerſales vel Particulares.

Atque, eadem ratione, etiam hi,

> *Quando ſol ſplendet, dies eſt;*
> *Sed ſemper ſol ſplendet,*
> *Ergo ſemper dies eſt.*
>
> Vel, *Sed aliquando ſol ſplendet,*
> *Ergo aliquando dies eſt.*
>
> Vel, *Sed ſol ſplendet,*
> *Ergo dies eſt.*
>
> Hoc eſt, *Sed nunc ſol ſplendet,*
> *Ergo nunc dies eſt.*

Idemque de *Relationibus* (ut loquitur) *Eſſentiæ* judicandum eſt, ipſo judice; Puta

> *Quæ ſentiunt ſunt animalia;*
> *Homines* (*omnes, aliqui, hi,*) *ſentiunt:*
> *Ergo, ſunt animalia.*

Relationes vero (quas vocat) *Conſequentiæ,* (ut Quoniam ſentit, ergo eſt animal,) *non videntur* (inquit) *in propoſitionibus ſyllogiſmorum locum habere*; adeoque ad rem præſentem non ſpectant: Præmiſſæ quidem cum Concluſione ſyllogiſmi ſic conjungi ſolent; quod non magis in Compoſitis quam in Simplicibus Syllogiſmis contingit.

Verum quatuor adhuc (nec plures) Modos eſſe volunt ſyllogiſmi *Compoſiti,* quos *ad nullam figurarum ſimplicium referendos eſſe* contendunt; Duos *Connexi,* totidemque *Disjuncti* ſyllogiſmi modos.

Quos cauſantur *Ariſtotelem vel non cognoviſſe vel ſaltem non agnoviſſe; cum tamen hujuſmodi compoſitis ſyllogiſmis ſæpius ipſe utatur quam ſimplicibus*; & quidem eo ipſo in loco, ubi

ubi negat ullam eſſe ſyllogiſmi ſpeciem præter tres figuras, compoſito ſyllogiſmo utatur, qui ad nullam ex tribus figuris referri poteſt; atque ſimiliter alii, *qui præter tres figuras nullam aliam ſyllogiſmi ſpeciem agnoverant*. Sic *Downamus lib.* 2. *cap.* 13. *pag.* 713, 714, 724, 726, 733. Et *Ramus* ipſe, *Schol. Dialect. lib.* 7. *cap.* 12.

Ego vero hos modos *Ariſtotelem* (cum aliis) *& cognoviſſe & agnoviſſe* contendo, *uſuque ſuo* (quod ipſi obſervant) confirmaſſe: (verum & *ex Ariſtotele doctrinam hanc collegiſſe & Ciceronem & Ramum ipſum*, diſerte aſſerit ibidem *Downamus*, *pag.* 724. ſed perperam addit, *nihil de ſyllogiſmis cogitante*:) Nego autem, hos alios eſſe à modis ab illo aſſignatis, aut *ad nullam ex tribus figuris referri poſſe.*

Modorum *Connexorum* prior eſt, *qui aſſumit antecedens & conſequens concludit, pag.* 725. qualis, verbi gratia, hic eſt.

Si Sol ſplendet, dies eſt;
Sed ſol ſplendet;
Ergo, dies eſt.

At interim ipſi (ut jam oſtenſum eſt) pro ſyllogiſmis ſimplicibus (adeoque ad modos Ariſtotelicos referendos) ſequentes hos habent ſyllogiſmos;

Ubi (hoc eſt, *omni loco quo*) *ſol ſplendet, dies eſt*;
Sed ubique (h. e. *omni loco*) *ſol ſplendet*:
Ergo ubique (h. e. *omni loco*) *dies eſt.*
Vel, *Sed alicubi* (h. e. *aliquo loco*) *ſol ſplendet*:
Ergo alicubi (h. e. *aliquo loco*) *dies eſt.*
Vel, *Sed hic* (h. e. *hoc loco*) *ſol ſplendet*:
Ergo hic (ſeu *hoc loco*) *dies eſt.*
Item, *Quando* (h. e. *omni tempore quo*) *ſol ſplendet, dies eſt*;
Sed ſemper (h. e. *omni tempore*) *ſol ſplendet*:
Ergo ſemper (h. e. *omni tempore*) *dies eſt.*
Vel, *Sed aliquando* (h. e. *aliquo tempore*) *ſol ſplendet*:
Ergo aliquando (h. e. *aliquo tempore*) *dies eſt.*
Vel, *Sed Sol ſplendet*:
Ergo dies eſt.
H. e. explicite, *Sed nunc* (ſeu *hoc tempore*) *ſol ſplendet*;
Ergo nunc (ſeu *hoc tempore*) *dies eſt.*

Nulla igitur videtur ratio (his admiſſis) quidni & hujuſmodi ſyllogiſmi (utpote in eadem cum illis formâ) pro ſimplicibus pariter ſint habendi.

Si ſol ſplendet, dies eſt;
Sed ſol ſplendet;
Ergo dies eſt.

Hoc eſt, explicite,

Si (hoc eſt, *omni caſu quo*) *ſol ſplendet, dies eſt*;
Sed (*omni caſu*) *ſol ſplendet*:
Ergo (*omni caſu*) *dies eſt.*
Vel, *Sed* (*aliquo caſu*) *ſol ſplendet*;
Ergo (*aliquo caſu*) *dies eſt.*
Vel, *Sed* (*caſu præſenti*) *ſol ſplendet*:
Ergo (*caſu præſenti*) *dies eſt.*

Quippe eadem præciſe forma in his conſpicitur atque in illis. Adeoque (ſicut illi priores) vel in *Barbara* vel in *Darii*, cenſendi ſunt, prout Aſſumptio & Concluſio ſunt vel Univerſales (quibus Singulares accenſeo) vel Particulares. Ut non ſit cur *Ariſtotelem* incuſemus, quaſi modos hos neglexerit rejeceritve.

Addo: Qua ratione (pag. 595. ut ſupra dictum) propoſitionem hanc *Ubi* (ſeu *quo loco*) *ſol ſplendet, ibi* (ſeu *eo loco*) *dies eſt*, pro *Axiomate ſimplici* admiſerit; eadem & hanc ſimiliter admiſiſſe oportuit, *Quando* (ſeu *quo tempore*) *ſol ſplendet, tunc* (ſeu *eo tempore*) *dies eſt*: Atque hanc pariter, *Si* (ſeu *quo caſu*) *ſol ſplendet, tum* (ſeu *illo caſu*) *dies eſt*. Ut non fuerit neceſſe, vocem *compoſitæ* in (ſupra memorata) ſyllogiſmi Compoſiti definitione inſeruiſſe.

Syllogiſmi *Connexi*, modum alterum definiunt, *qui tollit conſequens ut tollat antecedens*: qualis, verbi gratia, hic eſt,

Si Sol ſplendet, dies eſt;
Sed non eſt dies;
Ergo Sol non ſplendet.

At vero, cum, vel ipſis fatentibus, (ut ex jam dictis liquet,) pro ſyllogiſmis ſimplicibus habendi ſint hi qui ſequuntur (adeoque ad modos Ariſtotelicos referendi,)

Ubi (ſeu *quo loco*) *ſol ſplendet, ibi* (ſeu *eo loco*) *dies eſt*;
Sed nullibi (ſeu *loco nullo*) *dies eſt*;
Ergo nullibi (ſeu *nullo loco*) *ſol ſplendet.*

Vel, *Sed alicubi* (ſeu *loco aliquo*) *non eſt dies* ;
Ergo alicubi (ſeu *loco aliquo*) *ſol non ſplendet.*
Vel, *Sed hic* (ſeu *hoc loco*) *non eſt dies* ;
Ergo hic (ſeu *hoc loco*) *ſol non ſplendet.*
Item, *Quando* (ſeu *quo tempore*) *ſol ſplendet, tum* (ſeu *eo tempore*) *dies eſt* ;
Sed nunquam (ſeu *nullo tempore*) *dies eſt* ;
Ergo nunquam (ſeu *nullo tempore*) *ſol ſplendet.*
Vel, *Sed aliquando* (h. e. *aliquo tempore*) *non eſt dies* ;
Ergo aliquando (h. e. *aliquo tempore*) *ſol non ſplendet.*
Vel, *Sed non eſt dies* ;
Ergo ſol non ſplendet.

Hoc eſt, explicite,
Sed nunc (ſeu *hoc tempore*) *non eſt dies* ;
Ergo nunc (ſeu *hoc tempore*) *ſol non ſplendet.*

Eodem (inquam) jure, & hi pro ſimplicibus habendi erunt: Nempe,
Si (h. e. *quo caſu*) *ſol ſplendet, tum* (ſeu *eo caſu*) *dies eſt* ;
Sed, nullo caſu, dies eſt ;
Ergo, nullo caſu, ſol ſplendet.
Vel, *Sed, aliquo caſu, non eſt dies* ;
Ergo, aliquo caſu, ſol non ſplendet.
Vel, *Sed, hoc caſu, non eſt dies* ;
Ergo, hoc caſu, ſol non ſplendet.

Sunt utique hi, pariter atque illi, vel in *Cameſtres*, vel in *Baroco*, prout Aſſumptio & Concluſio ſunt vel Univerſales (quibus accenſeo Singulares) vel Particulares.

Item; horum, non minus quam illorum, Propoſitio major, pro ſimplici Axiomate habenda erit.

Neuter igitur modorum *Syllogiſmi Connexi*, ab Ariſtotele vel neglectus eſt, vel rejectus, nedum (quod inſinuatum eunt) vel *non cognitus* vel *non agnitus*.

Sed nec meliori jure queruntur, *Axiomatis compoſiti doctrinam ab Ariſtotele neglectam eſſe*, (lib. 2. cap. 5. pag. 586.) cum hæc ipſa quæ vocant *Axiomata Compoſita*, non alia ſint quam qualia ipſi pro *ſimplicibus* habent.

Adeoque, quem ſupra inſinuavimus, ſyllogiſmus,
Si ſol ſplendet, dies eſt ;
Sed, ſi ſol ſupra horizontem conſpicitur, ſol ſplendet ;
Ergo, ſi ſol ſupra horizontem conſpicitur, dies eſt.

Æquipollet huic
Omni caſu quo Sol ſplendet, dies eſt ;
Sed, omni caſu quo Sol ſupra horizontem conſpicitur, ſol ſplendet,
Ergo, omni caſu quo Sol ſupra horizontem conſpicitur, dies eſt.

(Quem Syllogiſmum eſſe in *Barbara*, atque ex propoſitionibus Categoricis ſeu ſimplicibus, ne quidem ipſe *Ramus* inficiaretur.)

Æquipollet, inquam. Si non quoad Grammaticam conſtructionem, (quæ hic non attenditur;) ſaltem quoad Connexionem Logicam. Quæ dum eadem manet; (quantacunque ſit alias phraſium variatio, tranſpoſitio partium, aut etiam Ellipſis partis ſubintellectæ, aliave Crypſis,) eadem argumenti vis manet, idemque ſyllogiſmi modus cenſendus erit. Quod nec ipſe *Ramus* inficiaretur: qui *Crypſes*, quas vocat, non admittit novos eſſe ſyllogiſmorum modos ab iis ad quos, cum reſtituuntur & explicantur, deprehenduntur pertinere. Quo ſpectat quod ex *Ramo* citat *Downamus*, l. 2. c. 9. p. 654. *Siqua propter Crypſin dubitatio fuerit, explenda quæ deſunt, amputanda quæ ſuperſunt, & pars quælibet in locum ſuum redigenda eſt*; Atque ex Ariſtotele, *Prior. l. 1. c.* 33. Σκεπτέον δὲ εἴ τι περίεργον εἴληπται, καὶ εἴ τι τῶν ἀναγκαίων παραλέλειπται, καὶ τὸ μὲν θετέον, τὸ δὲ ἀφαιρετέον, ἕως ἂν ἔλθῃ τις εἰς τὰς δύο προτάσεις; i. e. *videndum autem ſiquid redundet, & ſiquid neceſſarium omittatur, hoc quidem addendum, illud tollendum, donec ad duas propoſitiones pervenias.*

Superſunt *Duo modi Syllogiſmi* (ut loquuntur) *Disjuncti*; quos & legitimos eſſe volunt, & ab *Ariſtotele* non agnitos. *Primus modus tollit unum & reliquum concludit: Secundus, aſſumit unum & reliquum tollit.* Sic (poſt *Ramum*) *Downamus* lib. 2. cap. 15, 16. pag. 739, 745.

Prioris exemplum hoc exhibet, *pag.* 740.
Aut dies eſt, aut nox eſt :
At dies non eſt ;
Ergo nox eſt.
Vel, *At nox non eſt* ;
Ergo dies eſt.

Quem ego modum (ſed non ita ſecundum) legitimum eſſe concedo. Nego tamen vel eſſe *Ariſtoteli* ignotum, (ut qui paſſim occurrit,) vel alium eſſe ab ante traditis.

Eſt

Eſt utique propoſitio illa, *Aut dies eſt aut nox eſt*, (atque ad eandem formam aliæ,) curta locutio, adeoque ambigua, (pro ſubjecta materia aliter atque aliter exponenda ;) ſed & ſenſu redundans, (duas ſaltem propoſitiones includens, quarum una ſolum eſt ad ſyllogiſmum utilis.) Nam (ne plura nominem) de Loco, de Tempore, de Caſu, exponi poteſt ; eſtque in ſingulis gemina. Concluſio ſcilicet illa (verbi gratia) *Ergo dies eſt* ; intelligi poteſt vel *dies eſt ubique*, vel *alicubi*, vel *hic*, (ſi de loco quæratur ;) vel *ſemper*, vel *aliquando*, vel *nunc*, (ſi de tempore ;) vel (ſi de caſu) *omni*, vel *aliquo*, vel *præſenti caſu*, *dies eſt* : (Atque altera, *Ergo nox eſt*, totidem ſaltem modis eſt exponenda.) Eaque propoſitio, *Aut dies eſt aut nox*, de Loco expoſita, has duas continet, *Ubi* (ſeu *quo loco*) *non eſt dies, nox eſt* ; &, *ubi non eſt nox, dies eſt* ; de Tempore expoſita, has continet, *Quando* (ſeu *quo tempore*) *non eſt dies, nox eſt* ; &, *quando non eſt nox, dies eſt* ; de Caſu expoſita, has continet ; *Si* (ſeu *quo caſu*) *non eſt dies, nox eſt* ; &, *ſi non eſt nox, dies eſt*. Quarum, ſi *diem eſſe* concludendum ſit, in ſingulis redundat pars prior ; ſi *noctem*, poſterior. Syllogiſmus enim ſic procedit ;

Nempe, ſi *Noctem eſſe* concludendum ſit,

Quando non eſt dies, nox eſt, (*&*, *quando non eſt nox, dies eſt*, redundat :)
Sed (*ſemper, aliquando, nunc,*) *non eſt dies* ;
Ergo (*ſemper, aliquando, nunc,*) *nox eſt*.

Vel, *Ubi non eſt dies, nox eſt*, (*&*, *ubi non eſt nox, dies eſt*, redundat :)
Sed (*ubique, alicubi, hic,*) *non eſt dies* ;
Ergo (*ubique, alicubi, hic,*) *nox eſt*.

Vel, *Si* (ſeu *quo caſu,*) *non eſt dies, nox eſt*, (*&*, *ſi non eſt nox, dies eſt*, redundat:)
Sed (*caſu omni, aliquo, præſenti,*) *non eſt dies* ;
Ergo (*caſu omni, aliquo, præſenti,*) *nox eſt*.

Similiter ; ſi *Diem eſſe* concludendum ſit,

Quando, ubi, ſi, non eſt nox, dies eſt ; (*& quando, ubi, ſi, non eſt dies, nox eſt*, redundat :)
Sed, (*ſemper, aliquando, nunc* ; *ubique, alicubi, hic* ; *omni caſu, aliquo caſu, præſenti caſu* ;) *non eſt nox* ;
Ergo (*ſemper, aliquando, nunc* ; *ubique, alicubi, hic* ; *caſu omni, aliquo, præſenti* ;) *dies eſt*.

Patet itaque ſyllogiſmos hoſce omnes, (cum explicite exponuntur,) non alios eſſe quam ante traditos ; puta vel *Relativos Loci* (ut loquuntur illi,) vel *Relativos Temporis*, (quos ipſi pro Simplicibus admittunt ;) vel *Connexos*, modi primi ; (quos ad ſimplices reducendos eſſe jam demonſtravimus :) & quidem, verba ipſa quod ſpectat, indifferenter eſſe vel hos, vel illos, vel iſtos ; ſed, nunc hos, nunc illos, nunc iſtos, pro ſcopo diſputantis

Id ſaltem intereſt ; quod Major propoſitio, disjunctive propoſita, duas pluresve in ſe continet propoſitiones, quarum una ſola eſt ad ſyllogiſmum utilis ; reliquæ, quotquot ſunt, ſuperfluæ ; quæ redundantia ſi amputetur, quod reliquum eſt formas ante traditas exhibet præciſe.

Duas, inquam, *pluresve* ; nempe tot ſaltem quot ſunt disjunctionis membra. Verbi gratia ; Disjunctio hæc quadrimembris,

Aut Ver eſt, aut Æſtas, aut Autumnus, aut Hyems,

Has ſaltem in ſe continet propoſitiones quatuor,

Si nec Ver eſt, nec Æſtas, nec Autumnus ; *Hyems eſt* :
Si nec Ver, nec Æſtas, nec Hyems ; *Autumnus eſt* :
Si nec Ver, nec Autumnus, nec Hyems ; *Æſtas eſt* :
Si nec Æſtas, nec Autumnus, nec Hyems ; *Ver eſt*.

Quarum Tres ſemper redundant, eſtque una ſola utilis ; nempe Prima, ſi ſic ſubſumatur,

Sed nec Ver eſt, nec Æſtas, nec Autumnus :
Ergo Hyems eſt.

Secunda, ſi ſic,

Sed nec Ver eſt, nec Æſtas, nec Hyems :
Ergo Autumnus eſt.

Tertia, ſi ſic,

Sed nec Ver, nec Autumnus, nec Hyems :
Ergo Æſtas eſt.

Quarta, ſi ſic,

Sed nec Æſtas, nec Autumnus, nec Hyems :
Ergo Ver eſt.

Atque ſimiliter, ſi pro *Si*, exponeretur eadem propoſitio per *Quando*, vel *Ubi*. Atque de *Disjuncto primo* hactenus.

Disjunctus ſecundus definitur, *qui è propoſitione partibus omnibus affirmata aſſumit unum & reliquum tollit* ; (Doun. lib. 2. cap. 16. pag. 745.) Cujus *Exemplum* (ibidem)

Aut dies eſt, aut nox eſt:
At dies eſt:
Nox igitur non eſt.

Hunc autem modum ab *Ariſtotele* neglectum, aut etiam rejectum, non mirarer. Paralogiſmus enim eſt, non legitimus ſyllogiſmi modus: ut qui ex præmiſſis veris falſam inferre poſſit concluſionem. Exemplum eſto;

Bellum Trojanum cecinit vel Homerus, vel Virgilius; (quod verum eſt:)
Sed Homerus cecinit; (quod itidem verum eſt.)
Ergo, non Virgilius.

At hoc falſum eſt, (neque ex præmiſſis ſequitur;) Uterque enim cecinit. Paralogiſtica igitur eſt hæc argumentatio. Et quidem ſuum ipſum exemplum, *Aut dies eſt aut nox eſt*, &c; ſi explicite enuncietur, huc redit; (ut ex ante dictis liquet;)

Si non eſt dies, nox eſt; (ſi non nox, dies:)
At dies eſt:
Nox igitur non eſt.
Vel, *At nox eſt*:
Ergo non eſt dies.

Quem eſſe Paralogiſmum notat ipſe (*cap.* 14. *pag.* 737.) hæc addens; *Neque idcirco legitimi ſyllogiſmi ſunt, etſi verum concludunt, idque neceſſario; niſi neceſſitas hæc ex ipſa diſpoſitione, non autem ex rerum diſpoſitarum affectione, pendeat: Jam vero neceſſitas hæc in rebus eſt, non in Concluſione; oritur enim è terminorum natura, non ex legitima earum diſpoſitione: Sed neque verum ſemper concluditur in his modis.*

Quæ verbatim repeto, quoniam eadem ipſa nobis jam mox dicenda erunt. Æquipollentiam autem Exempli hujus ut à ſe propoſiti, atque ut à me expoſiti, agnoſcit ipſe ſequente pagina 738; (ut mirum ſit, eorum alterum ab ipſo ut *Sophiſma* damnatum, alterum agnitum ut legitimum *Syllogiſmum*:) verba hæc ſunt, *Connexum axioma, cujus antecedens negatur, vim habet propoſitionis partibus omnibus affirmatæ*; *ut, ſi non eſt dies, nox eſt: Aut dies eſt, aut nox eſt.* Ergo, inquam ego, cum alterum eorum, ut Paralogiſmum damnaverit, reliquum etiam damnaſſe oportuit.

Atque hoc quadantenus vidiſſe cenſendus eſt; adeoque, *ſiquis de Leone ſic diceret*;

Aut animal eſt, aut non eſt homo:
Sed non eſt homo;
Ergo non animal:

Paralogiſmus, inquit, *erit* pag. 749. (Verum hic, inquam, ex disjunctorum uno poſito tollitur alterum.) Huic igitur ut caveatur, definitio poſtulat, ut major propoſitio ſit *partibus omnibus affirmata*. Quod tamen non ſemper eſt neceſſe: Nam, de *Socrate*, non magis valebit illud,

Aut homo eſt, aut brutum;
Sed homo eſt, Ergo non brutum.
Quam hoc. *Aut non eſt brutum, aut non eſt homo*;
Sed non eſt brutum; *Ergo eſt homo*:

Ubi Propoſitio eſt (non *omnibus partibus affirmata*, ſed) omnibus partibus negata: Siqua tamen ſit illic concludendi vis, etiam hic non minus erit. Adeoque perperam additur ea limitatio: aliaque quæ eo tendunt.

Dicent fortaſſe, (ſaltem dicendum eſt,) non valere hanc ſyllogiſmi formam, niſi de *Immediate Oppoſitis*, hoc eſt, quæ ſimul eſſe vera non poſſunt: de his autem, validam eſſe. Puta, quando dicitur *Aut diem eſſe aut noctem*; (*cum ea ſimul eſſe non poſſunt*;) Altero poſito, tollitur alterum.

Quod quidem verum eſt. Verum hic regerenda ſunt ea omnia quæ ex ipſo modo citavimus: Nempe, *Neceſſitas hæc in rebus eſt, non in diſpoſitione*; *Oriturque è terminorum natura*, (quod nempe hi ſint immediate oppoſiti,) *non ex eorum diſpoſitione*; *Neque verum ſemper concluditur in his modis*, (ut, jam ante, aliquot exemplis probatum eſt, poſſitque innumeris oſtendi:) Adeoque *non idcirco legitimi Syllogiſmi ſunt, quod aliquando verum concludant, etiamſi neceſſario*; cum *neceſſitas hæc*, non *ex ipſa diſpoſitione*, ſed *ex rerum diſpoſitarum affectione, pendeat.*

At inquit, (cap. 8. p. 615, 616.) *E disjunctis unicum neceſſario verum eſſe; id eſt, unum, & unum ſolum*; & (cap. 13. p. 717.) *Disjunctio ſignificat unicum è disjunctis verum eſſe, id eſt, unum & unum ſolum, unde aſſumi & concludi poteſt, At unum eſt, ergo reliquum non eſt.* Verum ego hoc nego; Disjunctio ſcilicet, *Aut dies eſt aut Nox*, non dicit horum *Unicum* eſſe, hoc eſt *ſolum ſuum*, ſed *ſaltem Unum*; adeoque non minus verum, ſed abunde eſt, ſi *Utrumque*. Atque dicenti *vel Homerum vel Virgilium ceciniſſe bellum Trojanum*, non inficias it, ſed à fortiori confirmat, qui *Utrumque* ceciniſſe dicit. Sin *Unicum*, hoc eſt (non *ſaltem unum*, ſed) *ſolum unum* inſinuandum ſit; non dicendum erit, *aut hoc eſt aut illud*; ſed, *non utrumque*; hoc eſt *non & hoc & illud*: quæ Propoſitio non eſt *Disjuncta*, ſed *Copulata negata*.

Si

Si itaque, quod intellectum volunt, addatur; & ſic procedat argumentatio;

Aut dies eſt, aut nox; non autem utrumque:
Sed dies eſt; ergo non nox:

Concedo; formam eſſe legitimam; ſed redundantem, nec ſyllogiſmum *disjunctum* eſſe, ſed *copulatum negatum.*

Redundantem, inquam. Redundat enim pars ea, *Aut dies eſt aut nox eſt*; totaque argumenti vis à reliqua dependet, *non utrumque*; h. e. *non eſt & dies & nox.* Adeoque (reſciſſa, ut ſuperflua, parte priore) ſyllogiſmus ſic procedit legitimus.

Non eſt & dies & nox:
Sed dies eſt: Ergo, non nox.

Verum ſyllogiſmus hic (propter reſciſſam partem disjunctivam, ut inutilem,) non jam dicendus erit *Syllogiſmus Disjunctus*, ſed *Copulatus negatus.*

Incaute ergo factum eſt, quod (cap. 13. p. 718.) *Propoſitionem copulatam negatam* excludat, tanquam *Disjunctæ affirmatæ æquipollentem.* Et (cap. 16. p. 746, 747,) ſyllogiſmum hunc ad *Disjunctum ſecundum* referat, (h. e. ſyllogiſmum, ad Paralogiſmum:) Contrarium utique faciendum erat. Nam ſiqua vis ineſt Disjuncto ſecundo, (ubi poſito disjunctorum uno tollitur alterum;) non illud propter Disjunctionem accidit, ſed propter (quæ ſubintelligitur) Copulationem negatam. Non (inquam,) quia *ſaltem alterum*, ſed quia *non utrumque*, ſequitur, quod uno poſito alterum removetur.

Adeoque & (cap. 13. p. 715, 716, 718,) perperam aſſeritur, *Compoſiti ſyllogiſmi propoſitionem* ſemper eſſe *affirmatam*; ejuſque definitioni, vox *Affirmata* perperam inſeritur. Nam hujus ſyllogiſmi tota vis, à *Copulationis Negatione* dependet, (ſi non expreſſa) ſaltem ſubintellecta.

Si tamen omnino volunt ut *Disjuncta* forma diſponatur hic ſyllogiſmus (quod quidem fieri poſſe non nego) conſtruenda erit major propoſitio, non (quod ille vult) *ex partibus omnibus Affirmatis*, (*aut dies eſt, aut nox eſt,*) ſed, ex *partibus omnibus Negatis*; Nempe,

Aut non eſt dies, aut non eſt nox; (quia ſcilicet utrumque eſſe non poteſt:)
Sed eſt dies: ergo non eſt nox.

Qui quidem Syllogiſmus eſt legitimus, ſed jam coincidit cum *Disjuncto primo*; nam *tollit unum ut ponat reliquum.*

Verum (ne ſimus porro de nomine ſoliciti,) ſyllogiſmum hunc legitimum eſſe agnoſcimus.

Non & dies eſt & nox:
Sed dies eſt: Ergo non nox.
Vel, *Sed nox eſt: Ergo non dies.*

Nego autem vel *Ariſtoteli* incognitum eſſe, vel alium eſſe ab ante traditis. Nam hic etiam Major propoſitio, duas in ſe continet, quarum altera tantum utilis eſt, altera ſemper redundat. Quippe qui dicit, *Non & dies eſt & nox*; hæc duo dicit, *Quando dies eſt, non eſt nox; &, quando nox eſt, non eſt dies*: vel *ubi dies eſt, nox non eſt; & ubi nox eſt, non eſt dies*: vel denique *Si dies eſt, non eſt nox; &, ſi nox eſt, non eſt dies.* Quorum primum utile eſt, alterum ſuperfluum, ſi ſubſumatur, *Sed dies eſt, ergo non nox*; ſin ſubſumatur, *Sed nox eſt, ergo non dies*, ſecundum utile eſt, & prius redundat.

Abſciſſo igitur quod ſuperfluum eſt, qui reſtat ſyllogiſmus alius non eſt ab ante traditis. Nempe;

Quando dies eſt, nox non eſt; (*&, quando nox eſt, non eſt dies*, redundat.)
Sed (ſemper, aliquando, nunc,) dies eſt:
Ergo (ſemper, aliquando, nunc,) non eſt nox.

Vel, *Ubi dies eſt, nox non eſt*; (*&, ubi nox eſt, non eſt dies*, redundat.)
Sed (ubique, alicubi, hic,) dies eſt:
Ergo (ubique, alicubi, hic,) non eſt nox.

Vel, *Si* (ſeu *quo caſu*) *dies eſt, non eſt nox*; (*&, quo caſu nox eſt, non eſt dies*, redundat.)
Sed (omni, aliquo, præſenti caſu,) dies eſt:
Ergo (omni, aliquo, præſenti caſu,) non eſt nox.

Similiter; *Quando, Ubi, Si, dies eſt, non eſt nox*; (*&, quando, ubi, ſi, nox eſt, non eſt dies*, redundat.)
Sed (ſemper, aliquando, nunc; ubique, alicubi, hic; caſu omni, aliquo, præſenti;) non eſt dies:
Ergo (ſemper, aliquando, nunc; ubique, alicubi, hic; caſu omni, aliquo, præſenti;) non eſt nox.

Patet itaque, Syllogiſmum *Copulatum negatum*, (pro quo *Disjunctum ſecundum* perperam ſubſtituunt,) explicite enunciatum, reſciſſo quod redundat, coincidere cum ante traditis: puta Relato Temporis, vel Relato Loci, vel Connexo primo: adeoque (per ante tradita) ad *Barbara* vel ad *Darii* (prout aſſumptio & concluſio univerſales fuerint, vel particulares,) referendum eſſe.

Illæ autem (in propoſitione majore) particulæ, *Quando, Ubi, Si*; exponendæ ſunt per *Omni* (non *aliquo*) *Tempore quo, Loco quo, Caſu quo*; (tum in his, tum in ante expoſitis ſyllogiſmis;) quoniam in figura prima atque ſecunda (quo ſpectant *Barbara, Darii*; *Cameſtres*, & *Baroco*,) Major ſemper eſſe debet univerſalis.

Dico itaque ſummatim; Propoſitionem Disjunctam, *Aut dies eſt, aut nox eſt*; ſic intellectam ut ipſi volunt, nempe *alterum eſt, ſed non utrumque*; ſeu *alterum eſt, alterum non eſt*; has in ſe continere propoſitiones quatuor;

Si dies non eſt, nox eſt:
Si nox non eſt, dies eſt:
Si dies eſt, nox non eſt:
Si nox eſt, dies non eſt.

Quarum priores duæ latent in *alterum eſt*; duæ poſteriores in *non utrumque*, ſeu *alterum non eſt*. Earumque (utcunque conſtituatur ſyllogiſmus) tres ſemper redundant, eſtque una ſola utilis: Nempe Prima, ſi concludendum ſit, *nox eſt*: Secunda; ſi, *Dies eſt*: Tertia; ſi, *nox non eſt*: Quarta, ſi, *Dies non eſt*. Ipſeque ſyllogiſmus, abſciſſis quæ redundant, non alius erit quam *Connexus primus*, ſeu *Hypotheticus* (proprie dictus) ex poſito antecedente conſequentem concludens: quem ad *Barbara* vel *Darii* referendum eſſe ſupra oſtendimus.

Ne autem ab Ariſtotele ignoratas putemus has argumentandi formas, id ſaltem facit; quod ex *Top. lib. 2. cap. 2.* citat *Dounamus* ipſe, *lib. 2. cap. 16. pag. 748.* Ὅσοις ἀνάγκη μόνον θάτερον ὑπάρχειν ἢ οὐχ ὑπάρχειν, (οἷον τῷ ἀνθρώπῳ τὴν νόσον ἢ τὴν ὑγίειαν·) ἐὰν πρὸς θάτερον εὐπορῶμεν διαλέγεσθαι, ὅτι ὑπάρχει ἢ οὐχ ὑπάρχει, καὶ πρὸς τὸ λοιπὸν εὐπορήσομεν. τοῦτο δ' ἀντιστρέφει πρὸς ἄμφω. δείξαντες μὲν γὰρ ὅτι ὑπάρχει θάτερον, τὸ λοιπὸν δεδειχότες ἐσόμεθα ὅτι οὐχ ὑπάρχει. ἐὰν δ' ὅτι οὐχ ὑπάρχει δείξωμεν, τὸ λοιπὸν ὅτι ὑπάρχει δεδειχότες ἐσόμεθα. (h. e.) *Quibuſcunque neceſſe eſt alterum ſolum eſſe vel non eſſe, (ut homini ægritudinem vel ſanitatem;) ſi de alterutro aſſerere valeamus, quod eſt vel non eſt, de reliquo etiam poterimus: hoc enim in utramque partem convertitur. Oſtendentes enim quod alterum ſit, reliquum quoque oſtendemus quod non ſit.* (Qui eſt ſyllogiſmus Copulatus negatus; pro quo illi, Disjunctum ſecundum, perperam ſubſtituunt.) *Sin autem oſtenderimus quod alterum non ſit, oſtendemus reliquum eſſe.* (Qui eſt illorum Disjunctus primus.) Ubi notandum eſt, *Ariſtotelem*, ad hoc ut certe poſſimus utrinque diſputare, (tum ex uno poſito alterum tollere, tum ex uno ſublato alterum ponere,) expreſſe requirere ut *alterum tantum* (non utrumque) aut *eſſe* poſſit aut *non eſſe*. Adeoque non ſufficere ut in propoſitione dicatur, *vel ſanus eſt vel æger*, ſed addendum *non autem & ſanus & æger*, (h. e. alterum eſſe ſed non utrumque; ſeu, alterum eſſe alterum non eſſe.) Nam ſi vel utrumque eſſe poſſit, vel utrumque non eſſe, non poterit in utramque partem diſputari. Quod confirmat quæ ante diximus, de rejiciendo (quem vocant) *Disjuncto ſecundo*, inque locum ejus ſubſtituendo *Copulatum negatum*. Nam dato, quod neceſſe ſit, *alterum eſſe* ſeu *alterum tantum non eſſe*, ſeu *non utrumque non eſſe*; ex negato uno reliquum concluditur, qui eſt *Disjunctus* (ut loquuntur) primus: Dato vero, quod *tantum alterum*, ſeu *non utrumque, ſit*; ex uno poſito alterum tollitur, qui eſt Syllogiſmus *Copulatus negatus*.

Sed & paulo ſuperius in eodem Capite (*Top. 2. cap. 2.*) ſyllogiſmos quos *Connexos* vocant, (*primum*, & *ſecundum*,) Ariſtoteli non ignoratos eſſe, his verbis liquet. Σκοπεῖν δὲ ἐπὶ τοῦ προκειμένου, τίνος ὄντος ἀνάγκη ἐστὶ τὸ προκείμενον, ἢ τί ἔστιν ἐξ ἀνάγκης, εἰ τὸ προκείμενόν ἐστι. κατασκευάζειν μὲν ἂν βουλομένῳ, τίνος ὄντος, τὸ προκείμενον ἔσται [ἐξ ἀνάγκης·] ἐὰν γὰρ ἐκεῖνο δειχθῇ ὑπάρχον, καὶ τὸ προκείμενον δεδειγμένον ἔσται. ἀνασκευάζειν δὲ βουλομένῳ, τί ἔστιν, εἰ τὸ προκείμενόν ἐστι· ἐὰν γὰρ δείξωμεν τὸ ἀκόλουθον τῷ προκειμένῳ μὴ ὄν, ἀνῃρηκότες ἐσόμεθα τὸ προκείμενον. *Diſpiciendum*, inquit, *eſt de eo quod proponitur, quonam poſito neceſſe eſt hoc eſſe; aut, quodnam ſit quod neceſſario erit, ſi hoc ſit. Nempe, probare volenti*; (diſpiciendum) *Quonam poſito, hoc neceſſario erit. Nam ſi hoc eſſe demonſtratur, etiam propoſitum demonſtrabitur.* Qui eſt primus modus ſyllogiſmi connexi. *Volenti autem refutare*; (diſpiciendum) *Quodnam eſt, ſi propoſitum ſit: Nam ſi hoc (quod ex propoſito ſequitur) demonſtremus non eſſe.; ſublatum erit ipſum propoſitum*: (qui eſt ſecundus modus, ut loquuntur, ſyllogiſmi connexi.) Uterque ergo ſyllogiſmi connexi modus erat Ariſtoteli cognitus.

Oſtendimus itaque, Syllogiſmos quos *Compoſitos* vocant, Ariſtoteli neque *non cognitos*, neque *non agnitos* eſſe: neque tamen propterea erroris inſimulandum eſſe, quod præter tres ab illo Figuras aſſignatas (earumque Modos) non alios eſſe ſyllogiſmos; (nam & hos omnes oſtendimus ad ipſius Modos referendos eſſe.) Quod erat oſtendendum.

Addo tamen; Syllogiſmos hos, Compoſitos dictos, utut ſint (ſicut aliæ *Crypſes*) ad modos Ariſtotelicos referendi, cum tamen ſint præ aliis inſigniores Crypſes, formulæque frequenti uſu notabiles; poſſe non incommode, vel (quod ab *Ariſtotele* factum eſt) ſaltem ſtrictim inſinuari; vel etiam (quod faciunt alii) paulo explicatius exponi: Non quidem ut Modi alii, ſed ut modorum ab illo expoſitorum peculiares aliquot caſus; ſeu Compendia: (ut ſunt Enthymema, Sorites, Dilemma, &c.)

Dico itaque ſyllogiſmi *Connexi*, ſeu (ut loquuntur alii) *Hypothetici*, ſeu *Conditionalis*; Duos eſſe modos legitimos: Alterum, *à Poſitione Antecedentis ad Poſitionem Conſequentis*; Alterum, *à Sublatione Conſequen*[illegible] *ad Sublationem Antecedentis*.

Si

Si hoc eſt, tum illud eſt:
Sed hoc eſt; *Ergo, illud eſt.*
Item, *Si hoc eſt, tum illud eſt*;
Sed illud non eſt;
Ergo, nec hoc eſt.

Quorum ille ad *Barbara*, hic ad *Cameſtres* referendus eſt.

Modos autem alios duos; *A ſublatione Antecedentis, ad ſublationem Conſequentis*; atque *A Poſitione Conſequentis, ad Poſitionem Antecedentis*; Nempe,
Si hoc, tum illud;
Sed non prius;
Ergo, nec poſterius.
Item, *Si hoc, tum illud*;
Sed Poſterius;
Ergo, & prius.

Paralogiſmos eſſe: Illum quidem ad Figuræ primæ paralogiſmum ex minore Negativa; Hunc, ad Affirmative concludentem in Figura ſecunda, referendum eſſe.

Item; Syllogiſmi Disjunctivi, modum legitimum unicum eſſe; nempe, *A ſublatione unius* (pluriumve) *ad Poſitionem reliqui*:
Vel Hoc, vel illud:
Sed, non hoc; *Ergo, Illud.*
Seu *Sed non illud*; *Ergo, hoc.*

Quem ab *Barbara* referendum eſſe, ſupra oſtenſum eſt.

Modum vero alterum; *A Poſitione unius, ad Sublationem reliqui* (ſeu reliquorum:)
Vel hoc, vel illud:
Sed hoc; *Ergo, non illud*;
Seu *Sed illud*; *Ergo, non hoc.*

Paralogiſmum eſſe; & huic æquipollentem,
Si non hoc, tum illud:
Sed hoc eſt; *Ergo, non illud*
Seu *Si non illud, tum hoc*:
Sed illud: *Ergo, non hoc.*

Qui eſt Hypothetici Paralogiſmus prior, ſupra indicatus; adeoque ſimiliter peccans: Quem illi tamen pro legitimo ſyllogiſmo habent, vocantque *Disjunctum ſecundum.*

Denique; Syllogiſmi Copulativi, Negativi, modum item unicum eſſe legitimum; *A Poſitione unius ad Sublationem reliqui*; Nempe
Non eſt utrumque, (ſeu *& hoc & illud*;)
Sed hoc eſt; *Ergo non illud*:
Seu *Sed illud eſt*; *Ergo non hoc.*

Quem, ad Hypothetici ſive Connexi modum primum referendum eſſe, ſupra oſtenſum eſt: adeoque ad *Barbara.*

Modum vero alterum; *A Sublatione unius ad Poſitionem reliqui*:
Non eſt & hoc & illud:
Sed hoc non eſt; *Ergo, illud eſt*:
Vel, *Sed illud non eſt*: *Ergo, hoc eſt.*

Paralogiſmum eſſe: quippe huic æquipollentem;
Si hoc eſt, illud non eſt:
Sed hoc non eſt; *Ergo illud eſt*:
Vel, *Si illud eſt, hoc non eſt*:
Sed illud non eſt; *Ergo hoc eſt.*

Qui eſt Hypothetici Paralogiſmus prior.

Plures adhuc ſunt, præter jam memoratos, Syllogiſmorum modi, quibus *Axiomata* quæ vocant *Compoſita* intermiſcentur: Puta,
Omne Animal ſentit:
Si Socrates eſt homo, Socrates eſt animal;
Ergo, Si Socrates eſt homo, Socrates ſentit.
Item, *Si Oſtrea ſit animal*; *tum vel homo vel brutum*:
Sed neque eſt homo, neque brutum:
Ergo non eſt animal.

Aliique multi: Qui tamen omnes pari ratione ad modos *Categoricos* vulgo dictos, atque ab Ariſtotele aſſignatos, referendi erunt. Sufficit præcipuos enumeraſſe; & ſpeciatim eos omnes quorum prætextu *Ramus* ejuſque ſequaces litem intendunt *Ariſtoteli.*

THESIS TERTIA.

Quantitas non differt realiter à Re Quanta.

AD Quæſtionis reſolutionem, neceſſarium eſt, de Diſtinctionibus in genere, aliquid præmittere. Diſtinctio igitur eſt vel *Realis*, vel *Rationis*, vel *Modalis*. *Realis*, quando extrema differunt ut Res & Res, ſine aliqua intrinſeca dependentia unius ad aliud: unde ſtatuuntur vulgo, per Divinam ſaltem potentiam poſſè mutuo ſeparari, & ſeparatim exiſtere. *Modalis*, quando differunt quidem ex parte rei, ita tamen ut alterum includat eſſentialem reſpectum ſeu connexionem ad alterum: unde non poſſint ſeparatione mutua (hoc eſt, ut utrumque ſeparatum exiſtat) ſeparari: Eſtque inter Rem & Modum, vel (ſecundario) inter Modos ejuſdem rei: (Modi tamen plerumque ſeparari poſſunt mutuo, ab invicem; non, à ſubjecto.) Diſtinctio *Rationis*, quando, unum aliquod à parte rei, concipitur ab intellectu ut diverſum. Eſtque vel rationis *ratiocinantis*, vel *ratiocinatæ*: Hæc fit per inadæquatos conceptus ejuſdem rei, & fundamentum aliquod habet in re: Illa vero, quando quid intelligitur ſub diverſis conceptibus ſine fundamento in re. Per Quantitatem, hic intelligo Quantitatem *Extenſivam*, ſeu Localem, (non *Numerum*) & ſic ubique.

Per Rem Quantam, intelligo, Materiam; quæ eſt adæquatum ſubjectum Quantitatis, *cui primo inhæret*: ſic *Thomas*. p. 1. q. 3. a. 2. Forma nempe (quæ dicitur) Subſtantialis, non extenditur aut dividitur per ſe, ſed ad extenſionem & diviſionem Materiæ; non ſecus ac exiſtentia, & præſentia localis, aut ſitus, aliive Modi; ut & accidentia Abſoluta dicta, Calor, Color, &c. (unde, vel eſt modus ſubſtantialis, vel in hoc ſaltem imitatur naturam modorum.) Siquis mallet totum Compoſitum dici ſubjectum Quantitatis; mihi non nocet.

Aſſertio prima. Quantitas non differt à ſubſtantia quanta, pluſquam Modaliter. Probatur ex natura *Modi*, quam aſſignat *Suarez*, Metaph. diſp. 7. ſect. 1. num. 17. Ubi ſupponit, *in rebus creatis, præter entitates earum quaſi ſubſtantiales & radicales* (ut appellat) *inveniri quoſdam Modos reales; qui & ſunt aliquid poſitivum, & afficiunt ipſas Entitates per ſe ipſos, dando illis aliquid, quod eſt extra eſſentiam totam ut individuam & exiſtentem in rerum natura*: Hi tamen Modi ſunt ejuſmodi entitatis ut *non addant propriam entitatem novam, ſed ſolum Modificant præexiſtentem*. Et, ſect. 2. num. 9. *De eſſentia modi eſt, ut non poſſit eſſe niſi unitus actu ei cujus eſt modus*. Et num. 6. *Hoc eſt intrinſecum, ut diximus, entitati modali, ut per ſe manere non poſſit, nec ſeparari actu ab eo cujus eſt modus*. Et num. 10. *Tam eſſentiale eſt* (inquit) *modo, eſſe actu affixum & modificantem rem cujus eſt modus, ut repugnet de potentia abſoluta conſervari ſine illa re, ſeu aliter quam actu modificando illam*. E contra vero, quæ realiter differunt ut res & res, poſſunt ſaltem per divinam potentiam ſeparari, ut num. 22. & ſeqq. Unde ſic diſputo. Quæ non poſſunt per divinam potentiam ſeparari ſeparatione mutua, ea non differunt Realiter: ſed quantitas & ſubſtantia quanta, &c. Ergo. Major patet ex ſupra dictis. Minor probatur: Repugnat enim, quantitatem ſeparatam à re quanta exiſtere, propter intrinſecam dependentiam quantitatis à materia. Sive enim eſſentia quantitatis conſiſtat in menſurabilitate, ſive in diviſibilitate, ſive in extenſione & poſitione partium extra partes; ſemper tamen manet neceſſaria connexio cum partibus materialibus. Quomodo enim erit pars extra partem, ubi partes nullæ ſunt? Quomodo menſurabitur aliquid aut dividetur, ubi nulla extenſio, nullæ partes? quomodo dabitur figuratio & ſituatio ſeu partium poſitio, ubi partes non ſunt? Dices, Dantur partes quantitativæ, licet non Materiales. Sed contra: Vel partes extenſæ ſunt partes materiales, vel materia non eſt quanta; ſin per quantitatem materia eſt quanta, erit quantitas extenſio partium materialium; quod qui fieri poteſt, ubi non eſt materia? Iterum; Figura & ſitus neceſſario conjunguntur. Hinc *Suarez* diſp. 52. ſect. 2. n. 4. *Figura ut ſic, non eſt Poſitio* (ſeu ſitus) *ſed illa diſpoſitio totius in ordine ad locum, ſecundum talem ordinem partium, ex qua ſequitur talis figura*. (Quis non hic videt, partes ſituatas & figuratas eaſdem eſſe?) Si ergo Figura ſequitur ad Situm, non erit ubi non eſt Situs: Situs autem, cum ſit modus ſubſtantiæ, non poteſt eſſe ubi non eſt ſubſtantia; &, per Conſequens, nec figura; Ergo, nec quantitas quæ ſine figura non eſt. Dices; Quidni quantitas poſſit eſſe ſine figura? hoc eſt, res ſine modo? Reſpondeo; Poteſt eſſe quantitas ſine qualibet figura, non ſine omni; ſicut & corpus poteſt eſſe ſine quolibet particulari Ubi; non tamen ita quin ſit Alicubi; nec tamen Ubicatio definit eſſe Modus. Poſſunt ergo Modi quilibet in actu exercito abeſſe à re modificata, non ſemper in actu ſignato; nempe, quoties formaliter reſultant ex ipſa natura rei poſita: Data vero tali extenſione & diſpoſitione partium per quantitatem, reſultat talis figuratio; verbi gratia, tribus lineis taliter diſpoſitis, reſultat protinus figura triangularis.

Argumentum ſecundum. Quorum Modi non differunt realiter, ea nec ipſa differunt realiter; At modus ſubſtantiæ & modus quantitatis non differunt realiter; Ergo nec ipſæ. Majorem ſuppeditat *Suarez*, d. 7. ſ. 1. n. 25. Ubi ſtatuit duos Modos ejuſdem rei, differre modaliter; duos autem modos diverſarum rerum, differre realiter: *Modi* (inquit) *in re diſtincti, ut ſunt præſentia localis, verbi gratia, & ſubſiſtentia humanitatis, aut comparantur*

tantum

tantum prout ſunt in eadem re, & ſic ſolum diſtinguuntur modaliter; quia cum ex ſe non habeant propriam entitatem, etiam ex ſe non habent unde pluſquam modaliter diſtinguantur; neque ex re quam afficiunt plus diſtinguuntur, quia ſupponimus eſſe eandem; ergo non habent majorem diſtinctionem quam modalem: & confirmatur, quia unuſquiſque illorum habet aliquam identitatem cum illa re quam afficit; ergo in illa & per illam habent aliquam identitatem inter ſe; ergo retinent ſolum diſtinctionem modalem: At vero ſi inter ſe comparentur modi afficientes res diverſas, ſive illi modi ſint ejuſdem rationis, ut duæ ſubſiſtentiæ duorum hominum, ſive diverſarum rationum, ut ſeſſio unius & ſubſiſtentia alterius; ſic diſtinctio eſt realis: non ratione ipſorum, ſed rerum in quibus ſunt; nam unuſquiſque habet aliquam identitatem cum re quam afficit, & illæ res diſtinguuntur inter ſe realiter; ergo & modi ratione illarum. Hæc ille. Realis igitur identitas modorum arguit realem identitatem rerum modificatarum. Ad minorem devenio; quod modus quantitatis, non differt realiter à modo ſubſtantiæ. Inſto in Figura & Situ. Figura enim eſt modus quantitatis, & Situs modus ſubſtantiæ; nec tamen differunt realiter. Quod figura ſit modus Quantitatis, in confeſſo eſt apud omnes. Sic *Smiglecius*; *Figura non eſt terminus quantitatis, ſed terminorum quantitatis diſpoſitio.* Quid hoc aliud quam modus? *Scheiblerus* in Metaph. *Figura* (inquit) *eſt qualitas modificans quantitatis terminos; unde cui non convenit quantitas, ei conſequenter nec figura, quæ modus illius eſt, convenire poteſt. Scaliger* etiam (de ſubtil.) ait *Figuram non eſſe quantitatem, ſed in quantitate. Suarez* item, diſp. 7. ſect. 2. n. 10. *Qua ratione* (nempe quia modus ejus eſt) *nec mente intelligi poteſt figura ſeparata ab omni quantitate & re cujus ſit figura.* Eſt ergo Figura Modus quantitatis. Situm eſſe modum ſubſtantiæ, non minus patet. *Smigl. Situs eſt diſpoſitio partium corporis in Loco.* Quid hoc aliud eſt quam Modus? *Scheiblerus*, *Exiſtimo* (inquit) *ſitum non ſignificare peculiarem entitatem, ſed ſignificare modum quendam in ea re quæ denominatur; neque apparet indicium unde ſumatur realis diſtinctio*: Unde definit Situm, *accidens ſecundum quod corpus habet ordinem ſuarum partium in Ubi. Suarez*, diſp. 52. ſ. 1. n. 1. *Relinquitur* (inquit) *ut dicamus ſitum ſeu poſitionem eſſe aliquem intrinſecum modum corporis ſituati, à quo ſic denominatur ſedens, aut jacens, aut aliquid ſimile.* Eſt ergo Situs, modus ſubſtantiæ. Figuram vero & ſitum non differre realiter, patet: Nam eadem partium diſpoſitio quæ in ordine ad totum dicitur Figura, in ordine ad locum dicitur Situs: Quod cum ſit tantum reſpectus rationis, non ſufficit ad diſtinctionem realem, imo vix rationis ratiocinatæ. Hinc *Smiglecius*, *Eſt ſitus* (inquit) *figura quædam corporis prout exiſtit in loco; Eademque figura ut reſpicit corpus in ſeipſo, eſt figura corporis pertinens ad Qualitatem; ut vero eſt figura corporis in ordine ad locum, ſeu figura poſitionis partium corporis in loco, ita pertinet ad prædicamentum Situs.* Nec aliter *Suarez*, diſp. 52. ſ. 2. n. 4. quum enim inter *ſpecies Situs*, enumeraſſet *Aſperum & Leve*; *Unde* (inquit) *videtur ſequi, etiam Curvum & Rectum, prout præciſe oriuntur ex poſitione partium in loco, pertinere ad prædicamentum Situs; quia etiam illæ differentiæ dicunt quandam diſpoſitionem totius conſurgentem ex poſitione partium; quod* (inquit) *admittere non eſt magnum inconveniens; nam revera ſtatio & ſeſſio, ratione rectitudinis & curvitatis maxime differunt: non quod ipſa figura ut ſic ſit poſitio* (ſeu ſitus) *& pertineat ad hoc prædicamentum; ſed illa diſpoſitio totius in ordine ad locum ſecundum talem ordinem partium, ex qua ſequitur talis figura.* Figura igitur & Situs, quorum illa quantitatis, hic ſubſtantiæ modus eſt; non magis differunt quam ratione; quare nec eorum ſubjecta.

Argumentum tertium. Entia realiter diſtincta, non poſſunt fundare eundem modum: ſed ſubſtantia & quantitas fundant eundem modum. Ergo. Præcedens argumentum proceſſit de ſubjectis adæquatis; quod duo modi in diverſis ſubjectis realiter differant: hoc procedit de ſubjectis partialibus & inadæquatis; quod duo entia realiter diſtincta non poſſint eſſe ſubjecta partialia ejuſdem modi. Sed ſubſtantia & quantitas ſunt ſubjecta partialia ejuſdem numero modi. Ergo. Majorem ponit *Suarez* Metaph. diſp. 7. ſect. 2. n. 5. *Eſt*, inquit, *in creaturis optimum argumentum, Quicquid conjungitur cum alio realiter diſtincto, eſſe etiam ipſum in re diſtinctum ab altero extremo; quia non poteſt una res finita, eadem numero, per identitatem conjungi cum rebus realiter diſtinctis.* Et num. 18. *Non poteſt unus & idem modus indiviſibilis, diſtinctis rebus ineſſe; ut in ſuperioribus probatum eſt.* Patet etiam: ſic enim idem realiter differret à ſeipſo. Nam Situs, verbi gratia, ſi fundatur in ſubſtantia ſimul & quantitate, cum utriſque identificatur; quæ ſi realiter diſtinguantur, ea quæ cum his ſunt realiter eadem, realiter inter ſe differunt; & Situs, ſi utriſque idem, à ſeipſo differret. Dices, Unio formæ cum materia, eſt modus; fundatur tamen in utroque extremo, quæ realiter differunt; nam materia & forma uniuntur: quare & idem modus in rebus realiter diſtinctis. Reſpondeo; Unio qua uniuntur materia & forma, non ſimplex eſt, ſed duplex: una in materia, per quam ipſa unitur formæ; alia in forma, per quam ipſa unitur materiæ. Sicut in relationibus; verbi gratia, Socrates & Plato ſunt ſimiles (puta, in albedine) non tamen per eandem ſimilitudinem, ſed per diverſam; relatum enim & correlatum referuntur ad invicem per relationes diverſas; nec enim relatio patris ad filium eadem eſt cum relatione filii ad patrem; & licet in relationibus ejuſdem nominis res non ſit adeo perſpicua, ratio tamen eadem eſt; habent enim diſtincta fundamenta: ſic ſimi-

litudo Socratis ad Platonem, fundatur in albedine Socratis; ſimilitudo Platonis ad Socratem, in albedine Platonis; quæ fundamenta cum ſint realiter diſtincta, ita & relationes, quæ cum fundamentis identificantur. Ut autem Socrates & Plato ſunt ſimiles per duas realiter diſtinctas ſimilitudines; ita materia & forma uniuntur per duas realiter diſtinctas uniones. Si ſaltem ipſa materia & forma realiter diſtinguantur.

Minor ſequitur; In ſubſtantia ſimul & quantitate fundatur idem modus. Quod enim fundatur in ſubſtantia quatenus quanta, illud fundatur in ſubſtantia ſimul & quantitate; Sed ſic Figura & Situs. Ergo. Quod figura eſt modus quantitatis, ſupra oſtenſum eſt. Quod non ultimatim fundetur in quantitate, quin & ſubſtantiam modificet, patet ex ipſa deſcriptione quam habet *Suarez*, diſp. 42. ſ. 3. n. 15. quod ſit *modus quidam reſultans in corpore, ex terminatione magnitudinis.* Eſt ergo modus in corpore reſultans ex quantitate ſubſtantiam pariter & quantitatem modificans. Nec enim negari poteſt, ipſum corpus, ejuſque partes ſubſtantiales & entitativas (quas vocant,) eandem figurationem & eoſdem terminos habere quos habet quantitas. Idem de Situ dicendum eſt. Quod ſitus ſit modus ſubſtantiæ, ita notum eſt ut nihil magis: quod autem non in ſubſtantia pura fundetur, ſed in ſubſtantia quanta, æque patet. *Suarez*, diſp. 52. ſ. 2. n. 2. negat *Situm attribui poſſe rebus incorporeis*; nempe, *quia partes non habeant, ſed ſint totæ in toto & totæ in qualibet parte.* Figura igitur, quæ eſt modus quantitatis; & Situs, qui eſt modus ſubſtantiæ; non fundantur vel in ſubſtantia ſola, vel in ſola quantitate; ſed in ſubſtantia ſimul & quantitate, ſeu in ſubſtantia quanta. Cum autem idem modus non fundetur in diverſis realiter ſubjectis, ne quidem partialibus: ſequitur ſubſtantiam & quantitatem non eſſe realiter diverſa. Nec dicendum eſt, unum eſſe ſitum ſubſtantiæ, alterum quantitatis: Si enim Corpus ſituetur à proprio ſitu ſine quantitate, (idem valet de extenſione, poſitione partium extra partes, & reliquis officiis quantitatis,) quid opus eſt alia Situatione à quantitate? imo ſubſtantia eſſet quanta ſine quantitate; Situs enim ponit partes extra partes in toto, quod eſt formale quantitatis. Confirmari poſſet ulterius, ex eo quod figura ſit modus quantitatis, ſitus vero modus ſubſtantiæ; figura autem & ſitus non differunt realiter, nedum modaliter, & vix quidem ratione ratiocinata; idem ergo modus in ſubſtantia fundatur ſimul & quantitate: ſed de his ſupra. Atque hactenus Aſſertio prima.

Aſſertio ſecunda. Probabile eſt neque modaliter differre ſubſtantiam à quantitate, ſed tantum ratione ratiocinata. Ad diſtinctionem rationis ratiocinatæ, requiritur, diſtinctio conceptuum, cum unitate & indiſtinctione à parte rei. Hinc *Suarez*, diſp. 7. ſ. 2. n. 28. *Ut diſtinctio* (inquit) *judicetur rationis & non rei, ſatis eſt ut præter diſtinctionem conceptuum, nullum inveniatur ſignum ad diſtinctionem modalem aut realem cognoſcendam; nam cum diſtinctiones non ſint multiplicandæ ſine cauſa, & ſola diſtinctio conceptuum non ſufficiat ad inferendam diſtinctionem rei; quandocunque cum illa diſtinctione conceptuum non adjungatur aliud ſignum majoris diſtinctionis, judicanda ſemper eſt diſtinctio rationis & non rei.* Hinc infert; *quandocunque conſtat aliqua, quæ in re unita & conjuncta ſunt, ita eſſe in conceptibus objectivis diſtincta, ut in re & individuo ſint prorſus inſeparabilia, tam mutuo quam non mutuo, tum magnum & fere certum argumentum eſſe, non diſtingui actu in re, ſed ratione ratiocinata.* Hæc ille. Cum ergo in materia & quantitate, nullum appareat ſignum realis, aut quidem modalis, diſtinctionis; ſeparationis mutuæ, aut non-mutuæ; tam ex potentia ordinaria, quam abſoluta; cum quantitativa extenſio formaliter reſultet ex partibus entitativis: probabile eſt, non differre pluſquam ratione. Atque hoc concedit *Suarez* pæne, niſi quod myſterium Euchariſtiæ impediret, diſp. 7. ſ. 2. n. 10. *Per myſterium* (inquit) *Euchariſtiæ certius nobis conſtat quantitatem eſſe rem diſtinctam à ſubſtantia, quam per cognitionem naturalem conſtare potuiſſet.* Videmus ergo, unde Jeſuitarum pertinacia de reali quantitatis diſtinctione, ne ſcilicet periret myſterium Tranſubſtantiationis; quod illi de fide tenent, nos pari confidentia negamus. Adjungam argumentum ipſius *Suarez*, quo probat ille, durationem non diſtingui ex parte rei, ab exiſtentia rei durantis; diſp. 50. ſ. 1. n. 8. *Quia exiſtentia inſeparabilis eſt à parte rei, à ſua duratione; &, è contrario, duratio ab exiſtentia; & in unaquaque re utraque eſt æque variabilis vel invariabilis; (ut, ſi exiſtentia ſit omnino neceſſaria, etiam duratio; ſi illa incorruptibilis vel corruptibilis, hæc ſimiliter; ſi altera permanens, etiam altera; ſi una ſucceſſiva, etiam altera) Ergo à parte rei non diſtinguuntur.* Hæc ille de exiſtentia & duratione. Pariter ego de ſubſtantia & quantitate; ubi materia, ibi quantitas, & contra; ſi materia non exiſtat ſine quantitate (ut fatetur ipſe diſp. 7. ſ. 2. n. 11. *Hactenus*, inquit, *factum non eſt à Deo ut materialis ſubſtantia ſine quantitate conſervetur.*) Nec etiam quantitas ſine materia (quicquid ille contra de Tranſubſtantiatione;) ſi materia ingenerabilis & incorruptibilis, ſic quantitas; ſi in augmentatione acquiritur aut in diminutione deperditur aliquid materiæ, ſic & quantitatis; ſi in rarefactione & condenſatione manet eadem materia, ſic & eadem quantitas; ſi in his motibus variantur termini materiæ, ſic & quantitatis; denique, cum ſint æque ſeparabiles aut inſeparabiles, æque variabiles & invariabiles; nullum apparet indicium cur plus quam ratione ratiocinata diſtinguantur. Concludo igitur, quod materia & quantitas non diſtinguuntur inter ſe realiter, ut res & res, & (probabiliter) neque modaliter; ſed tantum ratione ratiocinata, hoc eſt, ut inadæquati conceptus ejuſdem rei.

F I N I S.

MENS SOBRIA

SERIO COMMENDATA:

IN

Concione, ad Baccalaureos Artium Determinaturos, Latine habita *Oxoniæ*; in Die *Cinerum* dicto, *Febr.* 20. 1655. *Stilo Angliæ.*

ACCEDUNT,

EPISTOLÆ AD *TITUM*

EXPOSITIO CURSORIA.

Theſis Theologica in Veſperis Comitiorum defenſa.

Anno 1657. primum edita.

MENS SOBRIA,

SERIO COMMENDATA:

Concione ad Baccalaureos latine habita, in Die Cinerum, Febr. 20. 1656. Sti. Vet. *Oxoniæ.*

Ep. Pauli ad Titum. Cap. 2. Commate 6.

Τοὺς νεωτέρους ὡσαύτως παρακάλει σωφρονεῖν.

Adoleſcentulos itidem (ſive *juniores*) ***hortare*** σωφρονεῖν , ***temperantes eſſe***, ſic Beza; *honeſtos*, ſic ex Syro Tremellius; *Modeſtos*, ſic Grotius; *Sobrios*, ſic Eraſmus, Vulgatus, & Noſtri.

DUPLICI præſertim negotio, (Patres & Fratres Reverendi,) hujuſce diei penſum abſolvitur: Sacro altero, altero Civili; ſed quod ſacro illi anſam porrigit.

Solennis ſiquidem Baccalaureorum Inauguratio hodie celebranda, Civile plane eſt negotium, civilis quippe dignitatis collatio ([1] quam & civilia quæ gerunt indicant ornamenta: nec enim ſacri quidpiam in ſe habent, nedum ſuperſtitionis) Civile, inquam, eſt negotium; ſed cui ſolenne eſt hoc quo verſamur Sacrum conjonctum eſſe.

Ut enim apud Ethnicos olim mos obtinuit, res ſuas à ſacris ordiendi: unde vel Paſtori Virgiliano canenti (*Eclog.*)

A Jove principium. ——

Suumque Aratus inchoat poema (*Arati Phænom.*)

Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα. ——

Apud Chriſtianos itidem, jure optimo, id moris inolevit, σὺν Θεῷ auſpicandi. Quippe & nobis non minus convenit, citante Paulo, (*Act.* 17. 28.) Arati illud

Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. ——

Hinc eſt quod in alicujus momenti rebus, puta, conjugiis celebrandis, ferendis legibus, conſiliis ineundis, creandis magiſtratibus, civilibus utut negotiis, à Sacris non raro auſpicemur, eaque haud inconſulto Numine aggrediamur.

Neque illud male. Cum enim, ut Corinthios ſuos monet Apoſtolus, 1 *Cor.* 10. 31. *ſive edamus, ſive bibamus, ſive quid aliud faciamus, facienda omnia in gloriam Dei*: quidni & eodem auſpice? Ut nempe ab eodem illo petamus agendi principium, qui eſt agendorum finis. Quod enim illi de Jove ſuo Διὸς ἀρχή τε καὶ τέλος, rectius de Deo noſtro dici, nemo dubitet, qui eſt Α καὶ Ω, *principium & finis*; (*Apoc.* 1. 8.) à quo, ceu fonte, oriuntur omnia; in quem, ut terminum, referenda: quippe *A quo, & per quem, & ad quem ſunt omnia. Rom.* 11. 36.

Nec tamen propterea naturam ſuam exuunt; quaſi ſubita metamorphoſi civilia in ſacra tranſeant; (magis, quam quotidiana ciborum comeſtio, ob imploratam benedictionem, evadit ſacra:) ſed, manente quæ prius erat natura, novum adhuc reſpectum ſuperinductum obtinent, quo in Deum referantur. Sicuti de Servis monet Apoſtolus, ad *Coloſſ.* 3. 24. quod non tam heris ſuis, etiam dum ſerviunt heris, quam *Domino ſerviant, à quo & mercedem ſint percepturi.*

Quod igitur præſentis inſtituti ratio poſtulat; liceat, obſecro, pace veſtra (Patres Venerandi) Juvenes meos, & quaſi pro tempore filios, paucis affari: ut habeatis דבר יום ביומו *Verbum diei in die ſuo*; (2 *Reg.* 25. 30.) quodque ipſos deceat, ex Apoſtoli verbis, breviter enarrandis, paucis accipiant. Τοὺς νεωτέρους ὡσαύτως παρακάλει σωφρονεῖν.

Quem ſibi Paulus per totam hanc Epiſtolam ſcopum propoſuit, nec tempus patitur, nec eſt neceſſe, multis declarare. Paucis expediam.

1 Hoc propter eos dictum eſt qui erant, tum temporis, Ornamentis Academicis infenſiores, quaſi ſuperſtitionem olentibus.

Nempe

Nempe *Titum*, tanquam *germanum filium ſuum*, (ut, in præcedentibus, *Timotheum*) in hac inſtituit Epiſtola, quî ſe gerat oportet in Eccleſia Dei. Et poſtquam oſtenderat, in capite præcedente, quid ipſum in πρώτοις ſua potiſſimum ſpectet; puta, in conſtituendis κατὰ πόλιν Presbyteris, protervis coercendis, cæteriſque negotiis Eccleſiaſticis ordinandis: hoc capite, ipſius doctrinam aggreditur; quid unumquemque pro ſua cujuſque ſortis conditione, par eſt ut doceat. Et quidem Quid ſenes ſpectat, πρεσβύτας, ætate ſcilicet provectiores, oſtendit v. 2. Quid πρεσβύτιδας, matronas, 3° & 4°. Quid juvenculas, ſive juniores fœminas, τὰς νέας, 4° item & 5°. Quid demum Juvenes, ſive adoleſcentulos, τοὺς νεωτέρους, præſente 6°. De ſervis deinceps verba facturus ver. 9. & ſubditis, capite ſequente.

Dum autem juvenes meos alloquor; ne nihil ſit quod reliquos ſpectet, non incommodum erit notare, quod in procinctu habetur verſ. 4. ubi τὰς πρεσβύτιδας monet, non ſimpliciter σώφρονας εἶναι, ſed ἵνα σωφρονίζωσι τὰς νέας, ut juniores fœminas in eadem virtute inſtituant. Quod cum ad Viros itidem pari jure transferendum ſit, qui non minus quam ſeniores fœminæ junioribus ſui ſexus præire debent; dum Juvenes docuero, quid ſit ſuum σωφρονεῖν, Vos interim, qui tum ætate tum officio eſtis πρεσβύτεροι, quid veſtrum ſit σωφρονίζειν, vel me tacente intelligetis: Nempe non modo ut ſitis ipſi σώφρονες, quod vel junioribus incumbit, & vobis ῥητῶς imperatur ver. 2. ſed & exemplo, præcepto, imperio, junioribus inculcetis σωφροσύνην.

Sed preſſius agendum, ipſaque verba ſeorſim perpendenda. Quæ ſpectant, ut videtis,

Τοὺς νεωτέρους: ſexu, mares; ætate, juniores. Ut qui contradiſtinguuntur ſenibus, verſ. 2. & junioribus fœminis, 4. 5. memoratis. Hos, inquit, juvenes

Παρακάλει, Hortare. Vox παρακαλῶ duplici fere ſenſu occurrit in ſacris literis; vel Hortandi, vel Conſolandi ſignificatu. Hic loci, quin Hortandi ſenſu adhibeatur, eſt extra controverſiam. Atque hactenus nihil eſt difficultatis, nihil ambiguum. Sequitur officium ad quod hortandi ſunt: Nempe

Σωφρονεῖν. Puta σώφρονας εἶναι vel σωφρόνως ἔχειν, vel potius utrumque; Temperantes, modeſtos, ſobrios eſſe; vel Modeſte, temperanter, ſobrie ſe gerere, vel etiam prudenter. Reſtat

Ὡσαύτως, quod ad præcedentia reſpicit. Quod quidem perinde eſt ſive ſimpliciter ad verbum παρακάλει referatur; puta, quemadmodum ad ſua cæteros officia, de quibus ſuperius egerat, ſic & juvenes ad ſuum hortare; nimirum Sobrietatem: Sive conjunctim ad παρακάλει σωφρονεῖν, ut ſenſus ſit, quemadmodum ſenes, matronas, adoleſcentulas, ad ſobrietatem hortandos jam ſupra dictum ſit, ſimiliter juvenes ad eandem hortare Sobrietatem, Τοὺς νεωτέρους ὡσαύτως παρακάλει σωφρονεῖν.

Summa rei huc redit. *Monendos eſſe, præſertim juvenes, & ſedulo hortandos ad σωφροσύνην: modeſtiam, temperantiam, ſobrietatem.* Quippe hæc omnia σωφροσύνης vocabulo contineri mox oſtendetur.

Hoc autem documentum Apoſtolicum quo rectius proſequar; opportunum erit in limine duobus his quæſitis ſatisfacere. 1. Num ſolis juvenibus hoc incumbat officium: Et 2. Quorſum illis nominatim imperatur. Atque eadem opera, tum documentum hoc parallelis aliis ſcripturæ locis confirmatum dabo: tum *Doctrinæ* (quod aiunt) *Rationes* aperiam; nempe id dum primo, hoc dum ſecundo, quæſito ſatisfecero.

I. Primum quod attinet; certum eſt, utut juvenibus incumbat, non tamen ſolis.

Et quidem, ne longius abeamus, id ipſum in proximis verſiculis mandatur fœminis. Quippe πρεσβύτιδας, matronas, monet σωφρονίζειν verſ. 4. Juniores autem, τὰς νέας, σώφρονας εἶναι verſ. 5. Sed & utriſque, puta fœminis indiſcriminatim, eandem Paulus virtutem commendat, 1 *Tim.* 2. 9. ubi αἰδοῦς καὶ σωφροσύνης conjungens (verecundiam puta & pudicitiam ſive modeſtiam,) utrumque injungit mulieribus. Iterumque verſ. 15. *Servabitur*, (inquit) fœmina, διὰ τῆς τεκνογονίας *liberorum partu, modo manſerint in fide, & charitate*, καὶ ἀγάπῃ, μετὰ σωφροσύνης.

Ubi obiter notare licet, non modo tranſitum de numero in numerum, (σωθήσεται, ἐὰν μείνωσιν) ob vocem γυνὴ collective ſumptam: Sed & inſolentem præpoſitionis διὰ constructionem; διὰ τεκνογονίας, hoc eſt, *non obſtante puerperio*, utut dolorifico. Eodem plane ſenſu quo ad *Rom.* 4. 11. δι' ἀκροβυστίας, tantundem valet atque *non obſtante præputio*, vel, *utut præputiati fuerint*, εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν πατέρα πάντων τῶν πιστευόντων δι' ἀκροβυστίας, *ut ſit ipſe pater omnium credentium* δι' ἀκροβυστίας, *utut præputiatorum.* Nempe: non tam cauſam innuit, quam non impediens. Pariter & hoc loco: utut fuerit *mulier in tranſgreſſione prior*, (quod modo dixerat.) atque hoc nomine id pœnæ loco ipſi indictum fuerit, ut laborioſum ſuſtineat partum: ſervabitur tamen, non obſtante hac partus difficultate, (ut quæ in animam redundatura non ſit, quo illa pereat) *quotquot ſcilicet earum in fide manſerint, &c.*

Verum hoc mitius aliquanto ſonabit, ſi reſolvatur τὸ σωθήσεται *ſervabitur*, in οὐκ ἀπολεῖται *non peribit.* Σωθήσεται δὲ διὰ τεκνογονίας, *non peribit autem ob liberorum partum*, utut laborioſum, idque ſub pœnæ nomine primitus indictum (quo reſpexiſſe Apoſtolum, ex contextu liquet:) *modo interim in fide maneat.* Et ſimiliter 1 *Pet.* 3. 20. & 1 *Cor.* 3. 15.

Hujuſmodi autem ἀναλύσεις, nequid novum videatur, etiam alibi admittendas eſſe nullus dubito, nec quemquam facile negaturum credo. Et, ne procul abeamus, in eadem ipſa ad *Tim. Ep. cap.* 4. *verſ.* 3. κωλυόντων γαμεῖν, ἀπέχεσθαι βρωμάτων &c. quod ad verbum eſt, *probibentium*

bentium nubere, atque *abſtinere à cibis, quos creavit Deus cum gratiarum actione participandos.* Verum non hoc inſinuatum it Apoſtolus, quaſi hi de quibus illic agitur, prohiberent *& nubere & à cibis abſtinere*: imo vero, quod nubere, *prohibeant*; à cibis autem abſtinere, *jubeant*. Adeoque illud κωλύω *prohibeo*, reſolvendum erit in *jubeo abſtinere*: ut illud κωλυόντων γαμεῖν tantundem ſit atque κελευόντων ἀπέχεσθαι γάμων. Quibus reliqua commode ſubjunguntur; puta *jubentium abſtinere à nuptiis, & abſtinere à cibis quos creavit Deus, &c.*

Sed & in eadem ipſa ἐπιστολῇ *Cap.* 2. *v.* 12. Γυναικὶ δὲ διδάσκειν οὐκ ἐπιτρέπω, οὐδὲ αὐθεντεῖν ἀνδρὸς, ἀλλ' εἶναι ἐν ἡσυχίᾳ. *Mulieri*, inquit, *docere non permitto, neque authoritatem uſurpare in virum, ſed in ſilentio eſſe.* Quid autem? Num hoc dictum vult Paulus, *Mulieri permitto ut ſit in ſilentio*? Frigidum illud: imo vero *jubeo, mando*, ut ſilentio ſe contineat mulier. Quod & ſupplere ſolent interpretes. *Mando ut ſit in ſilentio*: ſic *Beza*. Reſolvendum igitur erit illud οὐκ ἐπιτρέπω *non permitto*, in *jubeo ne*, quod tantundem valet. *Mulieri docere non permitto*, hoc eſt, *Mulierem jubeo ne doceat, nec authoritatem uſurpet in virum, ſed ut ſit in ſilentio.* Quidni itaque & ſequente verſu 15, reſolvatur illud *ſervabitur* in *non peribit*? Puta, utut puerperium ſuſtineat mulier laborioſum admodum, quod indicium ſit divinæ diſplicentiæ ob primum peccatum, *non tamen* (æternum) *peribit ob puerperium, modo manſerint* (ſive, *quotquot manſerint*) *in fide, & charitate, & ſanctimonia, ſobrietati conjuncta.* Verum hæc obiter, quo locum alioqui ſatis difficilem quadantenus elucidarem.

Quod præſens ſpectat negotium, hoc eſt; Quod, ut juvenibus, ita fœminis, tum hic ad *Titum*, tum illic ad *Timotheum*, σωφροσύνην ſæpius injunctam videmus. Nempe quæ his convenit ratione ſexus, illis ratione ætatis. Nec quidem temere factum credimus, quod eiſdem ipſis verbis, & mulieris viro, & junioris ſeniori, ſubordinatio primitus imperatur. Nam quod de Muliere habetur *Gen.* 3. 16. ואל-אישך תשוקתך והוא ימשל בך *& viro tuo ſubjeris*, vel *penes virum erit deſiderium tuum*; *Ipſeque tibi dominabitur*: id ipſum totidem verbis, mutata tantum perſona de Abele, quippe juniore, ad Cainum dicitur, *Gen.* 4. 7. ואליך תשוקתו ואתה תמשל-בו *eritque penes te deſiderium ejus, & tu dominaberis ipſi.*

Sed neque his tantum, verum & Senibus, ætate ſiquidem provectioribus, id ipſum imperatur, hujuſce *Cap. v.* 2. Epiſcopis item, ſive Presbyteris, puta Senioribus officium; *Cap.* præced. *verſ.* 8. primæque ad *Tim.* 3. 2. Sed & indiſcriminatim omnibus, tum alibi, tum *Cap.* præſent. *verſ.* 12. *Illuxit enim gratia Dei ſalutaris hominibus omnibus; erudiens nos, ut, abnegata impietate & mundanis cupiditatibus*, σωφρόνως καὶ δικαίως καὶ εὐσεβῶς ζήσωμεν ἐν τῷ νῦν αἰῶνι. Atque hactenus quæſito primo ſatisfactum eſt.

II. Verum hinc quidem quæſito ſecundo anſa porrigitur. Si quidem omnibus hoc incumbit officium, quorſum nominatim juvenibus indicitur? Nempe ſi juvenibus ſit officium peculiare, cur ſenibus? ſi peculiare ſenibus, cur omnino juvenibus imperatur?

Dicimus igitur, hoc σωφροσύνης officium, ſive ſobrietatem & moderationem animi, cum in varios ſe diffindat ramos, vario nomine tum his, tum illis, tum item aliis, peculiari modo competere: variaque proinde virtutum exercitia, pro cujuſque ſortis ratione, exigere. Puta, in fœminis, potiſſimum pudicitiam & caſtitatem; in junioribus, modeſtiam & humilitatem; in ſenioribus, prudentiam & gravitatem; in inferioribus, obſequium & ſubmiſſionem; in ſuperioribus, συγκατάβασιν & ἐπιείκειαν; in æqualibus, candorem & ingenuitatem; in omnibus, temperantiam, mediocritatem, & ſanam mentem.

Dicimus porro; Officium aliquod multis commune, nunc his, nunc illis ſignanter commendari duplici fere de cauſa. Quia ſcilicet vel turpius abeſt, vel difficilius obtinetur. Sunt enim quæ, ubi adſunt, maxime commendant, quæ tamen haud magna infamia abeſſe poſſunt; puta, literæ in viro plebeio: ſunt contra, quæ adeſſe nil magnum ſonat, quæ interim non ſine graviſſimo famæ diſpendio abeſſent; puta, Latine noſſe in Academico.

Rem præſentem quod attinet; Cum Sobrietatis defectus omnibus vitio ſit, in ſene turpe eſt; quippe qui jam longo rerum uſu, & multiplici experientia edoceri, eamque ob languidiores affectus facilius obtinere poſſit. Ideoque ad eam ſummopere hortandi ſenes, ut qua ſine graviſſimo crimine carere nequeant. Contra vero, cum & id ipſum juvenibus incumbat officium, & inſigni futurum ſit ornamento; quorum tamen affectus vegeti, rebuſque minus exercitati, hoc penſum præſtitu difficilius reddunt; obnixius incitandi ſunt & hi, ut huic omni cura incumbant negotio; & monendi ſedulo, ut quibus majori opus eſt hortamine. Brevi; Ad Sobrietatem hortandi Senes, ne deſit; Juvenes, ut adſit.

His expoſitis; Quid ſit ipſum σωφροσύνης officium, juvenibus hic loci commendatum, penitius expendamus. Quod quo rectius fiat, à primigenia vocis ſignificatione ordiamur. Nam & hic illud obtinet, ἰδεῖν τὰ ὀνόματα ἀρχὴ τῆς παιδεύσεως.

I. Σώφρων (unde Σωφρονεῖν, σωφροσύνη, reliquaque conjugata deſcendunt) dicitur à σῶς vel σάος *ſanus*, & φρὴν *mens* vel *animus*. Ut σώφρων ille ſit, qui eſt mente ſanus, vel ſana mente, & bene animi compos. Σῶς ἔχων τὰς φρένας, ſic *Stephanus*. Quod malim quam vel *Grotii* σώζων τὰς φρένας, vel *Ariſtotelis* σώζων τὴν φρόνησιν· alluſiones enim hæ ſunt, vel παρονομασίαι, magis quam Etymologiæ.

Atque hoc ſenſu opponitur τῇ μανίᾳ inſaniæ. Sic, apud *Zenophontem*, τί δίκαιον, τί ἄδικον· τί σωφροσύνη, τί μανία· ponuntur ut ἀντίθετα. *Quid juſtum, quid injuſtum; quid* σωφροσύνη, *quid*

quid inſania. Sic, apud *Platonem*, opponuntur σωφρονῶν & μανεὶς [2]: Sicut apud Latinos *mens ſana*, & *inſania*; item *animi compos*, & *impos*. Sed & apud ſcriptores ſacros, Ubi de Dæmoniaco agitur; Dæmone, dicam? an furore percito? an utroque? ſeu furiis agitato: qui neque veſtes paſſus eſt, neque domi ſe contineri; ſed foris agebat, nudus, in monumentis ſive ſepulchretis; ſi quando catenis & pedicis detentus, ruptis vinculis foras ſe proripuit, à Dæmone in deſertum actus; eoque deventum eſt dementiæ, ut haud cuiquam tutum fuerit iſtac tranſire; (ut ex collatis Evangeliſtis patet:) Nempe idem paſſus, quod, de Chriſto, alibi falſo dicitur, (*Joh.* 10. 20.) δαιμόνιον ἔχει καὶ μαίνεται, *Dæmone actus inſanivit.* Hunc ubi ſanaverat Chriſtus, dicitur ſediſſe ad pedes Jeſu ἱματισμένον καὶ σωφρονοῦντα, *veſtitum & ſanæ mentis*, (ſic *Beza*;) vel *mentis compotem*, (ſic *Noſtri*;) *Luc.* 8. 35. *Mar.* 5. 15. Similiter apud eundem Lucam, *Act.* 26. 25. ubi Feſtus *Paulo* tanquam inſanienti conviciatus eſt; *Inſanis, Paule, multæ te literæ* εἰς μανίαν, *ad inſaniam adigunt*; Tum ille, Οὐ μαίνομαι, φησὶ, κράτιστε Φῆστε, ἀλλ᾽ ἀληθείας καὶ σωφροσύνης ῥήματα ἀποφθέγγομαι. *Non, inquit, inſanio, præſtantiſſime Feſte, ſed vera & ſanæ mentis verba eloquor.* Ubi ἀντίθετα videmus μανίαν & σωφροσύνην. Haud abſimile eſt quod habetur 2 *Cor.* 5. 13. εἴτε γὰρ ἐξέστημεν, Θεῷ· εἴτε σωφρονοῦμεν, ὑμῖν ubi σωφροσύνη opponitur τῷ ἐκστῆναι· *Sive inſanimus, id Deo fit; ſive ſanæ mentis ſumus, id vobis ſumus.* Siquidem ipſius ſive ἔκστασις, ſive σωφροσύνη tum in Dei gloriam, tum ipſorum commodum cedebat. Atque hic primus videtur iſtius vocis ſignificatus; quo σωφροσύνη, ſive mentis ſanitas, opponitur inſaniæ.

II. Secundus, qui huic proxime ſubeſt, videtur iſte quo σωφροσύνη *prudentiam* innuit; cui opponitur ἀφροσύνη *imprudentia, inſipientia*; quæ quidem innuit mentem nec ſanam plane, nec plane inſanam, ſed minus ſanam; ubi ratio nec arce plane deturbatur, nec ſatis conſiſtit, ſed enervis eſt & imbellis; eſtque quaſi gradus ad amentiam, ut quæ inſipientiam fere furori conjunctam notat. Sic paſſim opponuntur σώφρων & ἄφρων· Ut apud Theognidem.

> Ἄφρονος ἀνδρὸς ὁμῶς, καὶ σώφρονος, οἶνος ὅταν δὴ
> Πίνῃ ὑπὲρ τὸ μέτρον, κοῦφον ἔθηκε νόον.

Atque hoc ſenſu, ut alibi, ſic paſſim apud *Homerum* occurrit: quippe apud quem vox σοφὸς nunquam exſtat, & σοφία non niſi ſemel, idque non tam *ſapientiæ* ſive *prudentiæ* ſignificatu, quam *peritiæ* (quod alicubi notat κειμήλιος Gatakerus; *Contra Pſochen. cap.* 15.) eorumque loco σώφρων & σωφροσύνη, vel (more Poetico) σαόφρων & σαοφροσύνη. Quos igitur σώφρονας eſſe monet Apoſtolus, eos non modo non inſanire plane, ſed nec deſipere, aut delirare; non imprudentes eſſe vult, aut inſipientes; ſed συνετοὺς, φρονίμους, intelligentes, prudentes.

III. Cum vero Prudentiæ pars ſumma creditur, modum tenere, ſive mediocritatem; quem & Virtutis tramitem facit Philoſophus, [3] nec niſi à prudenti Viro determinandum; dum Virtutem definit ἕξιν προαιρετικὴν ἐν μεσότητι οὖσαν ὡς ἂν ἀνὴρ ὁ φρόνιμος ὁρίσειεν· *Ethic.* 2. c. 6. (cui geminum eſt *Ciceronis* illud (*pro Murena*) *Virtutes omnes mediocritate quadam eſſe moderatas.*) Hinc factum eſt, ut tertius occurrat σωφροσύνης ſignificatus, prædictis nihilo infrequentior, quo *animi moderamen* ſignificet; atque ad omnes itidem virtutes ſe extendat: ut σώφρων ille ſit, qui moderamine utitur; qui modum rite tenet, nec ultra citrave τὸ πρέπον conſiſtit; qui importunos animi motus, & effrænos impetus, coercet, temperat, in ordinem cogit. Hinc *Demoſthenes* & *Æſchines*, σώφρονα βίον & μέτριον conjungunt: *Iſocrates* σώφρονα βίον & κοσμίως ζῆν. Et ſimiliter *Paulus* 1 *Tim.* 3. 9. ἐν καταστολῇ κοσμίῳ (*veſte decora*) μετ᾽ αἰδοῦς καὶ σωφροσύνης. Ubi, ut *Iſocrates*, ſic *Paulus* κοσμιότητα & σωφροσύνην conjungit. Κόσμιος autem dicitur, (*Hen. Steph.*) qui eſt *moribus compoſitis, moderatus, modeſtus.* Apud Ciceronem exponi ſolet σώφρων, *moderatus, temperans*: (*Rob. Steph. Lexico Ciceroniano.*) Et σωφροσύνη, *temperantia, moderatio, modeſtia.* Grotius, ex Gloſſario veteri, σωφροσύνην exponit *modeſtiam*: Beza, *temperantiam*: Vulgatus, Eraſmus, & Noſtri, *ſobrietatem*. Non eo ſenſu quo *ſobrietas* ſtricte ſumpta opponitur ebrietati; ut nec Grotius eam intelligit *modeſtiam* quæ definitur μεσότης περὶ τὰς τιμάς. aut Beza hanc tantum temperantiam quæ eſt περὶ τὰς ἡδονάς: ſed quo ſenſu apud Ciceronem (*de Fin. l.* 2.) definitur *Modeſtia, vel Temperantia, moderatio cupiditatum rationi obediens.* Eam nempe ſive temperantiam, ſive modeſtiam, ſive moderationem, ſive ſobrietatem intelligunt; quæ animum, affectus, totumque hominem temperet, moderetur; & dictis, factis, cogitatis modum imponat; totamque juſtis limitibus coerceat ἀκρασίαν. [4] Eſtque hæc quidem vera *mentis ſanitas.* Quemadmodum enim Medici *Morbum*, per *læſam operationem*, definiunt, adeoque *ſanitatem* æſtimant ex operationibus perfectis, illæſis: ſimiliter & *Vitia*, quos *animi morbos* dici jam olim obtinuit, habenda erunt, quæ læſas animi operationes inducunt; animamque tum demum ſanam habendam eſſe, ubi omnia ſua rite peragit munia. Ut id ſit quod Ariſtoteles alicubi aliis verbis ἐκφράζει, (*Oeconom.*) ἡ δὲ τεταγμένων εὐταξία, καὶ τὸ τῆς ψυχῆς σχῆμά τι καὶ εὐπρεπές. Et Cicero, (*pro Fonteio,*) *Vir frugi, & in omnibus vitæ partibus moderatus & temperans* [5]. Atque hinc eſt, quod

2 *Plat.* 1. *de Repub.* τὸ σωφρονεῖν ἐναντίον ἐστὶ τοῦ μαίνεσθαι. 3 Μεσότης τις ἄρα ἐστὶν ἡ ἀρετή. *Ethic.* 2. *c.* 5. 4 *Temperantia eſt rationis in libidinem atque in alios non rectos impetus firma & moderata dominatio.* 2 de Invent. 5 *Ego frugalitatem, id eſt modeſtiam & temperantiam, virtutem eſſe maximam judico.* Pro Deiot. *Vir frugi omnia recte facit,* Tuſc.

σώφρων,

σώφρων, ſimpliciter de *viro bono* non raro uſurpetur; ut eum deſignet qui vir probus & honeſtus eſt; & σωφροσύνη, morum probitatem. Sic apud Sophoclem, σώφρων opponitur τῷ κακῷ.

——————Τοὺς δὲ σώφρονας
Θεοὶ φιλοῦσι, καὶ στυγοῦσι τοὺς κακούς.
Probos amat Deus, ſed odit improbos.

IV. Sed dicendum 4°; Hanc σωφροσύνης ſive moderationis vocem, utut ex ſe omnes virtutes indifferenter reſpiciat; non raro tamen, nunc de hac, nunc de illa, ſignanter exponendam. Quod & in aliis generalis ſignificatus vocibus obtinere ſolet, quæ pro ſubjecta materia determinatum ſæpe ſenſum induunt. Sic & ipſum *Virtutis* nomen, de Milite dictum, fortitudinem ſive virtutem bellicam deſignat. Quo & ipſum ἠνορέην ſpectare videtur; nam & ab ἄρης dicitur ἀρετή, & à *viro virtus*. Et contra κακὸς ignavum deſignat, imbellem, timidum, meticuloſum. Apud Latinos, *malitia* ſæpiſſime non tam κακότητα quam κακίαν deſignat, certam mali ſpeciem, ſive odio ſive fraudi conjunctam: ut & *bonitas*, benignitatem, χρηστότητα. Ad hunc modum, quam tractamus σωφροσύνη, modo ad hanc, modo ad illam virtutis ſpeciem, prout h c vel illic moderamine opus erit, referri ſolet. Nonnunquam *frugalitatem* deſignat & parſimoniam, eam nempe quæ virum frugi deceat. Eſt ubi *continentiam, caſtitatem, pudicitiam* innuit; idque non raro. Nonnunquam de *veſtitus & victus moderamine* dicitur: ſed & de *tolerantia*, ſive calamitatibus moderate ferendis. Et ſimiliter paſſim apud Authores. Ariſtoteles de ea ſpeciatim *Temperantia* intelligit, cui opponitur ἀκολασία, eamque definit, *Rhet.* 1. *cap.* 9. δι' ἣν πρὸς τὰς ἡδονὰς τοῦ σώματος οὕτως ἔχουσιν ὡς ὁ νόμος κελεύει· ἀκολασία δὲ τοὐναντίον. Item Μεσότης ἐστὶ περὶ ἡδονὰς ἡ σωφροσύνη, *Ethic.* 3. *cap.* 13. Nempe, in cibo, potu, & Venere. Hieronymus σώφρονα *pudicum* reddit; & quidem alios culpat quod, pro *pudico, prudentem* dixerint. Nempe vir cœlibatui ſive virginitati juſto addictior (quo nomine & ab aliis reprehenditur) huc omnia trahere conatus eſt; quod notant ad hanc vocem *Eraſmus, Beza, Stephanus*, aliique. Non quaſi non & pudicitiam vox ea denotet, ſed non hanc ſolam: nec omnino male reddidit Hieronymus, ſed nimis arcte; nam & alia reſpicit.

Eſt igitur (ut dicta breviter colligam) ea, quam hic juvenes, alibi alios, docet Apoſtolus σωφροσύνη, mens ſana & ſui compos; quæ ſua prudenter, & ut par eſt, obit munia; quæ dictis, factis, cogitatis modum imponit, ne (quod aiunt) extra oleas vagentur, ſed ſuis coerceantur cancellis. Quæ quidem, prout varias virtutes ſpectat, aliis aliiſque inſignitur nominibus. Siquidem Juvenum petulantiam, proterviam, temeritatem coercet modeſtia: Mulieres item ornat modeſtia, caſtitas, pudicitia: Senes, gravitas & prudentia: Gubernatores item prudentia, juſtitia, æquanimitas: omnes, temperantia, moderatio, ſobrietas.

Quibus apud Hebræos vocibus reſpondeant σώφρων & σωφροσύνη, haud facile dixerim; cum hæ voces apud LXX. interpretes nuſpiam, ni fallor, occurrant. Nec mirum eſt, in lingua (prout nunc habetur) non admodum fœcunda, ſi nullum extet vocabulum plane ἰσοδύναμον. Eorum autem loco uſurpari credo חכם & חכמה vel etiam שלם.

Apud Græcos, non tantum κόσμιος, de quo ſupra, ſed & αἰδοῖος, & præſertim φρόνιμος, huc ſpectant: ſed & μέτριος, & omnium maxime νηφάλιος. Et quidem σωφρονεῖν & νήφειν tantundem fere nonnunquam innuunt. Quippe tantundem fere ſonant Pauli illud 1 *Theſ.* 5. 6. γρηγορῶμεν καὶ νήφωμεν. & *Petri* 1 *Ep.* 4. 7. σωφρονήσατε οὖν καὶ νήψατε. & *cap.* 5. 8. νήψατε, γρηγορήσατε.

Apud Latinos optime quadrat vox *Sobrius*; ſed & *Sobrietas*: quæ id ipſum, ni fallor, præciſe indicant atque Græcorum σώφρων & σωφροσύνη. Et quidem, cur *Sobrietatis* voce abſtineamus (cum *Beza*, in 2 *Tim.* 1. 17.) tanquam minus Latina, non video; utut apud Ciceronem fortaſſe non extet, cui tamen vox *Sobrius* frequens eſt ſenſu noſtro, & bene Latina; ſed & illa *Eraſmo* non diſplicet, (*Ibid. & ad Act.* 26. 25.) & vel apud *Bezam* nonnunquam occurrit, (*Rom.* 12. 3.) Imo vero, vel male conjicio, vel ipſa vox *Sobrius* à Græco σώφρων deſcendit: hoc enim mallem, quam ut dicatur à *ſe*, id eſt *ſine*, & *ebrius*. Fortaſſe, etiam ut *ſobrius* à σώφρων, ſic *ebrius* ab ἄφρων, vel ἔκφρων. Sed & *moderatus, temperans, frugalis, frugi, modeſtus*, Ciceroni tantundem ſonant atque σώφρων. [6] Item *temperantia*, σωφροσύνη, *moderatio, modeſtia, frugalitas*, apud eundem ut parallela & ἰσοδυναμοῦντα conjunguntur. Verum his diutius immorandum non eſt.

Supereſt, ut juvenibus ſaltem meis, (quod *Applicationem* vocant,) Documentum hoc Apoſtolicum altius inculcem; eiſque animum compoſitum, ſedatum, ſobrium commendem; ut temperantia, modeſtia, juſtoque animi moderamine illos inſtituam; quod eſt, uno verbo, σωφρονίζειν.

Quam vos intime ſpectat hoc officium ex Apoſtolo jam intelligitis. Quam vobis, ubi præſtitum, futurum eſt & uſui & ornamento, haud facile eſt vel dictu mihi, vel vobis cogi-

6 *Temperantem Græci σώφρονα appellant; eamque virtutem σωφροσύνην quam ſoleo equidem tum temperantiam, tum moderationem appellare, nonnunquam etiam modeſtiam, ſed haud ſcio an ea virtus frugalitas appellari poſſit, &c.* 3 Tuſc. *Frugalitatis nomine uſi virtutes continerentur, nunquam illud ita pervulgatum eſſet. Hominem frugi omnia recte facere.* 4 Tuſcul.

taui. *Frugi hominem & modeſtum* (ut eum Cicerone loquar, *Ep. fam.* 13.) *& in omnibus vitæ partibus moderatum & temperantem,* (*pro Fonteio*) nemo ſobrius non commendat.

Quo vobis hoc difficilius videatur, ut animi juveniles & fervidiores impetus, moderaminis jugum vixdum paſſi, aut imperio rationis aſſueti, laxas ipſi habenas colligant; eo magis & hortatu noſtro, & cura veſtra opus erit.

Sponte ſua properant; labor eſt inhibere volantes.
Parce, puer, ſtimulis; & fortius utere loris. [7]

Cogitate animo, (Juventus Academica, flos juventutis, parentum depoſitum, chariſſima ſuccreſcentis ævi pignora, præſentis cura,

Ævi deliciæ noſtri, ſpes magna futuri,)

Cogitate, quam veſtra intereſt & Reipublicæ, nedum Academiæ, ne ſperata meſſis in herba pereat; ne fructus in (flore dicam? an) gemma corrumpatur; ut pueritiam ſimul & puerilitatem exuatis; ut molles, temerarios, pervicaces animos, ferocientes, effrænos impetus exuti, ſerium, ſobrium, virilem induatis animum; ἵνα ἀρνησάμενοι τὴν ἀσέβειαν, καὶ τὰς κοσμικὰς ἐπιθυμίας, σωφρόνως, καὶ δικαίως, καὶ εὐσεβῶς ζήσωμεν ἐν τῷ νῦν αἰῶνι. *Tit.* 2. 12.

Sed diſtinctius agendum. Quo incitamini, Juvenes, eſt σωφρονεῖν. Quod in ſe duo continet: σώφρονας εἶναι, & σωφρόνως ἔχειν· *ſobrios eſſe, & ſobrie vos gerere.* Alterum animum, alterum ἀναστροφὴν converſationem, potiſſimum ſpectat: τὸν ἔσω, καὶ τὸν ἔξω ἄνθρωπον. Verum hæc duo, in temporis compendium, conjunctim perſequar: objecta potius, quibus utrumque occupatur, ſeorſim tractaturus.

Verſatur autem Sobrietas, ſeu Moderatio, in iis quæ vel animum potiſſimum ſpectant, vel corpus. In animo moderanda ſunt φρονήματα, θελήματα, παθήματα. In corpore, cultus, victus, & voluptates reliquæ. De quibus ubi ſigillatim pauca dixero, vela contraham.

Animum quod attinet; ſpectanda ſunt potiſſimum τὰ φρονήματα· quæ nempe intellectum ſpectant & cognitionem. Quam autem hic agendum eſt caute & moderate, docet elegantiſſimum illud *Pauli* ad *Rom.* 12. 3. μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν; nequis ſapiat ſupra quam oportet, ſed ad ſobrietatem ſapiat. Ubi duo, ni fallor, cavenda vult Apoſtolus. Alterum, ne ſublimiora quam par eſt ſibi exquirenda proponant; Alterum, ne elatius quam par eſt de ſe ſentiant: (conjuncta plerumque mala.) Utrobique moderamine utendum eſt; & utrobique non raro junctim peccatur; & utrumque notat illud toties ab Apoſtolo condemnatum ὑψηλοφρονεῖν. *Rom.* 11. 20. *Rom.* 12. 16. 1 *Tim.* 6. 17.

Atque hoc quidem vitio laborant, qui ſecreta Dei ſcrutari, ultra quam par eſt, ſatagunt: & audacter, ex conjecturis ſuis, de illis pronunciant, quæ Deus nondum detexit. Qualia ſunt, æterna Dei decreta, quatenus nec verbo revelata ſunt, needum eventu patefacta. Item, Quid ab æterno Deus fecerit, ante mundum conditum. Quid facturus eſſet, ſi mundus non fuiſſet creandus. Num poſſit, aut velit, plures feciſſe mundos, aut etiam fecerit, aut facturus ſit. Num venturus fuiſſet Chriſtus; aut, Quis futurus eſſet hominum ſtatus; ſi non peccaſſet *Adam.* Aliaque hujuſce farraginis infinita, de Angelorum ordinibus, de ſupremi judicii tempore, loco, proceſſu, de beatorum ſtatu, de pœnis infernalibus, aliiſque, curioſa ζητήματα, ultra quam quod ſcriptum legitur. Quas ut μωρὰς ζητήσεις merito amandat *Paulus* 2 *Tim.* 2. 23. & *Tit.* 3. 9. Quæ enim celavit Deus, tutius eſt modeſte neſcire, quam curioſius inquirere; ne (quod dicitur) *ſcrutator majeſtatis, opprimatur à gloria.* Quippe *quæ ſecreta ſunt, ad Deum attinent; quæ autem revelata, ad nos & liberos noſtros, Deut.* 29. 29.

Sed & eodem laborant vitio, qui aggrediuntur ea, quæ, utut inſcrutabilia plane non ſint, altiora tamen quam pro viribus ſuis. Nam & hoc eſt, ὑψηλὰ φρονεῖν. *Rom.* 12. 16. Contra quam de ſe teſtatur Pſaltes, quippe cui *nec excelſus animus erat, nec elati oculi, nec aggreſſus eſt quæ majora ſint aut difficiliora quam ſe deceat; ſed ad inſtar ablactati infantis ſe geſſerit. Pſal.* 131. 1. 2. Atque huc quidem reſpexiſſe Apoſtolum, loco citato, ex verbis continue ſequentibus manifeſtum eſt. Ἀλλὰ φρονεῖν (inquit) εἰς τὸ σωφρονεῖν, ἑκάστῳ ὡς ὁ Θεὸς ἐμέρισε μέτρον πίστεως. Vult ſiquidem ſingulos modeſte ſapere, *pro ea quam unicuique impertitus eſt Deus menſuram fidei.* Quod & alibi ſeipſum fideliter obſervaſſe teſtatur, 2 *Cor.* 10. 13, 14. quod nempe menſura, quam ſibi impertitus eſt Deus, ſe cohibuit, nec ὑπερεκτείνων ἑαυτὸν, alienis ſe negotiis, ut ἀλλοτριοεπίσκοπος, intermiſcuit. Aſt interim, ecquis fere mortalium δυσνόητα & difficillima vel audacius aggreditur, vel confidentius tractat negotia, quam qui omnium minime intelligunt? utinam non & πρὸς τὴν ἰδίαν αὐτῶν ἀπώλειαν στρεβλοῦσι. 2 *Pet.* 3. 16. Nempe, *qui ad pauca reſpicit, facile pronunciat.* Quos liceat cum illo Phœbi ad Phaetontem ſuum conſilio dimittere.

Magna petis, Phaeton, & quæ non viribus iſtis
Munera conveniunt, nec tam puerilibus annis. Ovid.

Niſi illud magis conveniat, (*Perſii.*)

Tecum habita; & noris, quam ſit tibi curta ſupellex.

Huc etiam ſpectat, quod vel ex plebe quilibet, vel ἀμαθεῖς juvenes, (contra quam

---

7 *Ut Ovid. Metam. de Phaetontis Equis.*

monet

monet *Paulus*, 1 *Tim.* 3. 6. nequis νεόφυτος huc accedat,) vel ipſa Theologiæ rudimenta vixdum edocti, ſuggeſtum aſcendunt, pro concione diſſerunt, & illotis (quod aiunt) manibus tremenda Dei tractant eloquia, & qua valent confidentia non raro pervertunt miſere; nec ad ſuam tantum, ſed & aliorum perniciem. Mirum eſt, quod nec cerdoni liceat, aut tonſori, niſi poſt exactum ſepiennale tyrocinium, artem exercere; dum interim tractandis ſacris nemo non ſufficiat: quaſi ad Apoſtoli illud καὶ τίς πρὸς ταῦτα ἱκανός; reponendum ſit, Quis non? Quid quod, nonnulli, boni aliquando evaſuri eſſent Theologi, ni properaſſent: &, quaſi implumes nido egreſſi, in prædam ceſſerint: ut de quibus alicubi (ſi memini) conqueritur Seneca, *qui ſapuiſſe poſſent, ni ſe putaſſent ſapere*. Alii, dum, docendis aliis, eos inſumunt annos quos diſcendo ipſi rectius impendiſſent, evadunt magis Concionatores validi, quam ſtrenui Theologi; qui, ni properaſſent, utrumque fuiſſent. Et quidem male metuo, ne, vel hoc nomine, ætate jam proxime inſequente, magna futura ſit Theologorum ſolide doctorum inopia. Rariſſime ſiquidem videmus ullos, qui ſe ad illa deinceps ſerio applicuerint ſtudia, quorum ſaltem fundamenta non in Academia poſuerint.

Denique huc etiam referendum cenſeo, quod tricis apiniſque tractandis non pauci, ſeriis deſtinatum tempus impendunt: eaſque avide ſectantur. [8]

> Τὸ μὲν πάρεργον ἔργον ὡς ποιούμεθα,
> Τὸ δ' ἔργον ὡς πάρεργον ἐκπονούμεθα.

Hujuſmodi ſunt quæ Paulus κενῆς φιλοσοφίας nomine, & ὑπεροχῆς λόγου, ἢ σοφίας, aut etiam affectatæ nimis εὐτραπελίας amandat. Quæ utut ſublimia non ſint, aut vere ὑψηλά, cum quis ea tamen quaſi ita ſint affectat, ὑψηλοφρονεῖν dicendus erit. Quo forſan, Apoſtoli temporibus, Græcorum eruditionis pars magna ſpectabat: qui, ut videtur, verborum ὕψωμα, magis quam rerum pondera ſectabantur: quod quidem Inflatum eſt, magis quam Magnum; ipſique non tam σοφοὶ quam δοκησίσοφοι & (quod Paulus item de Romanis teſtatur) φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν. Hos imitati videntur, de quibus & Petrus conqueritur ὑπέρογκα ματαιότητος φθεγγόμενοι *prætumida, ſed & vaniſſima, effutientes* quaſi nihil non magnum, nihil non ſublime ſpirent, & [9] *ſeſquipedalia verba*; quæ interim, ſi expendantur,

> *Sunt apinæ, tricæque, & ſiquid vilius iſtis* [10].

Hujuſmodi, in Religionis negotio, fuiſſe videntur illæ διακρίσεις διαλογισμῶν *certamina diſceptationum* (ut Beza) vel *dubiæ diſceptationes* (ut noſtri) quibus tirones exerceri nollet Apoſtolus, ad *Rom.* 14. 1. quæ, ut videtur, vel nihil certi continebant, vel nihil magni, quod ad ſummam religionis attinet, & ſine gravi religionis diſpendio poterant ignorari. Quas & ſub ἑτεροδιδασκαλίας nomine aliquoties repudiat 1 *Tim.* 1. 3. & 6. 4. ubi relicto *ſano ſermone*, & quæ eſt *ſecundum pietatem* διδασκαλίᾳ, ἑτεροδιδασκαλοῦσι, quippe εἰς ἕτερα devertunt, quæ ſint ἔξω τοῦ πράγματος [11] nec ad ſummam religionis conducant; quæ ζητήσεις, diſceptationes pariunt, magis quam οἰκονομίαν θεοῦ τὴν ἐν πίστει, & plerumque in ματαιολογίαν deflectunt, vel λογομαχίαν, quod ibidem conqueritur Apoſtolus. Quod quidem, quin ſit ὑψηλοφρονεῖν, non dubitabitis, ubi videritis Apoſtolum ἑτεροδιδασκαλοῦντα ſuum deſcribentem; quippe qui τετύφωται, μηδὲν ἐπιστάμενος, *inflatur*, turget, *utut nihil ſciat*, nihil pro comperto habeat, ἀλλὰ νοσῶν περὶ ζητήσεις καὶ λογομαχίας, *circa quæſtiunculas*, (ζητήσεις) & (λογομαχίας) *verboſas contentiones*, νοσῶν *delirans*, ut quas inſano amore deperit, (inſtar fœminæ pica laborantis, quæ, neglectis ſanis edulis, vel noxia vel minus ſana deperit;) *unde* (inquit) *oriuntur invidia, contentio, maledicentiæ, ſuſpiciones malæ, &c.* Totamque illam quam obtendunt, quaque adeo turgent & inflantur, eruditionem, non aliam eſſe perhibet, quam βεβήλους κενοφωνίας, καὶ ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, *profanos garritus, & falſo dictæ cognitionis obtentus*.

Atat Academici, utinam vel dies noſtros non hoc ſpeciatim ſpectet! quibus (proh dolor!) controverſiarum vel de rebus minutiſſimis gliſcentium ardor, fraternam prope charitatem exſtinxit; ipſaque pietatis efficacia, ſi non deferbuit, remoram paſſa eſt vel maximam. Sed

> ——*dabit Deus his quoque finem* [12].

Atque hactenus φρονήματα. Sequuntur

2° Θελήματα, quæ & ipſa ſunt moderanda. Ut nec *altum ſapere* oporteat, ſic & modice velle. Notum illud, *Quod volunt juvenes, valde volunt*; σφοδρὰ μὲν ἐπιθυμοῦσι, ſic Philoſophus *Rhet. l.* 2. *c.* 12. His igitur, vel maxime proſpiciendum erit moderamini. Quod appetunt, temere & effrænate ad potiundum incitantur: & magno feruntur impetu; ſed & præcipiti. Utrumque corripit illud (*Theognidis.*)

> Μηδὲν ἄγαν σπεῦδε. ——

Quod ne nimio, monet, nec temerario feramur impetu.

Quam illud periculoſum & noxium, docet Apoſtolus 1 *Tim.* 6. 9. οἱ βουλόμενοι πλουτεῖν, qui id agunt, id impendio volunt, ut diteſcant, *incidunt* (inquit) *in tentationem & laqueum, multaſque cupiditates* ἀνοήτους καὶ βλαβεράς, tum rationi minime congruas, tum pernicioſas; ſtolidas plane, & noxias; ut quæ homines εἰς ὄλεθρον καὶ ἀπώλειαν βυθίζουσι, in perniciem ſimul & perditionem demergunt. Quo, non honeſtam & moderatam rei familiaris curam cul-

8 *Grot. in Mat.* 6. 33. 9 *Perſ.* 10 *Mart.* 11 *Ariſt. Rhet. l.* 1. *c.* 1. 12 *Virgil.*

paſſe,

paſſe, cenſendus eſt Apoſtolus, (ut quam alibi commendat, ejuſque negligentem, vel infideli deteriorem perhibet :) ſed immoderatum ſive animi ſive voluntatis impetum quaſi per fas & nefas divitias congerendi.

Temperanda ſiquidem eſt voluntas, & ſobrietate moderanda : Juvenum præſertim ; ut qui ad hoc natura ſunt procliviores, ut cæco impetu ferantur. Quo quis enim conſilii eſt magis expers, eo ſere præcipiti & quaſi bruto impetu eſt incitatior.

Sed & eadem de cauſa, mutabiles ſere ſunt, & parum conſtantes. Σφοδρὰ μὲν ἐπιθυμοῦσι, ταχὺ δὲ παύονται [13]. Siquidem ἀψικορία, καὶ ὑπομανία, *furor & faſtidium, apud annos verſatiles per vices obtinent, ſibique invicem ſuccedunt* [14].

Utrobique judicio opus eſt & moderamine ; ne, aut præcipites agantur, aut inſtabiles huc illuc fluctuent ; levis inſtar naviculæ, cui & ſaburra deeſt, & gubernaculum. Quod & Apoſtolus monet *Eph.* 4. 14: ἵνα μηκέτι ὦμεν νήπιοι, *ne ſimus deinceps pueri* κλυδωνιζόμενοι, καὶ περιφερόμενοι παντὶ ἀνέμῳ διδασκαλίας. Hinc Elihu, utpote *juvenis*, Job. 32. 6, 7. coram *ſenioribus* modeſte *ſubticuit*, *timidus ſententiam ſuam dicendi* : quippe dixerat, *Dies eloquentur*, *& multitudo annorum docebit ſapientiam*. Quod & ipſe Deus in mandatis dedit, *Levit.* 19. 32. *coram cano capite conſurge, & honora faciem ſenis.* Et quidem juvenes omnino decet nec petulantes, nec αὐθάδεις eſſe ; ſuæque, ubi ab aliorum receditur ſententia, admodum eſſe ſuſpicaces ; nec niſi graviſſimis de cauſis, prudentiſſimorum, longoque rerum uſu exercitatorum conſiliis, nedum mandatis, novandi ſtudio contraire : ut qui tum temperantes eſſe debent, tum obtemperantes. Atque hominum prudentiſſimus, Parœmiaſtes, in Proverbiorum libro paſſim, tanquam deploratæ ſpei, & plane conclamatum perhibet, qui, præſertim juvenis cum ſit, ſeniorum conſiliis ſe minus præſtiterit obſequentem. Et quanto ſuo damno, didicit Salomonis filius, quam imprudenter ipſe paternum hoc conſilium neglexerit, nemini non innoteſcit. 1 *Reg.* 12. 8.

Verum nec juvenes hoc ſolummodo ſpectat ; ſed & omnium intereſt, ut voluntatibus temperandis duplici præſertim nomine incumbant. Tum ut ſupremi Numinis rationem habeamus ; tum, eorum quibuſcum vivitur.

Prioris inſigne ſpecimen exhibuit ipſe Chriſtus, qui dum humanitus quantum par erat, paratum ſibi calicem detrectavit, *Verum*, inquit, *non voluntas mea ſed tua fiat*, *Luc.* 22. 24. Et ſimiliter *Paulus*, nec diutius vivere, nec mori citius, expetivit, quam ut ferrent tum res Chriſti, tum Eccleſiæ ſuæ, *Phil.* 1. 20. &c. quippe qui *tum deprimi*, *tum abundare* ; *ſaturari pariter, & eſurire didicerat* ; *tum abundantiam*, *tum inopiam*, modice ferre ; nec quicquam horum impenſe aut velle, aut nolle ; *ut qui* (inquit) *edoctus ſum*, ἐν οἷς εἰμὶ αὐτάρκης εἶναι, *utcunque fuerim conſtitutus, contentus eſſe*, *Phil.* 4. 11, 12.

Sed & alio nomine voluntatibus temperandum erit : ut eorum ſcilicet quibuſcum vivitur ratio habeatur. Eſt quippe homo ζῶον πολιτικὸν [15] nec ſibi ſoli natus. Et propterea nec rebus ſuis juſto ſit intentior, par eſt : ſed ipſas aliorum ſic accommodet rebus, ut in communem omnium commoditatem cedat maxime. Adeoque de ſenſis ſuis non raro remittendum & voluntati moderandum erit, ut mutua συγκαταβάσει communi conſulatur utilitati.

Quod, ut natura comparatum eſt, ſic cautum divina lege : Dum, poſt grande illud, de Deo ſumme diligendo, mandatum ; ſubjungitur illi geminum, de proximo ut nobis ipſis diligendo : Quo duplici cardine, vel Chriſto teſte, & atteſtante ſcriba, *Mat.* 22. 40. *tota lex vertitur, & prophetæ* ; quippe quæ *omnibus holocautomatis & ſacrificiis potiora. Mar.* 12. 33. Sed & eodem ſpectant quæ paſſim exſtant præcepta, de infirmorum ſuſtinendis infirmitatibus, de aliorum oneribus mutuo ferendis, de non judicandis aliis, ut ne ipſi judicemur, & quæ his ſunt gemina. Et ſpeciatim illud *Pauli* ad *Corinthios Ep.* 1. *cap.* 10. 24. *nequis quod ſuum eſt* ſolummodo *quærat, ſed & quæ aliorum.* Quod & exemplo ſuo ibidem comprobat, ſicut & alibi paſſim : ſed & *Timothei*, *Phil.* 2. 20. quem ut raræ moderationis exemplum laudat, quod γνησίως quæ aliorum erant curaverit.

Atque hoc quidem unumquemque, ſive ſubſit, ſive præſit, perinde ſpectat : neutri ſiquidem τὸ ἀκριβοδίκαιον ſemper ſequendum eſt, ſed remiſſione ſæpius utendum, nec ſummo jure. Τὸ ἐπιεικὲς ὑμῶν, *moderatio veſtra innoteſcat omnibus*, ſive *ſtricti juris remiſſio. Phil.* 4. 5. Eidem ſiquidem αὐθαδείας vitio referendum eſt, ſive qui ſubeſt nihil niſi coactus faciat, ſive qui præeſt quicquid poſſit cogat [16]. Eadem enim Chriſtiana moderatio & ἐπιείκεια, quæ obſequium illic placidum, & hic moderatam poſtulat æquanimitatem ; cum nec illic pervicacia, nec hic laudanda ſit tyrannis.

Non negem interim quin voluntate firma nonnunquam opus ſit, atque inconcuſſa. Eſt ubi *decertandum acriter*, & totis intendendum viribus ; quod *de fide ſemel tradita* docet Judas *Ep. ſuæ verſ.* 3. Quod & *Paulum* non raro feciſſe conſtat, utut fuerit alias vel de jure ſuo cedere paratiſſimus. At illud indiſcriminatim agere, & in levioris præſertim momenti rebus, ubi nec religionis cardo vertitur, nec ſalus publica vel civilis ordo periclitatur, nec gravis ulla poſtulat neceſſitas ; non magis convenit, quam cothurnus Herculis infantis pedi. Quippe hic multum recepto mori dandum, atque aliorum judiciis ; in libera præſertim

13 *Ar. Rhet. l.* 2. *c.* 12. 14 *Gatak. in Antonin. l.* 1. §. 16. 15 *Plato.* 16 *Ar. Ethic. l.* 5. *c.* 10.

republica,

republica, qualem eſſe par eſt Academiam, ejuſque Collegia ſingula; nec ad ſuum unius quiſquam aliorum arbitria exigere, utut vel maxime poſſit, velle debet: Sed, & aliorum ſenſis favere, & de ſuo nonnunquam ſponte remittere, (in rebus præſertim innovandis,) aut etiam repulſam pati, non eſt indecorum. Et quidem eis, quibus (ut loquuntur) *vox negativa* conceditur, non eo conceditur, ut negent omnia, ſed ut, quæ par eſt. Quod velim, hoc eſt; nequid quiſpiam, ſive præſit, ſive ſubſit, ſive utcunque fuerit conſtitutus, impenſius aut velit, aut nolit, quam pro rei dignitate, neceſſitate, utilitate.

Atque de Voluntate moderanda hactenus. Moderanda ſunt

3° Παθήματα, Affectus, Paſſiones, vel (quod Ciceroni magis placet) Perturbationes.

Atque hic quidem amplus pateret dicendi campus, ſi quæ apud Poetas & Philoſophos veteres occurrant, tum Stoicos & Academicos de exterminandis, tum Peripateticos de regendis affectibus, (quo ipſorum Philoſophiæ pars magna ſpectat,) perſequi velim. Et quidem egregia paſſim apud illos extant, &, niſi quod Chriſtum minime ſapiant, divina plane, & quæ vel Theologum Chriſtianum minime dedecent.

Sed nec neceſſe eſt, nec opportunum eo ſecedere: apud vos præſertim, quibus illa notiſſima eſſe poſſunt.

Eorum ſumma fere huc ſpectat. Ut tranquilla mente ſimus, & ſedato animo; nec immodicis affectuum perturbationibus agitati: Ne terrenis hiſce, & (ut loquuntur) fortunæ bonis, vel acquiſitis, vel acquirendis, vel deperditis, vel etiam expetitis, nimium afficiamur: Nequid horum vel impenſius amemus, vel fugiamus: Nequis odio, vel ira, ſit juſto concitatior: Ne ſperemus nimium, aut deſperemus, vel etiam expetamus: Tum gaudio, tum dolore moderati: Ne proſperis elati, aut adverſis dejecti; ſed ad omnia parati, utramque (quod aiunt) fortunam modice ferre.

Atque huc ſpectat, quod de Paulo pridem diximus: qui novit & in anguſtiis eſſe, & abundare; ſaturari pariter, atque eſurire; tum copiam, tum inopiam, ut par eſt, ferre; &, quacunque fuerit conditione poſitus, αὐτάρκης εἶ.

Eodem itidem referenda, quæ contra æmulos, iracundos, invidos, avaros, arrogantes, elatos, ambitioni, faſtui, & vanæ gloriæ deditos, cæteriſque affectuum vitiis laborantes, paſſim in ſacris literis præcepta extant; quæ ſingula ſeorſim recenſere longum eſſet.

Sed &, quæ lenitatem, clementiam, longanimitatem, tolerantiam, humilitatem, modeſtiam, moderationem, cæteraſque his cognatas virtutes, commendant.

Quæ item, de abnegatione ſui, de crucifigendis affectibus, de theſauris in cœlo recondendis, & quæ ſurſum quærendis; de gaudio, dolore cæteriſque affectibus moderandis, de mundanis cupiditatibus abolendis, cæteriſque ſimilibus, paſſim occurrunt.

Et quidem quæ de moderanda voluntate ſuperius dicta ſunt omnia; etiam huc ſpectant. Cum enim affectus humani (quicquid ſit de brutis) vix aliud ſint quam voluntatis exitus, & fortiores impetus, atque in parte rationali maxime conſiſtant; voluntatis, affectuumque moderamen conjunctum ſit neceſſe eſt. Utrobique pro dignitate rei concipiendus impetus; qui proinde remiſſior acriorve ſit oportet, prout illa meruerit. Ipſum autem τὸ ἔμπειρον, τοῦ μὲν ἐντάσεως χρεία, τοῦ δὲ ἀνέσεως (quod, de patre ſuo habet Marcus Antoninus, *lib.* 1.) *ubi intenſione, ubi remiſſione, opus ſit, callere*; quando, & quatenus, aut laxare fræna par eſt, aut colligere; hic labor, hoc opus eſt. Summa quippe ad hoc prudentia opus eſt, acerrimoque judicio.

Id velim. Ut quæ de ſuo forti, ſapienti, conſtanti, prudenti viro, egregia tradunt Philoſophi: eadem viro comprobentur vere Chriſtiano; utpote melioribus argumentis, majoribus auxiliis freto, & ſpe mercedis amplioris. Sed & de moderandis affectibus hactenus.

Sequitur ut & τὴν ἔξω ἀναστροφὴν perpendamus. Nam & illic ſobrietate opus eſt, qua victus, veſtitus, geſtus, aliaque quæ externam hominis converſationem ſpectant, moderentur.

Victum quod attinet; vitare oportet, non modo crapulam & ebrietatem, quæ vel pudor prohibet; ſed & frequentes epulas, & compotationes, lautas item, atque opiperas nimis. Mirum eſt, quantum temporis, ſeriis debitum, commeſſationibus, compotationibus, & confabulationibus, etiam extra popinas; & œnopolia impenditur. Ut non tam Hippocratis illius (*Aphoriſ.*) ὁ βίος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρὰ *Ars longa, vita brevis*, quam illud Senecæ, (*Epiſt.*) ætati & moribus noſtris conveniat. *Non parum temporis habemus, ſed multum perdimus.*

Sed & veſtitus habenda cura; quem nec ſordidum eſſe par eſt, nec nimis elegantem: decorum ſimul eſſe, & modeſtum, oportet: non laſcivum, mollem, effœminatum; non vittis & laciniis, quaſi phaleris redimitum, & mollitiem pluſquam fœmineam (ementientem, dicam? an) indicantem.

Sed nec cæſariem prolixiorem vellem; quæ quidem fœminis ornamento ſit, viris dedecori. Nec comptos nimis cincinnos; quaſi de ſingulis crinibus in conſilium eatur; & vel emptitiis & ementitis comis ordinandis; quaſi natura neſciat ſatis luxuriari.

Sed & de veſtibus quæ gradum veſtrum ſpectant, quod dicam habeo: Nollem ego, Juvenes Academici, aut vos de illis ſuperbire, aut etiam faſtuoſe contemnere. Nec enim vel tanti ſunt, vel tantilli, ut vel hoc vel illud deceat. Qui illis admodum efferuntur; vix

aliud

aliud plerumque habent de quo trinmphent; & proinde vel his indigni ſunt: Siqui contemnunt; videant, nt ne pari ſaſtu.

Id ipſum deſignant hæc ornamenta perſonis adjuncta, atque titulus præfixus nomini: Utrobique tantundem vel boni eſt vel mali. Id ſiquidem teſtantur, quod & ipſe gradus; nempe quam de vobis indulgens mater Academia opinionem hactenus, & de futuro ſpem conceperit. Quæ, ſi illis digni inceſſeritis, vobis erunt honori: ſin minus; teſtantur ſaltem Academiam haud ſatis prudenter de vobis judicaſſe; qnodque vobis futurum eſſet ornamento, ipſi cedet dedecori.

Siquis eadem altior deſpexerit; ſeqne majorem ſenſerit quam nt minntis illis poſſit decorari: dignetur ſaltem ipſe vel Academiæ ornamento eſſe, quod facere ſnmmi non raro viri dignari ſolent. Quæ enim illa vos ornat conferendo, eadem & vos viciſſim gerendo ornatis illam. Quippe filiorum numerus, parentibus eſſe ſolet ornamento.

At quorſum? dicetis: quippe nec doctos faciunt, nec dignos.

Recte quidem. Ut nec prælati faſces, vel Magiſtratum faciunt, vel Authoritatem. Teſtantur tamen. Nec tam merentur reverentiam, quam merenti conciliant: ſed & conſervant. Et quantum de ſuperiorum quorumvis, non tam majeſtate, quam & poteſtate, ſenſim periret, ſi, quæ ad pompam atqne externum apparatum attinent, deponerentnr ſingula, haud tam dictu facile eſt, quam eſſet experienti comprobatum. Quippe ex minutiſſimis, & rebus in ſe nihili, certum eſt vel maxima non raro dependere. Nec quis vel nucis putamen (quo quid eſt vilius?) temere frangi velit, niſi qui & nncleum velit devorari. Vernm de his ſatis, ſuperque.

De Geſtu porro monendi eſtis, Jnvenes, & tota ſimul converſatione; ut & illic modeſtiam, temperantiam, ſobrietatem exerceatis. Nec tantum ut laſcivis, obſcœnis, putidis, & impudicis, dictis, factis, geſtibus, nedum cogitatis, (quæ horrere debet Chriſtianus animus, & vel intimis cordis receſſibus abominari:) ſed & impudentiam, petulantiam, proterviam, & contnmaciam caveatis; & quicquid bonis moribus eſt adverſum. Nam & illud in graviſſimorum malorum numero, *Iſai.* 3. 5. recenſetur, quod *puer in ſenem ſe ſuperbe geſſerit, & in honoratum vilis*; neglectis quippe ætatum, graduum, & dignitatum differentiis.

Sed & huc ſpectat; ut iraeundos, pugnaces, ferocientes deponatis animos; & pugnas ſpeciatim Qnadrageſimales, (Academiæ dedecus, & infamiam,) quæ cerdones, lanios, aut balatrones magis deceant, quam Academicos. Quibus coercendis, reprimendis, puniendis, optandum eſt, ut & magiſtratus & Ædium præfecti, junctis viribus, ſevera incumbant diſciplina. Sed de his hactenus.

Superſunt adhue qnæ ſtudia veſtra ſpeciatim ſpectant monita, ut evadatis ſobrie & ſolide docti. Quæ cum in animo fuerit fuſius aliqnanto tradidiſſe, temporis me anguſtus coactum video ſummatim colligere.

Velim igitur primo, ut certum aliquem & deſtinatnm ſtudiorum finem proponatis: nec vago & incerto plane itinere feramini; eorum inſtar, qui à ſcopo hac tantum ratione non aberrant, quod nihil ſibi propoſuerint quo collimarent. Quod non ita intellectum velim, quaſi quæ obviam atque ex inſperato ſe offerunt, penitus ſint negligenda; ſed, ut ſit quo præcipuus ſtudiorum impetus feratur. Quo ſpectat & illud Poetæ (*Perſi.*)

Eſtne aliquid quo tendis, & in quod dirigis arcum?
An paſſim ſequeris corvos, teſtaque lutoque,
Securus quo pes ferat; atque ex tempore vivis?

Deinde; propoſita ſtudiorum meta, curandum eſt, ut eo recta incedatis: ne, in diverticula frequentius deflectendo, propoſitum impediatnr iter. Ut, de quibus Seneca, (*Epiſt.*) *Ideo non diſcentes neceſſaria, quia ſupervacua didicerunt.*

Atque huc facit, tum rerum, tum librorum, delectus. Nolim enim, potioribus neglectis, ut *τὸς τυχόντας*, quoſvis obvios, indiſcriminatim evolvatis; ſed in ſuo genere optimos. Quod & alicubi monet Verulamius; Libros pariter ac cibos tractandos: ſunt quos primis attigiſſe labiis ſufficiat; alii, altius deguſtandi; alii denique, in ſuccum & ſanguinem convertendi. Atque hic quidem, tum veſtro opus erit judicio, tum indicio aliorum, quo rectius delectus inſtituatur.

Sed & eadem de cauſa, levioribus ſtudiis temperandum erit; ne, ſeveriorum jactura, charius emantur. Neque enim ſapientis eſt, quæ pro condimento eſſent, ciborum inſtar depaſci. *De illis* (inquit Seneca, *De brevitate vitæ,*) *nemo dubitabit quin operoſe nihil agant, qui in literarum inutilium ſtudio detinentur.* Non, quod ea penitus interdicta velim; ſed, moderanda.

Odi difficiles habere nugas;
Et ſtultus labor eſt ineptiarum. (Martial.)

Rhetoricam itaque velim veſtram, non mollem, elnmbem, delicatulam; ſed fortem, flexanimam, & argumentorum nervis ſtrenuam; ne, verborum aucupio intenti, rerum ſitis negligentiores. Orationem velim, nec barbaram, aut ſordidam; neque nimis ornatam: ne, qnod pro ornamento eſſet, materiem non tam ornet, quam tegat; ſitque oneri, magis quam ornamento. Quod, de aula Phœbi, tradit Ovidius; (*Metam.*)

Materiam ſuperabat opus.———
Non enim joculis, facetiis, & quæſito verborum tinnitu totus conſtat dicendi decor, (quæ pungunt magis quam penetrant:) ſed Rhetoris officium tum optime functi videamur, ſi perſuadeamus, quod ſuademus; quod petimus, impetremus. Sed & lepores ipſos, ſale mallem, quam aceto, tinctos, &, qui ſponte fluunt, magis quam qui ſtudio exquiruntur.

Diſputationes quod attinet: Vos argumentis, velim, & præſenti negotio preſſius inſiſtere; ſyllogiſmos debita forma compingere, juſtis conſequentiis firmare; omniaque ita ordinare, acſi probatum eatis quod ſuſcepiſtis probandum. Nollem itaque laxiores altercationes, aut informes rixas, & quæ ἔξω τοῦ πράγματος. Sed nec velim vos (quod moris plus ſatis obtinere video) de quæſtione in quæſtionem temere tranſcurrere, atque, quæcunque fuerit agitanda quæſtio, in quamlibet vel remotiſſimam tranſire, & univerſum quaſi Philoſophiæ ambitum pervagari. Quaſi quis *Jamaicam* iret *Belgas* debellaturus: ſitque ille omnium jaculator optimus, qui omnium longiſſime à ſcopo poſſit aberrare; nec quidquam devitet magis, quam quo erat collimandum. Eſt quidem illud rixari, altercari, nugari, aut pueriliter garrire: diſputare non eſt, (magis quam pugnare, eſt, doctum eſſe,) quippe quod à ſobrie diſputantis officio alienum eſt vel maxime; cui propoſitum eſſet, ut id potiſſimum inſectetur, quod ei, quæ præ manibus eſt, controverſiæ eſt conjunctiſſimum; neque ſe alio diverti facile patiatur.

Porro; Philoſophicis hiſce ſtudiis Linguarum item peritiam vel maxime conjunctam velim, eo ſaltem ut Græcum & Hebræum utriuſque Codicis textum, & legere poſſitis, & intelligere. Neque enim eo verſamur ſeculo, quo *Græce noſſe, ſuſpectum ſit*; *Hebraice, plane hæreticum.* Atque hoc quidem, ut omnibus uſui futurum ſit, & ornamento; ita Theologo plane neceſſarium; nec tam, quod ſciat, honorificum; quam, ſi neſciat, turpe. Neque enim video, quid, imperito cuilibet ex vulgo, commode ſit reponendum, literarum inutilitatem exprobranti, dum, Quorſum, inquit, non mihi pariter liceat vernaculis, atque vobis, Latinis verſionibus contentus eſſe; dum, ipſos adire fontes, uterque pariter neſcimus?

Denique (ne nimius ſim) in toto, tum eruditionis, tum pietatis, negotio, curandum erit, ut ad ſobrietatem expendatis omnia. Eſt ſiquidem, tum eruditionis, tum & religionis, inanis quædam larva & externa ſpecies, quæ ab utriuſque ſobria & ſolida εὐσεβεία immane quantum diſcrepat; ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, & μόρφωσις τῆς εὐσεβείας: 1 *Tim*. 6. 12. 2 *Tim*. 3. 5. quam ambientes nonnulli, pro corpore, umbram amplectuntur; ſeu, nubem pro Junone. Id vos interim, Academici, ſummopere hortatos velim; ut ſitis ſolidi, ſani, ſobrii; ne vel propriæ mentis levitas, vel veteratorum verſutia, ab eo vos divertat tramite, quo ad ſanam mentem tenditur, ad ſolidam tum eruditionem, tum pietatem.

Atque hæc ſunt, Juvenes, ſummatim tradita, quæ vobis dicenda habui, quo ad ſobrietatem incitemini; quo ſobrie docti ſitis, ſobrie pii. Quod quo rectius conſequamini, aſſiduos conatus veſtros, aſſiduis in Deum precibus, conſociari par eſt; qui omnium bonorum fons eſt, & largitor unicus. Qui vel σοφίαν, vel σωφροσύνην, *deſiderat, à Deo petat*; *qui & effuſe largitur, nec tamen exprobrat. Jac.* 1. 5. Det vobis ille vere σωφρονεῖν qui eſt *ſolus ſapiens, ſolus ſanctus, ſolus Deus. Jud. v.* 25. *Apoc.* 15. 4. Cui omnis laus, & honor, & gloria, in ſecula ſeculorum. Amen.

EPISTOLÆ
PAULI APOSTOLI
AD
TITUM
EXPOSITIO CURSORIA.

Tribus Prælectionibus publicis *Oxoniæ* habitis, pro Gradu Doctoratus in Theologia.

Maii 24, 25, 26. *Anno* 1654.

EPISTOLÆ PAULI APOSTOLI AD TITUM EXPOSITIO.

Cap. I.

Prælectio Prima.

NON patitur (Venerandi Patres, & Fratres,) aut illud, quod præ manibus eſt, negotium, aut temporis, quo illud eſt abſolvendum, anguſtia, ut prolixa vos detineam præfatione, aut rem ipſam longis ambagibus agam. Cum enim ea; quam ſuſcepi (Deo favente) explicandam, Paulina nempe ad Titum Epiſtola, ſit trihorio abſolvenda; neceſſe erit, ut omnia ſtrictim agam, ne longum ſcilicet iter facturo breviuſculi temporis ſpacium non ſufficiat.

Miſſis igitur iis omnibus quæ de Verbi Divini in genere, aut etiam ſpeciatim Novi Teſtamenti, vel dignitate, vel authoritate, & αὐθεντίᾳ dici poſſent, aliiſque ejuſmodi; ad illam; quæ præ manibus eſt, Epiſtolam explicandam me ſtatim conferam.

Incipit autem hæc Epiſtola, ſicut & Paulinæ reliquæ (ſaltem ſi illa ad Hebræos Paulina non ſit,) à Procemio quodam; quod Epiſtolæ Inſcriptionem continet, cum adjuncta breviuſcula Salutandi formula. *verſ.1.&c.*

Quod Procemium, cum in aliis fuſius ſit, aliis brevius, in hac ſaltem Epiſtola quatuor primoribus verſibus continetur. Παῦλος δοῦλος Θεοῦ, καὶ ἀπόστολος Ἰησοῦ Χριστοῦ κατὰ πίστιν ἐκλεκτῶν Θεοῦ. — Τίτῳ γνησίῳ τέκνῳ κατὰ κοινὴν πίστιν. Χάρις, ἔλεος, εἰρήνη ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς, καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν. Neque Paulinæ tantum, ſed & Epiſtolæ Jacobi, Petri, Johannis, & Judæ, ab ejuſmodi exordiis inchoantur.

Atque hoc ex veteri more factum eſt, tam Græcis, quam Romanis familiari, ut Ἀρχιμήδης Δοσιθέῳ εὐπράττειν· Ἀπολλώνιος Εὐδήμῳ χαίρειν. Et apud Ciceronem paſſim, *M. T. Cicero Servio Sulpitio* S. P. D. aut etiam brevius, *Cicero Baſileo S.* Sed & in ſacro Codice ejuſmodi exſtant formulæ; ut in Epiſtola Caldaica Tatnai, & Sether-Boznai, ad Regem Darium, *Eſræ.* 5. 7. לדריוש מלכא שלמא כלא *Dario Regi pax omnis*: & Artaxerxis ad Eſram Cap. 7. 12. *Artaxerxes Rex Regum, Ezræ Sacerdoti perito Legis Dei Cœleſtis, incolumitatem*: Sic in Epiſtola Nebuchadnezzaris ejuſmodi formula exſtat Caldaice, *Dan.* 4. 1. in hæc verba, נבוכדנצר מלכא לכל-עממיא אמיא ולשניא די-דארין בכל-ארעא שלמכון ישגא. Atque eadem formula verbatim utitur Rex Darius, Cap. 6. 25. *Darius Rex omnibus populis, nationibus, & linguis habitantibus in tota terra, Pax, vobis multiplicetur.* Similiter & in Novo Fœdere, *Act.* 23. 26. Κλαύδιος Λυσίας τῷ κρατίστῳ ἡγεμόνι Φήλικι, χαίρειν. Neque Ethnici tantum, ſed & Synodus Hieroſolymitana, *Act.* 15. 23. ejuſmodi utuntur formula, Οἱ ἀπόστολοι, καὶ οἱ πρεσβύτεροι, καὶ οἱ ἀδελφοὶ, τοῖς κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν, καὶ Συρίαν, καὶ Κιλικίαν ἀδελφοῖς τοῖς ἐξ ἐθνῶν, χαίρειν. Atque idem fere occurrit non Pauli tantum, ſed & in reliquis fere omnium Epiſtolarum Novi Teſtamenti exordiis.

Sed ad procemium Paulinum redeo; Cujus fere ſummula hæc eſt, *Paulus Tito Salutem.* Ubi occurrunt *Salutator*, *Salutatus*, *&* *Salutatio.* Quæ tria membra, adjuncta paraphraſi, paulo fuſius exponuntur.

Salutator in hac Epiſtola eſt ipſe Paulus, ejuſdem author; & quidem ſolus. Quod ideo potius moneo, quoniam in aliis non raro Epiſtolis, puta ad Corinthios, ad Philippenſes,

ad Coloſſenſes, habemus in ſalutatione nunc *Timotheum*, nunc *Soſthenem*, cum Paulo conjunctum; & quidem in Epiſtola ad Galatas, *omnes, qui cum illo erant, fratres*; dum interim in Epiſtolarum corpore ſolus deinceps Paulus loquatur. Et quidem in Epiſtola ad Philemonem, non modo ſalutanti Paulo ſubjungitur Timotheus, ſed & ſalutato Philemoni ſubjunguntur Apphia, & Archippus, & alii, dum tamen tota deinceps Epiſtola à ſolo Paulo ad ſolum Philemonem dirigitur: *Paulus captivus Jeſu Chriſti, & Timotheus frater*, (illi ſalutatores;) *Philemoni dilecto, & adjutori noſtro, & Apphiæ dilectæ, & Archippo commilitoni noſtro, & Eccleſiæ quæ domi tuæ eſt*, (hi ſalutati;) *Gratia ſit vobis, & Pax, à Deo patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto*, (ea eſt ſalutatio.) Sed deinceps numero ſingulari, *Gratias ago Deo meo, ſemper mentionem tui faciens in precibus meis &c.* Non vero, *Gratias agimus Deo noſtro mentionem veſtri facientes in precibus noſtris.* Sicut etiam in Epiſtola ad Epheſios, & utraque ad Corinthios, ſalutatio non ad illas tantum Eccleſias dirigitur, quas ſpectat Epiſtola, ſed ad alios etiam fideles in Chriſto; ut ex ipſis Epiſtolis liquet.

Quam quidem rem eſſe maxime advertendam exiſtimo; ad alia ſcripturæ loca commode interpretanda. Pari enim ratione factum eſſe credo, Actorum 15, ubi in Synodo Hieroſolymitana *Apoſtoli & Presbyteri* ſoli deliberatum conveniſſe memorantur: *verſ.* 6. ipſaque decreta à ſolis *Apoſtolis & Presbyteris* condita dicuntur, *cap.* 16. 4. in ipſa tamen Epiſtola Synodali *cap.* 15. 23. præter Apoſtolos, & Presbyteros, etiam τῶν ἀδελφῶν mentio facta eſt; *Apoſtoli, & Presbyteri, & fratres, iis qui ſunt Antiochiæ &c. Salutem.* Non quod fratres omnes, aut univerſa plebs, ſuffragia tulerint in condendis Decretis, quæ illic obſervanda proponuntur, ſed ſaltem in ſalute precanda concurrerint; ſicut & fratres omnes, qui cum Paulo erant, cum Epiſtolam ſcribebat ad Galatas, in ſalutatione quidem cum Paulo conjunguntur, non tamen propterea cenſendi ſunt in Epiſtola Apoſtolica authoritative ſcribenda concurriſſe.

Παῦλος δοῦλος Θεοῦ, ἀπόστολος δὲ Ἰησοῦ Χριστοῦ.] De Pauli nomine, non eſt, ut multa dicam; Qui ab Hebræis *Saulus* dictus vel שׁאול levi deflexione à Romanis videtur Romano nomine *Paulus* dici: In propriis enim nominibus ex linguis Hebraica, Syriaca, Arabica, aliiſque Orientalibus, in linguam ſive Græcam ſive Latinam transferendis, immutationes ſæpenumero non leves occurrere, nemo eſt qui neſcit.

Quis autem, & quantus fuerit Paulus, & hinc & aliunde liquet; Gente, Judæus, ex tribu Benjaminis; Regione, Cilix, Tarſenſis; Privilegio, Civis Romanus; Secta, Phariſæus; Profeſſione, Juris peritus; Eccleſiæ Chriſti, aliquando infenſus hoſtis, poſtea vero (converſus) factus eſt Apoſtolus, & ſpeciatim, Apoſtolus Gentium.

Paulus autem hic non nomine ſolo, ſed & duplici Epitheto deſcribitur [δοῦλος Θεοῦ, ἀπόστολος δὲ Ἰησοῦ Χριστοῦ.]

Prior titulus generalior eſt. *Servi* enim *Dei* multi ſunt, qui *Apoſtoli* non ſunt. *Servus* autem dicitur, vel qui ſervitium debet, vel qui ſervitium præſtat. Priori ſenſu, nemo eſt mortalium qui Dei ſervus non eſt: Deo enim ſervire tenentur omnes, tam boni, quam mali. Impietas enim, ſive nequitia, Creaturæ, non tollit dominium Creatoris. Poſteriori ſenſu, non niſi bonis, piiſque Deum colentibus convenit; & quidem vel latiori ſenſu ſumitur, prout quum piis omnibus promiſcue attribuitur, qui *Servi Dei, Deoque ſervire*, paſſim dicuntur; ut *Rom.* 6. 16. *Ezr.* 5. 11. *Iſai.* 65. 13. *Luc.* 1. 74. & 17. 10. 1 *Pet.* 2. 16. & alibi ſæpe: vel ſenſu ſtrictiori, prout ſervos aliquot inſigniores, eminentiori loco conſtitutos, deſignat. Sic Moſes, κατ' ἐξοχὴν *Servus Dei*, appellatur; *Num.* 12. 7. atque alibi paſſim: משה עברי. Sic etiam Joſhua, David, Nehemias, aliique qui Deo inſigniori aliquo loco ſerviebant. Sed & Chriſtus ipſe, *Iſai.* 42. 1. הן עברי *Ecce ſervus meus, quem ſuſtento, electus meus, quem benigne accipit anima mea, &c.* quæ verba de Chriſto exponuntur *Matt.* 12. 18. Atque hoc ſpeciali ſenſu, Apoſtoli, aliique qui inſigniori aliquo munere fungebantur, *Servi Dei, & Servi Jeſu Chriſti*, in novo Fœdere paſſim appellantur; quo ſenſu & hic Paulus ſe appellat δοῦλον Θεοῦ, *Servum Dei.*

Ἀπόστολος δὲ Ἰησοῦ Χριστοῦ] Eſt hic alter titulus, quo deſignatur Paulus, priori magis ſpecialis; peculiare munus deſignans, quo Deo ſerviebat; nempe, in Apoſtolatu Jeſu Chriſti. *Apoſtoli* autem vox, quid alibi extra ſcriptores ſacros deſignat, non vacat diſquirere. Nomen ipſum non aliud ipſa vi vocis deſignat, quam *legatum*, vel *nuncium*, qui ad negotium aliquod præſtandum ἀποστέλλεται, emittitur. Atque hoc ſenſu Epaphrodito, atque aliis ex fratribus, attribuitur vox ἀπόστολος *Phil.* 2. 25. 2 *Cor.* 8. 23. ſed cum adjuncta voce diminuente, ἀπόστολος ὑμῶν. ἀπόστολοι ἐκκλησιῶν. *legatus veſter*; *legati Eccleſiarum.* Non autem ἀπόστολοι Ἰησοῦ Χριστοῦ, *Apoſtoli Jeſu Chriſti.* Quo ſenſu laxiori etiam videtur ea vox ſumenda. *Rom.* 16. 7. *Luc.* 11. 49. & forſan alibi. Nomen autem *Apoſtoli* eminentiori ſenſu ſumptum attribui ſolet κατ' ἐξοχὴν, duodecim illis à Chriſto ſelectis, *Mat.* 10. 2. *Luc.* 6. 13. & alibi: ſed & aliis etiam aliquot, nempe Matthiæ, in Judæ locum ſurrogato; neque illi tantum, ſed & Paulo & Barnabæ: Speciatim vero Paulus ut ſeipſum ſæpiſſime Apoſtolum appellat, ſic & aliquoties Apoſtolatum ſuum ex profeſſo aſſerit; præſertim in Epiſtolis ad Corinthios ſcriptis; inter quos erant pſeudo-apoſtoli, qui ſe Paulo opponebant, ejuſque authoritati derogatum ibant:

ibant: authoritatem igitur ſuam, quam illi elevare ſatagebant, propugnat ille ſtrenue, atque aſſeruit, 1 *Cor.* 9. 2 *Cor.* 11. & 12. Sed & alibi; ſe quidem & Apoſtolum eſſe contendens, ipſiſque principibus Apoſtolis neutiquam inferiorem. Apoſtolorum autem munus videtur illud eſſe præcipuum, ut in univerſum orbem Evangelii prædicandi causâ emiſſi, Eccleſiæ Chriſtianæ fundamenta jacerent; totàmque ipſius οἰκονομίαν inſtituerent; eaque quæ à Chriſto edocti erant, Eccleſiis Chriſti obſervanda præciperent, & ſanctè retinenda; ut qui erant θεόπνευστοι, atque Infallibili Spiritus Sancti ductu in omnem veritatem dirigebantur: quapropter & eorum in Eccleſiis ſumma erat authoritas, atque αὐθεντία. Et quidem de *Apoſtoli* titulo hactenus.

Verum Paulus, & hic & alibi, non ſolum Apoſtoli titulo ſe inſignit, ſed Apoſtolatus munia ſummatim ſaltem recenſet; ad quid nempe factus eſt Apoſtolus, & ad quænam legationis negotia. Paulus Apoſtolus Jeſu Chriſti κατὰ πίστιν ἐκλεκτῶν Θεοῦ, *ſecundum fidem*, vel potius *quoad fidem, electorum Dei*, (puta propagandam, & mundo propalandam.) Nempe fidem in Jeſum Chriſtum, quæ quidem ſolis electis Dei conceditur, & qua ſola juſtificamur. Καὶ ἐπίγνωσιν ἀληθείας τῆς κατ' εὐσέβειαν, *agnitionem veritatis, quæ eſt ſecundum pietatem*: nempe ἐπίγνωσιν ἀληθείας, agnitionem veritatis, ſive veræ doctrinæ τῆς κατ' εὐσέβειαν, quæ pietatem ſpectat; hoc eſt, doctrinam de vita pie inſtituenda: Et hoc quidem ἐπ' ἐλπίδι ζωῆς αἰωνίου, *in ſpe*, vel *ſub ſpe æternæ vitæ*. Adeoque ad tria præſertim capita doctrinam Evangelicam reducit; Nempe, Doctrinam de Juſtificatione, per fidem; Doctrinam de vitæ Sanctimonia, ſive, vita pie inſtituenda; &, Spem futuræ Gloriæ. Hoc autem tertium Doctrinæ Evangelicæ membrum, nempe *Spem vitæ æternæ*, paulo fuſius perſequitur; ideo forſan, quia Reſurrectionis, atque æternæ vitæ doctrina, non modo Judæorum multis, ſed & præſertim Gentibus res admodum dubia videri poſſit. Ideoque cum ζωῆς αἰωνίου, *æternæ vitæ*, mentionem fecerat, adjungit ſtatim, ἣν ἐπηγγείλατο ὁ ἀψευδὴς Θεὸς, *quam gratioſè promiſit*, & quidem jam olim promiſerat, ὁ ἀψευδὴς Θεὸς, *Deus verax, mentiri neſcius*: neque nunc primo eam promiſit, his ultimis mundi temporibus; quaſi quid novum eſſet, antehac inauditum; ſed jam olim promiſerat πρὸ χρόνων αἰωνίων, *ante tempora ſecularia*, hoc eſt, *ante multa ſecula*. Illud enim dicere mallem, quam *ante tempora æterna*. Præterquam enim quod *tempora æterna* vix commode dicatur; ſaltem, *ante æterna tempora*, ſive ante æternitatem, quo modo quid fieri poſſe dicatur, vix aſſequor: ſed *ante longa*, ſive *diuturna tempora*, vel *tempora ſecularia*, puta tempora ſeculorum aliquot, illud ſatis commode factum dicitur, quod multis retro ſeculis fiebat, nempe jam inde à primis mundi temporibus. Sed neque voces hasce πρὸ χρόνων αἰωνίων, (quæ & hic, & 2 *Tim.* 1. 9. occurrunt,) ita intelligendas arbitror, acſi, *ante omnia ſecula*, adeoque ante mundum conditum, rem eſſe factam innuant, (licet viros aliquot & graves & eruditos ita ſentire non ignorem,) adeoque idem valeant atque illud πρὸ καταβολῆς κόσμου Eph. 1. 4. *ante jacta mundi fundamenta*: Sed *ante ſecula* ſaltem *aliquot*, vel etiam *multa*, non autem *omnia*. Quanquam enim omnino verum ſit, *Electionem*, de qua inſtituitur ſermo in loco illo ad Epheſios (ἐξελέξατο ἡμᾶς πρὸ καταβολῆς κόσμου) jam ab æterno fuiſſe, adeoque ante mundum conditum; attamen æternæ vitæ *Promiſſionem* non ante mundum conditum, ſed primis ſaltem mundi temporibus factam, dicendum erit. Atque hoc quidem eſt quod videtur Apoſtolus dixiſſe velle; nempe Promiſſionem vitæ æternæ non nunc temporis primitus factam eſſe, ſed jam olim; quæ quidem licet diſtinctè magis, atque manifeſte mundo jam patefacta ſit, atque explicata, per prædicationem Evangelii, quam ſibi inter alios divinitus concreditam eſſe affirmat Paulus *verſ.* 3. non tamen aliud eſt, quam quod olim Abrahamo, atque ante illum Adamo ipſi promiſerat Deus, dum, in *Abrahami ſemine* (nempe Jeſu Chriſto) *benedictas fore omnes gentes, & Mulieris ſemen ſerpentis caput contriturum*; jam olim pronunciaverat.

Atque hactenus de Paulo (cum ipſius Apoſtolatu, & munere) dictum eſt; qui Epiſtolæ author eſt: ſequitur Titus, cui ea dirigitur *verſ.* 4.

Τίτῳ γνησίῳ τέκνῳ κατὰ κοινὴν πίστιν.] Titum hic, ſicut & alibi Timotheum, γνήσιον τέκνον appellat Paulus, *genuinum filium*, non quidem generatione, ſed potius regeneratione κατὰ πίστιν, quem puta ad fidem Chriſti converterat, vel potius quem in fide Chriſti prædicanda inſtar filii habuit, & quaſi filium tractavit, quod & de Timotheo expreſſe dicitur *Phil.* 2. 22. Sed & addit non modo κατὰ πίστιν, ſed κατὰ κοινὴν πίστιν *fidem communem*; Paulo ſiquidem & Tito, adeoque Judæis & Gentibus communem. Non enim Titum, ut aliquando Timotheum, circumcidi voluit Paulus; (ut pro Judæo, vel Proſelyto habeatur:) quoniam Timotheus, quamvis ex Græco Patre, ex Matre tamen Judæa natus eſt, (ut patet *Act.* 16. 1.) ideoque ne Judæis ſcandalo eſſet, circumcidi illum curavit: Titum vero, utpote plane Græcum, ſive Gentilem, quanquam familiari ipſius commercio utebatur, neutiquam tamen circumcidit, ut patet, *Gal.* 2. 3.

At quæretis, Quorſum vel Timotheum, quamvis ex Matre Judæa, circumciderit Paulus, cum affirmet ipſe *Gal.* 5. 2. *ſi circumcidantur, nihil ipſis profuturum eſſe Chriſtum*; &, ne ipſis Judæis, jam eſſet Circumciſio neceſſaria? Vel ſi ob vitandum ſcandalum circumcideret Timotheum, cur non & Titum, quamvis Gentilem? Scandalo enim erat Judæis cum viro Gentili, niſi circumciſus eſſet, familiare commercium, quale Paulo & Tito intercesſit; ut

patet ex *Act.* 11. 2, 3. ubi Judæi Petro, eo nomine, litem intendunt, quod *ad viros præputium habentes* (Cornelium puta, ejuſque familiam) *intraverat, cumque illis comederat.*

Reſpondeo, In caſu Timothei, rem aliter omnino ſe habere, atque in caſu Titi; quorum ille, ſaltem ex Matre, Judæus erat; hic, plane Græcus. Quanquam enim, ne quidem Judæis, jam eſſet Circumciſio neceſſaria; abolitis quippe ritibus antiquæ Eccleſiæ Judaicæ: attamen, quoniam omnino certum erat, Judæis olim aliquando Circumciſionem imperatam fuiſſe ex lege; neque dum eorum pleriſque conſtabat, legem illam jam eſſe plane abolitam; indulſit illis Paulus aliquantiſper Legis Moſaicæ obſervationem; non quidem, ut neceſſariam, ſed, ut tolerabilem ſaltem. Adeoque non modo Circumciſionem iis indulſit, ſed & Ciborum delectum; ut patet ex *Rom.* 14. & 1 *Cor.* 8. Et quidem eam ad ipſos συγκατάβασιν exercuit, ut non modo Timotheum circumciderit, ſed & ipſe in Templo purificatus ſit, juxta legem Moſis. *Act.* 21. Hæc quidem, tunc temporis, ratus eſſe, quoad Judæos, inter ἀλλήλους. At vero, quoad Gentes, res omnino ſecus erat; ut qui ad Legis Moſaicæ ritus ne quidem olim tenebantur: qui quidem, non omnibus omnino Gentibus, ſed populo ſaltem Iſraelitico, in mandatis erant. Licet igitur Judæis, quibus hæc imperata fuerant, ipſorum obſervationem retinere aliquaotiſper permiſerit; Gentibus tamen, quibus nil tale imperatum erat, ritus Moſaicos jam de novo introducere neutiquam permiſit. Itaque quamvis indulgeodum eſſe Judæis putaverit, ut circumcidatur Timotheus, ex Matre Judæus, ad quem igitur Legem Moſaicam pertinere poſſe videatur; non tameo, ut Titus Gentilis circumcidatur, ad quem lex ea neque nnnc, neque olim ſpectabat. Et quamvis ipſe Timotheum Judæum circumciderit, ad Galatas tamen, qui ex Gentibus erant, Circumciſionem induci nullo modo paſſus eſt, ſed totis viribus in contrarium it, ut ex Epiſtola ad illos ſcripta abunde patet; nec ad Chriſtianos Antiochenos, qui & ex Gentibus, ut patet ex Hiſtoria, quæ habetur *Act.* 15. & Synodi Hieroſolymitanæ ea in re deciſione. Atque eo nomine litem ipſe obtendit Petro *Gal.* 2. 11. &c. ut qui diſſimulatione ſua, quo melius Judæis placeret, Gentibus perſuaſum ibat Legis Moſaicæ obſervatiooem etiam ipſis neceſſariam eſſe: quanquam enim Petro alibi licuiſſet, in Judæorum gratiam rebus lege vetitis abſtinere (quod & Paulus ipſe, ſiquando opus ſit, & aliis ſuadet, & ſe facturum affirmat *Rom.* 14. 1 *Cor.* 8.) attamen Judæis eouſque favere, ut hioc invaleſcat opinio, etiam Gentibus ea jam inducenda eſſe, ad quæ ne antea quidem tenebantur, neque Petro licuit, neque Paulus illud patitur. Atque hinc factum eſſe credo, quod in decretis Synodi Hieroſolymitanæ *Act.* 15. præter ſcortationem (quæ lege morali vetita eſt) etiam Idolothytorum, atque ſanguinis eſum Gentibus inhibuerunt, cum tamen Idolothyta comedere, extra caſum ſcandali, plane permittit Paulus, 1 *Cor.* 8. & ſiquando ex conſcientia abſtinendum ſuadeat, 1 *Cor.* 10. 28, 29. ſtatim ſubjungit, ſed non de conſcientia comedentis propria, ſed de conſcientia alterius, cui hoc eſt offendiculo, ſe iſthæc loqui. Quare nec in illa Synodo alio nomine vetita eſſe cenſenda ſunt, quam, ne ſint aliis ſcandalo, & præſertim Judæis. Et pariter de ſanguinis eſu judicandum exiſtimo; non quidem, quod eſſet plane atque per ſe illicitum, ſanguinem comedere: Ciborum enim delectum poſt Chriſti mortem ſublatum eſſe conſtat, tum ex viſione Petri *Act.* 10. qui quidpiam immundum appellare, diſertis verbis prohibetur (quanquam mundi, atque immundi differentiam non tantum à Moſis, ſed ab ipſius Noachi, temporibus invaluiſſe, certum ſit:) tum ex affirmatione Pauli 1 *Tim.* 4. 4, 5. qui abſtinentiam à cibis ideo culpat, quoniam *quicquid creavit Deus, bonum eſt; nec quicquam rejiciendum, ſi cum Gratiarum actione ſumatur.* Verum ideo Gentibus ſuadetur (prout tunc ſe res habebant) ab eſu ſanguinis abſtinere, ne Judæis eſſent offendiculo.

At dicetis, Quare non &, eadem ratione, reliqua Moſaicæ legis præcepta obſervarent?

Reſpondeo, Ob eam rationem, quam pridem innuimus; Quia nempe abſtinentia à ſanguine non tantum Judæis, ſed & omnibus Noachi poſteris, adeoque & Gentibus, inhibita fuerat, *Gen.* 9. 4. cum interim Circumciſio, non niſi poſteris Abrahami; &, præcepta Legis Moſaicæ, non niſi Iſraelitis erant imperata. Permittit igitur Gentibus, aut etiam ſuadet, Synodus Hieroſolymitana, eouſque Judæis indulgere, ut retineant aliquaotiſper illorum præceptorum, quibus aliquando tenebantur, obſervationem, non autem ut nunc primitus ſe novis oneribus ſubjiciant, eaque ſuſcipiant præcepta, quibus antea non tenebantur.

Atque hactenus de Tito dictum ſit, quem appellat Paulus *Germanum ſuum filium,* κατὰ κοινὴν πίστιν, *quoad fidem communem*; eandem ſiquidem fidem & ſibi Judæo, & Tito Gentili communem innuit. Quod autem hic leviter innuit, illud ex profeſſo probat *Rom.* 4. eadem nempe fide juſtificandos eſſe Romanos Gentiles, qua & Abraham olim & David juſtificabantur.

Sed de Salutaote & Salutato hactenus. Seqoitur Salutatio.

Χάρις, ἔλεος, εἰρήνη ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν.]

Gratiam, oempe, *miſericordiam & pacem* comprecatur, *à Deo Patre & Domino Jeſu Chriſto Servatore noſtro.* Ut apud Græcos χαίρειν, apud Romanos *Salvere*; ſic apud Hebræos שלום *Pax,* antiqua erat ſalutandi formula (ut ex variis utriuſque Teſtamenti locis liquet)

quet:) ſub *pacis* autem vocabulo integram videbantur felicitatem comprehendere, ſive bonorum omnium confluentiam. Nec quidem minus quidquam Paulum ea voce Tito comprecari exiſtimo. Adjungit autem duo alia vocabula, *Gratiam* nempe, & *Miſericordiam*; quorum quidem primum, *Meritorum* in nobis defectum; alterum, *Demeritorum* abundantiam, innuit. Nobis enim nil tale merentibus, quicquid obtingit boni, gratis obtingit, nequealiunde quam à Gratia mere gratuita expectari poteſt: Cum autem non modo non meruimus, ſed & *demeruimus*; non modo donante *Gratia*, ſed & condonante *Miſericordia*, nobis opus erit, ut *pacem* conſequamur; ideoque hæc tria junctim comprecatur Paulus, *Gratiam, miſericordiam, & pacem.*

Subjungit autem ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς, *à Deo Patre*, tanquam à ſummo fonte bonorum omnium, καὶ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν, *& à Domino Jeſu Chriſto Servatore noſtro*, ut qui ſolus à Deo Patre ea nobis & impetrare, & obtinere poteſt, adeoque nos ſalvos & ſoſpites præſtare, ut qui ſolus Σωτὴρ ἡμῶν, Salvator, vel Soſpitator noſter; tantam enim emphaſin in σωτῆρος voce agnoſcit ipſe Cicero, ut nulla apud Latinos ſolitaria vox occurrat, quæ illam adæquate exprimat: Siquidem Σωτὴρ ipſum ſignificat, qui & vitam ſive ſalutem dat, & datam conſervat.

Sed de Salutatione hactenus, adeoque de toto Epiſtolæ Procemio.

Sequitur ipſum Corpus Epiſtolæ.

PRÆLECTIO SECUNDA.

Tota fere hæc ad Titum Epiſtola (poſt procemium, quod jam expoſuimus) in variis monitis, ſive præceptis verſatur, quibus Paulus illum inſtituit, quo pacto in munere, quod ſuſtinebat, Evangelico ſe gerat; atque eadem opera & Titum & alios etiam ad quos perveniet Epiſtola, docet, quid ab illis, qui hujuſmodi funguntur munere, præſtandum erit.

Sunt autem præcepta illa partim de Miniſtris aliis κατὰ πόλιν conſtituendis, (à verſu 5. ad 12.) partim de ſuo ipſius munere obeundo; inde ad finem Epiſtolæ.

Verſu 5°. Dicit ſe Paulus Titum in Creta reliquiſſe, ut res ibidem Eccleſiaſticas nondum ſatis in ordinem redactas dirigeret, & rite diſponeret (ἵνα τὰ λείποντα ἐπιδιορθώσῃ) quas ipſe Paulus alio profecturus non potuit ob temporis, ut videtur, anguſtiam præſtare. Et ſpeciatim, ut Presbyteros κατὰ πόλιν, oppidatim, ſive per ſingulas civitates conſtituat, ut ego (inquit) tibi in mandatis dedi; (καὶ καταστήσῃς κατὰ πόλιν πρεσβυτέρους, ὡς ἐγώ σοι διεταξάμην.) Solebat enim ipſe Paulus, ubi per tempus licuit, quum Eccleſias fundaverat, Presbyteros illis idoneos præficere, qui ipſarum curam gererent; ut patet ex *Act.* 14. 23. Ubi autem illud ob temporis anguſtias præſtare non potuit, aliis id negotii demandabat; ut hic Tito in Eccleſia Cretenſi, & Timotheo alibi, in Eccleſia (ut videtur) Epheſina, 1 *Tim.* 3. 14, 15. Non autem ipſis Eccleſiis reliquit, ut ſibi ipſis ad libitum de Paſtoribus providerent; partim quod non tanto negotio pares eſſent; non enim cuilibet è plebe eas ſuppetere dotes (ut de Gratiis nihil dicam) credendum eſt, quæ tam gravi, tamque arduo negotio ſufficiant; partim quod illi negligentius forſan rem curaturi, parum eſſent ſolliciti, vel qualem haberent, vel etiam an haberent Paſtorem, (quod & hodierna apud noſtrates experientia plus ſatis comprobat.) Sed præſertim, ideo, quod ad populi munus neutiquam ſpectet Miniſtros Evangelii conſtituere, ſed à Deo miſſos acceptare. A Deo, inquam, *miſſos*. Quanquam enim nunc dierum de Miniſtrorum *vocatione* (à Populo ſcilicet) gliſcunt controverſiæ; in ſacra tamen pagina de *Vocatione* (à populo) ne verbum quidem, ſed de *Miſſione* (ad populum) totus inſtituitur ſermo. *Sicut miſit me Pater, ſic ego mitto vos* Joh. 20. 21. Joh. 17. 18. & Mat. 28. 18, 19. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra; profecti ergo docete omnes gentes &c.* Sunt verba Chriſti Apoſtolos mittentis: Non autem dicit, Sicut mundus vocavit me, ita mundus vocat vos; vel, Vocant vos omnes gentes, profecti ergo omnes gentes docete. Sic *Rom.* 10. 15. *Quomodo prædicabunt, niſi miſſi fuerint?* at nuſquam dicitur, Quomodo prædicabunt, niſi vocati fuerint? puta à populo. Et de Pſeudo-prophetis conqueritur Deus, *Jer.* 23. 21. *Non miſi*, inquit, *prophetas illos, at ipſi cucurrerunt; non allocutus ſum illos, attamen ipſi prophetarunt.* Et pariter *cap.* 14. 14. *cap.* 27. 15. *cap.* 29. *verſ.* 8, 9. at nuſquam conqueritur, quod Populo non vocante prophetaverint: ſed potius contrarium; nempe, renuente populo non tamen eorum authoritati derogatum eſſe; *Ezek.* 2. 4, 5. *Ego*, inquit, *mitto te ad illos, ut dicas illis, Sic ait Dominus Jehova. Illi vero, ſive audiverint, ſive obſtiterint, ſcient utcunque prophetam eſſe in medio eorum.*

At vero (dicat aliquis) Annon Paulus ſe dicit *vocatum Apoſtolum*, *Rom.* 1. 1. & alibi, Παῦλος κλητὸς ἀπόστολος Ἰησοῦ Χριστοῦ, & *Heb.* 5. 4. *nemo ſibi ipſi aſſumit hunc honorem, niſi qui vocatur*; ut idem videantur *vocari*, atque *mitti*.

Reſpondeo, Verum quidem eſſe, neminem ſibi hunc honorem aſſumere debere, niſi qui vocatur *à Deo, ſicut Aaron*; (illud enim ibidem ſequitur;) & Paulum quidem *vocatum eſſe* Apoſtolum, ſed διὰ θελήματος Θεοῦ, *ex voluntate Dei*, non hominum; 1 *Cor.* 1. 1. & 2 *Cor.* 1. 1. & οὐκ ἀπ' ἀνθρώπων οὐδὲ δι' ἀνθρώπου; *non ab hominibus, neque per homines, ſed per Jeſum Chriſtum, & Deum Patrem*; *Gal.* 1. 1. atque ad eundem ſenſum alibi. Fateor igitur, quoad rem, tantundem eſſe, à Deo *vocari*, nempe ad munus ſuſcipiendum, atque à Deo *mitti*, ad munus exequendum: At vero idem omnino eſſe, *à Deo mitti*, atque *à Populo vocari*,

omnino

omnino nego. Huic autem ideo fuſius aliquantulum inſiſto, quoniam à paucis obſervatum video. Cum interim ex immutata Scripturæ phraſi non parum incommodi emerſerit, dum omnes fere de Miniſtri Vocatione diſſerunt, quaſi à Populo vocetur; at de Miſſione à Deo fere altum eſt ſilentium: cum è contra, S. Scriptura de Miſſione (nempe à Deo ad Populum) multa paſſim habet, at de Vocatione per populum, ne γρῦ quidem. Nec quidem tam ſolent ovium greges Paſtores accerſere, vel advocare, eiſque poteſtatem conferre; quam Domini potius ſuis ovibus Paſtores præficere, qui quidem à Domino, non ab ipſis ovibus, poteſtatem accipiunt. In Paſtorum igitur, ſive Miniſtrorum Eccleſiaſticorum, conſtitutione non tam quærendum videtur *Quis vocavit*, quam *Quis miſit*. Miſſio autem eſt à Deo, ſive Chriſto, Eccleſiæ Domino, qui Miniſtris, ſive legatis ſuis, id muneris demandat, non modo ut Eccleſias jam collectas paſcant, aut viros jam ſalutariter converſos ulterius inſtruant, ſed ut Eccleſias etiam colligant, & rebelles, ſive infideles, ad obedientiam fidei adducant, & contradicentibus os obſtruant. Eſt autem hæc Miſſio authoritativa (qua poteſtas miniſterialis confertur) à Deo, aut Chriſto, vel quidem immediate, ſicut olim Prophetarum aliquot, & Chriſti temporibus Apoſtolorum miſſio; vel ſaltem mediate per eos, quibus hoc negotium à Chriſto demandatur, quique ipſius ſive Dei, ſive Chriſti vices ſubeunt, & quaſi perſonam ſuſtinent: adeoque ad Verbi Miniſtros id negotii pertinet, quos Dei legatos, nuncios, πρεσβεύομεν, appellant Scripturæ; quoſque ut Dei Nomine nos alloquentes, monentes, increpantes, aliaque erga nos munia exequentes, par eſt ut agnoſcamus; quique nobis in Domino præſunt.

Quod autem hæc authoritativa Miſſio, quam *Ordinationem* vulgo dicimus, ſit in Eccleſia retinenda, quodque per verbi Miniſtros præſtanda ſit, patere poteſt, non modo ex ratione jam aſſignata, (quia nempe præſtanda eſt à poteſtate ſuperiori, quæ Dei loco ſit; juxta illud *Heb.* 5. 1, 4. Neque *ſibi ipſi quiſquam ſumit hunc honorem, ſed qui vocatur à Deo, ſicut Aaron*; non ab inferiori, qualis eſt grex, cui præeſt; præſertim cum poteſtas miniſterialis per Ordinationem collata non ad unum tantummodo gregem peculiarem, ſed & ad alios, prout res tulerit, extenditur; & quidem mutato grege non tamen iteranda ſit Ordinatio:) Verumetiam Apoſtolicorum temporum exemplis ulterius liquet, *Act.* 13. 1, 2, 3. *Act.* 14. 23. 1 *Tim.* 4. 14. 2 *Tim.* 1. 6. *Tit.* 1. 5. &c. 1 *Tim.* 3. per totum 1 *Tim.* 5. 22. Et quidem *Act.* 6. ubi de Diaconis agitur, non qui Eccleſiæ præſint, ut Presbyteri, ſed ſubſerviant; quanquam Apoſtolis viſum ſit populo permittere, ut de idoneis viris ſibi proſpiciant, quos Apoſtolis ſiſterent ipſi (ne forſan in re pecuniaria ſiniſtram aliquam de Apoſtolis ſuſpicionem conciperent) non tamen authoritativam muneris collationem populo permittebant, ſed penes ſe retinebant, *verſ.* 3. ἐπισκέψασθε ἄνδρας ἐξ ὑμῶν ἑπτὰ, *exquirite è vobis viros ſeptem &c.* οὓς καταστήσομεν, *quos Nos præficiamus huic negotio*; quod & deinceps factum eſt, *verſ.* 6. Sed & idem urgere licet ab ipſius Chriſti exemplo, qui & ipſe à Deo miſſus eſt, & ſuos etiam ipſe miſit, ut patet *Heb.* 5. 4, 5. *Mat.* 10. 1. *Marc.* 3. 14, 15. *Luc.* 9. 1, 2. *Luc.* 10. 1, 2. *Mat.* 28. 18, 19. *Marc.* 16. 15. *Joh.* 17. 18. *Joh.* 20. 21. Miſſio ſiquidem ubique fit à poteſtate ſuperiore, Dei vices ſuſtinente, miniſtros ad populum ſive convertendum, ſive confirmandum, mittentis. Sed de poteſtate miniſtros Evangelicos Ordinandi hactenus. *Jus Advocationis* (ut dicitur) ſive *Patronatus* non attingo, ut quæ res eſt plane Civilis, non Eccleſiaſtica; quatenus ſcilicet Ordinationi, atque Inſtitutioni contradiſtinguitur; neque tam poteſtatem miniſterialem ſpectat, quam poteſtatis exercitium, pro hic, & nunc.

Verum hoc obiter notandum duco; Titum hic juberi Presbyteros κατὰ πόλιν conſtituere, ſive per ſingulas urbes; ut nempe ſingulæ urbes ſuos habeant Presbyteros, ſive unum, ſive plures, ut opus erat. Adeoque Eccleſiarum, quibus præerant, limites, juxta locorum, ſive urbium, ubi habitabant, cancellos erant, ut videtur, determinati; prout apud nos Eccleſiæ Parochiales. Non enim probabile videtur, in Eccleſiis Cretenſibus, aut etiam primitivis aliis, ex variis Urbibus, vel Oppidis, collecta hinc inde ad libitum membra Eccleſiam unam conſtituiſſe, uni Paſtori ſubditam, atque ex eiſdem Urbibus, vel Oppidis alia aliam ſub alio Paſtore (intermiſtis ſcilicet promiſcue intra eoſdem limites diverſarum Eccleſiarum membris) ſed omnes potius intra eoſdem limites Chriſtianos ad eandem Eccleſiam, eundemque Paſtorem pertinere; (niſi forſan alicubi linguarum diverſitas, aut alia aliqua grandioris momenti circumſtantia aliud nonnunquam ſuadeat.) Quod ideo magis inducor ut credam, quoniam Eccleſias omnes in Novo Teſtamento memoratas vix alio unquam charactere vel deſignatas, vel ab invicem diſtinctas reperio, quam per loca ubi habitabant. Quid enim aliud ſignificant, Eccleſia Hieroſolymitana, Romana, Corinthiaca, Epheſina, Philippenſis, Coloſſenſis, Theſſalonicenſis, Smyrnenſis, Pergamenſis, Thyatirenſis, Sardenſis, Philadelphienſis, Laodicenſis, quam Eccleſias fidelium Hieroſolymis, Romæ, Corinthi, Epheſi, Philippis, Coloſſis, Theſſalonicæ, Smyrnæ, Pergami, Thyatiræ, Sardibus, Philadelphiæ, Laodiceæ, commorantium. Et ſiquando proni erant ſe in partes diſtrahere, prout hi uni, illi alteri Paſtori favebant, (quod Corinthi videtur contigiſſe,) illud à Paulo ſevere reprehenſum eſt, ut ex Epiſtolis ad Corinthios liquet. Sed & de his hactenus.

Dum autem Tito præcipit Paulus Presbyteros κατὰ πόλιν conſtituere, non interim vult,

ut τυχόντα quemlibet ad hoc officium cooptet, ſed viros tanto negotio ſi non pares, idoneos ſaltem (quantum quidem fieri poſſit, quis enim πρὸς ταῦτα ἱκανός;) Presbyter autem, vel Epiſcopus, (promiſcue enim & hic & alibi uſurpantur voces illæ, præſertim *Act.* 20. 17, 28. Et qui memorantur Epiſcopi *Phil.* 1.1. non alii videntur eſſe, quam Presbyteri: Erat enim Philippi Urbs non adeo magna; ſi plurium parochiarum, ſaltem non plurium Diœceſium capax,) qualis eſſe debeat in ſequentibus oſtendit Paulus. Quæ autem poſtulat, in duas claſſes videntur diſtribuenda, nempe quædam ipſius perſonam ſpectant, *verſ.* 6, 7, 8. Εἴ τις ἐστιν ἀνέγκλητος, *ſiquis eſt inculpatus*, vita proba, moribus honeſtis; μιᾶς γυναικὸς ἀνήρ, *unius uxoris vir*, ſive etiam *unius mulieris*; quod ego non tam contra ſecundas nuptias dici arbitror (quod aliquibus viſum eſt) quam contra polygamiam, ſive etiam concubinatum, τέκνα ἔχων πιστά, *liberos habens fideles*, Chriſtianam fidem amplexos; μὴ ἐν κατηγορίᾳ ἀσωτίας *non luxus crimini obnoxios*, quod non tantum de ebrietate intelligo, ſed ut ne bibaces ſint, vel edaces, epulis puta & compotationibus frequentes, quanquam & mente & pedibus interim conſiſtere valeant; ſed addit, μὴ ἀνυπότακτα, *ut ne refractarii ſint*, ſive *immorigeri*; multum enim conducit famæ & reputationi Paſtoris, ſi & ſe & ſuos bene moratos eſſe curet. Δεῖ γὰρ ἐπίσκοπον ἀνέγκλητον εἶναι ὡς Θεοῦ οἰκονόμον, *Oportet enim Epiſcopum inculpatum eſſe, ut Dei diſpenſatorem*, puta, qui Dei dona diſpenſet, & res divinas adminiſtret, & domo Dei præſit; μὴ αὐθάδη, *non pertinacem*, non ſibi pertinaciter placentem; μὴ ὀργίλον, *non iracundum*; iratum eſſe licet, ubi res poſtulat, at non iracundum eſſe, ſive iræ deditum; μὴ πάροινον, *non vinoſum* ſive vino deditum, multo minus vel ebrioſum, vel etiam ebrium; μὴ πλήκτην, *non percuſſorem*, ſed pacificum potius; μὴ αἰσχροκερδῆ, *non turpem quæſtum facientem*: ἀλλὰ φιλόξενον, *ſed hoſpitalem*, φιλάγαθον, *bonorum amantem*, qui & bona, & bonos amat; σώφρονα, *ſobrium, temperantem*, qui etiam in rebus licitis utendis modum ſervat, & mediocritatem; δίκαιον, *juſtum*, in rebus, puta, quæ pertinent ad hominem; ὅσιον, *ſanctum*, in rebus quæ ad Deum; ἐγκρατῆ *continentem*. Atque hæc Paſtorem ſpectant, ut Virum bonum: Quæ quidem omnia, ut ſingulis Chriſtianis ineſſe debeant, ita Miniſtris præſertim. Verum ea ſigillatim ulterius proſequi non vacat, ob temporis anguſtias.

Alia ſunt, quæ eundem ſpectant, ut bonum Paſtorem, quæ nempe immediatius ſpectant munus ipſum paſtorale; *verſ.* 9. ut nempe ſit ἀντεχόμενος τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου, *tenax fidelis illius ſermonis, qui ad doctrinam facit*; nempe ut nec à veritate declinet ipſe, nec inde ab aliis divelli poſſit; ſed ut veram doctrinam amplectatur, eique firmiter adhæreat. Atque hoc quidem ob duplicem finem, ἵνα δυνατὸς ᾖ καὶ παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ, καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, *ut potis ſit & exhortari doctrina ſana, & contradicentes convincere*. Quorum quidem primum ad Theologiam Practicam, & Conciones ad populum præſertim ſpectat, aut etiam ubi alias vel hortatione, vel monitione opus ſit; reliquum ad Polemicam videtur magis pertinere, ut nempe valeat, tam quæ vera ſunt defendere, & propugnare, quam oppugnare quæ falſa ſunt, & ſolide refellere; quæque vel ſanæ doctrinæ vel pietatis efficaciæ ſunt adverſa, à populo ſubmovere; ne ψευδοδιδασκάλων aſtutia & fraude de via veritatis incauti recedant, atque erroribus obruantur.

Et quidem omnino optandum eſſet, ut & qui nunc dierum Miniſterio Evangelico ſeſe addicunt, tantique momenti onus ſuſcipiunt, utrumque illud munus ad ſe ſpectare ſciant; neque ita ſe illorum uni applicent, ut reliquum plane negligatur; atque illud ſibi negotii commiſſum eſſe ſerio perpendant, non modo ut gregem ſuæ fidei commiſſum ſana doctrina paſcant, ſed & contra lupos defendant. Adeoque nec ita ſe totos controverſiis implicent, ut interim ſanam doctrinam negligant, qua populus ad veram fidem, & reſipiſcentiam excitetur, vitamque Deo dignam & præceptis Evangelicis conformem; quod quidem non paucis ex clero, eiſque neque malis, neque indoctis ſolebat ante aliquot annos vitio verti: Nec tamen ex adverſo, hortationibus & concionibus ad populum ita ſe totos dedant, ut interim de ſolida eruditione parum ſint ſolliciti, atque abſtruſiores Theologiæ apices vel ipſi plane non intelligant, vel ſaltem defendendo non ſint, ζῆλον Θεοῦ ἔχοντες ἀλλ' οὐ κατ' ἐπίγνωσιν. Illud potius ſuaderem, ut utrumque ſui muneris eſſe perſentiſcant, utrique ſe junctim applicent, ἵνα δυνατοὶ ὦσι καὶ παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ, καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν· adeoque *ſe probatos Deo ſiſtant operarios, qui non erubeſcant*.

Et quidem in hunc finem, autor eſſem iis qui apud nos ad ſtudia Theologica aluntur, ut hanc, quam habent oblatam anſam avide arripiant, & amplectantur; dum vires, annique ſinunt, dum quod aliis negatum eſt, ipſi fruuntur otio; dum curis paſtoralibus, & perpetuis de grege vigiliis nondum implicantur, ſtudiis incumbant ſtrenue, Theologica veritate ſe penitus imbuant, abſtruſos apices diſcutiant, fontes ipſos adeant (puderet enim virum Theologum ſacræ ſcripturæ textum, ſive Græcum, ſive Hebraicum, ne legere quidem poſſe, nedum intelligere;) neque ſumma tantum hinc inde carpere contenti, fundum ipſum inquirant, ut firma habeant fundamenta quibus quæ ſuperinſtructa ſunt ſuffulciantur; penu denique habeant Theologicum adeo numeris omnibus inſtructum, ut inde, boni inſtar patris-familias, depromant, prout deinceps opus fuerit, & vetera, & nova.

Sed de qualificatione Paſtoris hactenus.

Verſu 10, & ſeq. ſubjungit cauſam Paulus, cur neceſſe ſit, ut Miniſter Evangelicus ita

ſit

ſit inſtructus: εἰσὶ γὰρ πολλοὶ καὶ ἀνυπότακτοι, ματαιολόγοι, καὶ φρεναπάται, μάλιστα οἱ ἐκ περιτομῆς. *Multi* inquit, *ſunt refractarii*, ἀνυπότακτοι, qui non adeo facile aut doctrinæ Evangelicæ ſe ſubjicient, aut etiam ſubjici patientur, ματαιολόγοι *vaniloqui*, φρεναπάται *ſeductores*, impoſtores, deceptores mentium, qui nempe vaniloquiis ſuis & verbis inanibus nil ſani continentibus illud agunt, ut incautas mentes decipiant, eiſque imponant, atque ſuis irretiant dolis, & tum quidem maxime, quum ſpeciem pietatis fingunt (neque enim ullus eſt lupus infeſtior, unde majora mala gregi metuantur, quam qui ovina pelle indutus eſt, neque alibi magis à tenebrarum principe metuendum videtur, quam ubi ſe fingit Angelum lucis) atque inter hos quidem illi, quos diſertius, & nominatim perſtringit, ſunt οἱ ἐκ περιτομῆς, *qui ſunt ex circumciſione*, illi nempe ſive Judæi, ſive Judaizantes, qui neceſſitatem circumciſionis, legiſque Moſaicæ obſervandæ etiam Gentibus ſuadere ſatagebant; quibus Paulus, tam in *Act.* 15. quam in Epiſt. ad Galatas paſſim, atque etiam alibi ſæpe, ſe opponit ſtrenue. Sed addit Paulus, οὓς δεῖ ἐπιστομίζειν, his nempe refractariis, vaniloquis, ſeductoribus *neceſſe eſt, ut os obſtruatur*, οἵτινες ὅλους οἴκους ἀνατρέπουσι, διδάσκοντες ἃ μὴ δεῖ, αἰσχροῦ κέρδους χάριν, *qui totas*, inquit, *domus ſubvertunt, ea docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia*; nempe ut tenue aliquod lucellum ſibi comparent, non curant totas familias ſubvertere, ea docendo, quæ ipſis fortaſſe magis placeant, quanquam veritati Evangelicæ contraria. Cum igitur cum hujuſmodi viris Paſtori ſit negotium, quibus neceſſe ſit os obſtruat, erit etiam neceſſe ut & ipſe doctrina ſanus ſit, & contradicentes valeat refellere.

Quod autem cum ejuſmodi (ſive Viros ſive Bruta potius appellare placeat) Paſtori Cretenſi futurum eſſet negotium, Argumento ad homines ſatis valido comprobat Paulus verſu 12. εἶπέ τις ἐξ αὐτῶν ἴδιος αὐτῶν προφήτης, *dixit quidam ex ipſis proprius ipſorum Propheta*, Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί, *Cretenſes ſemper mendaces, malæ feræ, ventres pigri*; niſi potius, quod nonnullis placet, γαστέρες ἀργαὶ pro γαστέρες μάργαι dicatur, carminis gratia, atque hoc quidem diviſim pro γαστρίμαργοι, quod *belluones* ſignificat, ſeu comedones ſtrenuos, à μάργος ſive μαργαίνω *inſanio*. Quis autem fuerit Epimenides ille, cujus hæc ſunt verba, quantique apud ſuos habitus, & quare Propheta dictus, diſcere poſſumus ex Cicerone, Laertio, Plutarcho, & aliis, quos citant Interpretes ad locum.

An vero ſolis Eccleſiis Cretenſibus, aut illis tantum temporibus peculiares erant hujuſmodi homunciones, aut etiam aliis Eccleſiis, aliiſque temporibus communes? Omnino aliis tam Eccleſiis, quam temporibus communes eſſe cenſendi ſunt, quanquam de Cretenſibus hic ſpeciatim inſtituitur ſermo. Quæ enim hic ad Titum de Cretenſibus habet Paulus, eadem fere de Epheſiis habet ad Presbyteros Epheſinos *Act.* 20. 28. &c. *Attendite*, inquit, *vobis ipſis, & toti gregi, &c. Ego enim illud ſcio, lupos graves, non parcentes gregi, ingreſſuros eſſe in vos poſt diſceſſum meum; & ex vobis ipſis exorituros, qui loquantur perverſa, ut diſcipulos poſt ſe abſtrahant.* Quibus paria occurrunt aliquoties in Epiſtolis ad Timotheum, & alibi. Et ne de illis tantum temporibus intelligenda videantur; eadem futuris etiam temporibus exſpectanda ex profeſſo dicitur 2 *Tim.* 3. continuis octo verſibus primoribus; Nempe, *futurum eſſe, ut extremis temporibus inſtent tempora moleſta*, (ſive periculoſa.) *Erunt enim homines ſui amantes, avari, glorioſi, ſuperbi, maledici, parentibus immorigeri, ingrati, prophani, Charitatis expertes, neſcii fœderis, calumniatores, intemperantes, immites, minime amantes bonorum, Proditores, præcipites, inflati, voluptatum amantes potius quam amantes Dei, Habentes formam pietatis, ſed qui vim ejus abnegarunt, iſtos igitur averſare: Ex his quidem ſunt qui irrepunt in familias, & captivas ducunt mulierculas, cumulatas peccatis, actas cupiditatibus variis, Semper diſcentes, ſed quæ nunquam ad cognitionem veritatis pervenire poſſint. Quemadmodum autem Jannes, & Jambres reſtiterunt Moſi, ita & hi reſiſtunt veritati, homines mente corrupti, rejectanei circa fidem.* Sed & alia hiſce gemina occurrunt 2 *Pet.* 2. & Epiſt. Judæ, & alibi. Ut dubium non ſit eadem & in omnibus Eccleſiis, omnibuſque temporibus exſpectanda: adeoque non Cretenſibus ſolum, ſed omnibus ubivis gentium Paſtoribus id muneris incumbere. Sed de Paſtoribus ordinandis hactenus.

Quæ ſequuntur ad Titum monita ſunt de peculiari ſua, qua gaudebat, functione exſequenda. Quænam autem ea fuerit, ſi quæratur; paucis illud exſequar. Fuiſſe quidem Titum Verbi Miniſtrum; nemo eſt qui dubitet; de gradu Miniſterii, quem ſuſtinebat, ſola Quæſtio eſt. Apoſtolis autem inferiorem fuiſſe, atque ordinariis interim paſtoribus ſuperiorem, videtur etiam in confeſſo eſſe, variis & ab hac Epiſtola, & aliunde deſumptis argumentis id ſuadentibus. Eodem etiam Timotheum atque Titum munere defunctos eſſe, extra dubium poni videtur, cum eadem fere ſint præcepta, quæ & hic ad Titum, & ad Timotheum alibi, in mandatis dantur, de munere exſequendo. Timotheum autem Evangeliſtam fuiſſe conſtat ex 2 *Tim.* 4. 5. *At tu vigila in omnibus, perfer injurias, opus perage Evangeliſtæ, Miniſterii tui plenam fidem facito.* Evangeliſtam igitur & Titum fuiſſe non eſt cur dubitemus: adeoque inferiorem Apoſtolis, Paſtoribus autem ordinariis ſuperiorem, ut patet ex *Eph.* 4. 11. Quod quidem munus in Eccleſiis, utpote extraordinarium, ſimul cum Apoſtolatu deſiiſſe, pleriſque eſt in confeſſo.

De munere autem iſthoc exſequendo, quantum ad res Eccleſiaſticas diſponendas, & conſtituendos.

ſtituendos κατὰ πόλιν Presbyteros, jam dictum eſt in ſuperioribus. De Verbi autem Miniſterio à ſe perficiendo in ſequentibus agitur.

Quales erant Cretenſes, quibuſcum illi res erat, ex Epimenidis teſtimonio jam audivimus: quod quidem non modo ad homines validum eſt argumentum, ſed & reapſe verum eſt teſtimonium, ipſo Paulo confirmante *verſ.* 13. *Teſtimonium hoc verum eſt.* Et propterea non palpandi ſunt, ſive adulandi, ſed ſevere atque rigide tractandi; ut eo nomine monet Paulus, δι' ἣν αἰτίαν ἔλεγχε αὐτοὺς ἀποτόμως, *ſevere,* (rigide, præciſe,) *eos redargue, ut ſani ſint in fide.* Perverſi quippe hominum mores rigidam magis tractationem poſtulant; prout dici ſolet, *intemperans æger crudelem facit medicum.* Quod & Solomon monet, *Prov.* 26. 4, 5. *Reſponde ſtolido ſecundum ſtultitiam ejus,* ita nempe ut ſtultitia ejus poſtulat, *ne ſit ſapiens in oculis ſuis;* *Non* autem *reſponde ſtolido ſecundum ſtultitiam ejus,* puta ſtolide, prout ille ſtolide loquitur, *ne tu quoque adæqueris ei.* Adeoque ubi cum Cretenſibus res eſt, non quidem Cretizandum eſt cum Cretenſibus, ut ipſis aſſimulemur; ſed ita tractandi ſunt Cretenſes, prout Cretenſes tractari par eſt, adeoque libere & ſine fuco redarguendi. Sicut ubi gangrænam, aut inveteratum ulcus tractat Chirurgus, non molli cataplaſmate, ſed ferro & igne opus eſt.

Sed quorſum hæc tendit Cretenſium ſevera reprehenſio? Nempe *ut ſani ſint in fide,* ἵνα ὑγιαίνωσιν ἐν τῇ πίστει, non ut pridem ἀνυπότακτοι, & φρεναπάται, *contumaces* & *ſeductores;* ſed & ipſi doctrinæ Evangelicæ ſe ſubmittant, nec alios decipiant, vel inde ſeductum eant: verum inſuper, ut qui prius ματαιολόγοι *vaniloqui,* vanis puta Judæorum fabulis nimium intenti, & humanis traditionibus nimis addicti, quales erant illæ de ciborum delectu, aliæque partim ex Lege Moſaica, quæ jam erat antiquata, partim ex ſuperadditis Seniorum præceptis, doctrinæ; unde nil ſani, aut ſolidi, ad ſeriam & ſobriam pietatem conducens exſpectandum erat; jam tandem diſcant ſerio ſapere μὴ προσέχοντες Ἰουδαϊκοῖς μύθοις, καὶ ἐντολαῖς ἀνθρώπων ἀποστρεφομένων τὴν ἀλήθειαν, *non attendentes Judaicis fabulis, & doctrinis hominum averſantium veritatem.* Quicquid enim in contrarium ogganniant iſti Judaici Magiſtri, de rerum aliquarum puritate ſive impuritate, quaſi in Ciborum delectu neſcio quid Religionis locandum eſſet; certe πάντα μὲν καθαρὰ τοῖς καθαροῖς, *omnia quidem pura ſunt puris;* τοῖς δὲ μεμιασμένοις καὶ ἀπίστοις οὐδὲν καθαρόν, ἀλλὰ μεμίανται αὐτῶν καὶ ὁ νοῦς, καὶ ἡ συνείδησις, *pollutis autem & non credentibus nihil eſt purum, ſed polluta eſt eorum & mens, & conſcientia;* adeoque non tam de Ciborum puritate ſive impuritate externa ſolliciti eſſent, quam de interna mentis & conſcientiæ puritate: quique ſecus faciunt, quamvis hominibus haberi vellent præ aliis religioſi, nihilo tamen ſunt Deo acceptiores, dummodo Θεὸν ὁμολογοῦσιν εἰδέναι, τοῖς δὲ ἔργοις ἀρνοῦνται, βδελυκτοὶ ὄντες καὶ ἀπειθεῖς, καὶ πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἀδόκιμοι; *Deum profitentur ſe ſcire, ſed factis negant, utpote abominandi & rebelles, & ad omne opus bonum rejectanei.*

Atque hactenus de Capite primo dictum eſt.

Cap. II.

Prælectio Tertia.

Capite ſecundo procedit Paulus Titum inſtituere in Miniſterio Evangelico obeundo quomodo ſe gerat: Et monet quidem, ut tam præcepto quam exemplo aliis documento ſit, quales eſſe debeant. Ut præcepto doceat, monet verſu 1. & ſeqq. Σὺ δὲ λάλει, ἃ πρέπει τῇ ὑγιαινούσῃ διδασκαλίᾳ, *tu vero loquere quæ decent ſanam doctrinam.* Quænam autem ea ſpeciatim ſint, in ſequentibus oſtendit, ut mox dicetur. De exemplo monet, verſu 7. περὶ πάντα σεαυτὸν παρεχόμενος τύπον καλῶν ἔργων, *per omnia teipſum præbens exemplar bonorum operum.*

Quænam autem ſunt ea, quæ Titum monet Paulus præcepto docere? Ea ſcilicet, quæ cuique prout vel ætas, vel ſexus, vel etiam vitæ ratio poſtulat, præcipue ſint attendenda. Nempe, quæ ad Senes dicenda ſunt habemus *v.* 2. quæ ad Anus *v.* 3. unde & ad Adoleſcentularum officia tranſit *v.* 4. & Juvenum tandem *v.* 6. Servorum etiam officium explicat *v.* 9. & tandem omnium, prout erant Magiſtratibus ſubditi, initio *Cap.* 3. ad alia denique præcepta, quæ ad omnes promiſcue ſpectant, deinceps in eodem capite tranſeundo.

Senes quod attinet, ſive viros ætate provectiores, monet *verſ.* 2. πρεσβύτας νηφαλίους εἶναι, σεμνούς, σώφρονας, ὑγιαίνοντας τῇ πίστει, τῇ ἀγάπῃ, τῇ ὑπομονῇ. Πρεσβύτας quos hic appellat, ſive ſenes, de ſenioribus ætate intelligo, non ſenioribus munere, quos πρεσβυτέρους potius appellare ſolet: quod ideo magis dicendum videtur propter eam, quæ ſequitur, Juniorum mentionem. Vult autem ſenes νηφαλίους εἶναι, *ſobrios;* eſt enim ebrietas in quocunque turpe vitium, in ſenioribus autem turpiſſimum; vino quidem ad ſalutem uti omnino licitum eſt, non ad ebrietatem: Vult inſuper ut ſint Σεμνοὺς *graves, venerandi,* ut ab iis nempe abſtineant, quæ Juvenilem levitatem ſapiant: Sint item Σώφρονας, quod ſive de *Prudentia,* ſive *Temperantia* intelligatur, non multum refert; utraque enim, ut & alios, ita ſenes præſertim decet. Vult denique ut

ſint ὑγιαίνοντας τῇ πίστει, τῇ ἀγάπῃ, τῇ ὑπομονῇ, ut *ſani* ſint & *fide*, & *charitate*, & *tolerantia*.
Sanitatem in fide intelligo, de doctrina ſana ſive incorrupta, prout erroribus, & hæreſibus
opponitur; ſanitatem in charitate, & tolerantia, de ſinceritate, quæ ſimulationi, & hypo-
criſi opponitur, ut amor ſit ἀνυπόκριτος, ut *Rom.* 12. 9. Anus autem, ſive ſeniores fœminas,
πρεσβύτιδας, vult eſſe ἐν καταστήματι ἱεροπρεπεῖς, *ita ornatas, ut ſanctimoniam deceat*, non habitu
meretricio, aut impudicis veſtibus, aut etiam quæ juvenilem levitatem ſapiant indutas, ſed
quæ morum gravitati, vitæque ſanctimoniæ magis conveniunt. Addit μὴ διαβόλους, *non ca-
lumniatrices*, quæ vox & de fœminis uſurpatur 1 *Tim.* 3. 11. Quanquam enim vox διάβολος
ſoleat κατ' ἐξοχὴν de cacodæmone intelligi, qui & ὁ κατήγορος τῶν ἀδελφῶν appellatur *Apoc.* 12. 10.
ut qui fratres accuſet, & calumnietur; habet tamen & hic & alibi molliorem ſenſum, &
apud ſacros ſcriptores aliquoties, & apud prophanos paſſim. Atque hoc ſenſu ſunt qui ex-
ponunt vocem illam *Eph.* 4. 27. 1 *Tim.* 3. 6. & forſan alibi. Sed progredior, μὴ οἴνῳ πολλῷ
δεδουλωμένας, *non vino multo addictas*; quam turpe enim ſit ſpectaculum mulierem, & præſer-
tim vetulam, ebriam eſſe, nedum ebrietati deditam, nemo eſt qui neſcit. Vult denique ut
ſint καλοδιδασκάλους, *honeſtatis Magiſtræ*, ut nempe tam exemplo, quam dictis, alias doceant,
& præſertim adoleſcentulas ſive fœminas juniores; ad quarum officia proximis verbis de-
labitur Apoſtolus; ἵνα σωφρονίζωσι τὰς νέας, *ut juniores fœminas ſapere doceant*, φιλάνδρους εἶναι,
Verſ. 5. φιλοτέκνους, *& maritorum, & liberorum amantes*, σώφρονας, *modeſtas*, ἁγνὰς, *caſtas*, οἰκουροὺς *domi
manentes*, non vagas, rerumque domeſticarum ſub quovis prætextu negligentes, non περιερ-
χομένας τὰς οἰκίας, ut illæ 1 *Tim.* 5. 15. *Prov.* 7. 12. ſed & ἀγαθὰς, *bonas*, virtutibus ornatas;
& denique ὑποτασσομένας τοῖς ἰδίοις ἀνδράσι, *Viris ſuis obtemperantes*, & obſequentes. Atque
hæc ſunt, quæ juniores fœminas curare vult Apoſtolus, & quidem à ſenioribus edoceri.
Verſ. 6. *Verſ.* 6. Juvenes ſive adoleſcentulos, vel etiam viros juniores, hortandos vult, ut tempe-
ranter, modeſte, ſobrie ſe gerant, τοὺς νεωτέρους ὡσαύτως παρακάλει σωφρονεῖν. Æſtus enim juvenilis
difficilius mediocritatem tenet; quod volunt juvenes, valde volunt; adeoque ad ſobrieta-
tem, modeſtiam, & moderationem obſervandam eo magis hortandi ſunt.
Verſ. 7. Ubi autem hæc dixiſſet *Paulus*, ſubjungit ſtatim v ~ ad Titum peculiare monitum; ut nempe
aliis ipſe exemplo ſit, περὶ πάντα σεαυτὸν παρεχόμενος τύπον καλῶν ἔργων, *per omnia teipſum præ-
bens exemplar bonorum operum*: quæ ideo forſan immediate ſubjunguntur eis quæ de juve-
num officio dicta fuerant, quia & *Titus*, ut videtur, juvenis erat; quanquam non modo ut
juvenis juvenibus, ſed & ut Paſtor *Populo* exemplo eſſe debet. Speciatim monet, ut ἐν τῇ
Verſ. 8. διδασκαλίᾳ *in doctrina ſua* exhibeat *Titus* ἀδιαφθορίαν *integritatem*, σεμνότητα, *gravitatem*, ἀφθαρ-
σίαν, *ſinceritatem*, λόγον ὑγιῆ, ἀκατάγνωστον, *ſermonem ſanum, & inculpabilem*, qui condemnari
non poſſit; Quæ hoc argumento urget *Paulus*, ἵνα ὁ ἐξ ἐναντίας ἐντραπῇ, μηδὲν ἔχων περὶ ὑμῶν
λέγειν φαῦλον, *ut qui ex adverſo eſt, erubeſcat, nihil habens quod de vobis dicat mali*: Quod
argumentum ſive ad ea quæ immediate præceſſerant, & Titum directe ſpectant, referatur,
ſive ad ea omnia jam inde à Capitis initio quæ ad omnes ſive ſenes ſive juvenes utriuſque
ſexus diriguntur, non magni intereſt: Sicut enim Chriſtianos omnes cujuſcunque vel ſexus,
vel ætatis, aut etiam conditionis, oportet eo magis ſibi cavere, ne adverſarius anſam arri-
piat & eos ipſos, & eam quam profitentur Religionem, calumniandi; ita præ cæteris Pa-
ſtores, in quos intentius figuntur obſervantium oculi, & quorum lapſus graviori ſcandalo
eſſe ſolent.
Verſ. 9. *Verſu* 9. Ad ſervos accedit, Vult ſiquidem ut ſervos δούλους moneat Titus ἰδίοις δεσπόταις
ὑποτάσσεσθαι, *ut ſuis dominis ſeſe ſubjiciant*, non rebelles ſint, non contumaces; ſed ἐν πᾶσιν
εὐαρέστους εἶναι *in omnibus placentes eſſe vult*, in omnibus (nempe, quatenus jus faſque) ita ſe
gerere, ut qui placere ſtudeant, gratoſque atque acceptos (quantum poſſint) ſe præbere;
Verſ. 10. μὴ ἀντιλέγοντας, *non reſponſatores*, quod non raro ſervorum crimen eſt; μὴ νοσφιζομένους, *non fu-
races*, vel (molliori vocabulo) non intervertentes quicquam, aut peculantes, nempe ut
non à dominis ſibi quicquam ſurripiant clanculum, aut furtim uſurpent; ἀλλὰ πίστιν πᾶσαν
ἐνδεικνυμένους ἀγαθὴν, *ſed omnem bonam fidem oſtendentes*, nempe in omnibus bona fide, hoc
eſt, fideliter, agant: Nam & πίστις apud Græcos, ſicut *Fides* apud Latinos, non raro *fideli-
tatem* innuit. Atque hic etiam, idem, quod prius, argumentum ſubjungit, ἵνα τὴν διδασκα-
λίαν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Θεοῦ κοσμῶσιν ἐν πᾶσιν, *ut doctrinam Servatoris noſtri Dei* (Chriſtum intelli-
git) *ornent in omnibus*, nempe ut profeſſionem ſuam ornent, & bonis moribus commen-
dent.

Ea vero τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Θεοῦ, & hic & aliquoties alibi de Chriſto intelligenda eſſe non du-
bito; quanquam Grotius tantum de Deo Patre intelligenda contendit: ideo nempe, ne Di-
vinitatis quidpiam Chriſto tribuatur. Id enim & hic, & alibi ſæpe, ſedulo curat, nequis
textus ita exponatur, ut videatur Chriſto aſcribere deitatem; & propterea omni arte & ſtu-
dio conatur, ut quæ eo ſpectare videntur, alio divertantur. Quod idem artificium etiam
adhibet ubi, de Juſtificatione per fidem, quicquam occurrit; nempe vel ita interpretando
loca iſtæc omnia, ut aliud quid videantur innuere; vel *fidei* vocem ita detorquendo, ut vel
ſignificet nudum aſſenſum Evangelicæ doctrinæ, vel magnificam de Chriſto opinionem,
vel etiam totam obedientiam Evangelicam ſynechdochice includat; *nobiſque in juſtitiam
reputari*, nihil aliud ſit quam rem Deo gratam eſſe; vel aliis mille modis genuinum ſenſum
corrum-

corrumpendo, ut quidpiam potius innui cenſeatur, quam *merita Chriſti fide apprehenſa nobis* [illegible] *reputari* Quod etiam facit in articulis, de æterna Electione, de ſanctorum Perſe[illegible]a, de Redemptione univerſali, aliiſque fere omnibus, ubi vel Socinianis, vel Arm[illegible]is nobiſcum eſt controverſia: Quod ideo moneo, ut juniores ſaltem, in ipſius commentariis legendis, ſumma cautione utantur, ne vir alioqui & doctiſſimus, & acutiſſimus, inopinato illis imponat, &, non advertentibus, venenum propinet clanculum, dum illi nihil mali ſuſpicantur. Sed hæc obiter.

Quæ verſibus ſequentibus occurrunt argumenta, quanquam recenſitis ſervorum officiis immediate ſubjungantur, cum tamen generalis ſint naturæ, neque illos magis, quam alios ſpectent, ad omnes pariter cujuſcunque ſortis Chriſtianos pertinere cenſenda ſunt, adeoque ad omnia omnium memorata officia efficacius ſuadenda. Omnes enim ſive ſenes, ſive juvenes: ſive etiam viri, ſive fœminæ; ſive liberi, denique ſive ſervi; ideo ſua quique officia præſtare debent, quoniam ἐπεφάνη ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ ἡ σωτήριος πᾶσιν ἀνθρώποις, quoniam, inquam, *illuxit* (ſive manifeſte apparuit) *Gratia Dei ſalutaris omnibus* (cujuſcunque ſortis) *hominibus*; verſu 11°. Sive enim illud πᾶσιν ἀνθρώποις, referatur ad verbum ἐπεφάνη, ut ſit ſenſus, *ſalutaris Dei gratia, apparuit omnibus* (cujuſcunque ſortis) *hominibus*; ſive ad nomen σωτήριος, ut ſenſus ſit, *apparuit*, ſive *illuxit gratia Dei,-omnibus* (cujuſcunque ſortis) *hominibus ſalutaris*, perinde omnino eſt; ſive enim illud, ſive hoc dicatur, manet eadem argumenti vis, & loci ſcopus; nempe quia Gratia Dei, quæ ſolis fere Judæis antehac vel innotuit, vel ſalutaris erat, jam omnibus cujuſcunque gentis, cujuſcunque ſexus, cujuſcunque ætatis, cujuſcunque denique ſortis promiſcue porrigitur, ſuaſque ſalutares vires exercet; Judæorum nempe quæ olim erant privilegiis etiam ad gentes ampliatis; unde & omnes pari ſpe & pari obligatione tenentur doctrinam Evangelicam amplecti, eaque digni incedere. Præſertim cum illud poſtulet Evangelium, ut verſu ſequenti patet, de quo mox dicetur. *Verſ. 11.*

Interim, quoniam *Redemptionis*, ut loquuntur, *univerſalis* patroni, locum hunc arripiunt, acſi magnum quid in eorum favorem afferat, cum quæ *illuxit Dei gratia*, dicatur σωτήριος πᾶσιν ἀνθρώποις, *omnibus hominibus ſalutaris*, quaſi propterea dicendum eſſet, ſalutem, quantum quidem ad Deum attinet, vel æqualiter, vel ſaltem ſufficienter omnibus oblatam, & collatam eſſe; ipſamque Dei Gratiam, quantum in ſe, omnibus æqualiter ſalutarem eſſe; & ſiquid diſcriminis in effectu contingat, illud ex libero humanæ voluntatis actu ſolum pendere. Reſpondeo, nil tale vel ex hoc, vel ex ſimilibus S. Scripturæ locis colligi poſſe. Quod enim merita Chriſti tanti ſint valoris, ut quoad pretium valeant ad ſalutem omnibus omnino hominibus promerendam; ſitque ſufficiens, ſive λύτρον, ſive ἀντίλυτρον pro peccatis omnium; nos neutiquam negamus, ſed non minus quam illi & affirmamus, & gloriamur: Quod autem, λύτρῳ hoc non obſtante, multi & olim perierunt, & quotidie pereunt, & in poſterum perituri ſunt, ſalutem reapſe, & quoad effectum, non conſequentes; neque ſolent noſtri, neque poſſunt illi negare. Sed & inſuper concedimus, gratiam hanc ſalutarem etiam omnibus porrigi, ſive oblatam eſſe, ita nempe ut nullus merito conqueri poſſit vel ſe excluſum eſſe, vel ſibi non licere oblatam illam Gratiam amplecti; aut etiam, ſi amplectatur, nulli ſibi uſui futuram; neminem dicimus excluſum eſſe, nemini prohibitum eſſe ne amplectatur, nulli denique non profuturum, ſi acceptaverit; imo quemlibet dicimus ad hoc teneri ex officio, ut amplectatur; ſecus enim nulli vitio verti poſſit, quod infidelis manſerit; neque ullus infidelitatis pœnas lueret, niſi illi præceptum eſſet ut crederet. Et hoc quidem intereſſe diſcriminis dicimus homines inter, licet reprobos, atque dæmones; Dæmonibus enim nec imperatur nec permittitur in Chriſtum recumbere, nec ſi recumberent, quicquam illis eſſet profuturum, eo quod ipſe nec *eorum naturam ſuſcepit*, nec eorum *cauſam egit* (de utrovis enim, vel etiam de utroque exponi poteſt illud *Heb.* 2. 16. οὐ γὰρ δήπου ἀγγέλων ἐπιλαμβάνεται, ἀλλὰ σπέρματος Ἀβραὰμ ἐπιλαμβάνεται,) at & hominum naturam ſuſtinuit, & humano generi hoc beneficium promeritus eſt, & efficaciter procuravit, ut quicunque illorum per fidem ipſi incumbat, ſalutem certo conſequatur; quod & omnes tenentur acceptare, & quicunque acceptaverit, non fruſtra eſt, juxta illud toties repetitum Evangelii promiſſum, *Quicunque crediderit, ſalvabitur*. At vero unde illud eveniat, quod, cæteris renuentibus, nonnulli amplectantur, adeoque & ſalutem efficaciter conſequantur, dum reliqui pereunt? utrum nempe ex mera amplectentium libera voluntate, an ex ſpeciali Dei gratia in illos collata, cujus alii participes non ſunt? (in quo quidem cardo controverſiæ vertitur,) ex hoc loco neutiquam determinatur. Aliunde autem diſcimus *non tam volenti, neque currenti* illud imputandum eſſe, *quam miſeranti Deo*, qui quidem *cujus vult, miſeretur, & quem vult indurat*, ut patet *Rom.* 9. & alibi: ipſaque *fides*, qua in Chriſtum recumbitur, *Dei Donum eſt*, *Eph.* 2. 8. Omnibus igitur efficaciter procuravit, *ut, ſi crederent, ſalventur*, at non omnibus procuravit, *ut credant ad ſalutem*.

At dicetur, Quorſum igitur ea phraſis σωτήριος πᾶσιν ἀνθρώποις, aliæque ejuſmodi; ubi redemptio, & ſalus de mundo, hominibus, peccatoribus indefinite affirmatur, vel etiam univerſaliter de toto mundo, omnibus hominibus, ſi non revera ſalus omnibus contingat?

Reſpondeo; Præter ea quæ ſigillatim ſingulis illis Scripturæ locis reponi poſſent; hæc duo præſertim reponenda cenſeo. 1. Intelligendas eſſe phraſes illas de *omnibus promiſcue*, non

autem de *omnibus univerſaliter* ſumptis: Nempe, cum prius ea, quæ ad ſalutem ſpectabant, ſoli fere populo Judaico innotuerunt, eique quaſi peculiari privilegio appropriata videbantur; jam, ſublato quaſi muro intergerino, ad omnes promiſcue non minus quam Judæos ipſos extendantur. Atque hoc ſenſu neceſſe eſt, ut exponantur (inter alia) loca illa omnia, ubi Evangelium omni creaturæ promulgandum eſſe, aut etiam Apoſtolorum temporibus promulgatum fuiſſe, dicitur; non quod nemo omnium ſit, qui Evangelium non audiverit, ſed quod omnibus promiſcue illud & offeratur, & prædicetur; quia nempe, *In Jeſu Chriſto neque circumciſio quicquam valet, neque præputium, ſed fides per charitatem agens*, Gal. 5. 6. vel, ut *cap.* 6. 15. *neque circumciſio, neque præputium, ſed nova creatura*; vel ut adhuc plenius *cap.* 3. 28. *non eſt Judæus, neque Græcus, non eſt ſervus, neque liber, non eſt maſculus, ac fæmina; omnes enim vos unus eſtis in Chriſto Jeſu*; omnibus quippe cujuſcunque gentis, cujuſcunque ſexus, cujuſcunque ſortis, promiſcue & offeruntur, & conferuntur promiſſa Evangelica, nulla vel gentis, vel ſexus, vel ſortis ratione habita; quanquam interim non ſingulis cujuſcunque gentis hominibus. Atque hoc eſt, quod dici ſolet, *non ſingulis generum, ſed generibus ſingulorum.*

2. Ubi de omnium ſalute vel redemptione verba facta ſunt, aut quæ tantundem ſonant, intelligenda ſunt de ſalute omnibus oblata in Evangelii prædicatione, non de ſalute in omnes collata, aut etiam omnibus intentione, vel decreto divino, deſtinata. Et ſiquando de ſalute, vel miſericordia collata ſive per Chriſtum ſive per fidem dicatur, intelligendum eſt cum debita reſtrictione pro ſubjecta materia; omnes, nempe qui ſalutem obtinent, per Chriſtum obtinent: item omnes, nempe qui juſtificantur, per fidem juſtificantur; aliaque ſimilia: Ubi non τὸ *juſtificari*, ſed τὸ *per fidem*, eſt revera prædicatum in propoſitione: Nempe, ut propoſitio illa *Omnes per fidem juſtificantur*, tantundem valeat, atque *Omnium juſtificatio eſt per fidem.* Prout ſiquis in alia materia diceret, Neminem mortalium vel oculis audire, vel auribus videre, ſed omnes audire auribus, atque oculis videre; verum quidem ille diceret, non quidem quod nemo omnium vel ſurdus ſit, vel cæcus, ſed quoniam omnes, qui vident, vident oculis; atque omnes, qui audiunt, auribus audiunt. Sic omnes per fidem juſtificantur, omnes per Chriſtum ſalvantur, hoc eſt, omnes, qui juſtificantur, juſtificantur per fidem; omnes, qui ſalvantur, ſalvantur per Chriſtum. Sic *Deut.* 24. 16. *Ne morte afficiuntor patres pro filiis, nec filii morte afficiuntor pro Patribus, ſed quiſque propter peccatum ſuum afficiuntor morte*; non quod unuſquiſque ſit morte plectendus, ſed omnes, puta qui morte afficiuntur, morte afficiantur pro ſuo quiſque peccato, non pro alieno. Sic *Rom.* 11. 32. *Concluſit Deus omnes in infidelitate ſive contumacia, ut miſereatur omnium*; ut nempe omnium, puta quos dimittit, gratuita miſeratione dimittat; quippe cum peccato omnes incluſi ſint, nemo inde liberari poſſit extra miſericordiam; quod quidem juſta ſatis conſequentia infertur: ſiquis autem inferret, Cum omnes in contumacia concluſi ſint, omnes igitur liberandos eſſe, ſequela eſſet infirma: Quod quidem ipſum (ne de Apoſtoli ſcopo dubitemus) explicatius paulo ab eodem alibi effertur, *Gal.* 3. 22. συνέκλεισεν ἡ γραφὴ πάντα ὑπὸ ἁμαρτίαν, *concluſit ſcriptura omnia* (vel, *omnem*) *ſub peccato, ut promiſſio ex fide Jeſu Chriſti daretur Credentibus.* Sed de his hactenus.

Verſ. 12. Progreditur *Paulus v.* 12. Omnes cujuſcunque ſortis homines ad ſua cujuſque officia præſtanda excitare, non modo quod ſalutaris Dei gratia omnibus promiſcue cujuſque ſortis hominibus illuxerit; ſed etiam quod ea hoc ipſum à nobis poſtulet, παιδεύουσα ἡμᾶς, ἵνα ἀρνησάμενοι τὴν ἀσέβειαν, καὶ τὰς κοσμικὰς ἐπιθυμίας, σωφρόνως, καὶ δικαίως, καὶ εὐσεβῶς ζήσωμεν ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, *erudiens nos, ut, abnegata impietate, & mundanis cupiditatibus,* (*ſobrie, ſive*) *ſapienter, & juſte, & pie vivamus in præſenti ſeculo.* Ἐν τῷ νῦν αἰῶνι illud eſt, quod Rabbini dicunt בעולם הזה ſicut & Seculum futurum vocant עולם הבא de quo ſtatim Apoſtolus

Verſ. 13. *v.* 13. προσδεχόμενοι τὴν μακαρίαν ἐλπίδα *exſpectantes beatam illam ſpem*: ubi *ſpes* ponitur ſynechdochice pro *re ſperata*, ſicut & alibi paſſim affectionum nomina pro ipſarum objectis: Sed ſubjungit, καὶ ἐπιφάνειαν τῆς δόξης τοῦ μεγάλου Θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, *& illuſtrem illum adventum gloriæ* (hoc eſt, *glorioſum*) *Magni illius Dei & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti*: Ubi notare licet eximium Chriſti titulum, & Divinitatis argumentum, τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν, quæ de eodem Jeſu Chriſto dicta eſſe, & non dividenda, (ut nempe alius ὁ μέγας Θεὸς dictus ſit, alius ὁ σωτὴρ ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, quod volunt aliqui,) inde patet, partim quod idem articulus utrumque indicet, τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν, non repetito articulo τοῦ Θεοῦ καὶ τοῦ σωτῆρος, quod faciendum eſſet, ſi de diverſis perſonis intelligendum foret; partim etiam propter illum, qui dicitur, *glorioſum adventum*, quando nempe Chriſtus in fine ſeculi adveniet mundum judicaturus; qui quidem *adventus Chriſti* paſſim, at vero ubi dicatur *adventus Dei patris*, à Chriſto puta diſtincti, nuſquam occurrit. Eſt igitur ἐπιφάνεια τῆς δόξης τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, *glorioſus adventus Jeſu Chriſti, qui & Deus ille magnus eſt, & ſervator noſter*: Quippe *qui* (ut ſequitur *v.* 14.) *ſemetipſum pro nobis dedit, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret ſibi populum peculiarem, ſtudioſum bonorum operum*;

Verſ. 14. ὃς ἔδωκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν, ἵνα λυτρώσηται ἡμᾶς (juſto nimirum λύτρῳ ſive redemptionis pretio ſoluto,) ἀπὸ πάσης ἀνομίας, quod de Juſtificatione dictum intelligo: καὶ καθαρίσῃ ἑαυτῷ λαὸν περιούσιον, ζηλωτὴν καλῶν ἔργων, quæ de Sanctificatione & novæ vitæ ſtudio intelligenda ſunt.

Tandem,

Tandem, hoc Epiphonemate capitulum hoc concludit *Paulus*, Ταῦτα λάλει, καὶ παρακάλει, *Verſ.* 15.
καὶ ἔλεγχε μετὰ πάσης ἐπιταγῆς. Μηδείς σου περιφρονείτω, *Hæc loquere, & exhortare, & argue cum
omni imperio : Nemo te deſpicatui habeat.*

CAP. III.

CApite 3°. (quod ſummatim expediam) varia ſubjungit *Paulus* præcepta Univerſalia, *Verſ.* 1.
quæ ad omnes pertineant. Ὑπομίμνησκε αὐτοὺς *ſuggere ipſis*, vel in memoriam inculca, mo-
neto, ἀρχαῖς, καὶ ἐξουσίαις ὑποτάσσεσθαι, *principatibus, ac poteſtatibus ſeſe ſubjicere*, ſponte nempe,
non coactè, καὶ πειθαρχεῖν, *obtemperare*, debitam obedientiam præſtare, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἑτοί-
μους εἶναι, *ad omne opus bonum paratos eſſe* : Atque inſuper μηδένα βλασφημεῖν, *nemini maledicere*, *Verſ.* 2.
nullius famam lædere, neminem conviciis afficere ; ἀμάχους εἶναι, *à pugnis immunes* ; ἐπιεικεῖς,
æquos, æquanimes, ingenuos, ita nempe tractantes alios, qualiter ab illis tractari vellent ;
πᾶσαν ἐνδεικνυμένους πρᾳότητα πρὸς πάντας ἀνθρώπους, *omnem exhibentes lenitatem erga quoſvis homi-* *Verſ.* 3.
nes ; quod hoc argumento urgetur, quoniam & nos ipſi aliquando ſic fuimus conſtituti, ut
qui opus habuimus ſic tractari, ἦμεν γάρ ποτε καὶ ἡμεῖς ἀνόητοι, ἀπειθεῖς, πλανώμενοι, δουλεύοντες ἐπιθυ-
μίαις, καὶ ἡδοναῖς ποικίλαις, ἐν κακίᾳ καὶ φθόνῳ διάγοντες, στυγητοί, καὶ μισοῦντες ἀλλήλους, *nam eramus quon-
dam & nos amentes, rebelles, errantes, ſervientes cupiditatibus, ac voluptatibus variis, in
malitia & invidia degentes, odioſi, alii alios odio proſequentes* ; ea quippe eſt corruptæ na-
turæ hominis conditio, prout & hinc & aliunde paſſim manifeſtum eſt ; qua cum & nos non
minus quam alii mortalium fuerimus impliciti, æquum eſt, ut, conditionis olim noſtræ me-
mores, erga alios, qui eadem adhuc implicantur, mitiores ſimus : Præſertim quum inde *Verſ.* 4.
non aliter aut evaſimus, aut quidem potuimus evadere, quam divina in nos indulgentia, &
miſericordia gratuita ; prout hic ſtatim ſequitur *v.* 4. 5. ὅτε δὲ ἡ χρηστότης, καὶ ἡ φιλανθρωπία ἐπε-
φάνη τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Θεοῦ, οὐκ ἐξ ἔργων τῶν ἐν δικαιοσύνῃ, ὧν ἐποιήσαμεν ἡμεῖς, ἀλλὰ κατὰ τὸν αὐτοῦ ἔλεον ἔσωσεν
ἡμᾶς : *Quum autem apparuit ſervatoris noſtri Dei* ἡ χρηστότης *bonitas*, benignitas, & ἡ φιλανθρωπία
humanitas, ſive in homines amor, *ſervavit nos* ; non quidem ἐξ ἔργων τῶν ἐν δικαιοσύνῃ, *ex ope-* *Verſ.* 5.
ribus juſtis (noto Hebraiſmo) ſive propter opera juſta, *quæ fecerimus nos*, (utpote qui
revera nil tale fecimus, quod hoc mereatur,) *ſed pro miſericordia ſua nos ſervavit*, atque ex
naturæ ſordibus eripuit, ut ſanctiores evadamus (nam de ſanctificatione videtur hic inſtitui
ſermo) idque διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας, καὶ ἀνακαινώσεως πνεύματος ἁγίου, externe quidem *per lavacrum
regenerationis*, Baptiſmum ſcilicet, quod regenerationis ſive novi partus eſt Sacramentum,
atque (interne) *per renovationem Spiritus Sancti* ; (citra quam, externum Baptiſmatis la-
vacrum nil valeret ;) ſi nempe illud ἀνακαινώσεως πνεύματος ἁγίου ad præpoſitionem διὰ referri in-
telligatur : vel, ſi referatur ad nomen λουτροῦ, legendum erit, *per lavacrum regenerationis,
atque renovationis Spiritus Sancti.* Utrovis enim modo, exponi poteſt illud διὰ λουτροῦ πα-
λιγγενεσίας, καὶ ἀνακαινώσεως πνεύματος ἁγίου. Nam & Regeneratio, ſive novus partus, & Spiri-
tus Sancti effuſio, Baptiſmatis ſacramento ſignificatur. Sed de Spiritu Sancto ſtatim ſubjun-
git, οὗ ἐξέχεεν ἐφ᾽ ἡμᾶς πλουσίως διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν, *quem effudit ſuper nos copioſe per* *Verſ.* 6.
Jeſum Chriſtum ſervatorem noſtrum ; Nam & Jeſus Chriſtus, qui pro nobis cætera obtinuit,
obtinuit etiam à Patre, ut mittatur Spiritus Sanctus, nobiſque copioſe offundatur, & in no-
bis habitet ; non quidem οὐσιωδῶς, eſſentialiter, ſive unione phyſica (ita nempe ut ex Spiritu
Sancto nobiſque unitis tertium quid reſultet, ſicut ex naturis, divina & humana, conjun-
ctis fit unus Chriſtus) ſed ſaltem ἐνεργητικῶς, puta illuminando, ſuadendo, corroborando,
regenerando, ſanctificando, regendo, ſuſtentando, conſolando, variaque in nos conferendo
dona, aliaſque vel in nobis, vel erga nos operationes præſtando. Scopus autem, ad quem
ea quæ dicta ſunt, diriguntur, ſive finis, in quem tendunt, hic eſt, ἵνα δικαιωθέντες τῇ ἐκείνου *Verſ.* 7.
χάριτι, κληρονόμοι γενώμεθα κατ᾽ ἐλπίδα ζωῆς αἰωνίου, *ut, juſtificati illius gratia, hæredes efficeremur
vitæ æternæ* ; Deus quippe non modo peccata Credentibus per Chriſtum gratis condonat,
eoſque à pœna debita abſolvit, ſed & hæreditatem largitur, quam nempe ſperamus æternam
vitam. Atque hactenus *v.* 7.

Verſu 8. Pietatis praxin urgendam docet, cui hanc præfationem præmittit, ut quid magni *Verſ.* 8.
momenti dici intelligatur, πιστὸς ὁ λόγος, *certus eſt hic ſermo*, ſive fide dignus, de quo dubitan-
dum non ſit, καὶ περὶ τούτων βούλομαί σε διαβεβαιοῦσθαι, *& hæc volo te aſſeverare*, ſive vehementer
urgere, nempe ἵνα φροντίζωσι καλῶν ἔργων προΐστασθαι οἱ πεπιστευκότες Θεῷ, *ut qui Deo crediderunt, cu-
rent bene agendo præire* ; ut vita nempe ſit fidei, quam profitentur, conſona. Quæ autem *Verſ.* 9.
ſint illa, quæ ſuadet, opera, exponit *v.* 9. nempe, *quæ bona ſunt, & hominibus utilia*, ταῦ-
τά ἐστι τὰ καλά, καὶ ὠφέλιμα ἀνθρώποις, non quæ inutilia, & vana : μωρὰς δὲ ζητήσεις, καὶ γενεαλογίας, καὶ
ἔρεις, καὶ μάχας νομικὰς περιΐστασο, εἰσὶ γὰρ ἀνωφελεῖς, καὶ μάταιοι, *ſtultas autem quæſtiones, & genealo-
gias, & contentiones, ac pugnas legales cobibe ; ſunt enim inutiles, & vanæ.*

Verſu

Verſ. 10. Verſu 10. de Hæreticis non ferendis monet, Αἱρετικὸν ἄνθρωπον μετὰ μίαν, ϗ δευτέραν νουθεσίαν παραιτοῦ, *Hæreticum hominem poſt unam & alteram commonefactionem rejice*; Hæreticum autem illum exiſtimo, qui erroribus gravioribus pertinaciter inſiſtit, neque monitus ab illis recedit, præſertim ſi poſt ſe ſequaces trahat. Cur autem hæreticus ſit rejiciendus, per cen-
Verſ. 11. ſuram puta Eccleſiaſticam, *v.* 11. innuitur, εἰδὼς ὅτι ἐξέστραπται ὁ τοιοῦτος, ϗ ἁμαρτάνει ὢν αὐτοκατάκριτος, *ut qui noris everſum, ſive perverſum eſſe, qui hujuſmodi eſt, & peccare, ut qui ſuopte judicio damnatus eſt*; Hæreticos innuens utplurimum, non tam ignorantia invincibili errare, quam affectato ſtudio partium, & quidem, data opera, ſcientes & volentes ſeceſſum à recepta doctrina facere; vel ob vanam gloriam, ut novæ forſan alicujus ſectæ duces habeantur, aut novum quid reliquis incognitum videantur inveniſſe; vel ipſo etiam contradicendi ſtudio; vel turpis fortaſſe lucri cauſa; vel ob aliquid ſimile; quales illi, de quibus loquitur *Paulus* Act. 20. 30. λαλοῦντες διεστραμμένα, *loquentes perverſa, ut diſcipulos poſt ſe abſtrahant*; & ſupra *Tit.* 1. 11. διδάσκοντες ἃ μὴ δεῖ, *docentes, quæ non oportet, turpis lucri gratia*; ut culpa non tam in intellectu ſita ſit, quam in voluntate: quod αἱρεσιάρχαις utplurimum contingit.

Verſ. 12. Verſ. 12, 13. de privatis quibuſdam negotiis agit, ὅταν πέμψω Ἀρτεμᾶν πρός σε, ἢ Τυχικόν, σπούδασον ἐλθεῖν πρός με εἰς Νικόπολιν, ἐκεῖ γὰρ κέκρικα παραχειμάσαι, *quum miſero ad te Artiman, vel Tychicum* (forte ut qui abſentis Titi negotia curet) *ſtudeto venire ad me Nicopolin*, (urbem ſive *Macedoniæ*, ſive *Epiri*, utrum vero dicendum ſit, non vacat nunc diſquirere) *nam illic decrevi hyemare*. Notant hic aliqui dictum eſſe, ἐκεῖ *illic* decrevi hyemare, non autem ὧδε *hic*; adeoque Paulum non quidem Nicopoli tunc fuiſſe, dum hæc ſcriberet (prout habet ὑπογραφή) ſed alibi; adeoque ὑπογραφῶν tam hujus quam aliarum Epiſtolarum autoritatem elevant, tanquam poſteriori aliquo ſeculo additarum, non ab ipſis Epiſtolarum ſcriptoribus; nec quidem eædem in omnibus vel exemplaribus, vel verſionibus reperiuntur.

Verſ. 13. Ζηνᾶν τὸν νομικὸν ϗ Ἀπολλῶ σπουδαίως πρόπεμψον, ἵνα μηδὲν αὐτοῖς λείπῃ. *Zenam Legiſperitum, & Apollo, ſtudioſe deducendos curato, nequid illis deſit.* Προπέμπειν eſt, abiturum aliquem amice, vel etiam honorifice dimittere, viaticum, aliaque quæ itineri opus erunt, ſuppeditando (quod videtur hic innui,) aut etiam abeuntem deducere, & aliquouſque comitari, ut *Act.* 15. 3.

Verſ. 14 Atque huic monitioni ſubjuncta exiſtimo ea quæ ſequuntur. *v.* 14. μανθανέτωσαν δὲ ϗ οἱ ἡμέτεροι καλῶν ἔργων προΐστασθαι εἰς τὰς ἀναγκαίας χρείας, ἵνα μὴ ὦσιν ἄκαρποι, *diſcant autem etiam noſtri* (fideles intelligit) *bene agendo præire, ad neceſſarios uſus*, (quales inter alios erant amica receptio, & dimiſſio hoſpitum, præſertim qui Evangelii propagandi cauſa itinerantur,) *ut non ſint fructus expertes*, nempe ut charitatis officia fidem conſequantur. Non placet enim quod hic habet *Grotius*, qui locum hunc ita interpretatur, acſi *Paulus* innuat ſe velle, ut *Apelles, Tychicus*, aliique ab eo miſſi, ſiquo in loco reſederint, officinam haberent manibus laborantes in uſus neceſſarios, ad victum puta & veſtitum acquirendum, ne aliis oneri ſint: quum omnia potius in contrarium ſpectare videntur, ut qui ab illo advenient præſertim Evangelii cauſa iter facientes, hoſpitio accipiantur, amice tractentur, & honorifice dimittantur; quod & hic & alibi ſæpius urgetur.

Verſ. 15. Verſu 15. ultimo, ſalutationes aliquot ſubjungit, Ἀσπάζονταί σε οἱ μετ' ἐμοῦ πάντες, *ſalutant te qui mecum ſunt omnes.* Ἄσπασαι τοὺς φιλοῦντας ἡμᾶς ἐν πίστει, *ſaluta eos, qui diligunt nos in fide.* Et tandem Epiſtolam concludit ea benedictione, qua & nos præſenti negotio finem imponemus; ἡ χάρις μετὰ πάντων ὑμῶν. ἀμήν. *Gratia ſit vobiſcum omnibus.* Amen.

F I N I S.

Quæſtiones Theologicæ,

In Veſperiis Comitiorum agitatæ;
OXONII, *Julii* 8. 1654.

Reſpondente JOH. WALLIS, Pro Gradu Doctoratus in Theologia.

An Electio Divina dependeat ex prævisione liberi actus Creaturæ? *Neg.*

SISTE miſer greſſum. Quis te malus impulit æſtus
Jura vel æterni ſollicitare Dei?
Siccine, Velle tuum leges poſuiſſe volendi
Summo poſſe Deo, mens maleſana putet?
Tune voles, qui natus heri, qui cras moriturus,
Æterna æterno ponere vincla Deo?
Siccine liber eris? Cæli ſic jura revelles?
Liber ut evadas, Impius eſſe voles?
Neve erit ipſe Deus liber? Quam fœda libido;
Ipſe ut ſis liber, velle ligate Deum!
Diſce miſer, Qui ſis; Fueris qua lege creatus;
Quam fueris nihil; Quiſve vel Eſſe dedit;
Quodque nihil-valeas (ſine Numine) velle, ſed ipſum
Et Feciſſe bonum, eſt, & Voluiſſe, Dei.
Eſſe volet gratis, ſiquem volet eſſe, beatum;
Nec, Voluiſſe *Dei, eſt regula* Velle *tuum.*

An poteſtas Miniſtri Evangelici ad unius tantum Eccleſiæ particularis membra extendatur? *Neg.*

UNICUS unius Chriſtus cum Paſtor Ovilis;
Unius atque unum Corporis ipſe Caput;
Una ſibi ſponſa, & Domus una ſit, unaque Meſſis:
Una hunc Oeconomos & ſociaſſe putes.
Dextro dextra Manus carpo, conjunctus Ocellus
Dexter utut dextro ſitque ſupercilio:
At lateri utrivis proſpectat Ocellus utervis,
Et manus utrivis neutra negabit opem.
Eſto Miniſter item parti conjunctior uni;
Eſt tamen & reliquis, pars ea, Corpus idem.
Mirum eſt, ut poſſit nullis in corpore, ſi non
Contiguis, Chriſti ferre Miniſter opem.

An Fidelium Infantes ſint Baptizandi? *Aff.*

QUOS capiunt Cæli, vetus olim Eccleſia, Chriſti
Blandior Amplexus, Fœdera grata Dei:
Quis putet extorres, meliori fœdere, factos,
Ut ne vel famuli ſymbola prima ferant?

Quæſtiones in Comitiorum Veſperiis, *Oxonii*, agitatæ, *Julii* 8. 1654. Reſpondente JOH. WALLIS.

An Electio Divina dependeat ex prævisione liberi actus Creaturæ? Neg.
An Poteſtas Miniſtri Evangelici ad unius tantum Eccleſiæ particularis membra extendatur? Neg.
An Fidelium Infantes ſint Baptizandi? Aff.

THESIS.

CUM multa ſint (venerandi Patres & Fratres) quæ de propoſitis quæſtionibus occurrunt dicenda; neceſſe eſt ut ea ſtrictim tranſigam, ne debitos temporis cancellos tranſgrediar nimis: omnique omiſſa præfatione rem ipſam ſtatim aggrediar.

Quæſtio Prima.

Ad primam Quæſtionem quod attinet, Ubi de *Electione* verba facimus. Non illam intelligo *Electionem temporariam*, de qua loquitur Chriſtus *Joh.* 15. 19. *Elegi vos ex mundo, ideo vos mundus odit.* Neque de *Electione Angelorum* præcipue agitur, (quamquam nec ea penitus excludenda ſit,) quorum nempe nonnullos *Electos* vocat Paulus, 1 *Tim.* 5. 21. alios *Reprobos*, & pœnis deſtinatos innuit Judas, *Ep. verſ.* 6. Neque denique de ipſius *Chriſti electione* directe inſtituitur quæſtio; qui tamen *Electus* dicitur *Iſai* 42. 1. & προεγνωσμένος 1 *Pet.* 1. 20. cujus & perpeſſiones, & gloriam, à Deo fuiſſe prædeterminatas, patet *Act.* 2. 23. & alibi. Sed, de æterna illorum *Electione hominum*, quæſtio præſertim inſtituitur, qui, per Chriſtum, ſalutem obtinent.

Eſt nempe hæc Electio, de qua inſtituitur quæſtio, Æternum, efficax, immutabile, atque infallibile decretum Dei, quo, ex ſolo ſuo beneplácito, certos quoſdam homines (omiſſis aliis) peccato pariter cum aliis involutos, & pœnis obnoxios, per fidem in Chriſtum ex ſtatu peccati in ſtatum gratiæ transferre, & ad ſalutem perducere, ad laudem glorioſæ gratiæ ſuæ.

Eſt, inquam, *Decretum Dei*; actus nempe Divinæ voluntatis ſtatuentis; Dei præſertim Patris, (*Eph.* 1. 3, 4. *Benedictus ſit Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti,* —— *qui elegit nos, &c.*) quamquam & aliæ Perſonæ Trinitatis non prorſus excludantur; cum ſit opus ad extra. Actus, inquam, voluntatis Divinæ *Elicitus*, atque in Deo immanens; adeoque nullam realem immutationem efficiens in creatura, ſed tantum relationem rationis: Neque inde protinus facti ſumus filii Dei, aut juſtificati; ſed aliquando futuri, nempe collata fide. Quæ autem *Joh.* 15. 19. memoratur Electio (utpote eadem atque Vocatio) eſt actus tranſiens, & imperatus, in creaturam terminatus.

Decretum hoc *Æternum* dicimus. Nempe πρὸ καταβολῆς κόσμου, *ante jacta mundi fundamenta*; *Eph.* 1. 4. 1 *Pet.* 1. 20. Quod autem ita eſt, Æternum eſt: quippe; ante jacta mundi fundamenta, Tempus non erat. Nec quidem aliter eſſe poteſt; niſi concipiamus (quod abſit) Deum nunc velle, quod aliquando non voluerat.

Eſt & *Immutabile*, *Pſal.* 33. 11. (ſicut eſt & ipſe Deus, *Jac.* 1. 17.) & propterea *Efficax* & *Infallibile.* Quicquid vult, operatur. Ejuſque voluntati nemo reſiſtit. Nempe voluntati *Statuenti*, ſive *voluntati Decreti*, nemo reſiſtit; utut voluntati *Imperanti*, hoc eſt *voluntati Mandati*, reſiſtant plurimi. Et quidem, ſi non mutet conſilia, (neque ſit virium impotens;) quod aliquando ſtatuit, id certo evenire neceſſe erit. Adeoque non modo πρόθεσις (propoſitum) ſed & πρόγνωσις dicitur: Quæ autem *præcognoſcit Deus*, cognoſcit futura.

Decreto hoc æterno & efficaci, elegit Deus *quoſdam homines*, non omnes; ſed &, *certos quoſdam homines*, (puta *Petrum*, *Paulum*, *Jacobum*, &c.) non tantum aliquos indefinite ſive indeterminate. *Jacobum dilexi, Eſavum odio habui.* Rom. 9. 11.

Non tamen ita hos elegit Deus, ſicut electos Angelos: ut peccati penitus immunes eſſent, nec aliquando pœnis obnoxii: eramus enim & nos omnes, inquit *Paulus*, ſicut reliqui, mortui peccatis, & filii iræ, *Eph.* 2. 1, 3. Sed, ut *à peccatis & ira liberentur*, &, *per fidem in Chriſtum, ad ſalutem perducantur*: ut ibidem patet, *verſ.* 4 & ſeqq & alibi paſſim. Idque, *ad laudem glorioſæ gratiæ ſuæ*, Eph. 1. 6.

Et quidem, huc uſque, nobiſcum ferè & aliis convenit.

Cardo controverſiæ in hoc præcipue verſatur: An, quia credituri fuerimus, ideo nos elegit Deus; an potius, quia nos elegerit Deus, ideo ſumus credituri.

Sunt qui exiſtimant, Quod ordinaverit quidem Deus, indefinite atque indeterminate, ut omnes in Chriſtum credituri, ſalventur; plane interim permiſſo ipſorum liberæ voluntati, An velint credere: Quos autem, re ſibi ipſis penitus permiſſâ, præviderit fore credituros, nec quidem credituros tantum, ſed & obedientiam Evangelicam præſtituros, atque in utriſque ad finem uſque perſeveraturos; hos tandem ſtatuerit æterna vita donare: Adeoque ipſorum vel Credere, vel non-Credere, objectum quidem eſſe Præſcientiæ Divinæ, ſed non item & Divini Decreti, ſive Prædeſtinationis.

Nos contra dicimus: Decreviſſe Deum, non modo credituros omnes (ſiqui fuerint) eoſque ſolos ſalvatum iri; ſed & prædeterminaſſe quibuſnam ille daturus ſit fidem, ut credant, & credendo ſalventur. Neque tamen negamus, quin, qui credunt, libere credant; ſed Deum ſtatuiſſe dicimus eos libere credituros: Adeoque non modo ipſorum ſalutem, ſed & fidem ipſam, atque perſeverantiam in fide, ex decreto Dei pendere; neque nudæ tantum Præſcientiæ objectum eſſe, ſed & Decreti.

Atque hoc duplici fundamento dicimus: Partim quod illud ex neceſſitate rei conſequatur: Partim etiam quod manifeſtum ſacræ Scripturæ teſtimonium hoc affirmet.

Ad primum quod attinet, Hoc nempe ex neceſſitate rei conſequi, ſic conſtat. Cum enim utrinque conceſſum ſit, Deo nihil ignotum eſſe; ſed omnia, ſive præſentia, ſive præterita, ſive etiam futura, penitus perſpecta eſſe; adeoque futuram ſalvandorum fidem æternæ Dei præſcientiæ ſubeſſe: Neceſſe eſt ut & eadem ipſius decreto ſubſit. Sicut enim nihil in rerum natura, citra Dei Providentiam, actu Exſiſtit; ita nec quicquam eſt Futurum, citra Dei Decretum. Nulla ſiquidem alia Futuritionis ſufficiens cauſa poterit aſſignari. Non enim cauſarum ſubordinatarum invicem concatenatio; Nam, præterquam quod illa qualiſcunque concatenatio non niſi Deo decernente exſiſtat; nulla etiam tanta eſt, quin eam poſſit abrumpere vel impedire Potentia Dei; Ut ex *Solis ſtatione*, in diebus *Joſuæ*; & *retroceſſu*, in diebus *Hezekiæ*; *tribuſque pueris*, in *Nebuchadnezzaris* fornace, minime læſis; aliiſque ſimilibus, abunde liquet: Adeoque certa futuritio haud inde concludi poteſt. Quid quod, & ejuſmodi cauſarum nexus, in actionibus liberis, de quibus nunc agitur, locum non habeat; vel, ſi haberet, certe minus eſſet cum libertate voluntatis humanæ conſiſtens, quam eſt ipſa, quam pertimeſcunt, prædeterminatio divina. Neque etiam fatalis aliqua neceſſitas aſſignari poteſt futuritionis cauſa: Ecquid enim eſt, quod, antecedenter ad Decretum Divinum, ejuſmodi neceſſitatem poſſit inducere? vel quidem, ſi quod eſſet, non eſſet illud expetitæ voluntatis libertati minus adverſum, quam Divina Prædeterminatio. Neque poteſt denique ab ipſa voluntate humana deduci; utpote quæ nondum eſt, dum ipſius actus liberi à Deo præſciuntur; nedum, ſeipſam determinaverit: & quidem, quando erit, etiam adhuc ſupponenda erit (ex eorum ſententia) indeterminata, & plane libera, an credere velit necne. Non igitur, vel ex voluntate creata; vel ex fatali, neſcio qua, neceſſitate; vel etiam ex cauſarum naturalium concatenatione, oritur, vel certa futuritio, vel futuritionis certa cognitio. Sed, quod futurum eſt, ideo futurum eſt, quia Deus futurum eſſe decrevit. Adeoque cum Deus, *Petrum* puta *Paulumve*, certo crediturum præſciat, quod quidem præſciri non poteſt, niſi ſit aliquando futurum; neceſſe eſt ut illud ſit à Deo prædeterminatum; quo ſine, neque futurum eſſe poteſt, nedum præſciri.

Neque hic quicquam valet figmentum Jeſuiticum, de *Media ſcientia*. Cum enim dicunt, ſcire Deum in quibus poſitus circumſtantiis volet hic aut ille credere, aut non credere; unde poſſit Deus ipſum in talibus circumſtantiis vel ponere, vel non ponere, prout ſibi libitum fuerit. Eadem enim adhuc recurrit difficultas; unde ſit iſta hypothetica futuritio; Nempe, futurum eſſe, ut poſitus in his circumſtantiis credere volet, in illis autem non volet. Si enim & hoc ideo futurum ſit, quia Deus futurum eſſe decrevit; certe non decretum ab illa futuritione, ſed à decreto dependet illa futuritio. Utut ſit; ſi præſciverit Deus illum, in hiſce poſitum circumſtantiis, certo crediturum eſſe; in aliis autem, non eſſe; (undecunque demum illa oriatur certitudo;) atque inſuper volet illum Deus vel his vel illis circumſtantiis conſtituere, prout illum voluerit vel ſalvari vel non ſalvari: etiam adhuc non ex libero voluntatis humanæ actu dependebit illius vel Electio vel Reprobatio, ſed ex puro Dei beneplacito, qui, cum poſſit utrumlibet, vult illum vel his vel illis circumſtantiis conſtituere. Et propterea, quamvis revera ex libero actu creaturæ credentis dependeat Salus; non tamen Electio, ſive Deſtinatio ad ſalutem: cum non in ipſius arbitrio ſit, An erit in illis circumſtantiis conſtitutus unde certo conſequatur fides, an in iis unde certo non conſequatur.

Secundo, Patet eadem aſſertio noſtra, ex variis ſacræ Scripturæ teſtimoniis. Nempe, non tantum ad Gloriam, ex previſione gratiæ; ſed tam ad Gratiam, quam ad Gloriam, nos electos eſſe. *Eph.* 1. 4, 5. *ἐξελέξατο ἡμᾶς — εἶ) ἡμᾶς ἁγίυς, — προορίσας ἡμᾶς εἰς υἱοθεσίαν. Elegit nos Deus*, (non quia ſancti ſumus aut erimus, ſed) *ut ſancti ſimus*, pront prædeſtinaverit nos in adoptionem filiorum. *Rom.* 8. 29. *Quos præcognovit* (puta ſalvandos fore) *eos* (non præſciverat tantum, ſed) *προώρισε, prædeſtinavit fieri conformes filio ſuo.* Idem patet

2 *Theſ.*

2 *Theſſ.* 2. 13. & 1 *Pet.* 1. 2. ubi dicuntur fideles, *electi ad ſanctimoniam*, ſive *ad ſanctificationem Spiritus*. Quod & aliis quampluribus Scripturæ locis confirmatur, quibus recenſendis non vacat.

Atque hæc quidem tum ad gratiam tum ad gloriam prædeſtinatio, adeo eſt in integrum gratuita, & mere ſpontanea; ut ne ullam ipſius cauſam meritoriam, ne quidem Chriſtum ipſum, agnoſcamus. Eligimur quidem ad ſalutem, propter Chriſti merita obtinendam; non autem, propter Chriſti merita eligimur, ad obtinendam ſalutem. Miſſio Chriſti eſt inter cauſas ſalutis; non Electionis. Adeoque illud *Eph.* 1. 4. *elegit nos in Chriſto*; ita intelligendum videtur. *Viz.* vel elegit nos, in illo futuros; vel, ut in illo ſimus ſancti, & inculpabiles; vel etiam, elegit nos in illo, ut partes integri objecti electionis, quod eſt Chriſti corpus myſticum; quippe elegit Deus totum Chriſti corpus myſticum, cujus nos partes ſumus, adeoque nos in illo, ut partes in toto: vel denique illud *Elegit*, cum ſit vox complexa, reſolvendum erit in *προώρισεν, deſtinavit ad ſalutem obtinendam*, cujus parti poſteriori commode ſubjungitur illud *ἐν Χριστῷ, in Chriſto*, vel *per Chriſtum*; (quales vocum complexarum reſolutiones, etiam alias admittendas, liquet; puta 1 *Tim.* 2. 12. 1 *Tim.* 4. 3. & alibi paſſim:) ut nihil aliud iſta locutione innuatur, quam, ſtatuiſſe Deum, nos in Chriſto, ſive per Chriſtum, ſalutem conſequnturos.

Ut autem Electionis cauſam Meritoriam nullam aſſignamus; ita nec cauſam Impellentem nllam, præter ipſum Dei Beneplacitum; *τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ. Eph.* 1. 5. *τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ verſ.* 11. non quidem ſecundum opera noſtra, ſive peracta, ſive prævifa, nos elegit, ſed pro mera ipſius gratia. Non, inquam, ſecundum opera peracta; quippe quia nondum eramus, nedum quicquam feceramus boni, cum Deus eligebat. Nec etiam ſecundum opera prævifa: Nam argumentum Apoſtoli *Rom.* 9. 11. (*ut propoſitum Dei conſtaret, non ex operibus, ſed ex vocante,*) pariter excludit opera prævifa, atque peracta. Item illud *Rom.* 11. 6. *Reſervatio inquit facta eſt ſecundum electionem gratiæ: quod ſi ex gratia, non jam ex operibus, alioquin gratia jam non eſſet gratia; ſin ex operibus, jam non eſt gratia, alioquin opus non eſt opus.* Jam vero electio propter opera prævifa, non minus eſt inconſiſtens cum electione ex gratia, quam electio propter opera peracta. Nec etiam ex prævifa fide; quæ quamvis in materia Juſtificationis opponatur operibus, non tamen in materia Electionis. Juſtificamur, non ex operibus, ſed ex fide: At Electio gratiæ non eſt ex operibus, ſed ex Vocante. Atque illa, *Non eſt volentis, neque currentis; ſed miſerantis Dei*; Rom. 9. 16. *Cujus vult, miſeretur; & quem vult, indurat*; verſ. 18. *Quis te diſcriminavit*, &c. 1 *Cor.* 4. 7. atque his ſimilia; præviſionem fidei pariter excludunt atque operum.

Hanc autem quam diximus, tam ad gratiam, quam ad gloriam, electionem gratuitam; ſive unam eandemque electionem dicamus, ſive in duas ſupponamus diſtingui, perinde omnino erit; dummodo utrumque dicamus à Deo prædeterminari: Nempe, quicunque ad Gloriam deſtinatur, eundem & ad Gratiam dicamus deſtinari; & contra: ut patet ex *Rom.* 8. 29. & alibi. Certum enim eſt, & hæc & alia omnia, non niſi uno & ſimplici actu à Deo determinari, qui quidem nunc in plures nunc in pauciores diſtingui poſſit per operationem Intellectus noſtri, ea per inadæquatos conceptus dividentis quæ ſunt in ſe indiviſa. Sive igitur plura ſive pauciora ſupponamus decreta Dei, eaque nunc una nunc alia methodo diſponamus; ſunt tamen ea non realiter, ſed ratione tantum diſtincta, nempe ut inadæquati conceptus ejuſdem indiviſi Decreti.

Et propterea etiam tuto liceret intactam dimittere perplexam illam, de Electionis materia, controverſiam, inter Sublapſarios & Supralapſarios (ut vocantur) agitatam. Nempe, an electio fiat è maſſa corrupta, an è maſſa pura, ſive etiam nondum condita. Quamvis enim hic Remonſtrantes ſatagunt, Sublapſarios (ut loquuntur) & Supralapſarios invicem committere: non tanti tamen hæc eſt controverſia, ut nos de illa admodum ſolicitos teneat. Eſt enim apud hos omnes in confeſſo, Decreviſſe quidem Deum hæc omnia, nempe Homines creare, lapſum permittere, ex lapſis aliquos efficaciter ad fidem vocare, in illa conſervare, & tandem ad ſalutem perducere; alios vero, ſibi permittere, ut infideles maneant, & pœnas tandem luant. Sed & pariter conceſſum fore judico, hæc omnia eodem ſimplici voluntatis actu, quod ad ipſum Deum attinet, decerni: poſſe tamen hunc actum vel decretum, per inadæquatos intellectus noſtri conceptus, in plura decreta partialia diſtingui, ſola tamen ratione, non realiter, diſtincta. Tandem vero, An hæc decreta partialia, vel potius hi inadæquati conceptus à nobis formati, commodius diſponantur juxta rationem finis & mediorum, ut decretum de fine dicatur prius decreto de mediis; adeoque decretum de ſalute prius eſſe decreto de mediis ad ſalutem: An potius, juxta neceſſitatem exſiſtendi; ut illud nempe prius dicatur, à quo non redit (ut loquuntur) eſſendi conſecutio; adeoque, verbi gratia, decretum permittendi lapſum, prius eſſe decreto quoſdam recuperandi; quia poſſibile quidem eſt ut decernat Deus lapſum permittere, licet non item ſtatueret lapſos recuperare; at contra, poſſibile non eſt ut ſtatuat recuperatum iri lapſos, niſi & ſtatuat permitti lapſum: An denique hæc integri decreti membra, potius coordinanda ſint omnia, tanquam ejuſdem decreti ſimultanei objecta plane coordinata: Hæc, inquam, eſt inter no-

ſtrates controverſia, nempe, de methodo diſponendi decreta Dei, vel noſtros potius ejuſdem Decreti inadæquatos conceptus. Quæ quidem, ſi quid ego judico, eſt plane Logica controverſia, potius quam Theologica: & revera (quod in ejuſmodi controverſiis non raro uſu venit) & hoc, & illud, & tertium denique; vario reſpectu verum erit, & commode poſſit affirmari.

Qui pro maſſa pura diſputant, ſive etiam nondum creata: arguunt, Deum nihil ſtatuiſſe niſi certo aliquo fine; adeoque quærunt, Quo fine decreverit Deus lapſum permittere? annon ut ex lapſis hos reſtituat, illos puniat? Item, quo fine decreverit homines creare? annon ut hos, aliquando lapſos, tandem reſtituat; illos vero, lapſos, tandem puniat? Si igitur illo fine ſic ſtatuit, certe finem illum prius intenderat, cum intentio finis ſit prior intentione mediorum. Quod ſi durum videatur, Deum eo fine creaſſe homines ut eos perdat; regerunt, hoc non durius eſſe de Hominibus, quam de Angelis, quorum electionem atque reprobationem, ſi non in maſſa nondum condita, ſaltem in maſſa pura fieri dicendum erit.

Qui pro maſſa corrupta diſputant, ſic arguunt; Electio eſt decretum de lapſis erigendis & ſalvandis; ſupponit itaque lapſum; quippe impoſſibile eſt ut Deus ſtatuat lapſos erigendos, priuſquam ſtatuerit lapſos fore: nam eo momento naturæ quo quid Deus nondum ſtatuerit, incertum eſt an omnino erit; non poteſt itaque eo momento naturæ certum eſſe, vel à Deo decretum, lapſos eſſe erigendos, quo nondum ſtatuerit lapſos fore. Sed dicendum porro, eadem ratione, Impoſſibile eſſe ut ſtatuat Deus, aliquos per fidem ſalvandos eſſe, cum nondum ſtatuerit, an omnino ſint credituri; quare, & decretum de Fide prius eſſet quam decretum de ſalute. Quod à dicto Remonſtrantium in hoc differt, quod illi fidem ſtatuant, non tam objectum decreti, quam præſcientiæ.

Hac autem de re, ſi neceſſe ſit noſtram ſententiam proferre, hoc cenſemus.

1. Quod ſive maſſam non creatam, ſive puram, ſive corruptam, ſtatuat quis materiam, è qua fit Electio; nequicquam tamen hoc promovet Remonſtrantium cauſam; dummodo dicatur, eligendos & reprobandos, in eadem omnino conditione conſideratos, ante ipſum Prædeſtinationis decretum; & primum momentum diſcriminis eſſe in ipſo decreto, non in ulla conſideratione noſtri.

2. Etiamſi diceretur, Decretum de fide, prius eſſe decreto de ſalute; non tamen id dicitur quod volunt Remonſtrantes, ſcilicet, fidem præviſam tantum eſſe, non & decretam.

3. Decretum Divinum ſpectari poſſe, vel in conſideratione Phyſica, vel in conſideratione Morali.

In conſideratione Phyſica, illud natura prius eſt, à quo non redit eſſendi conſecutio; id nempe, quod, in ſe conſideratum, conſtare poſſit ſine altero, non autem illud alterum ſine hoc. Decretum igitur de creatione prius erit (hac conſideratione) decreto de lapſu; creatio enim decerni poſſet, etiamſi lapſus non ſequeretur, non autem lapſus ſine creatione: &, pari ratione, decretum de lapſu permittendo prius erit decreto de fide & reſipiſcentia; atque hoc iterum, decreto de ſalute per fidem. In conſideratione Morali, ſubordinantur decreta, juxta ſubordinationem Finium: ut illud nempe prius intendatur (hac conſideratione) quod poteſt eſſe alterius Finis; illud poſterius, quod ſubire poteſt rationem Medii. Quia, quod intenditur propter ſe, prius intendi dicitur quam quod intenditur propter aliud. Et proinde, ſi decreta ſic conſiderentur, Decretum de ſalute, prius erit decreto de mediis ad ſalutem: Decretum de reſtitutione, decreto de lapſu: & decretum de lapſu, decreto de creatione. Sunt enim hæc poſteriora, Gradus vel Media ad illa priora.

Igitur in conſideratione Phyſica, decretum de danda fide, & decretum de ſalute per fidem, (ut etiam, de non danda fide, & de ſubſequente damnatione,) ſupponunt decreta de lapſu & de creatione; nempe, in genere Entis, ſive in ratione veri ſive Futuri. In conſideratione Morali; decretum de ſalute, & de mediis ad ſalutem, priora ſunt decretis de lapſu, atque de creatione; nempe in genere Finis, ſive ſub ratione Boni, ſive Appetibilis. Quod enim in conſideratione Morali, habet rationem Finis, adeoque prius appetitur; illud, in conſideratione Phyſica, habet rationem Effecti, adeoque cauſis ſuis poſterius eſt. Utrobique autem (quod oppido notandum eſt) nullam hujuſmodi vel prioritatem vel poſterioritatem ſpectandam eſſe, niſi in ſubordinatis, vel hic Phyſice, vel illic Moraliter: ſi qua enim exponantur, quæ vel hic non ſubeunt rationem cauſæ & effectus; vel illic, rationem finis & mediorum; non tam illa vel ſubordinata, vel etiam coordinata, dicenda erunt, quam diſparata; quæ nullam inter ſe prioritatem aut poſterioritatem ſortiuntur.

Verum in Morali conſideratione, alia adhuc ſupereſt ordinatio quam quæ hactenus dicta eſt. Quæ enim ſe habent ut Finis & Media, etiam ſub iſta conſideratione, duplicem reſpectum ſortiuntur; nempe vel ut Deſiderata, vel ut Volita: Illic quidem ſub ratione Boni, ſive Appetibilis; quo reſpectu conſideratio finis potior eſt, à cujus quippe appetibilitate dependet appetibilitas mediorum, (nempe quatenus mediorum;) adeoque decretum de fine prius erit: Hic autem, ſub ratione Intenti, ſive Futuri; quo reſpectu decreta finis & mediorum, coordinata potius dicenda ſunt, adeoque ſimul: Non enim quis prius vult aut ſtatuit hunc Finem his Mediis acquirere, quam hæc Media in hunc Finem adhibere. Et quamquam deſiderium finis prius ſit, quam mediorum: Intentio tamen utrorumque (quoad ſaltem

hanc

hanc reſpectivam inter ſe naturam, quicquid ſit de earum natura abſoluta) junctim procedit. Quo ſenſu decreta de creatione & lapſu, tum de fide & ſalute, coordinata & ſimultanea dicenda erunt. Neque enim concipiendus eſt Deus, prius illa ſalutis fore Media decreviſſe, quam ſalutem eorundem Finem, ſive eis conſequendam, fore. Nec etiam (in conſideratione Phyſica) eas prius hujus cauſas futuras, quam hanc earundem effectum fore, decreviſſe. Sed, de ordine decretorum hactenus; Quo ſenſu nempe electio, ſive deſtinatio ad gratiam & gloriam, prior dicenda ſit, vel poſterior, vel denique ſimul cum decreto de permittendo lapſu, vel etiam de creatione; adeoque quo ſenſu dicenda eſt electio fieri in maſſa corrupta, in maſſa pura, vel etiam nondum condita.

Quicquid autem ſit, hac de re, inter noſtros Theologos controverſiæ, (quæ, cum quæſtionis noſtræ cardinem non attingat, à nobis tuto negligi poſſe cenſenda videtur;) hactenus tamen, contra Doctrinam Remonſtrantium, ſatis conſentiunt; quod, ſive in maſſa corrupta, ſive pura, ſive nondum condita, inſtituatur electio, totum utcunque hominum genus tanquam æquabili adhuc ſtatu conſtitutum ſpectari volunt; nempe, vel pariter corruptos omnes, vel omnes pariter puros, aut etiam adhuc condendos. Adeoque horum Electionem, illorum Reprobationem, ex mero Dei diſcriminantis beneplacito, non ex materiæ diſpoſitione, vel voluntatis humanæ liberis actibus dependere. Quod & nos aſſerimus.

Atque huc ſpectant loca illa, 1 *Cor.* 4. 7. *Quis te diſcriminavit? quid habes quod non accepiſti?* & Rom. 9. *Nondum natis pueris, quum nihil feciſſent boni aut mali*, adeoque æquali ſorte adhuc conſtituti, *ut propoſitum Dei quod eſt ſecundum electionem, non ex operibus* (ſive peractis ſive peragendis) *ſed ex vocante, conſtaret, dictum eſt, Major ſerviet minori; ſicut Scriptum eſt*, Jacobum *dilexi*, Eſavum *odio habui*, verſ. 11, 12, 13. Item, *Non ejus eſt qui velit, neque ejus qui currat, ſed Dei qui miſeretur*, verſ. 16. *Cujus vult, miſeretur; quem autem vult, indurat*, verſ. 18. *Annon poteſtatem habet figulus in lutum, ut ex eadem maſſa*, utut homogenea ſit vel maxime, *faciat aliud quidem vas ad decus, aliud ad dedecus?* verſ. 21. Et Epheſ. 1. *prædeſtinavit nos pro beneplacito voluntatis ſuæ*, verſ. 5. *Secundum gratuitam ſuam benevolentiam*, verſ. 9. *Prædeſtinati ſecundum propoſitum ejus qui omnia efficit ex conſilio voluntatis ſuæ*, verſ. 11. Aliaque paſſim loca, quæ fundamentum diſcriminis in Electione facti, in mero Dei beneplacito conſtituunt, non autem in libertate creaturæ. Atque hactenus quidem de quæſtione prima.

Quæſtio Secunda.

Ad ſecundam Quæſtionem quod attinet; *An poteſtas Miniſtri Evangelici ad unius tantum Eccleſiæ particularis membra extendatur?* Ne de ipſius ſenſu dubitetur, terminos ipſius aliquos breviter explicandos ſentio.

Per *Miniſtros Evangelicos*, eos intelligo, quibus Evangelii prædicatio, ex officio, à Chriſto demandatur. Qui quidem, in Eccleſia primitiva, varii erant, officiis invicem diſtincti; prout enumerantur 1 *Cor.* 12. 28. *Apoſtoli, Prophetæ, Doctores*: & Eph. 4. 11. *Apoſtoli, Prophetæ, Evangeliſtæ, Paſtores & Doctores.* De quibus omnibus quamquam intelligatur aſſertio noſtra, eos tamen præſertim ſpectat, qui *Paſtores & Doctores* appellantur: Partim quod de reliquis neſcio an quiſquam quæſtionem moverit; partim etiam quod, extraordinarii cum fuerint, jamdudum in Eccleſia ceſſaverint.

Miniſtri poteſtatem, eam hic intelligo, quæ miniſtro Evangelico competit, virtute illius quo fungitur muneris; quatenus publicam ſtationem ſuſtinet, & à privatis Chriſtianis contradiſtinguitur. Qualis eſt, poteſtas Evangelium prædicandi, adminiſtrandi ſacramenta, cenſuras Eccleſiaſticas exercendi, Miniſtros ordinandi, & quæ ſunt hujuſmodi. Hæc enim & ſimilia peragendi poteſtas, privatis Chriſtianis à Chriſto neutiquam eſt conceſſa; neque nunc in Eccleſia ſua concedenda.

Per *Particularem Eccleſiam*, intelligo ejuſmodi cœtum fidelium (κατ᾽ ἐξοχὴν ſaltem) ſive loci vicinia, ſive etiam peculiari fœdere ita conjunctorum, ut poſſint & ſoleant, ſive ſub eodem Paſtore, ſive ſub pluribus Paſtoribus conjunctis, ordinarium Dei cultum publicum eodem conventu celebrare. Quam definitionem ita proponendum cenſui, ut & *Eccleſiis* (ut loquuntur) *Parochialibus*, & *ſelectis* ſive *ſeparatis* (ut vocantur) *Congregationibus* conveniat. Siquis autem Eccleſiam Particularem latiori adhuc ſenſu acceptam volet, quatenus Catholicæ ſive Univerſali contradiſtinguitur; adeoque Claſſicali, Provinciali, aut etiam Nationali conveniat: Ego neque hunc ſenſum reſpuo; moneo tantum, quod de Eccleſia Particulari, priori ſenſu ſumpta, quæſtio potiſſimum inſtituitur; quoniam de hac præſertim hodiernæ gliſcunt controverſiæ.

Statum controverſiæ quod attinet. Sunt qui Miniſtrum ſive Paſtorem Evangelicum ita unius Eccleſiæ Particularis Paſtorem eſſe arbitrantur, ut tota ipſius poteſtas Miniſterialis ad illam ſolam terminetur, neque extra ſuum particularem Gregem poteſtatem ullam Miniſterialem habeat; ſed ad alios omnes privatæ alicujus perſonæ inſtar habendus ſit: donis forſan aliquanto inſtructior, nulla vero authoritate miniſteriali munitus: qui quamvis actus (ut loquuntur) Charitativos ad alios etiam exercere poſſit, (ſicut & alius quilibet privatæ ſortis Chriſtianus;)

Chriſtianus;) non tamen actus Authoritativos, vi muneris. Quod ideo præſertim affirmant, ne quo prætextu liceat Paſtorum aliquot vicinorum Collegio vel Presbyterio, aut etiam ex remotioribus collectæ Synodo, poteſtatem authoritativam exſerere, de particularum Eccleſiarum Regimine authoritative ſtatuere, aut etiam illud conjunctim exercere. Atque hujus quidem ſententiæ fundamentum illud præſertim ſtatuunt; quod Paſtor & Grex ſint Relata; adeoque Paſtor, ſuo ſoli Gregi Paſtor; & Grex, ſuo ſoli Paſtori Grex: Cujuſlibet autem Paſtoris Grex ille dicendus ſit, à quo Paſtor ille eligitur, alitur, honoratur, & cui ipſe perpetuo invigilat; omniaque officia paſtoralia & debet & præſtat: quæ cum de ſua tantum Eccleſia ſeu Congregatione particulari dici poſſe contendant, non de omnibus item vicinis eccleſiis, nedum omnibus per univerſum Orbem Chriſtianis; ſolius propterea particularis eccleſiæ Paſtor cenſendus ſit, non autem aliorum quorumvis hominum; Sicut nec maritus aliquis, cuivis alii, præter uxorem ſuam, mulieri, maritus eſt.

Nos contra affirmamus, Miniſtrum Evangelicum, quamvis non raro (neque ſemper tamen, aut neceſſario,) particulari alicui eccleſiæ ita præficiatur, ut, quoad ordinarium muneris exercitium, ipſi ſpecialiter invigilet; non illi tamen ita adſtrictum eſſe, quin poſſit & erga alios, ſive intra, ſive etiam extra eccleſiam, authoritativos actus exercere: puta, Evangelium cuilibet, (ſive fideli, ſive infideli,) authoritative prædicare; fidelium infantes, ſive etiam infideles ad fidem converſos, baptizare; cœnam Dominicam dignis adminiſtrare; cenſuras denique eccleſiaſticas, alioſque actus regiminis, in Synodis exercere; & quidem totum opus Miniſteriale ubivis exercere, modo ad illius Exercitium legitime vocatus fuerit.

Act. 20.28. 1 *Pet.* 5. 2. 3. 4. 1 *Cor.* 4. 1, 2. *Tit.* 1.17. 1 *Pet.* 4. 10. 11.

Adeoque dicimus, Miniſtri Evangelici relationem, quam habet ad particularem aliquam eccleſiam, neque adæquatam neque primariam ipſius relationem eſſe: ſed eam potius quam habet ad Chriſtum, cujus Miniſter eſt; puta, Servi, ad Dominum; vel Diſpenſatoris, ad Patrem familias; aut etiam Paſtoris delegati, ad ἀρχιποίμενα, paſtorem primarium, cujus vices gerit. Eſt enim Chriſtus, non hujus tantum particularis, ſed totius Univerſalis eccleſiæ, tanquam unius ſponſæ, ſponſus unicus; vel, ut unius gregis, unicus Paſtor; vel, ut unius familiæ, unus Dominus. Miniſtri autem Evangelici, totidem ſunt ſub illo paſtores Delegati, vel Oeconomi ſive Diſpenſatores myſteriorum Dei, prout paſſim appellantur. Et quamquam tanta ſit hæc Chriſti Familia, ſive Grex ille, ut pluribus opus habeat vel Oeconomis, vel Paſtoribus delegatis, ad familiæ ſive gregis negotia exſequenda, qui quidem vel ex neceſſitate rei, vel ex pacto, integrum illud opus inter ſe diſtribuant, prout totius familiæ ſive gregis commodo maxime expedire videbitur; (quod & Apoſtolos feciſſe legimus; quorum hi Judæorum, illi Gentium, miniſterio ſe præſertim applicuerunt, utut utrique utrobique integrum jus Apoſtolatus habuerint, quod & cum res poſtulaverit exſerere jure potuerunt:) non tamen cenſendi illi, ſive Paſtores, ſive Oeconomi, quaſi tot diſtinctis aut gregibus aut familiis præpoſiti, nihil inter ſe commune habentibus, ſed ut totidem ejuſdem ſive familiæ ſive gregis partibus, & quidem in ordine ad integrum. Nec enim uſpiam, quod memini, vel plures Chriſti familias memorat Scriptura, vel plures ipſius greges, ut nec plura domicilia, nec plura corpora, aut ſponſas plures. Sed ad unam omnes [a] familiam pertinent fideles, ſive ex Judæis ſive Gentibus; ad eundem omnes [b] gregem, idem [c] domicilium, idem [d] corpus; eandem denique [e] ſponſam Chriſti; prout ex innumeris Scripturæ teſtimoniis abunde patet. Et quamvis non ignorem appellationum harum vel omnes, vel ſaltem aliquas, de particulari forſan Eccleſia, vel paucis etiam fidelibus aliquando uſurpari: Synechdochice tamen illud fieri dico; applicato nempe nomine Integri ad ipſius aliquam partem. Sicut & Chriſtus ipſe, in Mundum veniſſe dicitur, & Evangelium Mundo prædicaſſe, quamvis extra terram Iſraeliticam, nuſquam, quod ſcimus, prædicaverit; fortaſſe neque omnino exiverit, niſi quod ſemel in Ægyptum, dum adhuc infans, ſit deportatus. Et quidem, ſi particularis aliqua Eccleſia, Chriſti familia, vel Grex Chriſti, vel etiam Chriſti corpus, aliquando ſynechdochice appelletur: non tamen, ubi de pluribus agitur, dicuntur illæ, vel greges Chriſti, vel ipſius familiæ, aut corpora, aut etiam ſponſæ: ſed ſive de una, ſive de pluribus, ſive etiam de omnibus verba fiant, non niſi una adhuc familia, unum corpus, grex unus, una ſponſa, unum ædificium dici ſolent. Sicut & Chriſtus, etiamſi, extra terram Iſraeliticam, per varias regiones tranſiiſſet, eiſque prædicaſſet Evangelium; non tamen propterea in Mundos veniſſe dicendus eſſet, ſed adhuc in Mundum. Ita dum Paſtores Epheſinos alloquitur Paulus, *Act.* 20. quanquam non dubitandum videatur plures in Epheſo (urbe ampla & frequenti, diſcipuliſque refertiſſima) cœtus fuiſſe, ſive congregationes particulares, (quorum quamlibet, Synechdochice Gregem appellare licuit,) non tamen omnes conjunctim, Greges, appellat, (numero plurali,) ſed Gregem, *verſ.* 28. 29. Sic *Petrus, diſperſos* alloquens *per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam, & Bythniam*, 1 Pet. 1. 1. (adeoque non unicam particularem Eccleſiam, ſed complures,) unius tamen *Gregis* nomine, omnes complectitur, *Cap.* 5. 2. Et quidem omnes tum jam converſos, tum deinceps convertendos; tum ex Judæis, tum ex Gentibus; in unum eundemque Gregem (non plures) coaleſcere, diſerte tradit Chriſtus ipſe *Joh.* 10. 16. ut fiat, inquit, *Unus Grex & unus Paſtor*; unus, inquam, Paſtor primarius, qui eſt ipſe Chriſtus, (1 *Pet.* 5. 4. *Joh.* 10. 16. & *verſ.* 11. & 14. *Heb.* 13. 20. 1 *Pet.* 2. 25. 2 *Cor.* 5. 20. & alibi;) non interim multiplicatis gregibus,

[a] *Eph.* 3.15.
[b] *Joh.* 10. 16. 1 *Pet.* 5. 2.
[c] 1 *Pet.* 2. 4. 5, 6. 1 *Cor.* 3. 9. &c.
[d] *Eph.* 4. 4. 12. 1 *Cor.* 12. 12. 13. *Rom.* 12. 5. & alibi.
[e] *Cant.* 6. 9. 2 *Cor.* 11. 2. *Eph.* 5. 23. &c. *Apoc.* 19. 7. & 21. 9.

bus, ſed uno adhuc (ut dictum eſt) exſiſtente. Atque huic uni ſive familiæ, ſive gregi, ſive corpori, ſicut ipſe Chriſtus primario præeſt, & particularibus ſive Eccleſiis, ſive Chriſtianis, non niſi ut membris totius ; ita & ipſius ſive Oeconomi, ſive delegati, ad totum illum gregem, totamve familiam primario, ad eccleſias autem particulares non niſi ſecundario, relationem ſuſtinent, tanquam partes totius ; ſicut & Oculus in corpore, primario, toti quidem proſpiciendo inſervit ; manui autem, vel pedi, tanquam parti totius.

Atque hoc quidem conſtat ex Delegationis, ſive Miſſionis formulis, quæ paſſim exſtant. *Joh.* 20. 21. *Sicut miſit me pater, ita & ego mitto vos.* Joh. 17. 18. *Sicut me miſiſti in Mundum, ita ego miſi eos in Mundum,* (non tantum ad cœtum ſingulos particularem.) *Mar.* 16. 16. *Profecti in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni Creaturæ.* Math. 28. 18, 19, 20. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra ; Profecti ergo docete Omnes Gentes, Baptizantes eos* &c. *Et ecce vobiſcum ſum omnibus diebus ad uſque conſummationem ſeculi* : (Ut nempe iiſdem coerceantur cancellis illorum poteſtas atque mundus ipſe.) Quæ non de ſolis Apoſtolis dicta eſſe, ſed & de eorum etiam, in opere miniſteriali, ſucceſſoribus, ſatis patet ; cum Apoſtoli ipſi *ad conſummationem ſeculi* non vixerint, nedum munus illud exercuerint. Et quidem ex his ipſis locis, Paſtoribus ordinariis, verbum prædicandi atque adminiſtrandi Sacramenta, non minus quam Apoſtolis, poteſtatem factam eſſe, in confeſſo eſt.

Porro, Tituli illi quibus paſſim inſigniuntur Miniſtri, non tam relationem ad hanc aut illam eccleſiam particularem innuunt, quam vel ad Chriſtum ipſum, vel etiam eccleſiam univerſalem, vel abſolutam quam habent Evangelium prædicandi authoritatem. Vocantur
enim *Miniſtri Dei* ; *Miniſtri Chriſti* ; *Diſpenſatores Dei* ; *Diſpenſatores Myſteriorum Dei* ; 2 *Cor.* 6. 4.
Miniſtri Domini ; *Legati Chriſti* ; *Miniſtri verbi* ; *Miniſtri novi fœderis* ; *Præcones E-* 1 *Cor.* 4. 1.
vangelii ; *Evangelizantes pacem* ; aliaque nomina ſimilia paſſim obtinent. *Tit.* 1. 17. *Eph.* 6. 21.
Addo etiam, non tantum Apoſtolos vel Evangeliſtas, ſed & ordinarios Miniſtros, Paſto- 2 *Cor.* 5. 20. *Luc.* 1. 2.
res & Doctores, non huic aut illi eccleſiæ particulari datos eſſe, ſed Univerſali, ut patet 2 *Cor.* 3. 6.
1 *Cor.* 12. 28. *Conſtituit Deus in Eccleſia, primum Apoſtolos, deinde Prophetas, tertio Do-* 1 *Cor.* 9. 14
ctores. Adeoque in eadem eccleſia conſtituti ſunt Doctores, ſive ordinarii Miniſtri ; in qua *Rom.* 10. 14, 15.
& ipſi Apoſtoli ; quos unius tantum eccleſiæ particularis Miniſtros eſſe nemo dixerit : Imo in Eccleſia illa in qua conſpiciuntur omnes *donorum*, omnes *miniſteriorum*, omnes *operationum* diverſitates ; ut liquet *ver.* 4, 5, 6. quod de eccleſia qualibet particulari neutiquam dici poteſt : Imo in Eccleſia illa, quod eſt integrum *Chriſti corpus*, cujus membra ſunt fideles omnes ; in quam & *omnes fideles* Baptizantur, ſive Judæi ſive Græci, *ver.* 12, 13. Quæ non niſi de eccleſia univerſali dici poſſunt. Neque tamen de eccleſia inviſibili & inorganica, ſive Chriſti corpore myſtico, hic agitur ; ſed de eccleſia viſibili & organica ; de ea nempe ubi varia exercentur Miniſteria, *ver.* 5. ubi prophetia, & ſpirituum diſcretio, & miraculorum operatio, &c. *ver.* 9, 10. in qua & baptiſmi & cœnæ dominicæ adminiſtratio, *ver.* 13. ubi item ſunt manus, auris, oculus ; varia nempe membra ſive organa variis officiis deſtinata, *ver.* 15, 16, 17. &c. ubi item conſtituuntur Officiarii Eccleſiaſtici, *ver.* 28. &c. Quæ omnia de Eccleſia Chriſti Myſtica, vel Inorganica, dici nequeunt. Idem oſtendi poteſt ex *Eph.* 4. ubi non Apoſtolos tantum, alioſque extraordinarios ; ſed Paſtores & Doctores, ordinarios nempe Miniſtros, non huic aut illi eccleſiæ particulari, ſed toti Univerſali Organicæ, dari docetur : ut multis inde argumentis probari poſſet, ſi per tempus liceret. Item *Rom.* 12. 4, 5, 6, 7. Et alibi.

Præterea, Actus eorum Miniſteriales, non ad unam tantum Eccleſiam particularem ſe extendunt. Nempe, Baptiſmo admittunt baptizatos, non in hanc aut illam Eccleſiam particularem, ſed in univerſalem, (ut patet 1 *Cor.* 12. 13.) Secus enim toties rebaptizandus erit quilibet, quoties eccleſiam particularem mutat ; (ſicut & iteranda Miniſtrorum Ordinatio, quoties de eccleſia in eccleſiam migrat Miniſter.) Item in ſacra ſynaxi, communionem exercent cum univerſo Chriſti ubivis terrarum corpore ; ut ibidem patet, 1 *Cor.* 12. 13. Et Excommunicationis cenſurâ, non ex hac aut illa particulari eccleſia ejiciunt, ſed ex eccleſia Univerſali : quod enim ipſi, clave non errante, ligant in terris, illud & in Cœlis ligatur, *Mat.* 16. 19. & 18. 18. adeoque ab omnibus pro ligato habendum erit : Ita non modo *Paulum*, & *Barnabam*, ſed & *Timotheum*, *Titum*, *Tychicum*, *Epaphroditum*, *Silam*, *Johannem Marcum*, *Apollo*, *Aquilam*, alioſque, nunc in una nunc in alia Eccleſia particulari, prædicaſſe legimus ; quos tamen omnes Apoſtolos eſſe, aut Evangeliſtas, non eſt cur arbitremur. Denique, ne nimius ſim, Presbyteros Hieroſolymitanos, Decretis condendis occupatos legimus, quibus & Antiochena & aliæ item eccleſiæ, obtemperare tenebantur, *Act.* 15. 6. &c. & *Act.* 16. 4.

Imo ad exteros etiam ſe extendit Miniſterialis poteſtas. Inſtituitur quippe à Chriſto Miniſterialis prædicatio, non modo ad fideles confirmandos aut conſolandos ; ſed etiam ad infideles convertendos, ut patet *Rom.* 10. 4. *Quomodo credent in eum, quem non audierunt ? aut quomodo audient, ſine prædicante ? aut quomodo prædicabunt, ſi non mittantur ?* Sed & alibi. Imo & renuentibus vindictam Dei authoritative poſſunt denunciare ; quod factum legimus *Act.* 13. 51. ſolenniter nempe excuſſo pedum pulvere, juxta mandatum à Chriſto

 datum

datum Apoſtolis, *Luc.* 9. 5. & ſeptuaginta Diſcipulis, *Luc.* 10. 11. Quod & Divinitus ſore comprobandum & rati-habendum, ibidem pluribus docetur, *ver.* 13, 14, 15, 16. Non enim eorum ad quos mittitur, obſtinatio, ſive pervicacia, Legati poteſtatem evacuat vel enervat: ſecundum quod dicitur *Ezek.* 2. 5. *Sive audire velint, ſive reſpuant; ſcient utcunque in medio ipſorum Prophetam fuiſſe.* Neque enim ab ipſorum arbitrio, quaſi precaria, dependet Miniſtrorum authoritas, ſed ab ea quam à Chriſto obtinent miſſione. Et quidem Oeconomis ſive Diſpenſatoribus, virtute officii, non modo cum conſervis ſuis, ſive domeſticis, negotium eſt, ſed & non raro cum exteris; Neque enim hoc ſolum Diſpenſatori ſive οἰκονόμῳ incumbit officii, ut *famulitio in tempore det dimenſum*, *Luc.* 12. 42. ſed in univerſum, *à diſpenſatore requiritur ut fidus ſit*, 1 *Cor.* 4. 2. adeoque ut univerſa Domini ſui negotia, ſuæ fidei commiſſa, curet, quamvis apud exteros; operarios puta ſive conducendo, ſive mercedem ipſis ſolvendo, *Mat.* 20. 8. exteros in familiam invitando, vel adducendo; vel etiam indignos ejiciendo, *Mat.* 22. 3, 4, 9, 10, 13. *Luc.* 14. Et renuentibus renunciando; puta, excuſſo pedum pulvere; ut modo dictum: talentis domini negotiando, eaque augendo; vel etiam trapezitis committendo, ut redeant cum fœnore, *Mat.* 25. 14. &c. Quæ omnia de verbi Divini diſpenſatoribus, Chriſtive Oeconomis, (ſive inter cæteros, ſive potius præ cæteris,) intelligenda eſſe, neminem credo fore qui inficiabitur.

Mitto alia argumenta: tum quod neque præſentis inſtituti ratio patiatur ut ſingulis inſiſtam fuſius, tum quod ex dictis jam ſatis ſit manifeſtum, Miniſtrum Evangelicum, non unius tantum particularis Eccleſiæ, ſed totius potius Univerſalis Miniſtrum eſſe; ſeu potius, abſolute, Chriſti Miniſtrum eſſe, non ad unius tantum particularis, ſed totius Eccleſiæ univerſalis commodum, ordinatum.

Non autem ita intelligenda velim hæc omnia, quaſi cuilibet Paſtori ſingulari incumbat onus, ubique gentium prædicandi: quod quidem eſſet impoſſibile; quodque nec ipſe Chriſtus dum in terris erat, neque Apoſtolorum ipſius ullus, præſtiterunt; quorum tamen authoritatem ad unam aliquam, vel etiam paucas aliquot eccleſias, reſtrictam eſſe, nemo dixerit; neque tamen ſuo munere minus fideliter functos eſſe, quod non ubique ſinguli prædicaverint: Sed talem illis competere dicimus poteſtatem eccleſiaſticam, ut eam ubicunque terrarum fuerint ſecum habeant; quam quidem eo modo, eo loci, & euſque exſerere tenentur, prout ad ædificationem eccleſiæ Chriſti, ejuſque pacem & conſolationem, pro temporis locique circumſtantiis, maxime expedire intellexerint, & prout ad exercitium legitime vocati fuerint.

Neque interim arbitrariam & promiſcuam prophetandi licentiam in Eccleſias Dei introductum eo; ut pro arbitrio ſuo quilibet quidlibet cuilibet, quando & ubi libet, ſub poteſtatis Miniſterialis prætextu, doceat; aut ſeſe in exercitium iſtius poteſtatis ubivis pro libitu ingerat; quod quidem eſſet & pacem & ordinem omnem eccleſiaſticum manifeſto perturbare, & penitus evertere: ſed *omnia ad ædificationem facienda*; *omnia* (εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν) *decenter & ordine facienda*; *ſpirituſque prophetarum prophetis ſubjici*, docet Apoſtolus 1 *Cor.* 14. 26, 32, 42.

Diſtinguendum enim eſt inter *poteſtatem*, & *poteſtatis exercitium*; illam quidem cuilibet Miniſtro Evangelico & ſemper & ubique convenire judico; hoc autem non item, ſed pro hic & nunc (ut loquuntur) vel inconveniens eſſe poſſe, vel etiam illicitum. Sicut *v. g.* Medicinæ Doctor *Oxonienſis*, quamvis ubivis in *Anglia* & dignitatem Doctoralem habeat, & poteſtatem exercendi Medicinam; modo ſcilicet ad hoc vocatus ſit, neque aliquod legitimum impedimentum interveniat: non tamen illi ſub hoc prætextu licebit in cujuſvis familiam ſeipſum inferre, & vel invitis Medicinam adminiſtrare, vel etiam legibus probe ſancitis contraire: ſed conceſſa poteſtate (ut loquuntur) in actu primo, poteſt tamen ipſius exercitium in actu ſecundo, pro hic & nunc, non raro ſuſpendi, aut impediri. Et pariter de exercitio Miniſterii judicandum erit: Nempe Miniſter Evangelicus, quamvis ubique poteſtatem Miniſterialem habeat in actu primo, fieri tamen poteſt ut non raro pro hic & nunc ab ipſius exercitio vel abſtinere debeat, vel etiam impediri, communi ſcilicet Eccleſiarum commodo id poſtulante.

Atque hoc etiam ipſos Apoſtolos feciſſe conſtat. Quantamcunque enim poteſtatem ubique terrarum habuerint, certos tamen ſibi exercitii limites poſuiſſe certum eſt. Hi nempe ad Judæos, illi ad Gentes, ordinarium muneris exercitium peragebant, *Gal.* 2. 7, 8, 9. Item alios ſibi, alios aliis ceſſiſſe limites, innuit Apoſtolus, 2 *Cor.* 10. 13, 14, 15, 16. Ubi & ſe innuit cautum fuiſſe, ne ſuos tranſgreſſus limites in alienos tranſiret. Non enim ubique omnes Evangelium prædicarunt, quamquam ubivis quilibet Apoſtolicam habuit authoritatem: ſed ita ſe in varias regiones diſtribuerunt, prout Evangelio promulgando videbatur maxime idoneum. Quod quidem mutuo conſenſu factum eſſe, (peculiari nonnonquam præeunte & quaſi præmonſtrante providentia,) loco citato patet, *Gal.* 2. 9. & alibi. At non propterea putandum eſt, (nec quiſquam, credo, illud arbitratur,) aut Paulo inter Judæos, aut Petro inter Gentes, authoritatem Apoſtolicam defuiſſe, aut ipſam exercendi (ſi quando res poſtulaverit) poteſtatem; licet hic Judæos, ille Gentes, ſuæ curæ ſpecialiter commiſſos eſſe intellexerint.

Et

Et pari omnino ratione, expedire judico, atque ad eccleſiarum particularium, (adeoque & univerſæ,) commune bonum conducere, ut ſuos quælibet ſtatos Paſtores habeat, qui ipſi ſpecialiter invigilent. (Quod & Apoſtolicis temporibus factum eſſe conſtat *Act.* 14. 23. *Tit.* 1. 5. & alibi.) Verum non ideo dicimus, neceſſe omnino eſſe, ut quicunque ad Miniſterium admiſſus, ſit ſtatim & peculiari eccleſiæ ſic alligatus ; vel, ut nemo ad Miniſterium prius admittatur quam de ejuſmodi paſtorali cura ipſi demandanda proſpectum fuerit : ſed Miniſtros (ut loquuntur) ἀπολελυμένως ordinari, & licuit olim, & etiamnum licet. Et ſiquando temporariis quibuſdam conſtitutionibus Eccleſiaſticis contrarium cautum fuerit ; illud non niſi ad evitanda quædam quæ tunc metuebantur incommoda factum erat ; ut ex ipſis ſynodorum decretis, quibus hoc cavetur, liquet. Atque tales fortaſſis olim erant (præter Apoſtolos) *Timotheus*, *Titus*, *Tychicus*, *Epaphroditus*, *Silas*, *Barſabas*, *Johannes-Marcus*, *Apollos*, *Aquila*, aliique in Epiſtolis *Paulinis* paſſim memorati, quos quandoque in una, quandoque in alia Eccleſia Miniſteriale munus exercuiſſe legimus. Et quidem iidem ipſi Paſtores, qui, quoad ordinarium exercitium, particularis alicujus Eccleſiæ Paſtores dici poſſint, habent inſuper & indefinitam illam ſive indeterminatam poteſtatem alias (prout res poſtulaverit) miniſtrandi, aut etiam conjunctim de eccleſiis illis ſuis particularibus conſulendi : ob rationes jam ſupra allatas. Sicut & Doctor Medicus, ſi vel Noſocomii, vel illuſtrioris alicujus familiæ, curam in ſe ſuſcipiat, eique ἐπὶ τὸ πολὺ inſpiciat ; adeoque illius vel Noſocomii vel familiæ Medicus merito dici poſſit : non tamen hoc impedit quin & poteſtatem Doctoralem alibi habeat, eamque (ubi ſe juſta porrigat occaſio) exercendi facultatem ; quamvis, de facto, raro illam alibi exerceat, quippe ſatis fortaſſis ibidem occupatus. Nec aliter de particularis Eccleſiæ Paſtore judicandum erit. Sed & addo ; Si quando Paſtori de eccleſia in eccleſiam migrandum ſit ; ut nempe, juſtis de cauſis, unius eccleſiæ peculiari cura relicta, alterius evadat ille Paſtor ordinarius ; non nova opus erit Ordinatione, ut novam acquirat poteſtatem Miniſterialem, (magis quam novo Baptiſmo,) ſed ut ſubeat iſtius, quam prius habuit, poteſtatis novum exercitium : Sicuti nec Medicus ille, quem modo diximus, ſi ab uno ad aliud Noſocomium ſe recipiat, ut novum ſibi acquirat Doctoratum, opus habet.

Sed de his hactenus.

Quæſtio Tertia.

Putaram etiam tertiæ quæſtionis expoſitionem & confirmationem præcedentibus adjunxiſſe. Verum cum in illis aliquanto prolixior videar, quam ut idem aggredi de tertia, præſentis inſtituti ratio permittat : hanc penitus, ob aſſignati temporis anguſtias, præterire neceſſe habeo ; quæque de illa dicenda erunt, inter diſputandum, pro re nata, proferre.

F I N I S.

DE

FOEDERE EVANGELICO:

Concio Latine habita ad Academiam *Oxonienſem*, in Templo B. *Mariæ*, Anno 1661; pro inchoando Termino Academico.

Nunc primum edita.

Gal. 3. 17.

Τοῦτο δὲ λέγω· Διαθήκην προκεκυρωμένην ὑπὸ τοῦ θεοῦ εἰς Χριστὸν, ὁ μετὰ ἔτη τετρακόσια καὶ τριάκοντα γεγονὼς νόμος οὐκ ἀκυροῖ, εἰς τὸ καταργῆσαι τὴν ἐπαγγελίαν.

Hoc autem dico; Teſtamentum confirmatum à Deo, quæ poſt quadringentos & triginta annos facta eſt Lex, non irritum facit, ad evacuandam Promiſſionem. (Sic vulgatus Interpres.)

Vel ſic.

Hoc autem dico; Pactionem illam, quæ Chriſtum reſpicit, à Deo prius ratam factam, non irritam facit ea quæ poſt quadringentos & triginta annos facta eſt Lex, ut Promiſſionem reddat inefficacem.

NON longa diſquiſitione (Viri Patres & Fratres) opus erit, aut operoſo ſcrutinio, quo illius Gentis originem exquiram, quos *Galatas* hic loci vocat Apoſtolus. (Quam tamen ſtrictim inſinuare, operæ pretium eſſe poterit, ad ea quæ poſtea ſumus tradituri.) Conſtat utique, Doctorum conſenſu, Coloniam fuiſſe hoſce *Galatas*, ſeu *Gallo-græcos*, qui ex *Gallia* noſtra Europæa, migratione facta, in minoris Aſiæ parte ſuperiore ſedem poſuerunt.

Qui avitum ſuæ Gentis nomen retinentes, Regioni nomen fecerunt: Quam, à *Gallis* hiſce ſeu Galatis, *Galatiam* dici, & Γαλατικὴν χώραν, non eſt ambigendum. (*Gallorum* enim idem eſſe nomen & *Galatarum*, non eſt quod moneam; ſive Latine *Gallos*, Γαλάτας Græce dici; ut & *Galliam*, Γαλατίαν, à Ptolemæo dictam.) Quæ tamen, qua ab Europæa Gallia diſtinguatur, etiam *Gallo-græcia* dici conſuevit; & Galatæ, *Gallo-græci*.

Paulo autem, cur hanc ad *Galatas* ſcripſerit Epiſtolam, cauſam fecerunt Pſeudapoſtoli: qui in Galatarum Eccleſias ſeſe inſinuantes, ſanam illam à Paulo traditam, de Juſtitia per ſolam in Chriſto fidem aſſequenda, doctrinam ſubverſum ibant. Cauſantes, tum Circumciſionis, tum reliquorum Moſaicæ Legis rituum obſervandorum neceſſitatem, ad ſalutem conſequendam: Pariter atque impoſtores illi Antiocheni, *Act.* 15. quorum hoc fuiſſe dogma perhibetur, *Non poſſe, niſi Moſaicæ legis ritu circumciſos, ſalutem conſequi.*

Et quoniam gravis erat in contrarium Authoritas Pauli, adverſa docentis; hanc quo elevarent facilius, duplici ſaltem molimine conati ſunt labefactare. Cauſantes 1°, Non eſſe Paulum genuinum Chriſti Apoſtolum, & αὐτόπτην, tanquam ab ipſo inſtitutum; ſed *Petri*, *Johannis*,

DE

FOEDERE EVANGELICO:

Concio Latine habita ad Academiam *Oxonienſem*, in Templo B. *Mariæ*, Anno 1661; pro inchoando Termino Academico.

Nunc primum edita.

Gal. 3. 17.

Τοῦτο δὲ λέγω· Διαθήκην προκεκυρωμένην ὑπὸ τοῦ θεοῦ εἰς Χριστὸν, ὁ μετὰ ἔτη τετρακόσια καὶ τριάκοντα γεγονὼς νόμος οὐκ ἀκυροῖ, εἰς τὸ καταργῆσαι τὴν ἐπαγγελίαν.

Hoc autem dico; Teſtamentum confirmatum à Deo, quæ poſt quadringentos & triginta annos facta eſt Lex, non irritum facit, ad evacuandam Promiſſionem. (Sic vulgatus Interpres.)

Vel ſic.

Hoc autem dico; Pactionem illam, quæ Chriſtum reſpicit, à Deo prius ratam factam, non irritam facit ea quæ poſt quadringentos & triginta annos facta eſt Lex, ut Promiſſionem reddat inefficacem.

NON longa diſquiſitione (Viri Patres & Fratres) opus erit, aut operoſo ſcrutinio, quo illius Gentis originem exquiram, quos *Galatas* hic loci vocat Apoſtolus. (Quam tamen ſtrictim inſinuare, operæ pretium eſſe poterit, ad ea quæ poſtea ſumus tradituri.) Conſtat utique, Doctorum conſenſu, Coloniam fuiſſe hoſce *Galatas*, ſeu *Gallo-græcos*, qui ex *Gallia* noſtra Europæa, migratione facta, in minoris Aſiæ parte ſuperiore ſedem poſuerunt.

Qui avitum ſuæ Gentis nomen retinentes, Regioni nomen fecerunt: Quam, à *Gallis* hiſce ſeu Galatis, *Galatiam* dici, & Γαλατικὴν χώραν, non eſt ambigendum. (*Gallorum* enim idem eſſe nomen & *Galatarum*, non eſt quod moneam; ſive Latine *Gallos*, Γαλάτας Græce dici; ut & *Galliam*, Γαλατίαν, à Ptolemæo dictam.) Quæ tamen, qua ab Europæa Gallia diſtinguatur, etiam *Gallo-græcia* dici conſuevit; & Galatæ, *Gallo-græci*.

Paulo autem, cur hanc ad *Galatas* ſcripſerit Epiſtolam, cauſam fecerunt Pſeudapoſtoli: qui in Galatarum Eccleſias ſeſe inſinuantes, ſanam illam à Paulo traditam, de Juſtitia per ſolam in Chriſto fidem aſſequenda, doctrinam ſubverſum ibant. Cauſantes, tum Circumciſionis, tum reliquorum Moſaicæ Legis rituum obſervandorum neceſſitatem, ad ſalutem conſequendam: Pariter atque impoſtores illi Antiocheni, *Act.* 15. quorum hoc fuiſſe dogma perhibetur, *Non poſſe, niſi Moſaicæ legis ritu circumciſos, ſalutem conſequi.*

Et quoniam gravis erat in contrarium Authoritas Pauli, adverſa docentis; hanc quo elevarent facilius, duplici ſaltem molimine conati ſunt labefactare. Cauſantes 1°, Non eſſe Paulum genuinum Chriſti Apoſtolum, & αὐτόπτην, tanquam ab ipſo inſtitutum; ſed *Petri, Johannis,*

hannis, Jacobi, & reliquorum qui Hieroſolymis erant Apoſtolorum permiſſu, hanc qualemcunque ſortitum poteſtatem: His itaque authoritate inferiorem; & minoris eſſe ponderis, quæ ab ipſo tradebantur, quam quæ ab Apoſtolorum primoribus edocti fuerant. Et quidem 2°, Aliam eſſe Pauli doctrinam; aliam reliquorum Apoſtolorum, & hiſce Pauli placitis contrariam: Neque doctrinam tantum, ſed praxin pariter & vitæ rationem.

Hanc rerum apud Galatas fuiſſe conditionem, quum Paulus hanc ad eos ſcribebat Epiſtolam; ſcriptæ totius indicat perpetuus tenor. Quod obſervaſſe, non levis eſt momenti, ad rite percipienda, quæ ſcribuntur, omnia; juſtaque argumentorum momenta æſtimanda.

His itaque Paulus quo obviam iret impoſtoribus, (non paſſus doctrinam Evangelicam adulterari, aut libertatem Chriſtianam Cæremoniarum jugo deprimi,) nervoſam hanc, & acrem ſimul, ad Galatas Epiſtolam, ipſorum ψευδαδελφίαις opponit. Qua, tum veritatem Chriſtianam defendit ſtrenue, tum ſuam aſſerit authoritatem; & impoſtorum, tum calumnias, tum ſophiſmata, peſſundat penitus & amolitur.

Initio, Authoritatem affirmat ſuam; quam non hominibus acceptam fert, ſed ipſi Deo & Jeſu Chriſto. Veritatem dein Evangelicam audacter aſſerit, & ſancit Anathemate: diris devovens, ſiquis vel Hominum, vel Angelorum etiam, contra doceret. Quam Argumentis tandem confirmaturus, interim amolitur (reſiduo primi, totoque ſecundo capite) adverſariorum illud duplex μέχωμα, modo memoratum, quo hanc ſubverſum ire ſatagebant.

Oſtendit 1°, Non Evangelium ſe accepiſſe, nedum Apoſtolatum, ex reliquorum inſtitutione; ſed ipſius Jeſu Chriſti: adeoque ne ſummis quidem Apoſtolis, hoc nomine, minorem eſſe. Quòd ex ſuæ ad Chriſtum Converſionis hiſtoria, & rerum à ſe geſtarum, palam facit: Ut qui jam ante à Chriſto edoctus fuerat, & in varias regiones miſſus, quam Apoſtolorum aliquem vel oculis accepiſſet. Et quamquam, poſt aliquot demum annos, data dextra ſocietatem firmaſſent: non eo tamen id factum eſſe, ut novam illi, quam non habebat, authoritatem facerent; ſed (quod ex rerum geſtarum ſerie didicerant) ut hoc indicio teſtatum darent, Apoſtolatum Gentium non minus illi concreditum eſſe, quam Circumciſionis Petro. Et quidem, euſque abeſſe, cæteris ſe Apoſtolis authoritate cedere, ut vel ipſi Petro, parum recte incedenti, ſe, coram, oppoſuiſſet.

2°. Nec ſecus atque ipſum ſentire, monſtrat, Petrum cæteroſque; nec ſecus facere: Verbis factiſque juxta conſonos. Adeoque eum ſuam illis expoſuiſſet doctrinam, quam apud Gentes prædicaverat: οἱ δοκοῦντες εἶναί τι, οὐδὲν ἐμοὶ προσανέθεντο, *ne illi quidem qui eximio loco conſtituti erant Apoſtoli, mihi quicquam* (inquit) *ſuperaddiderunt*. Nihil quicquam; vel Supplementi loco, quaſi imperfecta eſſet, quam nos tradideramus doctrinam; nedum ἀνορθώματος, quaſi parum ſana. *Contra vero, mihi ſimul & Barnabæ ſocietatis dextram porrexerunt; ut nos ad Gentes proficiſceremur, ſicut ad Judæos illi. Hoc unicum monentes inſuper, ut pauperum eſſemus memores;* (*cui & nos jam ante intenti fueramus.*) Sed, de Moſaicis ritibus apud Gentes introducendis, ne γρῦ quidem. *Imo vero ne quidem Titus* (Gentilis) *qui cum Paulo aderat, circumcidi coactus eſt. Sed & ipſe Petrus, quum Antiochiæ verſabatur, una cum Gentibus comedebat.* (Tantum abeſt ut vel Apoſtolorum doctrina, vel vitæ ratio, Paulinæ fuerit contraria.) Quidquod & poſtea, quum, in gratiam Judæorum qui Hieroſolymis venerant, abſtinuiſſet Petrus, à Paulo increpatus arguitur: Quippe, *Si tu*, inquit, *qui Judæus es, ad inſtar Gentium vivas, non ut Judæi; cur Gentes adigis* (exemplo tuo) *Judaizare?*

His ita ſubverſis Impoſtorum machinis, quibus ex obliquo impetebant doctrinam Pauli, Calumniis onerantes: Argumentis agit (per reliquum Epiſtolæ) & armis decretoriis; Quibus & ſuam ſolide confirmet & adverſariorum obruat ſententiam.

Quamquam enim, Apoſtolus cum fuerit, pro authoritate Apoſtolica dictare potuiſſet: Cum tamen ad munus Apoſtolicum ſpectaret, non modo jubere, ſed & prædicare, legem Evangelicam; non jubet tantum, aut etiam ſancit anathemate; ſed etiam Argumentis viſum eſt, quod juſſerat, perſuadere.

Quam defendendam ſuſcipit ſententiam, totoque impetu contendit, hæc eſt; *Nos Fide ſola juſtificari, & non Operibus legis*: Et, quod hinc infert, *Non adigendos Gentiles Galatas, ad Circumciſionis, & Moſaicæ legis Rituum, obſervationem.*

Totam autem illam Argumentorum quam texit telam; & late proſequitur; (tum per hanc integram, tum & illam, ad Romanos, Epiſtolam;) quum non unius horæ penſum ſit abſolvere: Unum illud præ cæteris conſiderandum ſelegi, quod, *ex fœderis prærogativa*, deducitur, *cum Abrahamo jam prius icti, quam lata erat lex Moſaica*: Quod itaque ex hac pendere, neutiquam conveniret.

Hoc Argumentum quo preſſius examinemus, occurrunt prælibanda duo:

Primo, Quis ſit rei controverſæ ſtatus, Paulum inter & Impoſtores:

Deinde, Quæ vera fuit Impoſtoribus ratio movendi controverſiam:

Quo tandem Argumenti pondus rectius æſtimetur.

I. Primum quod ſpectat; quo cardine verſetur controverſia; Notandum

1°. Chriſtianos fuiſſe hos Impoſtores; ſaltem ſpecie tenus & prætextu. Quod tota dictorum ſeries demonſtrat. Non enim, ut Evangelio palam renunciantes, arguuntur; ſed, ut

perperam Evangelizantes, ἄλλο εὐαγγέλιον, & μεταστρέψαντες εὐαγγέλιον Χριστοῦ. Et quæ in contrarium affert argumenta Paulus, (puta, *irritam inde fieri doctrinam Chriſti*, & quæ his gemina,) quæ quidem ſunt, ad hominem Chriſtianum, juſti ponderis; nullius eſſent apud alium momenti, ſed ridicula potius (ut loquuntur) *petitio principii*.

2°, Quamquam igitur Judæis ipſis nondum converſis, ſed in Chriſtianiſmum infenſiſſimis, veliſicarit hæc opinio, De obſervandæ Moſaicæ legis neceſſitate ad ſalutem: non tamen in hos directe militant Apoſtoli argumenta; ſed in Judaizantes Chriſtianos. Adeoque, tanquam cum Chriſtianis diſputans, pro conceſſis habet quæ apud Chriſtianos in confeſſo erant. Cum Judæis enim ſi diſputaſſet, plane alius fuiſſet orationis tenor, rationes aliæ. Puta, quales *Petri*, Act. 2°. iterumque Capp. 3° & 4°; aut *Stephani*, Act. 7°. aut ipſius *Pauli* Act. 13°. Ubi, quæ arguuntur, hæc ſunt, Quod *Jeſus ſit* ὁ Χριστὸς, &, *Quod per fidem in ejus nomen ſit conſequenda ſalus*.

3°, Pro confeſſis igitur habet Paulus, cum Chriſtianis diſputans, tum *Jeſum Nazarenum, Meſſiam illum eſſe qui venturus erat*; tum, *per fidem in hunc ſalvatum iri*.

4°, Sed neque controverſum erat, Num Gentes pariter atque Judæi, ſalutis ſint capaces: ſed utrinque confeſſum.

Quamquam enim, dum Chriſtus in terris agebat, Apoſtolorum prima miſſio facta ſit, non niſi ad *deperditas oves domus Iſraelis*; & quidem diſerte cautum, *ne in viam Gentium diverterent, vel etiam Samaritanorum urbes ingrederentur*, Mat. 10. 5, 6. Ante tamen quam terras reliquerit, in Cœlos mox abiturus Chriſtus, *Mat.* 28. 19; ampliata eſt poteſtas; ut deinceps *in omnes gentes profecti*, Baptiſmate diſcipulos initiarent, & doctrinam illis traderent Evangelicam.

Et quidem ſi illud hic Paulo ageretur; alius atque jam eſt fuiſſet ſermonis curſus. Puta, qualis *Petri*, quum hoc agebatur, *Act*. 11. familiaris ſui ad *Cornelium* aditus rationes indicantis.

Verum quidem eſt, Judæis hoc (ferocioribus ſaltem) inſolens primo viſum fuiſſe, & parum gratum; Quod Gentes ſcilicet in eandem cum ipſis ſalutis communionem adſciſcerentur. Quod liquido conſtat, ex illo, dum Chriſtus aderat, ſtupentium murmure, *Joh.* 7. 35. ſciſcitantium, *Nunnam ad diſperſos inter Gentes profectus, etiam Gentes doceret?* Atque ex illa, poſtea, Judæorum (etiam ad fidem converſorum) offenſione, quam de Petro conceperant; apud Cornelium (hominem Gentilem) familiariter accepto. Quam ut leniret, factumque defenderet, Act. 11. juſtam Apologiam inſtituere neceſſe habuit. Ex ea denique Judæorum indignatione, Antiochiæ, quæ in Piſidia eſt, Act. 13. 45, 46, &c. quum Paulus & Barnabas, *ad Gentes ſe converſuros*, inſinuabant. Et majori adhuc fremitu, Hieroſolymis. Act. 22. 21, 22.

At ea res, jam ante, quam ſcripta eſt hæc Epiſtola, deſierat eſſe controverſa: Tum propter Apologiam Petri, modo memoratam; tum & Gentiles indies ad fidem Chriſti converſos, & Spiritus Sancti factos participes, non minus quam Judæos. Qua de re, tum alibi, tum à Paulo primum & Barnaba, à Petro dein & Jacobo, in Hieroſolymitana Synodo, Act. 15. late diſſeritur. Ad Galatas item Cap. 2. Et paſſim in Actis Apoſtolorum, & Paulinis Epiſtolis. Nec, quantum liquet, vel acerrimi rituum Moſaicorum patroni, ea de re jam ambigebant.

5°, Quum igitur manifeſta res erat & confeſſa, Salutem ex fide in Jeſum Chriſtum, Judæis pariter atque Gentibus, conſequutum iri: Quod ambigitur, hoc eſt; Num huic in Chriſto fidei, accedere debeat, tum Circumciſionis, tum Rituum Moſaicorum obſervatio. Hoc Paulus negat. Affirmant illi, Rituum patroni; fidem his ſejunctam non ſufficere clamitantes. Conſtat itaque, De quo ambigitur.

Verum hujus quæſiti, duplex occurrit caſus. De Judæis, alter; alter, de Gentibus.

Quamquam enim de utriſque pariter verum eſſet; non pariter tamen de utriſque conſtabat: Nec pariter propterea de utriſque ſtatuit Apoſtolus.

Verum quidem eſt, Neque Judæis, neque Gentibus, fuiſſe neceſſariam Moſaicæ legis obſervationem; quod pariter de utriſque affirmat Paulus. Judæis tamen indulgendam cenſuit legis obſervantiam; Gentibus, non item.

Inde eſt quod, in Judæorum gratiam, Timotheum circumciderit, ex matre Judæum; Et Paulus ipſe, Act. 21. purificationum ritus impleverit. A Gentibus ut ea fierent, quæ ipſe fecerit, nullo modo patitur: Hoc tantum paſſus, ut, offenſionis vitandæ gratia, ſanguine & ſuffocatis abſtinerent.

Diſcriminis hujus, hanc eſſe cauſam judico. Moſaicam legem Judæis fuiſſe datam, certum erat; atque hos illi obſtrictos olim: Abolitam autem jam illam eſſe, non ita certo erant perſuaſi. Dubitantibus igitur indulget hujus obſervationem; ſed & perſuaſis etiam, in dubitantium gratiam. (Nec indulget modo; ſed &, cum opus fuerit, ſuadet etiam; & obſequitur ipſe.) Tantiſper ſaltem dum, tractu temporis, res illa deſineret eſſe dubia. Contentus, mores illos ſenſim deſueſcere, qui, ab hominibus patrii ritus tenacioribus, ægrius extorquerentur.

Gentibus autem, (quibus nec lex Moſaica, nec prior illa de Circumciſione, data fuerat,) ut novum jamprimum induceretur jugum (quod ne Judæis quidem erat neceſſarium) iniquum

quum plane duxit: ne offenſionis quidem, ſiquam immerito captarent Judæi, vitandæ cauſa. Spectabat utique Moſaica lex, nonniſi Eccleſiam Judaicam; nec, niſi poſteros Abrahæ, Circumciſio.

At ſanguinis interdictum, Noacho datum ejuſque poſteris, cum Gentes pariter atque Judæos obligaverit; Qua ratione indulta eſt Judæis rituum ſuorum obſervatio; eâdem & Gentibus, hujus interdicti. Et quidem in ſui gratiam, ſiqui ex Gentibus ſe hoc putaverint obſtrictos teneri; vel Judæorum ſaltem, ſi quis ſcandali metus.

Summa rei huc redit. Novum imponi jugum, mox deponendum, non patitur: Patitur ſuum utriſque priſtinum ſenſim amoveri.

Duorum autem horum caſuum; poſterior ſolus præſentem diſquiſitionem directe ſpectat. Neque enim hic diſputat Paulus, Quouſque Judæis permittendus ſit ſuorum rituum aliquantiſper uſus: ſed, an Gentiles Galatæ ſub rituum jugum ſint adigendi. Quæ autem ex argumentis de utroque concludunt, concludunt à fortiori de caſu controverſo. Juxta quod in Petrum Paulus arguit, *Si tu, qui Judæus es, ad inſtar Gentium vivis; cur Gentes adigis Judaizare?*

II. Cum igitur hoc ſit, quod diſceptatur, negotium: Ordine diſpiciendum venit, 2°, Quibus rationibus moti, movebant hanc controverſiam Impoſtores.

Hic autem, quas prætendebant cauſas, à cauſis veris, omnino diſtinguendas cenſeo. Neque enim novum videri debet, neque mirum, alias revera ſubeſſe cauſas, quam quas prætendunt Impoſtores.

Quas prætendebant cauſas, videntur hæ fuiſſe.

Primo quidem; Fundamenti loco ſubſtratum vellent; Cæremoniarum lege, Judæis olim data, Eccleſiam ſaltem Judaicam etiamnum obligari: Et, conſequenter, eorum Proſelytos eadem cæremoniarum lege teneri.

2°, Promiſſionem de Meſſia factam, Eccleſiæ Judaicæ factam eſſe. Huic igitur Eccleſiæ inſerendos eſſe, qui illius capaces eſſe vellent beneficii.

3°, Si Gentiles igitur, per Meſſiam hunc, ſalutem conſequi deſiderarent; Eccleſiæ Judaicæ inſerendos eſſe, eidem cæremoniarum legi obnoxios.

Atque hæc quidem non ſine magna probabilitatis ſpecie videantur dicta; Si perpendamus,

1°, Moſaicæ legis inſtitutionem, perſpicuam admodum eſſe, & extra omnem controverſiam poſitam: Sed &, Proſelytos pariter atque natu Judæos eadem obligari. Eadem ſiquidem lege tenebantur, tum domi nati, tum foris empti, aut inſiti aliunde.

2°, Ejuſdem abolitionem, non ita liquido conſtare; ſed dubiæ caliginis & controverſiæ plenam, & quam Judæi plerique pernegabant.

3°, Promiſſa veteris Teſtamenti, de Servatore venturo, directa fronte Eccleſiam Judaicam ſpectaſſe viſa, non eſſe dubitandum: ut quæ, tunc temporis, unica fuerit ſpectabilis Eccleſia.

Et 4° quidem; quanquam & Gentilium ſubinde mentio facta ſit, ut ejuſdem olim beneficii conſortium; potuiſſe tamen hoc commoda interpretatione exponi, de Gentibus in communionem Eccleſiæ Judaicæ olim admittendis.

Quæ cum ita ſint; fatendum videtur, ſpecioſo ſatis prætextu, licet parum firmo, arguere potuiſſe hos rituum patronos, Eccleſiam Chriſtianam non reputandam eſſe, ut funditus novam, in veteris Judaicæ locum ſucceſſuram; ſed inſititiam potius, & veteri ſuperſtructam; adeoque veteris legibus obnoxiam.

Verum, præter hos prætextus, alias revera ſubeſſe cauſas, ſatis innuit Apoſtolus, cur tanta contentione urgebant rituum obſervantiam.

Quarum primam exiſtimo illam fuiſſe, quæ omnibus fere hæreſiarchis communis eſſe ſolet; ambitioſam gloriæ affectationem; ut longo ordine ſequacium choragi habeantur. Tales futuros in Epheſina Eccleſia prædixit Paulus, Act. 20. 30. *qui, ex ipſis oriundi, perverſa docerent, ut ſequaces poſt ſe traherent diſcipulos.* Nec abſimiles fuiſſe hos apud Galatas Impoſtores, innuit Apoſtolus in hac Epiſtola, cap. 6. 12. *qui, volentes* (εὐπροσωπῆσαι ἐν σαρκὶ) *ſpecioſi in carne apparere, cogunt vos circumcidi*: & ver. 13. *ideo vos circumcidi volunt, ut de carne veſtra glorientur.*

Alteram ibidem docet Apoſtolus; *ne perſecutionem paterentur ob crucem Chriſti.*

Perſecutionis autem metus, duplex eſſe poterat: alter, à Judæis; à Romanis, alter.

1°. A Judæis; quos acerrimos fuiſſe rituum ſuorum propugnatores nemo neſcit, & vindices ſeveros. Erant enim illi, tum in Chriſtianos omnes infenſiſſimi, tum in eos præſertim quos contra legem Moſaicam quicquam moliri autumabant. Teſtor ferociſſimum illum, ob leviſſimam ſuſpicionem, tumultum ortum, Act. 21. 27, 28. in Paulum irruentium: Ubi in ore omnium hic clamor erat, *Succurrite, viri Iſraelitæ, Succurrite; Hic ille homo eſt, qui adverſus hunc populum, adverſus legem, adverſus locum hunc, omnes ubique docet; qui & Græcos in templum introduxit* (hoc utique ſuſpicabantur) *hunc locum ſacroſanctum polluturos.* Sed & frequentes, ob has cauſas, zelotarum tumultus, ſunt locuples teſtimonium.

2°. Quanquam hoc Judæorum odium, pars eſſe poſſit eorum quæ declinare vellent; (de quo non negem, etiam in Galatia, periculum aliquod eſſe poſſe; utut longe minus quam Hieroſolymis;

Hieroſolymis; ſaltem in eos qui natu Judæi non erant, quales Impoſtores hoſce fuiſſe ſuſpicor:) Gravius tamen illud erat à Romanis periculum; quod & Apoſtolum reſpexiſſe autumo. Fuit enim, tum temporis, Religio Judaica Romanis legibus permiſſa: non item Chriſtiana, ſed gravibus ſuppliciis vexata, ob leges illas quæ novas Religiones vetabant. Quæ quidem incommoda quo evitarent; Circumciſionem introductum ibant Impoſtores, Gentiles ipſi; non tam pietate moti, quam ut, eadem opera, ſub Judaiſmi prætextu & protectione, tum leges Romanas declinarent, tum & Judæis eſſent gratiores.

Atque hoc eo magis inducor ut credam, quoniam iidem ipſi, qui vel maxime circumciſionem urgebant, (quo à Romanis legibus tuti eſſent,) de Moſaica lege reliqua, parum erant ſoliciti. Quod diſerte teſtatur Apoſtolus, Cap. 6. 13. *Nam ne ipſi*, inquit, *qui circumciſi ſunt, obſervant legem.*

Atque hactenus de ſtatu controverſiæ dictum eſt: &, quales fuerint tum ſpecioſi prætextus, tum veræ cauſæ, movendi controverſiam.

Sequitur, Argumenti vis preſſius expendenda; quo cauſam evincit Paulus adverſus Impoſtores.

Cui hoc facit exordium, quo attentiores reddat, Τοῦτο δὲ λέγω, *Hoc autem dico.*

Quod dicit autem, hoc eſt; *Pactionem illam, quæ Chriſtum reſpicit, à Deo prius ratam factam; irritam non facit ea, quæ, poſt Quadringentos & triginta annos, facta eſt lex; ut promiſſionem inanem reddat.*

Pactionem, inquam, *illam*: Sic enim διαθήκην malim interpretari, quam (cum vulgato Interprete) *Teſtamentum*. Eadem ratione qua καινὴν διαθήκην, Novi Fœderis codicem, *Novum Inſtrumentum* malint appellari, quam *Novum Teſtamentum*. Quamquam enim, etiam ſenſu forenſi, *Teſtamentum* merito dici poſſit Fœdus illud; cum ſit, *Voluntas Chriſti, ipſius morte confirmata*: non tamen eodem ſenſu dicitur *Novum Teſtamentum*. Nam *vetus* illud, cui opponitur, *Teſtamentum* proprie non eſt, nec morte confirmatum: Sed divina *Pactio*, ſeu *Fœdus* initum. Cui tamen exprimendo, vox διαθήκη non minus quadrat, atque *Teſtamento*; ut cui Hebræorum בְּרִית reſpondere, ab aliis jam ante fuerit obſervatum.

Et quidem, ſi, proprie, Teſtamentum fuiſſet hæc διαθήκη, Apoſtoli Argumento vis nulla foret. Nam 1° non fuiſſet, aut confirmata prius, aut etiam olim confirmanda; vivente adhuc Conditore Deo, nec unquam morituro: nec tamen, niſi Teſtatore mortuo, vim habet Teſtamentum; ſed ſuſpenſum manet, pro Teſtatoris arbitrio, vel immutandum, vel etiam abrogandum. 2°, Quia nec validum illud, quod, poſterius lata, priori non derogaret: Quippe, in Teſtamentis, ſecus eſt; poſterius utique eſt præcedente potius.

Quam autem Textus innuit διαθήκην, ſeu Pactionem; utut *Chriſtum reſpiciat* (quod vocibus, εἰς Χριστὸν, innuitur;) jam ante tamen, quam ille mortuus eſt, fuiſſe validam & ratam factam, diſerte dicitur, (quod Teſtamento non convenit,) ſed & ante latam legem Moſaicam. Nam & hoc ſequitur, διαθήκην προκεκυρωμένην ὑπὸ Θεοῦ, *quæ jam ante à Deo ſtabilita fuit & rata facta.*

Eſt enim quam hic Paulus adhibet, tum & prius, ver. 15. κεκυρωμένην, vox forenſis; ſicut &, quæ huic mox opponitur, ἀκυροῖ. Eſt utique κυροῦν, quod vulgo dicitur *Ratificare*, ſeu *ratum facere*: (quod, apud nos, Sigilli munimine plerumque fit:) ut nihil deſit quo Inſtrumentum αὐθεντικὸν fiat, & lege ratum, firmum, validum: Sicut, ex adverſo, ἀκυροῦν eſt irritum facere, abrogare, exauctorare.

Et quidem ita præſtabilita eſt hæc διαθήκη, ut ne poſt-lata lege exauctoretur. Quæ Pacti, Fœderiſve, rationibus ſatis conveniunt: non ita, Teſtamenti.

Eſt itaque Argumentum Apoſtolicum, ab æquitate humani pacti deductum. Quippe ſic arguit, ver. 15. *Si vel humanum pactum ratum factum ſit*; ὅμως ἀνθρώπου κεκυρωμένην διαθήκην, οὐδεὶς ἀθετεῖ, ἢ ἐπιδιατάσσεται, *non tamen poteſt quis, aut ipſe irritum facere, aut actu ſuccedaneo contraire, ne pactione prius facta teneatur.* Cum itaque Deus jam ante Abrahamo promiſſiones feciſſet; (nam & hoc ſubjungit, ver. 16. Τῷ δὲ Ἀβραὰμ ἐρρήθησαν αἱ ἐπαγγελίαι, καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ, ὅς ἐστι Χριστός) quæ pactione humana quavis habendæ ſunt potiores: non exiſtimandum eſt, ut Moſaica lege, poſt tradenda, eaſdem velit abrogatum ire. Nempe ſic diſputat, præſenti verſiculo; Διαθήκην προκεκυρωμένην ὑπὸ Θεοῦ εἰς Χριστὸν, *Pactionem illam de Chriſto jam ante à Deo ratam factam*; οὐκ ἀκυροῖ, *non irritam facit*, non refigit, *ea quæ poſt quadringentos & triginta annos lata eſt Lex*; εἰς τὸ καταργῆσαι τὴν ἐπαγγελίαν, *ut inutilem*, inanem, ineſſicacem, otioſam, *redderet promiſſionem.*

Hæc itaque cum Argumenti Paulini vis ſit; tria potiſſimum hic veniunt diſcutienda.

1°. Quænam ſit, quam innuit, Pactio vel Promiſſio, jam ante à Deo rata facta.

2°. Quænam ſit ea Lex ſubſequens, quam huic Promiſſioni contraponit.

3°. Quodnam illud, Quadringentorum & Triginta annorum intervallum, quod utramque intercedit.

Quæ ut ordine diſcutiamus, reſidui penſi noſtri opus fecimus.

I. Pactionem, quam innuit, ſeu Promiſſionem, eandem eſſe conſtat, quam ſupra memoraverat, ver. 8. (de qua & deinceps hactenus verba fecerat.) *Proſpiciens Scriptura, per fidem Deum juſtificaturum Gentes*, (προευηγγελίσατο τῷ Ἀβραάμ,) *prænunciavit Abrahamo hoc*

 Evangelii;

Evangelii; *In te benedicentur omnes Gentes.* Hoc eſt, *In ſemine tuo*: Quod *de Chriſto* demum exponitur, ver. 16. per quem eveniſſe dixerat ver. 14. quod *Benedictio Abrahami etiam Gentibus conveniret.*

Promiſſionem autem hanc, quam *Evangelii* nomine dignatur Apoſtolus; quæ & Gentes ſpectabat quam maxime; Tribus ſaltem vicibus Abrahamo factam fuiſſe, memorat ſacra pagina.

Primo quidem, Gen. 12. 3. Sub initium Peregrinationis Abrahæ: *Dixerat utique Abramo Dominus*; *Abi ſis ex patria tua*; *—Faciamque ego Te Gentem magnam, Tibique benedicam*; *—Atque in Te benedicentur omnes familiæ terræ.*

Deinde Gen. 18. 18. Poſt promiſſionem de Iſaaco ſpecialiter factam, ex Sara orinndo; ubi dicitur, *Abrahamum omnino fore gentem magnam, & præpotentem*; *atque in illo benedicendas eſſe omnes in Terra Gentes.*

Et tandem Gen. 22. 18. Poſt tentatam Iſaaci immolationem; quum inſigne ſpecimen, tum Fidei, tum Obedientiæ dederat Abrahamus, quod, exigente Deo, ne filio pepercerat unigenito; *Per memet juravi, dicit Dominus, Omnino benedicam ego tibi, & multiplicabo ſemen tuum*; *atque in tuo Semine benedicentur omnes Gentes Terræ.*

Quam autem, ſi quæratur, ex tribus hiſce vicibus, reſpexerit Paulus, quibus factam fuiſſe conſtat promiſſionem: Promiſſionem prima vice factam, reſpexiſſe Paulum, omnino conſtat. Non quidem ex ipſo Promiſſi tenore; qui idem eſt in omnibus: Sed, ex Epocha, quam innuit, annorum quadringentorum & triginta ante datam Legem; quæ, ſequentibus ejuſdem repetitionibus, nequaquam conveniret.

At gravius hic occurrit, quodque majoris ponderis eſt quæſitum; Numnon, ante hanc Abrahamo factam promiſſionem, Fœdus factum fuerit, de ſalute per Fidem in Chriſtum conſequenda? Quippe, ſi non; Quid de Patribus fieri demum exiſtimabimus, jam ante Abrahamum mortuis? Num illi omnes ſalutem, aut non ſunt aſſecuti? aut, non per fidem? Si fuerit; Quorſum igitur Paulus, antiquitatem hujuſce Fœderis, non altius repetit, quam à Promiſſione Abrahamo facta? præſertim, ubi, ex temporis prærogativa, vis tota pendet Argumenti?

Reſpondeo. 1°, Gratuitum illud, de ſalute per Fidem in Chriſtum conſequenda, Fœdus, antiquius omnino eſſe, quam Promiſſum illud Abrahamo factum, certum eſſe: Illique Protevangelio, Gen. 3. 15. æquævum; De *Semine Mulieris, ſerpentis caput contrituro.* Eſt utique, *Semen* illud *Mulieris*, idem atque *Abrahami*; nempe Chriſtus idem: Cui per fidem innixi Patres, ſalutem ſunt adepti, etiam Abrahamo ſuperiores.

Quod ne dubitemus, Apoſtolus ad Hebræos, Cap. 11. multis confirmat. *Per Fidem, Patres, quod Teſtimonium ſunt adepti, obtinuerunt. Per fidem, Abel, potiorem quam Cain, attulit oblationem. Per Fidem, Enoch, poſtquam cum Deo ambulaverat, communi hominum ſorte exemptus eſt, ne mortem ſentiret. Per Fidem, Noah, favorem apud Deum conſecutus eſt, quo diluvio, ne periret, eximeretur. Per fidem*, inquam, *illam, qua ſine placere Deo non eſt poſſibile.* Per *eandem Fidem*, per quam *Abraham* ipſe, *Iſaacus, Jacobus*, & Heroes reliqui Abrahamo poſteriores, egregia quæ memorantur facinora præſtiterunt. Per illam ipſam Fidem, quam prius definiverat, *Hypoſtaſin rerum nondum exiſtentium, & inviſibilium Argumentum.* Per Fidem illam quam Hebræis etiam Chriſtianis commendaverat, ut *animabus ſalutarem*: *Per quam juſti viverent*; & à qua, qui declinarent, *ad ſui perniciem declinarent.*

Dico tamen 2°. Utut Abrahamo antiquius fuerit fœdus illud: Graves tamen ſubeſſe cauſas, cur ab Abrahamo Paulus, eique facta promiſſione, deſumeret argumentum.

Nam 1°, Quamquam non fuerit omnium antiquiſſima; ſatis tamen vetuſta fuit hæc promiſſio, ut Circumciſionem ipſam, nedum Moſaicam Legem, antiquitate ſuperaret. Non enim niſi poſt Triginta fere annos inſtituta eſt Circumciſio; &, Lex Moſaica, etiam poſt alios adhuc Quadringentos.

2°, Quoniam in hac Abrahamo facta promiſſione, Gentium facta eſt expreſſa mentio, prout à poſteris Abrahami diſtinguuntur; (*In Te*, ſcilicet, *benedicentur omnes Terræ Gentes*;) quod in prioribus non contigerat: Adeoque cæteris potior erat hæc promiſſio, ubi Gentilium caſus ageretur. Quippe fœdus illud antiquius, de *Semine mulieris, ſerpentis caput contrituro*; etiamſi Gentes reliquæ non fuiſſent ad Chriſtum convertendæ, aut inde conſecuturæ ſalutem; effectum obtinuiſſe videri poſſet, in ipſa ſalute Judæorum: Utpote quod humanum genus indiſcriminatim ſpectabat, genus hujus illiuſve nulla mentione facta; poteratque igitur in quavis adimpleri.

Opus igitur erat Apoſtolo, ut ad hanc ſe potius Promiſſionem reciperet: In qua, præter ſummam fœderis, quam cum reliquis communem habet, inſuper accedebat Gentium à Judæis diſcriminatio. Siquidem illud in ſe probandum ſuſceperat, ver. 14. *Benedictionem Abrahæ, etiam ad Gentes ampliandam eſſe*; ut & *ipſæ, per fidem, promiſſi Spiritus participes eſſe poſſint*; neque, ad hoc, opus eſſe ut in Judæorum familiam adſciſcerentur.

Atque de Promiſſione hactenus, ſeu Pactione, quam prius ratam factam innuit Apoſtolus.

II. Sequi-

II. Sequitur 2°, ut, Quæ ſit Lex illa, diſquiramus, quæ huic contraponitur Promiſſioni, nec tamen potis eſt, utpote poſterius lata, illam abrogare.

Lex hæc, quin ea ſit quæ in Monte Sinai data fuit, non eſt ambigendum; paucis poſt menſibus, quam Ægypto egrederentur Iſraelitæ. Nempe hoc omni procul dubio conſtare facit, annorum Quadringentorum atque triginta ſignatum intervallum. Quippe tot præciſe, ad exitum ex Ægypto, annos effluxiſſe, diſerte dicitur Exod. 12. 40, 41. *Finitis triginta ſupra quadringentos annos, eodem ipſo die, egreſſi ſunt omnes exercitus Domini è terra Ægypti.*

Quum vero non unius generis fuerint, quæ in Monte Sinai latæ ſunt Leges: ſed (ut dici ſolent) *Morales* aliæ, quales ſunt Decalogi præcepta decem; aliæ *Ceremoniales*, quales ex reliquis non paucæ; ne & *Judiciales* etiam memorem: Si quæratur, Utram duarum, Moralem legem, an Cæremonialem, reſpexit Paulus hoc in Argumento? De Cæremoniali Lege, non Morali, intelligendum eſſe, mihi videtur, citra omnem controverſiam, manifeſtum. Duabus his potiſſimum de cauſis.

1°, Quoniam, quæ agebatur inter Paulum & Impoſtores quæſtio, De Ritibus obſervandis, erat: non de Lege Morali: De illa ſcilicet Lege obſervanda, quam antiquatam jam fuiſſe contendit Apoſtolus. Non igitur de Morali lege: quæ vivit adhuc vigetque; ſuaque ſibi manet authoritas, etiamnum inconcuſſa.

2°, Quia, ſecus, Argumentationis Apoſtolicæ vis concideret; quæ, ex præcedentia temporis, tota pendet. Ne, ſtabilitæ prius Promiſſioni, Lex poſt ferenda derogaret. Utut enim Decalogi Lex Moralis, etiam in monte Sinai fuerit repetito tradita; adeoque poſt Promiſſionem illam ante ſtabilitam: Jam ante tamen, quod ſummam rei ſpectat, humanis inſcripta cordibus, inde ab initio lata, cenſenda erit; nec, promiſſione Abrahamo facta poſterior, reputanda.

Si contra tamen quis objiciat; ut Cæremonialis, ita ne Moralis quidem operibus legis, juſtificari nos, aut conſequi ſalutem; ſed ſola Fide: Adeoque tum hanc, tum illam, pariter excluſum iri. Hæc tria reponenda judico.

1°, Omnino verum eſſe, Juſtificationem quod attinet, tum hanc, tum illam, excluſam eſſe. Et quidem, ubi de Juſtificatione diſputatur, Argumenta, ut plurimum, utramque pariter, & indiſcriminatim reſpiciunt. Præſertim quæ in Epiſtola ad Romanos occurrunt; ubi illud maxime diſceptatur.

2°, Non ea tamen, de Juſtificatione controverſia, in hac ad Galatas, ſicut in illa ad Romanos Epiſtola, ex profeſſo agitur: Sed, de Moſaica Lege obſervanda. Argumentatur utique Apoſtolus, per totam hanc Epiſtolam, non modo non Juſtificari nos ex operibus Legis; ſed, ne obſervandam quidem eſſe, vel Circumciſionem, vel Legem etiam: præſertim inter Gentes.

3°, Quamquam igitur Apoſtoli argumenta nonnulla, etiam in hac Epiſtola, contra Juſtificationem ex operibus Legis, directe concludant; ſintque ea quæ etiam ad Legis Moralis opera extendant; adeoque Cæremonialis, à fortiori: Non tamen hoc, principalis quæſiti ſtatum immutat quicquam, De Cæremoniarum legis apud Gentes obſervandæ neceſſitate; Sed, ex conſequente, etiam hoc feriunt; dum unicum illud removent, cujus ſolius prætextu obtendebatur hæc neceſſitas. Nam, quicquid demum ſit, quod de Judæis dici poſſit, cur ſibi olim data lege tenerentur: De Gentilibus tamen (quorum hic cauſa vertitur) quibus nec olim data fuerat; nihil obtendi poteſt, cur habeatur neceſſària; niſi, ſi ex illa forte fuiſſent juſtificandi. Adeoque, quæ concludunt Argumenta, non eſſe ad Juſtificationem neceſſariam; non eſſe neceſſariam, concludunt.

Legem igitur hanc, quam, ut Promiſſione poſteriorem, eidem derogare non potuiſſe, contendit Paulus; Legem eſſe conſtat Cæremoniarum.

III. Supereſt 3°, Ut Intervallum illud, *Annorum Quadringentorum & Triginta*, quod Promiſſionem inter & Legem ceſſit, diſcutiamus.

Ubi quæ occurrit Chronologica difficultas, ex conciliandis quatuor Scripturæ locis, quæ invicem pugnare videantur, tota pendet.

Nempe, Gen. 15. 13, 14. Hæc dicit Abrahamo Deus; *Certo ſcias, Inquilinos fore Semen tuum, in aliena terra; (eiſque ſervituros, qui & affligent illos;) per Quadringentos Annos: Ego vero gentem illam, cui ſerviturі ſunt, judicabo; eoſque deducam inde, magnis facultatibus inſtructos.*

Atque idem repetit Stephanus, Act. 7. 6, 7. Nempe, *Inquilinos futuros Semen ejus in aliena terra, per quadringentos annos; poſt autem inde deducendos.*

At vero, Exod. 12. 40, 41. Pro *annis Quadringentis*, annos habemus *Triginta ſupra quadringentos. Habitatio filiorum Iſrael, qua manſerunt in Ægypto* (ſic vulgatus interpres) *fuit annorum quadringentorum & triginta: quibus expletis, eadem die egreſſus eſt omnis exercitus Domini de Terra Ægypti.*

Eademque periodus, præſenti Textu memoratur; Nempe, *Pactionem illam, jam ante à Deo ratam factam, non irritam facit, ea quæ poſt quadringentos & triginta annos facta eſt Lex.*

Dicimus autem 1°. Tam notabilem hanc, Annorum Triginta, diſcrepantiam, à numeri (quod aiunt) Rotundatione provenire, non poſſum ego mihi perſuadere. Præſertim, cum ipſe, annorum quadringentorum & triginta, numerus ſatis ſit rotundus. Aliam igitur quærendam eſſe ἐναντιοφανῶν conciliationem, omnino cenſeo.

2°, Periodos illas omnes, in eodem ex Ægypto exitu, una terminari, manifeſto liquet. Nempe; De illa Exod. 12. diſerte dicitur, *Finitis annis triginta ſupra quadringentos, eodem ipſo die exiiſſe filios Iſraelis.*

Illos autem in Textu memoratos, annos triginta ſupra quadringentos, ſimul expiraſſe, non minus conſtat. Quippe eodem Exitus anno, Lex erat in monte Sinai promulgata. Nam tertio poſt menſe, quam Ægypto exierant, in deſerto Sinai dicuntur conveniſſe, Exod. 19.1. Et, paucis poſt diebus, Lex erat promolganda. Et quamquam plurium dierum opus erat totius rei tranſactio; Eunte in montem Moſe, & redeunte aliquoties; ibique bis quadraginta dies morante; non multos tamen elapſos eſſe menſes certum eſt. Nam, his peractis, tota deinde Tabernaculi præparatio (non leve opus) eodem erat anno abſoluta. Primo ſiquidem die ſequentis Anni, erectum eſſe dicitur atque inſtructum Tabernaculum, Exod. 40. 17. Et quidem ſi totum etiam Levitici librum, quo Cæremonialis Legis non pauca recitantur, accenſeamus: etiam ſic, nonniſi per unum (ad ſummum) menſem tempus ampliabitur. Quippe à primo die menſis ſecundi, ſecundi ab exitu anni, orditur Numerorum Liber, Num. 1. 1.

Quod autem duæ reliquæ (annorum quadringentorum) periodi, ſimul expiraverint; citata Loca monſtrant. Dicit enim Dominus; his Annis exeuntibus, judicaturum ſe Gentem illam cui ſervierint, & eos inde, cum magnis facultatibus, educturum.

3°, Cum igitur una ſimul omnes expiraverint; ad diverſas erit Epochas, ſeu Periodorum initia, quicquid eſt diſcriminis, referendum.

4°, Illos autem in Textu memoratos, quadringentos & triginta annos, à Promiſſione Abrahamo facta, numerandos eſſe, per ſe liquet. Adeoque & totidem illos, Exod. 12. una terminatos, ab eodem capite numerandos eſſe: utut, primo aſpectu, ſecus videatur; quaſi poſterorum tantum Jacobi in Ægypto moram ſpectarent.

5°, Ut igitur Exodi locus ille rectius intelligatur, penſiculatius paulo expendendus erit; ne, perperam intellectus, erroris anſam ſubminiſtret. וּמוֹשַׁב בְּנֵי יִשְׂרָאֵל אֲשֶׁר יָשְׁבוּ בְּמִצְרָיִם שְׁלֹשִׁים שָׁנָה וְאַרְבַּע מֵאוֹת שָׁנָה׃ *Incolatus autem filiorum Iſrael, qui* (non *quo*) *commorati ſunt in Ægypto, annorum erat quadringentorum & triginta.*

Ubi מוֹשַׁב interpretor, non ſimpliciter *habitationem*, ſed *incolatum*, ſeu (inquilinorum) habitationem in aliena terra; (non tam vi vocis coactus, quam neceſſitate materiæ.) Cui reſpondet τῶν LXX, κατῴκησαν, ſeu παρῴκησαν, (nam variant Codices.) Atque hoc ſenſu tum מוֹשָׁב nomen, tum verbum יָשַׁב, non raro occurrunt; migrationem innuentia, ſeu peregre habitare; ſive, migratione facta, novis ſedibus conſidere; de advenis uſurpata. Et verbo שׁוּב tam affine videtur ipſum יָשַׁב, ut, quæ hinc ducunt familiam non pauca, dubitent Lexicographi, num ad hoc an illud Thema ſint redigenda.

Per *filios Iſrael*, non intelligo, unius Jacobi poſteros. (Cum enim, jam inde à Promiſſione Abrahamo facta, nonniſi quadringenti & triginta anni effluxerint; fieri non poteſt, ut totidem annos jam peregrinati fuerint Poſteri Jacobi.) Sed, per *Iſraelitas* (ſeu *filios Iſraelis*) *qui in Ægypto habitarunt*, intelligenda erit, Gens Abrahamo oriunda, *Iſraelis* nomine (ſeu *filiorum Iſrael*) jam celebris; annumeratis etiam majoribus, Abrahamum uſque. Quæ quidem Gens, poſt peregrinationes alias, in Ægypto nuper commorati ſunt, duram obeuntes ſervitutem; unde & jam modo ſunt egreſſi.

Adeoque voces illæ אֲשֶׁר יָשְׁבוּ, reddendæ ſunt *qui conſiderunt*, ſive *qui manſerunt*; & ad *filios Iſrael* referendæ; ut pars ſint Periphraſticæ deſcriptionis Gentis illius: Non autem, *qua manſerunt* (ut habet Vulgatus Interpres,) aut ἣν κατῴκησαν, ut οἱ LXX, & poſt illos pleriqoe; quaſi conſtruendum eſſet מוֹשָׁב אֲשֶׁר יָשְׁבוּ *Incolatus quo habitarunt in Ægypto*, ſeu *mora qua in Ægypto commorati ſunt*: quaſi quam in Ægypto moram fecerant Poſteri Jacobi, annorum fuiſſet quadringentorum & triginta. Quod hiſtoriæ ratio non patitur.

Quod ut ſanarent οἱ LXX, inſerunt, quæ in textu Hebræo non occurrunt: ἡ δὲ κατοίκησις τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, ἣν κατῴκησαν ἐν Αἰγύπτῳ, [καὶ ἐν γῇ Χαναὰν, αὐτοὶ καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν,] ἔτη τετρακόσια καὶ τριάκοντα, ut apud eos legerat Euſebius: Neque multum diſcrepant hodierni codices: (Niſi forſan, quod ſuſpicor, additamenta illa, καὶ γῇ Χαναὰν, atque αὐτοὶ καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν, ex margine in textum irrepſiſſe potius putandum ſit, quam ab ipſis LXX primitus inſerta.)

Quamquam neque ſic omnia ſunt in tuto. Quam enim in Ægypto, ſimul & terra Canaan, moram poſuerunt, tum ipſi tum & Patres eorum, non erat niſi annorum Quadringentorum & viginti quinque: Exactis ſcilicet quinque reliquis, dum Harane manſerit Abrahamus, priuſquam venerit in terram Chanaan.

Atque

Atque hic mecum ſentiunt Interpretes noſtrates, qui verſionem Anglicanam adornarunt. Quorum ego authoritatem, alterius cujuſvis interpretationis authoritate non inferiorem judico. Novimus enim verſionem illam, tum à doctiſſimis viris, & quidem multis, tum magna cura elaboratam.

Sed neque ad illud, *qui habitarunt in Ægypto*, referendum eſt שְׁלֹשִׁים שָׁנָה וְאַרְבַּע מֵאוֹת שָׁנָה (quaſi ſenſus eſſet, *qui in Ægypto habitarunt Quadringentos & triginta annos*:) Sed ad מוֹשַׁב *Incolatus*: ut ſenſus ſit, *Incolatus filiorum Iſraelis* (*qui in Ægypto commorati ſunt*) *annorum erat quadringentorum & triginta.* Hoc eſt, Totus incolatus Gentis Iſraeliticæ, ab ipſa ſtirpe cenſendæ, (ex quo ſcilicet Abrahamus, gentis Princeps, familia patria divulſus, in aliena terra cœperat inquilinus eſſe,) ad uſque poſterorum ſuorum exitum ex Ægypto, (ubi duram ſerviebant ſervitutem;) annorum erat quadringentorum & triginta. *Exactis autem quadringentis illis & triginta annis, eodem ipſo die, egreſſi ſunt omnes exercitus Domini è terra Ægypti.*

Quæ quidem & expedita eſt interpretatio, & lectio facilis. Neque enim durius hic occurrit quicquam, quam ut illæ voces *Filii Iſrael, qui habitarunt in Ægypto*, ſit Hebrææ Gentis periphraſis Proleptica; puta, Gens ea, quæ Iſraelitica jam dicitur, & nuper in Ægypto habitavit.

Cujuſmodi Prolepſes adeo non ſunt infrequentes, ut ſaltem bis occurrant in hoc contextu. Nam ver. 16. Promiſſiones dicuntur *Abrahamo* factæ: cum tamen, quam innuit, Promiſſio, Gen. 12. *Abramo* facta ſit, non *Abrahamo*; ſed *Abramo* illi, qui poſt dicendus erat *Abraham*. Et ver. 17. Promiſſionem appellat Apoſtolus διαθήκην εἰς Χριστὸν: cum tamen *Chriſti*, ſive *Meſſiæ* appellatio, ſit multo ſerius introducta: Sed de *Semine* factam innuit Promiſſionem, *Meſſia* poſtea ſen *Chriſto* nuncupando. Sed neque *Seminis* ibidem facta eſt expreſſa mentio; ſed, ſub Abramo intelligitur. Quid quod, & ipſa *filiorum Iſrael*, etiam ſtricto ſenſu, appellatio Prulepſis eſt: *Jacobo* ſcilicet nati ſunt, præter minimum, filii ejus omnes; ſed, *Iſraeli*, poſt dicendo.

Hujuſque vera Gentis Epocha, in Abrahamo ponenda eſt, quumprimum exceſſit Ure Chaldæorum; ex *Ure* ſcilicet, quæ *Chaldæorum* poſt diceretur. (Videtur enim *Chaſdim* ſeu Chaldæorum nomen, à *Cheſed* dictum; qui erat ex poſteris Nahor, Gen. 22. 20,22. nondum Natus, quum Ure Chaldæorum exceſſit Abraham.) Ex quo, Abrahamus cum ſuis, reputandi ſunt ut Gens ſecreta: & quidem eo nomine à paterna familia ſeparatus eſt, ut *fieret in gentem magnam*; ne dicam *in gentes magnas*. Nam præter Iſraeliticam, etiam Idumæa, Iſmaelitica, & quotquot Keturæ poſteris oriundæ gentes, eodem Abrahamo patre naſcebantur. Sed, quaſi palmites exuberantes, habendæ ſunt gentes illæ, à trunco recidendi. Quippe Iſraeliticam præcipue gentem ſpectabat Promiſſio: in qua permanebat, tum Religio Abrahæ, tum Ebrææ Gentis nomen: Cui & data eſt promiſſa Terra; & hinc Promiſſum Semen oriundum.

6°, Atque hinc conſtat; Caput Epochæ à Promiſſione data, & Peregrinationis Abrahæ, omnino idem eſſe. Adeoque, Promiſſionem illam Gen. 12. 2,3, &c. memoratam, *Ure Chaldæorum* factam fuiſſe (quæ fuerat Abrahamo terra Patria,) *antequam Haranem venerat.* Quod à Stephano, Act. 7. 2, &c. diſerte dicitur: Ubi hanc ipſam repetit periocham; dicitque *Deum Abrahamo hæc loquutum fuiſſe, priuſquam Charris habitavit*: Atque, his dictis, *Abrahamum, ex Chaldæorum terra, Haranem primum veniſſe*; & inde poſtmodum in terram Chanaan; ejuſque tandem poſteros in Ægyptum.

Quod mirum eſt Scaligerum & alios, aut non vidiſſe, aut, ſi viderint, voluiſſe tamen contraire: Epocham, *à Promiſſione data*, ad annum Abrahæ ſeptuageſimum quintum referentes, quo anno Charris exceſſiſſe dicitur: quæ altius omnino ſtatuenda fuerat, priuſquam eo venerat. Quod & ex narratorum ſerie, etiamſi non adeſſet Stephani teſtimonium, conſtare potuiſſet.

7°, Annos igitur, qui in reliquis duobus locis memorantur, quadringentos, (quos eundem, cum prius dictis triginta ſupra quadringentos, exitum habuiſſe, oſtenſum eſt,) initium ſerius habuiſſe, certum erit.

Quod ut inveſtigemus, oppido notandum erit; utrobique, non de ipſo Abrahamo, ſed Poſteris ipſius, verba fieri. Nempe; *Peregrinos fore Semen ipſius, in aliena terra, annos quadringentos.* Qui erunt itaque, poſt natum Iſaac, numerandi. Quippe Poſteri, quum nondum erant, non erant Inquilini.

Verum quidem eſt, quod Iſaaco prior natus erat Iſmael; ſed ab Ancilla natus, non à Sara; nec de Iſmaelis, ſed Iſaaci poſteris, facta eſt Promiſſio; (quare & Unigenitus dicitur Iſaac, Gen. 22. 2, 12, 16.) Adeoque nec, ante Iſaacum natum, numerandi veniunt hi anni quadringenti, quum centenarius jam eſſet Abrahamus; ſed inde numerandi. Quippe qui in alieno ſolo naſcitur, ab uſque nativitate dicendus erit Inquilinus.

8°, Verum hic novus ſuboritur ſcrupulus, eximendus. Nempe, ſi ab Iſaaco nato, hoc eſt, ab anno Abrahæ centeſimo, hos annos quadringentos ordiamur: Sintque, quod plerique autumant, ab anno Abrahæ Septuageſimo-quinto numerandi, Triginta illi ſupra quadringentos;

dringentos ; (quo ſcilicet anno, Promiſſionem Abrahæ primo fuiſſe factam exiſtimant *Joſephus*, *Euſebius*, *Scaliger*, *Calviſius*, & tota fere Chronologorum cohors ; nempe Veteres, quod ſciam, ad unum omnes ; &, Recentiorum, plerique :) fieri non poſſet (quod tamen factum eſſe demonſtravimus,) ut una terminentur utraque periodus. Nam, ab anno Abrahæ Septuageſimo-quinto, ad uſque terminum annorum, poſt centeſimum, quadringentorum ; anni ſunt nonniſi quadringenti viginti quinque : cum tamen, tum hoc, tum illo Exodi loco, Triginta ſupra Quadringentos expreſſe numerantur.

9°, Quo hunc igitur evitarent ſcopulum nonnulli ; Quadringentos illos annos, non ab Iſaaco nato, ſed ab ipſius anno quinto, ordiuntur. Quippe, ſub id tempus, poſſe autumarunt, Iſaacum ab Iſmaele irriſum eſſe : Quæ ludificatio, ad Gal. 4 29. Perſecutio dicitur. Atque hoc, malorum, quæ Abrahami Poſteris obvenerunt, initium facientes ; Hinc annos numerabant quadringentos. Et quidem neceſſario, dummodo ad annum Abrahæ ſeptuageſimum-quintum, referunt Promiſſionem.

Verum ego hoc [illegible] (ob parachroniſmum, introductum,) neque verum eſſe cenſeo, neque neceſſarium. Quod & mecum fortaſſe judicabitis, ubi tum eorum parachroniſmi, tum reſtitutionis noſtræ, cauſas audietis.

10°, Cur igitur, in annum Abrahæ ſeptuageſimum quintum, conjecerint Promiſſionem ; facit ea quæ eſt Gen. 12. ὑστερολογία : Ubi, poſt memoratam tum profectionem, tum & mortem Tharæ, fit Promiſſionis mentio : Et huic ſubjungitur ætas Abrahæ, quum Harane exceſſerit.

Tota quæ huc ſpectat [illegible], in fine Cap. 11. & principio Cap. 12. Geneſeos, continetur. Cujus hæc fere ſumma. *Egreſſus Therah, aſſumptis ſecum Abraham & Lot, ex Ure Chaldæorum Haranem venit ; ibique habitavit ; ubi & mortuus eſt, annorum quinque ſupra ducentos exiſtens.* וַיֹּאמֶר יְהוָה *Et dixit Dominus*, ſeu *dixerat Abrahamo Dominus*, (utrumvis enim Hebræo textui ſatis reſpondebit,) *Abi ex terra patria, relictis paternis ædibus & cognatione tua, in terram quam ego tibi monſtraturus ſum : Faciamque ego te gentem magnam ; tibique benedicam ; atque in te benedicentur omnes Gentes : Et profectus eſt Abraham, ſicut præceperat Dominus* : Cui mox ſubjungitur, *Erat autem Abrahamus annorum ſeptuaginta quinque quum Harane profectus eſt* : (Nempe, poſt mortem Tharæ modo memoratam :) *Venitque in terram Chanaan.* Atque hinc colligunt (ſed impari argumento) Tot annorum fuiſſe Abrahamum, quum facta erat promiſſio. Quaſi mandatum illud, cum promiſſione annexa, fuiſſet cauſa ſecundæ profectionis, ex Harane in terram Chanaan, & huic immediate præmiſſæ ; non autem prioris, ex Ure Chaldæorum Haranem uſque.

11°, At infirma plane eſt illa conſequentia ; & fallit conjectura. Quamquam enim (quod Parachroniſmo anſam fecit) poſt tum profectionem, tum mortem Tharæ, memoratam ; mandati divini, cum adjuncta promiſſione, fiat mentio : Non tamen propter hanc ὑστερολογίαν (ſacris juxta atque profanis Scriptoribus familiarem) poſt Tharæ mortem accidiſſe, exiſtimandum erit : Sed, αἰτιολογίαν eſſe, memoratæ prius profectionis cauſas continentem ; poſtpoſitam tamen, ne eorum, quæ de Thara dicenda erant, incommoda fieret interruptio. Adeoque, quamquam annorum fuiſſe ſeptuaginta quinque dicatur Abrahamus, quum, poſt mortem Patris, Harane exceſſerit : quot tamen annorum fuerit, quum eo venerit, aut facta ſit promiſſio, non inde liquet.

Totius utique narrationis connexio, hæc eſt : *Egreſſus Terah, aſſumpto Abrahamo, ex Ure Chaldæorum, Haranem venit, ibique habitavit, ubi & mortuus tandem eſt.* Cujus, per parentheſin, cauſam hanc ſubjungit : *Dixerat enim Abrahamo Dominus, Abi ex patria tua, in terram quam ego tibi monſtraturus ſum, &c. Abiitque Abrahamus ut fuerat imperatum.* (Cui favent Interpretes noſtri, aliique quotquot וַיֹּאמֶר illud exponunt, *& dixerat*, non autem *& dixit.*) Quibus per parentheſin inſertis, incepta narratione ſic progreditur ; *Fuitque Abrahamus annorum ſeptuaginta quinque quum Harane exceſſit* ; (nempe poſt mortem Tharæ modo memoratam,) *venitque in terram Chanaan.* Quoto autem anno Haranem venerat, aut quot ibidem habitaverat, non dicitur ; nedum, quo primum tempore facta ſit promiſſio. Quæ itaque aliunde ſunt petenda.

12°, Dico igitur poſtremo, Non Harane factam eſſe promiſſionem illam ; ſed, Ure Chaldæorum : Nec, anno Abrahæ quinto poſt ſeptuageſimum ; ſed ipſo ætatis anno ſeptuageſimo exeunte. Quod, præter ea quæ jam dicta ſunt, ſequentibus argumentis confirmatur.

Primo quidem, ab ipſo mandati divini tenore, petito ; *Abi ex patria tua* (puta, qua natus erat Abrahamus,) *à cognatione tua, & familia paterna, in terram quam ego monſtrabo tibi.* Quæ patria jam egreſſo, in alieno ſolo verſanti, videntur haud dicenda ; ſed, in terra patria adhuc exiſtenti ; adeoque Ure Chaldæorum.

2°, Hæc ipſa, Stephanus expreſſe narrat, nativo ſolo accidiſſe, prinſquam Haranem venerat, Act. 7. 2. Quod modo diximus.

3°, Quia, niſi hoc dicatur, nulla prorſus apparet ratio, cur Ure Chaldæorum deceſſerit Abrahamus. Quod tamen divino monito factum eſſe, teſtatur illud Gen. 15. 7. *Ego ſum* (inquit Deus) *Jehovah ille, qui ex Ure Chaldæorum te deduxi, ut hanc tibi darem terram poſſidendam.*

poſſidendam. Ut dubium non ſit, quin Ure Chaldæorum factum fuerit, cum annexa promiſſione, monitum divinum.

Quod autem anno Abrahæ Septuageſimo contigerit; ſic colligimus. Ab initio peregrinationis Abrahæ, (ut Exod. 12.) ſive, à promiſſione primum facta, (ut Gal. 3.) ad exitum ex Ægypto, & Legem datam, numerantur anni Quadringenti & Triginta. Sed, ab initio incolatus *Seminis* Abrahæ, nempe ab Iſaaco nato, anni Quadringenti, Gen 15. Act. 7. Adeoque Triginta prius annis facta erat Promiſſio, quam Iſaac naſceretur. At naſcebatur Iſaac, quum centenarius erat Abrahamus. Septuagenarius ergo fuerat, quum facta eſt promiſſio.

Adeoque pulchre cohærent omnia. Nempe, cum Septuagenarius erat Abrahamus, à Deo monitus, & promiſſo excitatus, ex Ure Chaldæorum profectus, Haranem conceſſit. Unde, poſt annos quinque, defuncto Patre, annorum jam factus ſeptuaginta quinque, in Chananæam profectus eſt; ibique alteram, de terra illa poſteris concedenda ſuis, obtinuit promiſſionem. Ubi, poſt alios adhuc annos viginti quinque, (hoc eſt, à prima profectione, triginta,) centenarius jam factus, Iſaacum habuit filium. Unde numeratis adhuc quadringentis annis; adeoque, triginta ſupra quadringentos à prima profectione, & promiſſione primum data; Egreſſi ſunt ex Ægypto filii Iſraelis, & Lex propediem data in monte Sinai. Circumciſio interim inſtituta eſt, quum annorum eſſet Abrahamus Nonaginta novem; uno prius anno quam naſceretur Iſaac; adeoque annis viginti quatuor poſtquam Harane deceſſerat; ſed, poſt factam promiſſionem, viginti novem.

Habetis igitur, quæ de prius facta Promiſſione, de Lege poſt lata, &, quod utramque interceſſit, annorum triginta ſupra quadringentos intervallo, dicenda videbantur, ad Apoſtoli argumentum dilucidandum.

Denique (ut tandem abſolvamus omnia,) Si quæratur adhuc, Cur à tempore potius latæ Legis Moſaicæ, quam Circumciſionis inſtitutæ, argumentum duxerit Apoſtolus; cum tamen de Circumciſione potiſſimum controverſaretur?

Dicendum erit; Quamquam de Circumciſione maxime ageretur; quum tamen nullus erat potior prætextus, cur ea Gentibus induceretur, quam ut Eccleſiæ Judaicæ adjungerentur; cujus Inſtitutio & Politia ex Moſaica lege maxime pendebat: Ex tempore illius Legis latæ commode deductum erat argumentum. Non erat enim Circumciſio, Judæorum Eccleſiæ peculiaris; ſed reliquis Abrahami poſteris, juxta atque Judæis, communis. Nec tamen illud agebatur, ut in Abrahami familiam adſciſcerentur Gentiles; ut eodem loco eſſent, quo Eſavo, Iſmaele, & Keturæ poſteris oriundi: Sed, in Eccleſiam Judaicam, poſt exitum ex Ægypto Moſaica lege conſtitutam. Adeoque ex tempore illius legis latæ, quam Circumciſionis inſtitutæ, aptius deducebatur argumentum. Nempe, cum rata facta fuerit Promiſſio, per Fidem Gentes ſalvatum iri, quadringentis & triginta prius annis, quam inſtituta fuerit Eccleſia Judaica: & Judæis data, non Gentibus, Moſaica cæremoniarum Lex: fieri non poteſt, ut lex ea poſterior, Judæis data, Gentibus obeſſe poſſit, quo minus promiſſa gratia potiantur. Adeoque nec opus erat, quod vellent Impoſtores, ut, Circumciſionis ritu, in Eccleſiam Judaicam Gentiles adſciſcerentur, cæremoniarum ſubjecti jugo, quo, per fidem in Jeſum Chriſtum, ſalutem conſequi potuiſſent.

Cui Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui benedictionem Abrahæ etiam ad nos Gentiles ampliavit, una cum Patre & Spiritu Sancto, Trin-uni Deo; ſit Laus, Honor, & Gloria, in ſempiterna ſecula. Amen.

FINIS.

Reſurrectio a Mortuis

COMPROBATA,

Concione ad Academiam *Oxonienſem*, habita in Templo S. Petri ad Orientem, in ipſo die Paſchatis, Anno 1679; eodem Anno Anglice edita.

Nunc reddita Latine.

---

1 *Cor.* 15. 20.

Χριστὸς ἐγήγερται ἐκ νεκρῶν, ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων ἐγένετο.

Chriſtus ſuſcitatus eſt ex mortuis, & primitiæ eorum qui obdormierunt factus eſt.

HIſce verbis (ne longa Præfatione vos detineam) Duo continentur, ex primariis Chriſtianæ Fidei Articulis ; (huic Diei convenientes ambo ;)

De Reſurrectione Chriſti ;

Et, noſtrûm ipſorum.

Prior, his verbis *Chriſtus ſuſcitatus eſt ex mortuis* ; Poſterior, ſequentibus, *Primitiæ factus eorum qui obdormierunt*. Quos ambos fuſe proſequitur Apoſtolus hoc in Capite : Eruntque præſentis Diſſertationis noſtræ Argumentum.

Methodum quod ſpectat qua utitur Apoſtolus in his Articulis comprobandis ; Notandum eſt, Id moris eſſe Apoſtolo huic noſtro (ut & aliis Scriptoribus ſacris) ſanctas Dei Veritates arguendo ; Argumenta ſua, eorum quibuſcum arguitur Principiis ſive Conceſſis, accommodare : Quæ quamvis apud alios, quorum alia ſunt principia, minus forte fuiſſent valitura ; apud eos ſaltem qui hæc admiſerint, valida forent argumenta.

Id enim in aliis item Scientiis omnino verum eſt, non minus quam Mathematicis ; Quod, niſi ex quibuſdam *Datis*, (præſumptis, aut præconceptis,) nulla formari poteſt Demonſtratio. Nihil admittentibus, probari poteſt nihil. Qui omnino Nihil ſcit, Nihil doceri poteſt. Eorum enim quæ ſcimus ope, docemur ea quæ nondum-ſcimus.

Ubi cum *Athenienſibus* rem habuit, (Act. 17.) eos incitando ad Cultum Dei veri (*Fa-* Act. 17. 28.
ctoris cæli & terræ ;) conceſſis utitur *quorundam Poetarum ſuorum*, & ſpeciatim Arati, dicentis,

Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν.

(*Nam hujus item Progenies ſumus.*) Non quidem ordinaria generatione : ſed quo ſenſu de Adamo dicitur (Luc. 3. 38 ;) *Adam, qui fuit filius Dei* : (utpote à Deo conditus.)

Atque ad eundem ſenſum intelligendum eſt illud Orphei,

Εἷς ἔστ' αὐτογενής, ἑνὸς ἔκγονα πάντα τέτυκται.

Unicus eſt, qui eſt ſuæ originis (non aliunde natus ;) *atque ex hoc Uno oriuntur* (progenerantur) *omnia*.

Quamvis enim habuerint Ethnici ſuos *Dæmones* ſive *Deaſtros* plures, aut Deos *Medioxumos*, peculiaribus negotiis aſſignatos, (*Pan curat oves oviumque magiſtros* ;) ut habent Pon- Virgil.
tificii ſuos *Sanctos Angeloſve*, quibus ſua ſingulis aſſignant munia ; (ut qui *Equos* , *Oves*, *Porcellos* curent :) Attamen *Unum* præ cæteris agnoſcebant Ethnici *Supremum Numen* ; ut qui ſit, ſuper omnes, *Supremus Deus* (πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε,) à quo Humanum genus, (aliaque omnia,)

omnia,) duxerint *originem* ; & qui propterea ſit ab omnibus *Colendus* : (Quod *Ariſtoteles*, in libro *De Mundo*, late prnſequitur: Oſtendens, *Plura Divina Nomina* nnnniſi *Denm Unum* indicare, ſub varia conſideratione ; ipſaſque *Tres Parcas* eſſe, *Unius* Dei, nomen *Unum*, pro temporis Præteriti, Præſentis & Futuri diverſitate conſiderati.)

Arati Phænomena. Quam conſequentiam admittit Aratus (eo loco quem citat Paulus)

Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα ——.
Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. ——

Ab eo primum incboemus, ipſum invocantes, *ipſius enim ſumus progenies*. Quibus alia ſubjungit multa quæ huc ſpectant. [*Vide ad calcem hujus concionis, Arati verba.*]

Act. 17.24. Quorum ſummam recolligit Paulus (loco citato) quaſi ad hunc ſenſum ; Quod ipſe *Mundum fecit, omniaque quæ in eo ſunt* ; Quod ſit Ille *Dominus Cæli & Terræ* ; Quod ipſe
Verſ. 25. *dat omnibus vitam, & halitum, & omnia* ; Quod ipſe Ordinat atque Diſponit, Tempora,
Verſ. 26. Perſonas, Loca ; Quod *fecit ex uno ſanguine totam gentem Hominum, qui habitent ſuper tota terræ ſuperficie* ; *eorum præſtituta Tempora definiens, limiteſque terminatos habitatio-*
Verſ. 28. *nis eorum* ; Quod *in eo Vivimus & Movemur & Sumus* ; Quod *non longe abeſt ab unoquo-*
Verſ. 27. *Verſ.* 25. *que noſtrum*. Quodque propterea ſit *à nobis inquirendus & obſervandus*.

Verſ. 29. Atque hinc infert Apoſtolus (quod rite poſſit ex his principiis) Quod *nos, cum Divina ſimus origine prognati, reverentiores habere debeamus conceptus, de tam verendo Numine*, quam ut putemus eum, (*qui cælum terramque condidit*) *Templis hominum manu factis circumſcriptum* ; Aut (*rerum omnium omnibus largitorem*) *humani cultus revve alicujus in-*
Verſ. 24. *digentem* ; Aut etiam *auro, argento, lapidive* (*hominum artificio & pro eorum imaginatione*
Verſ. 25. *ſculpto*) *aſſimulandum* ; Qundque nihil miri videri debeat, quod *ipſe, præſtituto aliquando*
Verſ. 29. *Verſ.* 31. *die, terrarum orbem ſit juſte judicaturus, per virum illum quem ad hoc definiverit* ; *de quo fidem fecit omnibus, illum à mortuis ſuſcitando.*

Sic utique apud *Athenienſes* arguit Paulus (ex eorum conceſſis, ab Arato recenſitis,) de Reſurrectione à mortuis, hominumque futura conditione.

Ubi cum *Judæis* res agebatur, in Epiſtola ad Hebræos (cujus Authorem fuiſſe Paulum non dubitandum puto) à *Judæorum Ritibus & Cæremoniis* veritatem arguit *Doctrinæ Chriſtianæ*. Quæ quidem, apud Athenienſes, argumenta forent nullius ponderis ; ut qui non magis ad-
a *Gal.* 4.26. b *Heb.* 12.22. mittebant doctrinam Judaicam quam Chriſtianam.

c *Heb.* 9.24. Pariterque , pro aliis datis occaſionibus, Teſtimonia deſumit ex Teſtamento Veteri, ad
d *Heb.* 12. 24. & 9.15. Novi Teſtamenti doctrinas ſtabiliendas ; & ſpeciatim (inter cæteras) ad hanc de Reſurre-
e *Heb.* 8.6. & 7.22. ctione Mortuorum.

f *Heb* 5.6. Puta, [a] *Novam Hieroſolymam quæ ſurſum eſt*, indicat, per eam quæ infra eſt adumbra-
& 6.20. & 9.21. tam ; [b] *Hieroſolymam cæleſtem*, per Terreſtrem hanc : [c] *Cælumque ipſum* per *ſacrarium ma-*
g *Heb* 4.14. *nu factum, antitypum veri* : [d] *Jeſumque, Mediatorem novi Fœderis* ; [e] *Præſtantioris fœ-*
h *Heb* 7.11. *deris* quam erat Mnſaicum illud, ſed ab eo indicati ; [f] *Sacerdotem in æternum, ſecundum*
i *Heb.* 7.23, 24. *ordinem Melchizedeci*, [g] *noſtrum Pontificem magnum qui penetravit Cælos, Jeſum filium*
k *Heb.* 7.26, 27. *Dei*, per [h] *Leviticum ſacerdotium* præfiguratum ; [i] Hunc *Unum*, per eos *multos* ; [k] Hunc
labe vacuum, per eos *peccatis obnoxios* ; [l] Hujuſque *perfectam oblationem unicam, ſimul &*
l *Heb.* 9.25, 26, 28. & *ſemel factam*, per eorum *multiplices*, (propterea *ſæpius repetitas*, qnod fuerint *imperfectæ*
10.1, 2, 3. & *inſufficientes* ;) [m] Hnjuſque *introitum in Cælum una vice, ſeſſionemque ad dextram Dei*,
m *Heb.* 10. 10, 12, 14. per eorum [n] *quotannis introitum in eorum ſacrarium* : [o] *Quo & nos introituri ſumus, via*
n *Heb* 9.25. *nova vivaque quam ipſe pro nobis conſecravit* : [p] *Quo ſcilicet præcurſor pro nobis ingreſſus*
o *Heb.* 10. 19, 20. *eſt* ; [q] *Factus Author æternæ ſalutis omnibus auſcultantibus ipſi*. [r] *Fuit enim Lex* (Mo-
p *Heb* 6.20. ſaica) *nonniſi Umbra futurorum bonorum* ; [ſ] *Corpuſque Chriſtus*. Sic ntiqne cum Hebræis
q *Heb* 5.9. r *Heb.* 10.1. ſ *Col.* 2.17. diſputat ex Doctrina Hebraica.

Act. 13.35. 37. Pariter, cum *Judæis* qui erant Antiochiæ in Piſidia, *Act.* 13. argumentis arguit irrefragabilibus, ex Teſtimoniis è Veteri Teſtamento petitis, certitudinem Reſurrectionis Chriſti. Quodque de ipſo principaliter intelligendum ſit, quod de Davide typice dictum eſt, *Non*
Pſal. 16.11. *derelinques in inferno animam, nec ſines ſanctum tuum ſentire corruptionem.*

Act. 2.29, 31. Et Petrus ſimiliter, cum Judæis Hieroſnlymæ, *Act.* 2.

Mat. 22. 29, 33. Ipſeque Servator noſter Chriſtus, *Mat.* 22. cum *Sadducæis* diſputans, *Mortuorum Reſur-*
Exod. 3. 6. *rectionem* evincit ex Moſis teſtimonio, (cujus ſcripta pro Authenticis admittebant Sadducæi,
Mat. 22.32. neſcio an & aliorum Prophetarum :) *Ego ſum Deus Abrahami, Deus Iſaaci, & Deus Jacobi*, Exod. 3. At, inquit Chriſtus, *Deus, non eſt Deus mortuorum, ſed viventium.*

Contentus utique ibidem videtur Chriſtus, probaſſe *Exiſtentiam* Abrahami Iſaaci & Jacobi, (quod ſcilicet tunc *Extiterint*, quo tempore Deus hæc Mnſi dixit,) adeoque Animam eſſe morienti Corpori ſuperſtitem.

Quamvis enim *Immortalitas Animæ*, non ſtatim inferre videatur *Reſurrectionem Corporis* ; (multi enim ex Ethnicis videntur Illam admiſiſſe, qui de Hac erant plane inſcii :) Apud Sadducæos tamen hoc erat validum Argumentum : Qui non negaverint *Conſequentiam*

tiam Argumenti, ſed *Antecedentem.* Adeoque (quod dicitur) *ſecurim adhibet arboris Ra-* Mat. 3. 10.
dici; & quaſi *jugulum cauſæ* petit.
Fundamentum enim quo nitebatur eorum opinio (contra Reſurrectionem mortuorum) hoc
erat potiſſimum, Quod *nullum eſſe dixerint vel Angelum, vel Spiritum* : (quaſi idem putave- Act. 23. 8.
rint eum nupero ſcriptore quodam ex noſtris, putante, quicquid *Eſt*, *Corpus* eſſe; & *Sub-*
ſtantiam incorpoream, Solœciſmum eſſe, ſeu Contradictorium in Adjecto;) &, conſequenter
ad hoc, putaverint, *non eſſe Reſurrectionem.*
Quippe ſi ipſis ſatis conſtitiſſet de *ſeparata Animæ exiſtentia*; Corporis cum illa *Redunio-*
nem non difficulter admiſiſſent, juxta eum *Phariſæis*, qui (diſerte dicitur) *utrumque ad-*
miſerunt. Et quidem utriſque hactenus conveniſſe videtur, quod utrumque pariter erat
vel negandum vel aſſerendum ; nempe *Subſtantias incorporeas* & *Reſurrectionem mortuo-*
rum
Idemque urget argumentum Paulus, *Hebr.* 11. Nempe, quod Abrahamus, à Deo *evocatus*, Heb. 11. 8.
ipſi auſcultavit, neſcius quo iret ; *hæreditatem accepturus quam pollicitus erat Deus* : *ipſe-* 9. 10, 13, 14. 15, 16
que cum Iſaaco & Jacobo, cohæredibus ejuſdem promiſſi, commorati ſunt in terra promiſ-
ſionis, tanquam peregrini, in Tabernaculis; *Expectantes Civitatem fundamenta habentem*,
(puta firmam ſtabilemque, non mobilem & fluitantem ut erant ea tabernacula,) *cujus arti-*
fex & conditor ſit Deus ; *Mortuique ſunt, nondum adepti promiſſa, ſed eminus conſpicati*;
& per fidem amplexi, profitentes ſe hoſpites & advenas eſſe in terra ; *ſed patriam quærere* ;
non qualis ea erat unde exierant, atqui meliorem patriam, nempe cœleſtem : *Quapropter non*
recuſavit Deus, dici eorum Deum; *paraverat enim eis urbem.* Ubi arguit Apoſtolus, hanc
Dei profeſſionem *Illorum Deum eum eſſe* , promiſſionem includere *cœleſtis patriæ*. Quod
Chriſtus ante arguerat ex eadem profeſſione.

Quando Paulus, coram *Agrippa* Rege, rem eandem arguebat Act. 26. non potuit eaſdem Act. 26. 1.
arguendi anſas arripere, quas apud Judæos habuit. Non potuit, apud eum, quaſi pro con-
feſſo ſumere (indeque firmiter arguere) αὐϑεντίαν Veteris Teſtamenti. Quod Agrippa forte
vel non credebat, vel non profeſſus eſt ſe credere.
Quodque poſt habet Paulus, *Credis Agrippa Rex prophetis? Scio te credere*: Rhetoricam Verſ. 27.
potius inſinuationem putaverim, quam directam aſſertionem.
Quod itaque primum aggreditur, hoc eſt, ut rei *Poſſibilitatem* ſuadeat: *Cur incredibile* Verſ. 8.
judicetur apud vos, quod Deus mortuos excitet? (quod Deus ille qui Hominem primitus
ex Telluris pulvere effecit, eundem ex eodem pulvere revocaret? corpuſque reſtitueret
quod aliquando fuerat ?)
Quod ſi non eſſet Impoſſibile , non ipſi mirum videri debeat quod ab eo defendere-
tur. Quippe qui, quamvis non fuerit ex profeſſo Judæus, *gnarus tamen erat omnium apud* Verſ. 3.
Judæos tum rituum tum quæſtionum : adeoque non potuerit ignarus eſſe, hanc non eſſe no-
vam doctrinam, prius inauditam, ſed *ſpem illam promiſſionis, patribus ſuis à Deo factæ* ; Verſ. 6, 7.
ad quam (promiſſionem) duodecim ipſorum tribus, nocte dieque Deo ſervientes, ſperant per- Verſ. 2, 7.
venire : & propterea, omnino immerito eum eſſe (*ob hanc ſpem*) *à Judæis poſtulatum.*
Quod potuerit Agrippæ quid inſperatum videri, & quaſi ex improviſo accidere, homi-
nem ipſum quod ſpectat *Jeſum Nazarenum* de quo diſceptabatur, non negat Paulus. Imo
id ipſum ſibi primitus accidiſſe profitetur: Ut qui *apud ſe ſtatuerat, oportere ſe adverſus nomen* Verſ. 9.
Jeſu Nazareni multa contraria facere ; & quidem *multa fecit* ; Donec *Divina viſione mo-* Verſ. 12. Verſ. 13. &c.
nitus erat (quam ille fuſe exponit) eam *prædicare* doctrinam quam ante fuerat *perſecutus*. Verſ. 19 &c.
Quod & deinceps *fecit* ; *Teſtificans tum parvis tum magnis, non aliud quicquam quam* Verſ. 22, 23.
quod Moſes & Prophetæ prædixerant futurum ; *Nempe Paſſurum fore Chriſtum, primum-*
que futurum ex Reſurrectione mortuorum.
Et propterea, id quod *Agrippæ* videri debeat *non incredibile*, illud *Judæis* cenſeri deberet Verſ. 21.
omnino verum ; adeoque ipſum, ab *illis*, *perſecutum iri* non debere.
Quod tanta cum *evidentia* dictum eſt Regi *Agrippæ*, *qui bene gnarus erat Doctrinæ Ju-* Verſ. 3. 26.
daicæ, (quamvis *Feſto*, harum rerum ignaro, videretur *Inſania* ;) Eratque quæ tum acci- Verſ. 24.
derat *res facti*, tum temporis tam *notoria*, ut negari non potuerit; (quippe, *Novit*, loquit
Paulus Feſto, *Rex Agrippa, hæc ita eſſe* ; *non enim hoc in angulo geſtum eſt* ;) ut profeſſus Verſ. 26.
ſit Agrippa, *ſe propemodum perſuaſum, eſſe Chriſtianum.* Quippe *res facti* tum erat noto- Verſ. 28.
ria ; & *Argumentatio* firma. Sic utique, de Reſurrectione à mortuis, arguit Paulus coram
Feſto, & *Agrippa* Rege.

In præſenti Capite, habemus Paulum, rem eandem arguentem, ſed ex aliis principiis, 1 Cor. 15.
apud *Chriſtianos* qui erant Corinthi.
Non quaſi tota Eccleſia Corinthiaca de Reſurrectione dubitaverint ; ſed ex eis Aliqui.
Quomodo, loquit, *eſt quod dicunt Quidam inter vos, non eſſe Reſurrectionem mortuorum ?* Verſ. 12.
Neque etiam tam videtur dubitaſſe de *Reſurrectione Chriſti*, (quæ videtur tum temporis
fuiſſe tam nota ut de ea dubitari non poſſet,) quam de *Reſurrectione noſtri*, ipſam conſe-
quente.

Quam eorum (ut videtur) nonnulli vel directe Negabant, vel Eludere ſatagebant, ſenſu Allegorico exponentes; Puta, ſicut *Hymenæus & Philetus*, *dicentes*, *Reſurrectionem jam eſſe præteritam*. Quaſi non alia foret expectanda Reſurrectio, quam qualis ea ſit, de qua loquitur Paulus Col. 3. *Si Reſurrexiſtis cum Chriſto, ſuperna quærite*; Nempe, *Ut ſint Peccato mortui, vivantque Deo, novitate vitæ.*

2 Tim. 2. 17, 18. Col. 3. 1. Rom. 6. 4, 11, 18.

Mirum quidem merito videatur, eorum qui ſe Chriſtianos profeſſi ſunt, repertum iri ullos, qui tanti momenti Chriſtianæ Religionis doctrinam negarent, quam eſt ea de Reſurrectione mortuorum.

At eo minus mirandum videbitur, horum Aliquos ex Ethniciſmo (non Judaiſmo) ad Chriſtianiſmum jam nuper converſos, (apud quos res ea tum nova fuit, pro eo quod eſt nunc dierum:)

Si conſideremus; Etiam nunc dierum, (cum Religio Chriſtiana jam recepta ſit, & per terrarum Orbem propagata, per pluſquam ſexdecim annorum ſecula ;) repertantur apud nos aliqui, qui (retento Chriſtianorum nomine) nullum non movent lapidem, labefactare & (quantum in eis eſt) ſubvertere, præcipua doctrinæ Chriſtianæ fundamenta; ipſam quidem Chriſti Divinitatem; ejuſque Satisfactionem Divinæ Juſtitiæ factam pro peccatis hominum, (quo cardine tota verſatur Chriſtianiſmi doctrina:)

Alii; qui Cultum Chriſtianum, magna ex parte, in formam ſcenicam & ridiculas geſticulationes convertunt; quales ſunt Pontificiorum ineptiæ plures, (magis abſurdæ quam ſunt modeſtiorum ex Ethnicis:) Qui Cœlum ipſum & Purgatorium licitant & venum ex-
Mat. 21. 13. ponunt; cauponantes, non tam Peccatorum veniam, quam veniam Peccandi; (quaſi de ipſis dictum fuerit, *Scriptum eſt, Domus mea domus precationis vocabitur*; *at vos eam feciſtis ſpeluncam latronum*:) ſuaſque Legendas tam ridiculis ſuffarciunt fabulis, ut quæ argumenta ſint viro Ethnico, Chriſtianas potius rejicere veritates, quam has admittere futiles ineptias: Dum interim abſque omni ſcrupulo permittunt (modo in rem ſuam faciant) Homicidia, Lanienas, Proditiones, Aſſaſſinationes Principum, Regnorum ſubverſiones & pe[illegible]undationes, quæ commentis ſuis promovendis inſerviant: Qualia quidem haud facile credamus eos ipſos ſerio ſentire licita.

Alii; qui Riſui exponunt & pro joco habent res Chriſtianiſmi maxime ſerias; Cœlum, Infernum, Judicii diem, Immortalitatem animæ, & quidem Exiſtentiam Providentiamque
Pſal. 49. 12. ipſius Dei: quaſi vix uno gradu ſuperiores ſint *jumentis pereuntibus*, nedum his inferiores.

Nec miremur tamen, tantam eſſe Satanæ ſive Impudentiam ſive Verſutiam, in tot ſe formas transfigurare pro Inferni regno promovendo, quot Jeſuitæ pro Romanenſi.

Eoque minus mirandum erit (cum hæc ita ſint,) ſi *Nonnulli* ex his *Novitiis* Chriſtianis, de mortuorum Reſurrectione (*Corinthi*) dubitaverint.

De his autem dubitantibus Chriſtianis; proxime diſpiciendum eſt, Qua methodo uſus eſt Apoſtolus, pro hiſce convincendis.

Non cum illis agit ut plane *Scepticis*, (qui nihil quicquam admitterent:) Nec etiam ut cum *Ethnicis*, (qui nihil admitterent Sacrarum Scripturarum, nihil vel Judaicæ vel Chriſtianæ Religionis.) Sed nec ut cum *Judæis*, (qui quamvis Judaicam admiſerint Religionem, non tamen Chriſtianam:) Sed, ut cum *Chriſtianis*. Adeoque tanquam pro conceſſis habet, quæ apud Chriſtianos in confeſſo erant, ſaltem eſſe debuerunt: Indeque diſputat, Quod & hanc admittere debuerint, de Reſurrectione, doctrinam.

1 Cor. 15. 1. *Enarrat* eis, Hoc illud eſſe *Evangelium*, quod illis *Evangelizaverat ipſe*; quod ipſi *ac-*
Verſ. 2. *ceperant*; in quo *ſtabant*; & per quod, *ſi in eo perſtiterint*, *ſalvandi forent*.

Verſ. 3. Quod hoc *ipſis primitus tradiderat*, eadem puta authoritate Apoſtolica qua reliquum doctrinæ Chriſtianæ; quod non erat temere negligendum. Quod pariter fuerat *ab ipſis acceptum*: neque deberent illi (puerorum inſtar) abſque juſta cauſa, ab eo recedere quod ſano conſilio jam admiſerant. Quodque in eadem Religione *etiamnum perſiſtant*, (nulla conſpecta ratione cur eam desererent;) adeoque in hoc ipſius membro perſeverare debeant, ut in reliquis. Quod hæc fuerat nobiliſſima pars iſtius quam expectabant *Salutis*.

Urget authoritatem *Sacrarum Scripturarum*, (earum puta quæ habentur in Veteri Te-
Verſ. 3. ſtamento,) quas admittebant Chriſtiani juxta cum Judæis: Quod *Sacris Scripturis conſonum*
Verſ. 4. erat, *Chriſtum pro peccatis noſtris moriturum*; Eiſdemque *Scripturis conſonum, quod ſepultus foret, tertioque die reſurgeret ſecundum ſcripturas.*

Urget authoritatem *Teſtium* fide dignorum (quibus, in re Facti, non eſſet cur fidem non haberent.) Quippe, quod ante fuerat à Prophetis prædictum, jam erat reapſe comple-
Verſ. 5. tum. *Viſus erat Cephæ*, *dein ipſis Duodecim*, (hoc eſt, ipſis eorum qui perſiſterent
Verſ. 6. poſtquam Judas, eorum unus, deſciverat.) *Viſus deinde eſt pluſquam quingentis fratri-*
Verſ. 7. *bus uno eodemque tempore*; *quorum plerique fuerint jam tum ſuperſtites*. *Poſtea Jacobo*
Verſ. 8. *viſus eſt*; *omnibuſque Apoſtolis*. Ultimoque omnium, *velut abortivo*, viſus eſt ipſi *Paulo*.

Factum utique notorium erat, quod non potuerint ignorare. Conſpectum, agnitum, & confirmatum;

confirmatum; pluribus temporibus, variis in locis; Spectantium multitudini, atque ab aliquammultis pluries quam ſemel. Nec erit imaginandum, eos Omnes impoſtores fuiſſe ſeu deceptores; aut deceptos Omnes. Nedum ut conjuratione facta conſenſerint Omnes, mundum ludificare; &, præ cæteris, ſemetipſos maxime ridendos exhibere. Seipſos exponentes, abſque omni ſpe lucri, Perſecutionibus, Martyriis, & mille malis; non tantum ut omnium maxime impii, ſed ut omnium ſtolidiſſimi; ſi non ea vera crediderint quæ prædicabant.

Quibus omnibus hoc etiam addam; Quod hoc fuerit ex profeſſo propalatum, & univerſo orbe publice declaratum, in erudito ſeculo; quo plures erant ſcriptores eximii, Græci, & Latini; quorum opera etiamnum extant: Nulli tamen eorum, utcunque Chriſtianiſmo averſi, id ſibi negotium fecerunt, ut ipſam rei geſtæ hiſtoriam oſtenderent eſſe falſam.

Quod tamen certo certius facturi forent, (eorumque maxime interfuit ſic facere,) ſi res Facti non tam fuiſſet notoria, & procul omni dubio manifeſta.

Nec video, quomodo Hiſtorica narratio rei geſtæ, ſperari poterit magis certa, quam hæc de Chriſti Reſurrectione.

Illud autem tenue quod moliti ſunt effugium quo ſibi proſpicerent adverſarii; Nempe, Mat. 28.
dato præmio militibus, qui dicerent, veniſſe de nocte Diſcipulos, dum illi dormierunt, eum- 12, 13.
que ſuffuratos; ſeipſum ſatis refutat, & evidentiam rei confirmat. Cujus particularia tam
ſunt obvia, & à pluribus hac occaſione notata, ut eo minus ſit mihi neceſſarium ea fuſius
enarrare.

Quod ea res fuerit ante *ſuſpecta*, & quam ante *metuebant* adverſarii; (Nempe, ut vel
foret *revera ſuſcitandus*, vel ut tale quid *prætenderetur*;) manifeſtum eſt ex eorum ſolici- Mat. 27.
tudine, de *muniendo ſepulchro, ſigillo conſignato*, & *poſita cuſtodia*. 62, 63.

Quodque ipſis magno foret incommodo ſi tale quid crederetur, aſſignant ipſi ut cauſam Verſ. 64.
cur hoc à Pilato peterent; quippe foret (inquiunt) *ultimus hic error pejor priore*.

Neque putandum eſt, hos, tam ſolicitos, tam interim negligentes fore, ut talem vellent cuſtodiam conſtituere qui forent obdormientes Omnes.

Sed neque putandum eſt, Chriſti Diſcipulos (ea qua erant conditione conſtitutos, meti- Mat. 26 31,
culoſos, ſibique potius fuga proſpicere procliviores, quam ut tale facinus aggrederentur,) 56. Joh. 20. 19.
auſos eſſe tale quid moliri quum fuerit *Cuſtodia* conſtituta. Quippe ſi revera fuerint tam
ſomnolenti cuſtodes Omnes; hoc tamen Diſcipuli præſcire non poterant, aut prævidere, &
ne quidem ſuſpicari, adeoque, quantum ad tale facinus aggrediendum, tantundem foret acſi
Vigiles eſſent omnes.

Et quidem ſi auſi fuiſſent id aggredi; tam *magni ſaxi avolutio* (cui forte & militum aliquot Mat. 27.
inſidebant;) & *Corporis ablatio* (cum aliis quæ incidebant circumſtantiis,) haud potuerunt 60, 66. Mar. 16. 4.
tam *tacite* peragi (ſine omni *ſtrepitu*) quin cuſtodum Aliqui evigilarent.

Neque forent (hac occaſione) Diſcipuli tam ſoliciti, Corpus tegumentis *exuendi, lintea-* Luc. 24. 12.
mina convolvendi, atque *ordine diſponendi*, antequam diſcederent; cum fuerint ſingulis mo- Joh. 20. 6, 7.
mentis timidi ne cuſtodes evigilarent.

Quidquod, ſi cuſtodes revera fuerint tam altum ſopiti, ut nihil horum excitaverit eorum quempiam; quomodo ſcire poſſent, quis eum abſtulit? Poſſet quidem (quantum ad eos) à mortuis ſuſcitatus *reſurrexiſſe*, quod prætenderetur.

Quod erat multo magis veriſimile, quam ut ſic fuerit furtim ſublatus. Quæ res erat
tam ab omni probabilitate procul, ut Milites ipſi, niſi *magno præmio* inducti, & *ſecuri-* Mat. 28.
tate facta de ſua indemnitate, non auſi eſſent tale Mendacium comminiſci, tam ab omni 12. 14.
credibilitate alienum.

Et quidem, dato quod ipſi ſic putaverint, dixerintve; Nihil ultra foret hinc inferendum, quam, Quod ablatum ſit Corpus quomodo ipſi neſciverint; &, fieri forte poſſit, ut, ipſis dormientibus, fuerit à Diſcipulis clam ſublatum. Quod nullius momenti foret, contra tot Teſtium disertum Teſtimonium, qui *Vivum Conſpexerunt* poſt Reſurrectionem.

Atque in hac (qualis qualis fuerit) Allegatione, videntur Milites, *paſſive* potius, ſe ha-
buiſſe, quam *active*; puta, paſſi ſunt (ipſis non reclamantibus) hæc *à Sacerdotibus dici*. Verſ. 12, 15.

Nec tamen ita fuerunt plane taciti, quin ut eruperit veritas, non hac obſtante Subornatione.

Nam per illos item innotuit, quod *magnus fuerit Terræ-motus*, atque *Angeli apparitio*, Verſ. 2.
qui *ſaxum avolvit*; quodque ita *territi fuerint cuſtodes, ut facti fuerint quaſi mortui*, cum Verſ. 4.
aliis quæ accedebant circumſtantiis; Atque, inter alia, quod *hæc ipſi retulerint Sacerdoti-* Verſ. 11.
bus; quodque *pretio conducti fuerint à ſacerdotibus ut ea dicerent* (non quæ ſcirent, ſed) Verſ. 12.
quæ erant è ſacerdotibus edocti; aut ſaltem *dici paterentur*.

Certum igitur eſt (quatenus Hiſtorica narratio poteſt eſſe certa) quod (hac non obſtante ſubornatione,) *Chriſtus à mortuis reſurrexit*. Quod eſt *membrum Prius* eorum quæ exhibet verſus hic quem præ oculis habemus; nempe, quatenus ſpectat *ipſius Chriſti* Reſurrectionem.

Sequitur *Secundum*, quod ſpectat *Effectum* illius Reſurrectionis, in *Reſurrectione noſtrum. Factus eſt Primitiæ eorum qui obdormierunt.*

Levit. 23. 9. Vox *Primitiæ* eſt Metaphorica: Reſpiciens *Oblationem Primitiarum* in Lege Levitica;
10. 11. 12, Tanquam Recognitionem, quod tota Meſſis fuerit Dei, quodque eam ex ipſius Benignitate
13, 14. acceperint illi. Atque ex hac Primitiarum oblatione, reliquum Meſſis erat in eorum uſum
Rom. 11. 16. Sanctificatum, ſeu conſecratum. (Juxta illud Rom. 11. *Si Primitiæ Sanctæ, Sancta item*
Lev. 23; 14. *eſt Maſſa.*) Atque hinc eſt, quod non ipſis licuerit Meſſis quicquam (*panem, ariſtas toſtas, aut ſpicas virentes,*) ante comedere, quam Primitiarum illam feciſſent oblationem.

Similique alluſione dicitur Chriſtus, *principium & primogenitus ex mortuis*, Col. 1. 18. iterumque *primogenitus ex mortuis*, Apoc. 1. 5. Nam ut *Primitiæ*, vice totius *Meſſis*; ſic *Primogenitus*, vice *Fratrum* omnium; erat Deo conſecrandus; quo Jus ejus ad omnes innueretur.

Quando autem dicitur, *primitiæ obdormientium*; non ita intelligendum eſt quaſi diceretur ſimpliciter ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων, *primitiæ obdormientium*, ut fuerit ille, *primus qui*
Col. 1. 18. *obdormiverit*: Sed, ἐκ νεκρῶν ἀπαρχὴ, (*primitiæ ex mortuis* eorum qui obdormierunt:) prout
Apoc. 1. 5. alibi dicitur πρωτότοκος ἐκ νεκρῶν, *primogenitus ex mortuis.*

Quippe voces illas in Textu, ἐκ νεκρῶν, intelligo ut utrinque reſpicientes; ἐγήγερται, ἐκ νε-
Act. 26. 23. κρῶν, ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων, *A mortuis ſuſcitatus eſt, primitiæ* (a mortuis) *eorum qui obdormierunt*; Hoc eſt, Primus, qui Reſurgebat, eorum qui obdormierunt; ſeu (ut Act. 26.) πρῶτος ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν, *primus ex Reſurrectione mortuorum*, ſeu princeps eorum qui ſint reſurrecturi ex mortuis.

Nec tamen, *abſolute*, primus omnium qui fuerint ex morte revocati. Legimus enim unum
a 1 Reg. 17. 21. ab [a] *Elia* fuiſſe ſuſcitatum; alium, ab [b] *Eliſha*. Ipſeque Chriſtus excitaverit [c] *Lazarum*;
[d] alioſque aliquot.
b 2 Reg. 4. 35. & 13. 21. Sed illi omnes ita *ſuſcitati* ſunt, ut forent *iterum morituri*. (eorum [e] *corruptibile* non
c Joh. 11. 44. *induerat incorruptibilitatem*; nec eorum *mortale*, *immortalitatem*.) Ipſe *primus* erat qui Reſurrexit ad *vitam immortalem.*
d Mat. 9. 25. Luk. 7. 15.

Si dicatur, *Enochum* ita fuiſſe [f] *tranſlatum, ut non viderit mortem*: Et, [g] *Eliæ corpus*
e 1 Cor. 15. 53, 54. *aſſumptum curru igneo in cœlum*: Adeoque, jam ante Chriſti Reſurrectionem, id obtinue-
f Gen. 5. 24. runt illi quod tantundem eſt atque *Corporis Reſurrectio*, (juxta illud quod hic mox innui-
Heb. 11. 5. tur, [h] *Non omnes obdormiemus, ſed omnes mutabimur*; item *canet tuba & mortui excita-*
g 2 Reg. 2. 11. *buntur incorrupti, & nos mutabimur*:)
h 1 Cor. 15. Nolim hic diſputare, quatenus putandi ſunt illi ſtatum *corporis glorioſi* obtinuiſſe. Sed,
51, 52. quicquid id ſit, quamvis hoc *Tempore* prius ſit, quam Reſurrectio Chriſti; erat ſaltem *Cauſa* poſterius; ejuſque Conſequens & Effectus.

Quamvis enim, in Cauſalitate *Phyſica*, non poſſit Effectus eſſe tempore prior quam Cauſa ſua: poteſt tamen, in Cauſalitate *Morali*: Utpote, quum Diſſolvitur Debitum, Captivus liberatur, Hæreditatis jus acquiritur, & actu obtinetur; intuitu Pretii à Sponſore poſtmodum ſolvendi.

Apoc. 13. 8 Atque hoc ſenſu dici poteſt Chriſtus, *Agnus mactatus, jam inde à jactis mundi fundamentis*, Apoc. 13. Saltem, niſi illud *à jactis mundi fundamentis*, non tam referendum ſit ad *mactatum Agnum*, quam ad illud quod præceſſit, *Scripta in libro vitæ. Quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ* (*Agni mactati*) *jam inde à jactis mundi fundamentis.* Hoc eſt,
Apoc. 17. 8. *Quorum nomina non ſunt ſcripta, jam inde à jactis mundi fundamentis, in Agni mactati libro vitæ.* Prout id repetito habemus, Apoc. 17. *Quorum nomina non ſunt ſcripta in libro vitæ, à jacto mundi fundamento*; omiſſa mentione *mactati Agni.*

Sed, quæcunque ſit verborum illorum conſtructio, certum eſt, efficaciam mortis & reſurrectionis Chriſti, tam retroſpexiſſe ad mundi primordia, quam prorſum ad mundi finem.

Heb. 11. 5. Atque diſerte docemur Heb. 11. *Per fidem* id accidiſſe, quod *tranſlatus fuerit Enochus*
Verſ. 1 *ne mortem ſentiret.* Nempe, per eam ipſam Fidem, quam ante definiverat *Hypoſtaſin re-*
Verſ. 2. *rum ſperatarum, & evidentiam eorum quæ non cernuntur*; & Per quam *majores obtinuerant*
Heb. 10. 38. *atteſtationem.* Per eandem ipſam Fidem, de qua modo dixerat, *Juſtus ex fide vivet*; & per
Verſ. 39. quam *Nos credimus ad animarum ſalutem.*

Erat itaque per Fidem in *Chriſtum*, qui *Mortuus eſt & Reſurrexit*, quod *tranſlatus fuerit Enoch ne mortem ſentiret*; pariter ac Nos *à morte ſuſcitabimur ad vitam æternam*: Adeoque *Chriſtus*, ſaltem virtualiter & efficaciter, utrobique *Primitiæ.*

Hæc autem *Primitiarum* notio, hæc duo innuit; *Poſſeſſionem* tantidem, & *Jus* ad reli-
Rom 11. 16. quum. *Si Primitiæ ſanctæ ſint, ſancta eſt & Maſſa.* Si jus habet Deus ad Primitias, habet & ad Integrum.

Eſtque ejuſdem naturæ cum *Arrhabone*; quæ eſt *pars penſionis*, & *obligatio ad reliquum.*

Quodque

Quodque alibi vocat Apoſtolus *Primitias Spiritus*; (*Nos ipſi qui Primitias Spiritus ha-* Rom. 8. 23.
bemus, ſuſpiramus, Adoptionem expectantes, nempe Redemptionem Corporis noſtri;) id
ipſum alibi vocat ille *Arrhabonem Spiritus*; (*Qui obſignavit nos, indiditque Arrhabonem* 2 Cor. 1. 22.
Spiritus cordibus noſtris; Iterumque, *Deus eſt, qui nos ad hoc ipſum condidit, qui etiam de-* 2 Cor. 5. 5.
dit nobis Arrhabonem Spiritus; Iterumque, *Poſteaquam credidiſtis, obſignati eſtis Spiritu* Eph. 1. 13,
illo Promiſſionis ſancto, qui eſt Arrhabo hæreditatis noſtræ, uſque ad plenariam Redemptio- 14.
nem.) *Primitiæ* Spiritus quas tum acceperant, non modo *Pars* erat hæreditatis perquiſitæ,
ſed & *Arrhabo* confirmans pactum de reliqua poſt obtinenda.

Atque ita ſe habet Reſurrectio Chriſti, ad noſtram Reſurrectionem. Non quidem ut res,
quæ, jam abſoluta, ibidem conſiſteret; ſed, ut quæ ſequelam poſt ſe traheret. *Spem hanc* Heb. 6. 19,
habemus (inqoit Apoſtolus) *velut animæ anchoram tutam & firmam, ingredientem ad id quod* 20.
eſt intra velum; quo Præcurſor, Jeſus, eſt, pro nobis, ingreſſus. Pro nobis, inquit, quaſi vice
noſtra poſſeſſionem nactus. Et Chriſtus ipſe, *Proficiſcor*, inquit, *paraturus Vobis locum* Joh. 14. 2, 3.
(*in domo Patris mei*) *ut, ubi ero Ego, & Vos ſitis.*

Eaque altera Phraſiologia, *Primogenitus ex mortuis*, innuit plures ſecuturos; *Ut ſit* Col. 1. 18.
ipſe Primogenitus inter multos Fratres. Apoc. 1. 5. Rom. 8. 29.
Cumque *Epænetum* appellat Paulus *Primitias Achaiæ in Chriſto*; innuit ampliorem Rom. 16. 5.
Meſſem. Pariterque alibi de *Stephana.* 1 Cor. 16. 15.

Vox *Primus*, cum ſit Numerus Ordinalis, dici intelligenda eſt cum reſpectu ad Plures,
ordine ſecuturos.

Quo reſpectu Chriſtus eſt *Singularis*, non appellatur πρωτότοκος *Primogenitus*, (ut hic Col. 1. 18
Primogenitus ex mortuis;) ſed μονογενὴς, *Unigenitus, ex Patre.* Apoc. 1. 5.

Quodque, hoc in loco, vocetur *Primitiæ ex mortuis*, reſpectu habito ad ampliorem meſ- Heb. 1. 6. 9. 14.
ſem, manifeſtum eſt ex verbis proxime ſequentibus, ubi id fuſius enarratur. *Quippe ut per* 1 Cor. 15. 20.
hominem venit mors, per hominem etiam venit Reſurrectio mortuorum: Sicut enim in Ada- Verſ. 21.
mo omnes moriuntur: ita etiam in Chriſto omnes vivificantur: Unuſquiſque autem ſuo or- Verſ. 22. Verſ. 23
dine, Primitiæ Chriſtus, poſtea qui ſunt Chriſti, in adventu ipſius.

Quemadmodum enim ea in Adamum ſententia, *Quo die comederis ex fructu iſtius arbo-* Gen. 2. 17.
ris, certe morieris, intelligenda erat cum reſpectu habito ad eos omnes qui *Ipſius* fuerint
(per ordinariam Generationem:) Sic illud de Chriſto, *Filius meus es, ego hodie te genui,* Pſal. 2. 7.
(quod de Reſurrectione exponitur Act. 13.) pariter afficit eos qui *Chriſti* ſunt, (per Rege- Act. 13. 33.
nerationem ſpiritualem.)

Et propterea Heb. 1. ubi id ipſum ei iterum aſcribitur (*Tu es filius meus, ego hodie te* Heb. 1. 5.
genui,) dicitur ille, non μονογενὴς *unigenitus*, ſed πρωτότοκος *primo genitus*; (*Quum induxit primo-* Verſ. 6.
genitum in mundum:) propter reſpectum hic habitum ad *Fratres* ſuos. Qui ob hanc ratio-
nem ſic appellantur: prout ibi poſt ſequitur, *Quam ob cauſam, non erubeſcit eos vocare Fratres.* Heb. 2. 11.

Atque hoc eo fuſius proſecutus ſum, quoniam hoc eſt Apoſtoli inſigne argumentum (ad
probandam Reſurrectionem noſtram ex Reſurrectione Chriſti,) quod Reſurrexerit ille, non
ut *ſingularis perſona*; ſed, ut *Primitiæ* eorum qui obdormierunt: Quodque, conſequen-
ter ad hoc, *illi qui Chriſti ſunt*, pariter expectent Glorioſam ſui Reſurrectionem; Quippe *ut* 1 Cor. 15.
geſtavimus imaginem Terreni, (mortem naturalem obeundo inſtar Adami,) geſtabimus 49.
etiam *imaginem Cæleſtis*; (glorioſa Reſurrectione inſtar Chriſti;) *Scientes fore ut qui ſu-* 2 Cor. 4. 14.
ſcitavit Dominum Jeſum, nos quoque per Jeſum ſuſcitabit. Quippe *Deus qui Dominum* 1 Cor. 6. 14.
ſuſcitavit, nos etiam ſuſcitabit potentia ſua.

Unum adhuc reſtat, idque non exigui momenti, ad hujus loci explicationem. Nempe,
quod Apoſtoli argumentatio tota (tum hoc in verſu, tum toto hoc capite,) extendit ſe
nonniſi ad probandam Reſurrectionem *Juſtorum*; non item *Impiorum*. Sic utique dicitur,
Unuſquiſque ſuo ordine, Primitiæ Chriſtus, poſtea qui ſunt Chriſti; de eis qui *non ſunt Chri-* 1 Cor. 15. 23.
ſti, nihil dicit. Item, *ſicut geſtavimus imaginem Terreni, geſtabimus etiam imaginem Cæ-* Verſ. 49.
leſtis: quod non niſi de Juſtis intelligendum erit, non item de Improbis. Item, *Seritur* Verſ. 43.
corpus vile, ſuſcitatur decorum; quod non intelligendum erit de corporibus Impiorum.

Atque huc conſentire videntur Interpretes (& ſpeciatim *Grotius* & *Hammondus*,) quod
hæc tota diſſertatio intelligenda ſit, non de Reſurrectione Impiorum, ſed de Glorioſa tan-
tum Reſurrectione Juſtorum. Et, ubi dictum eſt, *ſicut in Adamo Omnes moriuntur, ita* Verſ. 22.
etiam in Chriſto Omnes vivificantur; illud *Omnes* non eadem latitudine intelligendum ſit
in duabus hiſce clauſulis: Sed, quod in clauſula priori, extendendum eſt ad *Omnes qui ſunt
Adami*, omnes qui Adami naturam participant, hoc eſt *Omne Genus Humanum*: in poſte-
riori, ad *Omnes qui ſunt Chriſti*, omnes qui participes ſunt naturæ Chriſti, hoc eſt *Fideles
omnes.* (Quippe hi ſoli dicendi ſunt per Chriſtum *Vivificati.* Impiorum utique conditio
dicenda potius eſt æterna *Mors.* Prout ipſe Chriſtus diſtinguit, Joh. 5. *Prodibunt qui bona* Joh. 5. 29.
*fecerint, in Reſurrectionem vitæ: qui vero mala egerint, in Reſurrectionem Condemnatio-
nis.*) Quodque qui hic inſtituitur paralleliſmus, ſic intelligendus ſit; Sicut qui ſunt in
Adamo Omnes, in ipſo Moriuntur; ita qui ſunt in Chriſto omnes, per Chriſtum Vivifi-
cantur, (Juſtificantur, Sanctificantur, & Salvantur.)

Locumque

Rom. 5. 8. Locumque hunc parallelum perhibet Grotius, cum illo Rom. 5. *Ut per unam offenſionem*
(nempe Adami) *venit in omnes homines Condemnatio*; *ita per unam Juſtificationem* (nempe
Chriſti) *venit in omnes homines Juſtificatio ad vitam.* Ubi per *omnes homines* in priori clauſula, intelligit Grotius *omne genus humanum*; per *omnes homines* in poſteriori, *omnes fideles.*

Ut hic ſit ſenſus adæquatus utriuſque loci; *Ut omnes qui ſunt in Adamo*, hoc eſt, qui Adamo oriuntur, *per Adamum moriuntur*; ſic *omnes qui ſunt in Chriſto*, ipſius facti participes, *per Chriſtum juſtificantur*, & *per Chriſtum ſuſcitantur* ad vitam glorioſam.

Quid igitur dicendum erit? Num, quod Impii non ſint Reſurrecturi? Aut, quod Paulus hoc neſciverit?

Neutrum horum.

Joh. 5. 28, Quod Impii ſint per Chriſtum ſuſcitandi, docet ipſe Chriſtus, Joh. 5. *Omnes qui in mo-*
29. *numentis ſunt, audient vocem ejus, & prodibunt*; *qui bona fecerint in reſurrectionem Vi-*
tæ; *qui vero mala egerint, in reſurrectionem Condemnationis.*

Quod hoc Paulus probe noverit, teſtatur ipſe, in ſua ad Felicem peroratione, Act. 24.
Act. 24. 14. (non ut ſuam ſolius fidem, ſed & majorum ſuorum.) *Sic*, inquit, *ſervio Deo Patrum meo-*
Verſ. 15. *rum, credens omnibus quæ in Lege & in Prophetis ſcripta ſunt*; *ſpem habens in Deo* (*quod*
etiam ipſi expectant) *Reſurrectionem fore mortuorum*; *tum Juſtorum, tum Injuſtorum.*
Quo nihil dici poſſet diſertius hac in re.

Quamvis enim Impii, propter eorum Impœnitentiam & Infidelitatem, non fruantur *Beneficiis* Reſurrectionis Chriſti, in *Reſurrectione ad Vitam*: Subjecti tamen ſunt *Dominio* Chriſti (prout eſt ipſe, mundi Judex,) & per Potentiam ejus excitabuntur ad *Reſurrectionem Condemnationis.* Quod quamvis non ſit hujuſce loci negotium quem præ oculis habemus; aliunde tamen abunde confirmatur.

At quorſum ergo, dicetis, nihil de hoc habet Paulus hoc in loco, ubi tam copioſe differit de Reſurrectione mortuorum?

Reſpondeo. Conſideremus oportet Paulum, ut preſſe Diſputantem: qui pro more ſuo (tum hic tum alibi) adhæret ſtricte rei de qua agitur; tum quantum ad Concluſionem quam ſuſcipit probandam; tum quantum ad Topica, ſeu Argumentorum ſedes unde ſua deſumit Argumenta.

Quæſtio autem de qua cum his Corinthiis jam diſceptabatur, non erat, Quid de illis fieret qui extra Chriſtum ſunt, nulla per illum beneficia expectaturi; (adeoque de his nihil dicit:) Sed, quænam illa ſint beneficia, quæ, qui ſunt in Chriſto, ſint ab illo percepturi. Inter quæ, illud de *Æterna vita* conſequenda eſt præcipuum; &, de quo ipſi dubitabant. Huic igitur quæſtioni adaptat Argumenta ſua, (non illi alteri;) ea ſeligens quæ, apud eos, cenſerentur maxime valitura. (Omiſſis aliis, ſed non rejectis.)

Pariter ac nos, in Symbolo noſtro. Ubi *Credere* profitemur *Reſurrectionem Corporis &*
Vitam Æternam; nullam facientes mentionem de *Æterna Morte*, aut *Impiorum condi-*
Mat. 25. 46. *tione* poſt hanc vitam. Verum hanc item Credimus; ſecundum illud Chriſti Mat. 25. *Ibunt hi in Æternum Supplicium, ſed Juſti in Vitam Æternam.*

Idem inſinuari videtur (de *Juſtorum* Reſurrectione hæc intelligenda eſſe) in voce κεκοι-
1 Theſ. 4. 16. μημένων, *eorum qui obdormierunt*; hoc eſt, *qui mortui ſunt in Chriſto.*
a Joh. 11. 11. Solet enim S. Scriptura Juſtorum mortem non raro, deſignare molliore voce *Somni.* [a] *La-*
b 1 Reg. 2. 10. *zarus dormit, ſed proficiſcor ut à Somno excitem eum.* [b] *Occubuit David cum patribus ſuis.*
[c] *Obdormivit David & appoſitus eſt patribus ſuis.* [d] *Stephanus obdormivit.* [e] Et (ver. 6. hu-
c Act. 13. 36. jus capitis) *Viſus eſt amplius quingentis fratribus, ex quibus plerique manent uſque adhuc*;
d Act. 7. 60. *quidam autem obdormiverunt.* (Contra vero Impii dicuntur *perire, abſcindi, deſcendere in*
e 1 Cor. 15. 6. *puteum*, cum aliis locutionibus durioribus.)
1 Theſ. 4. 13. Atque in loco huic parallelo, 1 Theſ. 4. exponitur, *Qui mortui ſunt in Chriſto. Nolim*
vos ignorare, fratres, de eis qui obdormierunt, ut ne doleatis ſicut cæteri qui ſpem non ha-
Verſ. 14. *bent. Nam, ſi credimus Jeſum mortuum eſſe & reſurrexiſſe*; *etiam Deus ipſos qui obdor-*
Verſ. 15. *mierint in Jeſu, adducet cum eo. Nam nos vivi qui reliqui erimus in adventu Domini, non præ-*
Verſ. 16. *veniemus eos qui obdormierint. Nam mortui in Chriſto reſurgent primum*; *Deinde nos, qui*
Verſ. 17. *reliqui erimus, rapiemur ſimul cum eis, & ita ſemper cum Domino erimus.* Et quidem
1 Cor. 15. 18. hoc ipſo Capite, ver. 18. diſerte dicitur, *qui obdormierunt in Chriſto.*
Hinc eſt quod locus *Chriſtianæ ſepulturæ*, dici ſoleat *Cœmiterium*, κοιμητήριον, hoc eſt,
Dan. 12. 2. Dormitorium, ſeu locus Obdormiendi. Unde, in Reſurrectione (prout dicitur Dan. 12.) *qui dormiunt in pulvere, expergiſcentur.*

Sed & ipſa vox ἐγήγερται (in clauſula priore) apte reſpondet voci κεκοιμημένων (in poſteriore.) Nam ἐγείρειν (prima ſignificatione) eſt *Expergefacere* ſeu *è ſomno excitare*; & ἐγείρεσθαι eſt *expergefieri*, ſeu *excitari ex ſomno.* Sic Χριστὸς ἐγήγερται ἐκ νεκρῶν, ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων, eſt,

x *Chriſtus*

Chriſtus expergefactus (ſeu *excitatus*) *è mortuis* (quaſi ex Somno) *factus eſt Primitiæ*
(ex mortuis) *eorum qui obdormierunt*; hoc eſt, eorum *mortuorum*, qui *mortui ſunt in Do-*
mino. Quippe, de Talium Reſurrectione, hic agit Apoſtolus. Atque ſic alibi, *Beati ſunt* Apoc. 14. 13.
mortui, qui moriuntur in Domino.

Jam vero, quantum ad eos quibuſcum diſputat; ea ſeligit Argumenta Paulus, quæ ſint
ipſis (quibuſcum diſputatur) accommodata, (tam in hac clauſula, quam præcedente.) Con-
ſiderandi ſunt utique hi Corinthii, ut *Gentiles* Chriſtiani. Qui Philoſophiam *Ethnicam*
ante didicerant, ad Religionem *Chriſtianam* nunc converſi, ejuſque maximam partem ſunt
amplexi: Sed de Reſurrectione mortuorum dubitabant; ut quæ erat ab eorum Philoſophia
tam aliena.

Atque hinc eſt, quod Argumentis utitur Apoſtolus, à Religione Chriſtiana petitis.

Si Reſurrectio mortuorum non eſt, Chriſtus quoque non eſt ſuſcitatus. (Quæ eſt Materia 1 Cor. 15.
Facti tam notoria, atque tam ample atteſtata, ut de ea vos, Chriſtiani, dubitare non po- 13. 15.
teſtis.)

Quod ſi Chriſtus non eſt ſuſcitatus; *inanis eſt noſtra prædicatio, inanis veſtra fides*: Quin Verſ. 14, 17.
&, *qui obdormierunt in Chriſto, perierunt*: Atque *nos item reperimur falſi teſtes de Deo,* Verſ. 18.
qui de Deo teſtificati ſumus, quod ipſe Chriſtum ſuſcitavit. (Quæ quidem conſequentia, Verſ. 15.
omnino indigna ſunt, quæ à quopiam admiſſa ſint, qui ſe Chriſtianum eſſe profiteatur.)

Et quidem, *Si in hac ſolum vita ſperamus in Chriſto, ſumus omnium hominum miſerrimi.* Verſ. 19.
(Nos Apoſtoli, & vos Chriſtiani; qui, ob hanc cauſam, ſumus mille malis expoliti in hac
vita; adeoque omnium hominum ſtultiſſimi, ſi nulla foret in alia vita compenſatio.)

Quæ Argumenta omnia, quamvis apud hominem non-Chriſtianum viderentur plane In-
dicta, ſunt tamen apud Chriſtianum juſti ponderis.

Et quidem, ſumma cum ratione, ad hanc formam arguit Apoſtolus: Non modo, quia
periti Diſputantis opus eſt, anſam captare, à veris Conceſſis eorum quibuſcum diſputat;
ut juſtis fundamentis validi Argumenti: Sed maxime, quia hæc ſunt Topica maxime ge-
nuina, in rebus hujuſmodi diſputandis.

Cum enim Religionis Dogmata ſint duûm generum; Alia, quæ Naturali Lumine inno-
teſcant; Alia, quæ ex ſola Revelatione: Hæc poſteriora non poſſunt firmiter concludi, niſi
ex admiſſa Revelatione; per quam ſolam poſſunt innoteſcere.

Quod Deus ſit, qui Mundum fecit; Quod Deus hic Colendus ſit, eique ſummo jure ob-
audiendum; Idque tali modo quo velit ipſe præſtandum: Sunt Veritates quæ Naturæ lu-
mine poſſunt argui.

Quod Humanæ Animæ ſint Immortales, & caduco corpori ſuperſtites; poteſt pariter
argui, magna ſaltem cum Probabilitate, ſi non tanta Evidentia quæ Scepticum obſtinatum
convincat: Qui eapropter non videt (non ob defectum Luminis, ſed) quia Claudit Oculos.

Sed, De Sacra Trinitate doctrina; De Salute conſequenda per Fidem in Chriſtum; De
Reſurrectione Corporis: Sunt res puræ Fidei; earumque Certitudo non aliunde conſtare
poteſt quam ex Teſtimonio Divino.

Quod Deus *Poſſit* ſuſcitare mortuos, nihilque ſit hac in re cum recta Ratione Incon-
ſiſtens: argui poteſt item Naturali Lumine.

Sed, quod id *Velit* facere; &, quem ad modum: non poſſumus aliunde cognoſcere, quam
prout Ipſe nobis Indicavit. (Nempe, vel per ſeipſum Immediate; vel Mediantibus illis
quos ſumma cum ratione putemus ab Ipſo miſſos.)

Sic Chriſtus ipſe, rem hanc cum Sadducæis arguendo, *Erratis*, inquit, *neque Scripturas* Mat. 22. 29.
ſcientes, neque Potentiam Dei. Si *Potentiam Dei* ſatis intellexerint, de *Poſſibilitate* non du-
bitaſſent, quin ſic eſſe poſſit; atque, ſi rite intellexerint *Scripturas*, potuiſſent inde didiciſſe
quod id *certo foret.*

Paulus item, apud Agrippam Regem diſſerendo, Act. 26. Quantum ad ipſum Agrippam, Act. 26. 8:
(qui Judæus non erat,) de Poſſibilitate arguit, *Ecquid Incredibile vobis videatur, quod Deus*
mortuos excitet? Sed quantum ad Judæos (qui Scripturas, quæ tunc extabant, agnoverunt,)
urget, *Promiſſionem Patribus ſuis à Deo factam*; *Ad quam Promiſſionem, eorum Tribus* Verſ. 6, 7.
duodecim, nocte dieque perpetuo ſervientes Deo, ſperant pervenire. Apud eum, qui Scriptu-
ras Veteris Teſtamenti non admittebat, contentus eſt arguere, Rem eſſe non Impoſſibilem;
non Incredibilem: Sed apud Judæos, qui Scripturas agnoſcebant, arguit rei certitudinem,
quodque ipſi teneantur Credere.

Atque, in hoc ad Corinthios Capite, rem fortius urget; propter ulteriora à Chriſtianis
Conceſſa, quam à Judæis.

De *Poſſibilitate* arguit (ab Eſſe ad Poſſe) *Reſurrexit Chriſtus*; non eſt ergo res Impoſ- 1 Cor. 15. 4.
ſibilis. 16.

Rem Facti, (Reſurrexiſſe Chriſtum,) arguit ab ipſa rei Notoreitate; & Teſtimonio tot
Oculatorum Teſtium, quibus non poſſent ipſi non habere fidem (Argumentum maxime ge- Verſ. 5, 6, 7,
nuinum in re Facti.) Quodque de Chriſto actu contigerat, non erat Impoſſibile ut in aliis fiat. 8.

De *Futuritione* (quod illud revera fiet) arguit à Divina Revelatione; Non tantum ut
Verſ. 3. 4. in *Scripturis* tradita, à Moſe & Prophetis; Sed & ab ipſo *Chriſto*, ejuſque Apoſtolis ab
ipſo miſſis.

Eſt, inquit, *Evangelium* illud quod *ego vobis Evangelizavi*, quod *vos accepiſtis*, in quo
Verſ. 1, 2. adhuc *ſtatis*, & per quod (*ſi perſeveretis*) *ſalvandi eſtis*.

Neque eſt hoc mei cerebri figmentum : ſed *quod vobis tradidi, ego prius accepi*. Hoc eſt
Verſ. 3. 1 Cor. 11. 23. (ut Cap. 11.) *Accepi à Domino, quod vobis tradidi*. Quodque ego docui, docuerunt *reli-
qui Apoſtolorum*, ſecundum ea quæ à Chriſto acceperant mandata. *Tum ego*, inquit, *tum*
1 Cor. 15. 9. Verſ. 11. *illi, ita prædicamus, & ita vos credidiſtis*.

Quodſi, ad reliquum doctrinæ Chriſtianæ, noſtrum admiſiſtis Teſtimonium; non eſt cur
Verſ. 15. ſuſpicemini nos hac in re prævaricatos eſſe, ut *falſos Dei teſtes*.

Sic arguens, apud Chriſtianos, ex doctrina *Chriſti*; ut alibi, apud Judæos, ex *Moſe &
Prophetis*.

Atque hactenus de Textus Explicatione, & Doctrinis inibi traditis.

Sequitur ; ut, Corollariorum inſtar, hinc obſervemus hæc Tria.

1. Primum; quod hæc Apoſtoli methodus arguendi, nobis exemplo eſſe poſſit. Quando cœtui Chriſtiano (qualis hic eſt) Prædicamus; haud bene conſultum eſt, principia Chriſtianiſmi declinare, atque ad ea ſolum divertere quæ ex Ratione noſtra, & Naturali lumine petuntur : quaſi ad Ethnicos, non ad Chriſtianos, nunc habeamus conciones.

Religionis noſtræ pars magna ex Divina Revelatione dependet : Et, quamvis rectæ Rationi non ſit contraria, eſt tamen ſupra rationem; quæ ſola Ratione detegi non poſſet abſque S. Scripturarum auxilio, quibus continentur & conſervantur Revelationes iſtæ.

Viris Atheis, & Chriſtianiſmo infenſis, (ſaltem minus faventibus,) nimium gratificamur,
1 Theſ. 5. 21. quando (eorum cavillis indulgentes :) non, tam (quod oportuit) *quod bonum eſt firmiter
retinemus*; quam (quaſi laxius tenentes) *Principia* diſputamus; Quaſi id operis jam agatur, ut Chriſtianiſmi potius apud Ethnicos Fundamina ponamus, quam ut Ædificemus cœtum Chriſtianum.

Luc. 6. 48, 49. Omnino verum eſt, quod, in condendis ædificiis, magna eſt adhibenda cura, ut *firma jacta
ſint Fundamenta*, & bene collocata; ſecus enim totum ruet Ædificium.

Heb 6. 1. Sed tempus aliquando eſt, ut *relictis Principiis* ſeu primis elementis *doctrinæ Chriſtianæ,
ad Perfectionem feramur, non jacientes continue Fundamenta*, ſed jactis ſuperinſtruentes:
Heb. 5. 12, 13. Ne ſimus *Puerorum* inſtar, ut, *cum pro temporis ratione doctores eſſe debeamus, opus ſit*, ut
*jam doceamur quæ ſint elementa principii eloquiorum Dei ; & Lacte potius nobis opus ſit
quam ſolido cibo*.

Ecquando autem erit tempus illud, ſi, poſt *Sexdecim annorum centurias* (& quod excurrit) quibus receptus eſt Chriſtianiſmus, etiamnum permittamus ipſa Doctrinæ Chriſtianæ
Rom. 14. 1. *Fundamenta*, haberi, pro *dubiæ diſputationis* materia ?

Si, præ nimia ſcrupuloſitate, (pro ſatisfaciendis eorum Cavillis, quibus non cupiunt ipſi ut ſatisfiat,) perpetuo ſuffodimus ipſum *Fundamentum* (ſub prætextu examinandi, vel ſcrutandi;) magis Debilitamus, quam ſtabilimus, Ædificium. Inſtar illius Ædificatoris ſtulti
Luc. 14. 29. (& ludibrio habiti) qui *poſtquam poſuerit Fundamentum, non potis eſt perficere. Semper*
2 Tim. 3. 7. *diſcentes, ſed ad cognitionem veritatis nunquam perventuri*.

Exiſtentia, & Providentia Dei ; Sacrarum Scripturarum (ut Verbi ipſius ſcripti) Authoritas ſeu αὐθεντία ; Chriſti Divinitas, ejuſque Incarnatio ; ſatisfactio Divinæ Juſtitiæ ab ipſo facta pro peccatis hominum ; Salus noſtra per Fidem in illum obtinenda ; Sanctimoniæ neceſſitas, vitæque pie inſtituendæ ; Immortalitas animæ humanæ, & Corporis Reſurrectio ; Judicium ſupremum olim futurum ; Cœlum Piis, Infernum Impiis, deſtinatum : Sunt doctrinæ Chriſtianæ Fundamentalia, jam olim probe ſtabilita.

Pſal. 11. 3. Siqui ſatagant hæc *ſubvertere Fundamenta* ; non eſt cur nos eis eatenus indulgeamus, ut
pro Dubiis admittamus aut Incertis, quæcunque ſugillant ipſi : Sed, *Veritati firmiter adhæ-
Prov 23. 23. rendum* ; *Retinenda eſt formula ſanorum ſermonum*, ut quæ dudum firmata eſt & ſtabi-
2 Tim. 1. 13. lita : *Quod ſi quis videtur contentioſus eſſe, nos* (inquit Apoſtolus) *ejuſmodi conſuetudinem
1 Cor. 11. 16. non habemus neque Eccleſiæ Dei*.

Si nova poſtulant illi Miracula, & Revelationes novas, de eo quod ante ſufficienter fuerit Revelatum & Confirmatum : Docet nos Chriſtus (in parabola de Lazaro, & guloſo Di-
Luc. 16. 29. vite,) *Moſem habent & Prophetas ; audiant eos*. (Et nos inſuper habemus Chriſtum, ejuſ-
Verſ. 31. que Apoſtolos.) *Si eos non audiunt, ne quidem perſuaſi forent ſi quiſpiam ex Mortuis reſurgat*.

Jam vero, ſi Miracula illa & Revelationes, quæ contigerant tempore Moſis & Prophetarum, ipſis ſufficere cenſenda ſunt qui vixerint ætate Chriſti, (utut non ætate Moſis vixerint :) multo magis ea quæ porro contigerunt Chriſti & Apoſtolorum, ſufficiant eis qui Noſtra ætate vivunt. Et quidem, ſi Evidentia ſufficiens (quæ apud virum ſobrium, & doceri volentem, eſſet valitura) apud eos non prævaleat ; neque perſuaſi forent, ſi id contingeret quod jam ipſi poſtulant.

Non

Non viſum eſt Domino noſtro, Scribis & Phariſæis gratificari, quandocunque libuerit Mat. 12. 38,
ipſis, *de novo ſignum è Cœlo poſtulare*: Sed remittit eos ad *ſignum Jonæ Prophetæ*. 39
Nec eſt cur debeamus nos perpetuo, *Margaritas noſtras coram porcis projicere*. Sed, (poſt Mat. 16. 1, 4.
competentem indicationem) negligendi ſunt aut *rejiciendi*; ut qui ſint αὐτοκατάκριτοι, *ſuo ipſo-* Mat 7. 6.
rum judicio condemnati. Quorum erroris cauſa non tam in Intellectu ſita eſt, quam in Vo- Tit. 3. 10, 11.
luntate: Neque propter defectum Luminis, ſed propter Obſtinaciam ſuam.

Nempe, *quoniam ipſis non viſum eſt* (Rom. 1.) *Deum in notitia retinere*; ideo eſt quod Rom. 1. 28.
Deus eos tradiderit εἰς ἀδόκιμον νοῦν, *in mentem judicii expertem, ut facerent quæ non conve-*
nirent. Ex Voluntatis Obſtinacia, proceſſit Intellectûs obtenebratio.

Neque erat, quod *credere non potuerint*, ſed, quod *amplecti noluerint veritatem*, (2 Theſſ.
2.) *Propterea quod Amorem Veritatis non receperint ut Salvi fierent*; *ideo permittit eis* 2 Theſſ. 2.
Deus Efficaciam Deceptionis, ut credant mendacio; *ut Damnentur illi omnes qui non credide-* 10, 11, 12.
rint veritati. Quia non Amabant id quod oportuit Credere, permiſit Deus ut Crederent quod
Amarent. Quia non Placuit eis, Credere Veritati qua forent Salvi, permiſit eis ut Crede-
rent Mendaciis quibus Damnarentur.

Prædictum eſt, *Extremis temporibus futuros Irriſores, in ſuis ipſorum cupiditatibus in-* 2 Pet 3. 3.
cedentes; & propterea *ludibrio habentes pollicitationem de adventu Domini*. Homines *mente* Jud v. 18.
corrupti, & propterea *rejectanei circa fidem*. *Irriſores & inſomniatores fœdi*, qui ideo non *cre-* 2 Tim. 3. 8.
dunt veritati, quoniam *impietate acquieverunt eaque delectarentur*: Qui non tam de veritate Jud v. 8.
Dubitant, quam Cavillantur, *ad ſuam ipſorum perniciem*. 2 Theſſ. 2. 12. 2 Pet. 3. 16.

Contentioſis, inquit Apoſtolus, *& non obtemperantibus veritati, ſed obtemperantibus in-* Rom. 2. 8.
juſtitiæ, (qui animo contentioſo & refractorio contra veritatem ſufficienter patefactam ca-
villantur,) *Excandeſcentia ac ira. Quodſi tectum eſt Evangelium noſtrum, eis qui pereunt*
tectum eſt; *Quibus deus hujus ſeculi excæcavit mentes*. 2 Cor. 4. 3, 4.

Fieri quidem poteſt, ut *Ingenii* res habeatur (non *Prudentiæ*) apud homines Profliga-
tos (quibus Atheiſmus & Petulantia habentur pro Ingenio) poſſe *facete* loqui, & *ſpecioſe*,
(cum aliqua veri-ſimilitudine,) *contra* res eas quas *communis ratio* humani generis pro *Ve-*
ris habet. (Eſtque omnino facile, ei qui ſe patitur *impium* & *prophanum* eſſe, ſic eſſe
facetum.) Sed Paulus Apoſtolus, veriori charactere deſignat taliter facetos, (Rom. 1.)
φάσκοντες εἶναι σοφοὶ, ἐμωράνθησαν, *dum ſe perhibent ſapientes eſſe, facti ſunt Stulti*; dum videri Rom. 1. 22.
velint ingenioſe Faceti, exponunt revera Stultitiam ſuam. Idemque (1 Tim. 6.) rem eam
ad veras ipſius cauſas reducit, Superbiam & Ignorantiam. *Siquis* (ἑτεροδιδασκαλεῖ) *contrariam* 1 Tim. 6. 3,
docet doctrinam, & non accedit ſanis ſermonibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, eique quæ ſe- 4, 5.
cundum pietatem eſt doctrinæ; τετύφωται, *inflatus* (inſulſus) *eſt, nihil ſciens*; ἀλλὰ νοσῶν περὶ
ζητήσεις καὶ λογομαχίας, *ſed inſaniens ſeu delirans circa quæſtiunculas, & de verbis contentiones*;
ex quibus naſcitur invidia, lis, maledicentiæ, ſuſpiciones malæ, perverſæ exercitationes homi-
num mente corruptorum, & qui privati ſunt veritate, (βλασφημίαι καὶ παραδιατριβαὶ διεφθαρμένων
τὸν νοῦν καὶ ἀπεστερημένων τῆς ἀληθείας, blaſphemiæ, perverſæ diſſertationes hominum mente captorum,
& deſtitutorum veritate;) *à talibus ſecede*.

Dum id agimus ut talibus ſuadeamus (quibus jam ſtatutum eſt non fore perſuaſos;) metu- 2 Pet. 3. 5.
endum eſt ne prius ſcrupulos injiciamus aliis, qui ſunt animo minime malo; quam ut eis
ſatisfiat qui ſunt *Volentes ignari*.

Ne errate (inquit Apoſtolus) *commercia prava corrumpunt bonos mores*. 1 Cor. 15.
Φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί. 33.

Seu (ut *Hammondus* intellectum malit) *bene moratos* homines, ſeu homines *bonis moribus*. In Paraphraſi ſua
Hujuſmodi *diſſertationes malæ* (ὁμιλίαι κακαὶ) aptæ ſunt ſeducere χρηστὰ ἤθη *bene moratos* ho- Novi Teſta-
mines, & deceptu faciles. Ut ſit χρηστὰ ἤθη (quaſi ἐν δὲ ἤθει ut loquuntur) idem ac χρη- menti.
στοήθεις ſeu εὐήθεις, homines ſimplices, & non malo animo, quibus facile imponatur. Pariter
ac in illo altero (Epimenidis) verſu,

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί. Tit. 1. 12.

Ubi, γαστέρες ἀργαὶ, dictum volunt pro γαστρίμαργοι, hoc eſt *Gulones*. *Cretes ſemper mendaces* Conterns.
ſunt, malæ feræ, & ventres pigri, ſeu potius *gulæ dediti*.

Cavendum igitur eſt ne cum hujuſmodi hominibus, qui Chriſtianiſmi principia ſubver-
ſum eunt, commercia faciamus, ſeu ὁμιλίας colloquia familiaria (ut *Eva cum Serpente*.) Sed Gen. 3. 1, &c.
potius, (ut docet Apoſtolus,) ſunt *acriter increpandi, ut ſint ſani in fide*: *Os illis obturan-* Tit. 1. 13.
dum, ne totas domos ſubvertant; *Ut non amplius procedat eorum amentia*. Verſ. 11. 2 Tim. 3. 6, 9.

II. Secundum illud quod hic obſervatum velim, hoc eſt, Quod hæc de glorioſa Reſur-
rectione Promiſſio, non Nos tantum (poſt Chriſtum natos) ſpectat; Sed Patres etiam qui
ante Chriſtum vixerint.

Non putandum eſt quod ipſi de *rebus tantum Temporalibus* habuerint Promiſſiones, (quod
quidam ſuſpicantur,) ſed de Æternis etiam. Chriſtus *Primitiæ* factus eſt τῶν κεκοιμημένων, *eo-* 1 Cor. 15.
rum qui Obdormierunt, (de præterito) non minus quam eorum qui *obdormituri* erant, de 20.
futuro.

Verum quidem eſt, quod *Myſterium illud quod abſconditum erat à ſeculis & ætatibus*, Col. 1. 26,
27.

nunc

Eph. 1. 9, 10. *nunc patefactum eſt ſanctis*; *Quibus voluit Deus notum facere, quæ ſint Divitiæ glorioſi hu-*
jus myſterii; *ſpes illa gloriæ.* Nempe, nunc magis patefactum eſt hoc myſterium, & ple-
Heb. 8. 6. nius declaratum, quam ante fuerat. Eſtque Chriſtus, *melioris fœderis interceſſor* (quam
erat illud Moſis) *quod præſtantioribus promiſſis ſancitum eſt*: *Præſtantioribus* quantum ad
modum Adminiſtrationis, & patefactionis claritatem; ſed *eiſdem* quantum ad ſubſtantiam
rerum Promiſſarum.

Heb. 13. 8. *Chriſtus*, quantum ad hoc, *heri & hodie idem eſt & in æternum. Eademque Fides eſt*,
Heb. 11. 2. per quam *Majores bonum nacti ſunt teſtimonium*; eratque *Enoch tranſlatus ne mortem ſen-*
Verſ. 5. *tiret*; per quam *Nos credimus ad animæ ſalutem.* Pauluſque probat, Rom. 4. *Nos per fi-*
Heb. 10. 39. Rom 4. 1, 6. *dem juſtificatos eſſe*, eo quod *Abraham & David ſic erant Juſtificati.*

Act. 23. 8. Neque erat hoc incognitum Eccleſiæ Judaicæ. Quamvis enim *Sadducæi negaverint eſſe*
Reſurrectionem; erant tamen in hoc ſingulares: *Phariſæi id profeſſi ſunt*, cum Judæorum
Joh. 5. 39. reliquis. *Scrutamini Scripturas* (inquit Chriſtus) *nam inde vos ſperatis habere vitam æter-*
Act. 13. 17, 32. *nam.* Quod etiam Mulieribus notum erat, teſtante Martha, Joh. 11. 24. *Scio quod reſurget*
Act. 24. 14, 15. *in Reſurrectione in ipſo die poſtremo.*
Act. 25. 8. Pauluſque paſſim, *ex Moſe & Prophetis*; & à *Promiſſione Patribus facta*, arguit *Reſur-*
Act. 26. 6. *rectionem à mortuis.*
7, 22, 23. Ipſeque Chriſtus, poſt Reſurrectionem ſuam, primo *duobus Diſcipulis Emaunta profi-*
Luc. 24. 25, 26. 27. 44, *ciſcentibus*, deinde ipſis *Undecim Hieroſolymæ congregatis*, arguit ex *Moſe*, *Prophetis*, &
46, 47. *Pſalmis, totaque Scriptura*; *Oportuiſſe Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertio die*;
ejuſque nomine prædicatum iri pœnitentiam & remiſſionem peccatorum apud omnes gentes.
Mat. 24. Atque, jam ante, Sadducæis probaverat doctrinam de Reſurrectione, ex eo quod Moſi
29, 32. dixerat Deus, *Ego ſum Deus Abrahami, & Deus Iſaaci, & Deus Jacobi*; quodque *ideo*
Mar. 12. 24, 26. *erraverint, quod non ſciverint Scripturas nec potentiam Dei.* Quæ non dixiſſet, ſi, de Re-
ſurrectione doctrina, non fuiſſet tradita in *Scripturis quæ tunc erant*; hoc eſt, *Scripturis*
Veteris Teſtamenti.

Adeoque Sociniani, (& ſiqui alii de hoc dubitant,) etiamſi non admiſerint Chriſtum
eſſe vere *Deum*; ſi ſaltem admiſerint eum eſſe *virum Bonum*, atque *Prudentem*, (qui *vim*
Argumentationis intellexit, & qui nollet ipſis, *data opera*, *imponere*,) neceſſe eſt ut fatean-
tur doctrinam de Reſurrectione, in Scripturis Veteris Teſtamenti fuiſſe traditam; (quippe
certum eſt Chriſtum ſic arguiſſe;) adeoque Promiſſiones Patribus factas, non de rebus tan-
tum Temporalibus fuiſſe factas, ſed de Vita Æterna.
Gen. 2. 17. Poſſent pari jure prætendere, Minas illas Adamo factas, *Quo die comederis ex eo, mori-*
endo morieris, de Morte tantum Temporali diei; (atque tum certe Deus non graviores pœ-
nas infligeret quam fuerat minatus:) cum tamen S. Judas nos doceat, quod ipſi qui jam
Jud. v. 7. ante Chriſtum vixerunt (non minus quam qui poſtea) *ignis æterni pœnam ſuſtinent.*

III. Tertium illud & poſtremum quod hic obſervandum innuebam, hoc eſt, quod Præ-
mia & Pœnæ, futuræ Vitæ, nos ſpectant, non tantum ut in *Perſonali* (ut loquuntur) *ca-*
pacitate; ſed ut in ſtatu *Politico*, & *Relativo*; prout incorporati ſumus in Regnis, Civitati-
bus, Familiis, aliiſque Societatibus.
2 Cor. 5. 10. *Nos omnes enim comparere oportet coram tribunali Chriſti, ut percipiat unuſquiſque ſe-*
cundum quod fecerit in Corpore, ſive id bonum ſit, ſive malum. Quodcunque, inquam, fa-
ctum eſt *in Corpore*, in quacunque Capacitate.

Objici forte poſſe non ignoro (& quidem objectum eſſe,) Regna, Civitates, & Corpora
Politica, non eſſe in ea capacitate reſurrectura; adeoque non poſſe in ea capacitate vel pu-
niri, vel remunerari. Et propterea (quod hinc inferre ſatagunt,) cum Deus non minus
teneri cenſeatur, peccata Societatum punire, quam ſingularum Perſonarum; teneri videa-
tur, in hoc Mundo, punire peccata Societatum (earumque bene facta remunerare;) Cum
id in futuro ſeculo fieri non poſſit.

Verum hoc Argumentum mihi videtur plus *ingenii Faceti* atque *Rhetoricæ* ſapere, quam vel
Logicæ vel ſolidæ *Theologiæ*; potiuſque Poemati Panegyrico convenire, quam Concioni
Theologicæ.

Nam, eadem ratione, non minus diceretur, Peccata Patris & Filii, Domini & Servi,
Mariti & Uxoris; punienda ſemper eſſe hac in vita, (& in hac ſola;) Quoniam, *in Re-*
Mat 22 30. *ſurrectione, neque uxores ducunt, neque nuptum dantur.* Quippe ceſſaturæ tunc ſunt relatio-
nes Oeconomicæ, non minus quam Politicæ.

Si dicatur, Has eſſe Relationes ſingularium Perſonarum, (non Societatum,) poſſuntque
propterea in his Perſonis puniri.

Dico; Hoc rei ſtatum neutiquam mutare. Nam, præterquam quod hoc non ſit univer-
ſim verum: (Poteſt enim quis Pater eſſe plurium Liberorum; contraque familiam totam
Exod. 20. 5. peccare, poſteroſque ſuos *ad tertiam uſque & quartam generationem*: Poteſtque quis eſſe
plurium Servorum Dominus, contraque totum Famulitium peccare: Poteſtque quis eſſe Ser-
vius Societatis, non minus quam ſingularis Perſonæ.)

Dico porro ; Siqua vis eſt in hac exceptione ; hinc pariter concludamus, *Reges* quidem (utpote ſingulares Perſonas) in futuro ſeculo puniendos (& quidem Æternis pœnis) ob ſubditorum ſuorum Læſionem vel Oppreſſionem ; ſed *Fœderatos Ordines* (in Ariſtocratia) in hoc tantum ſeculo (& pœnis temporalibus) quoniam hi ſunt Corpus Collectivum.

Atque hinc pariter ſequeretur, Quod *Atrociſſima Flagitia* Societatum, ſunt uno ſaltem gradu minora, quam Pontificiorum *Peccata Venialia*. Neque dixerint credo Jeſuitæ, totam ipſorum Societatem (in ea capacitate) punitum iri (ſive in Gehenna ſive in Purgatorio) ob quantacunque flagitia ab ipſis ut Societate commiſſa : Sed *peccata Venialia*, ſaltem in Purgatorio puniri poſſe, ſi non & in Gehenna.

Quidquod, hac ratione, Peccatorum pars maxima, & quidem Atrociſſimorum, manerent (quantum ad futurum ſeculum) impunita, (& bene facta non remunerata.) Nam Actuum humanorum pars maxima, (maximeque notabilium,) ſunt hominum in Relativa capacitate conſideratorum ; (ut ſunt Parentes, & Liberi ; Domini, & Servi ; Mariti, & Uxores ; Amici, Inimici ; Vicini, Peregrini ; Paſtores, Populus ; Principes, & Subditi ; Societates, aliique utcunque adunati ;) Non ſingularium hominum, in perſonali tantum capacitate conſideratorum.

Addo ; quod, hac ratione, nulla Peccata Societatum condonari poſſent. Non enim Societates, ſed Singulares Perſonæ, *regenerantur & in Chriſto credunt*. abſque quo, nulla eſt peccatorum Remiſſio.

Dico igitur : Ut Societates nil aliud ſunt quam ſingulares Perſonæ ſic Sociatæ ; Sic Societatum Actus, & hominum ſic Relatorum (in Relativa ſua capacitate,) ſive boni ſive mali ; ſunt revera (atque à Deo ſic reputantur) actus particularium Hominum (ſic Relatorum, & ſic Conſociatorum :) Suntque, in his Hominibus, vel puniti, vel remunerati, (pro eorum reſpective conditionibus,) ſive in hoc, ſive in futuro ſeculo, ſive etiam in utroque.

Sodoma, & Gomorrha, & his finitimæ Civitates, dicuntur, *ignis æterni pœnam ſuſtinere* ; cum ſint revera *Homines iſtarum civitatum* qui ſic ſuſtinent.

Verum quidem eſt, quod Deus, hoc in mundo, non raro punit hominum peccata, tali modo qui bene congruit illi capacitati qua perpetrantur ; (puta, peccata Patris, per mortem filiorum, aut per filios rebelles, aut infortunatos ; peccata Principis, per dominiorum deſolationem, aut deperditionem, aut ſubditos rebelles ; peccata Populi, per communem aliquam calamitatem, qua ſontes pariter & inſontes pereunt aut dura patiuntur ;) atque hoc pacto, innuit quodammodo (rite conſiderantibus) peccatum ipſum quod ſic punitur.

At non ita ſemper facit : (Peccatum Parentis, puniri poteſt manu Magiſtratus : & Peccata Principis, manu Proditoris ſeu Perduellionis, quem ille nunquam læſerit :) multo minus putandum eſt, obligari Deum ſic ſemper facere.

Et quando ſic facit : non Ideo facit quod non aliter poſſit peccata (taliter relatorum) punire : Neque ſpectandum hoc eſt ut talium peccatorum Adæquata Pœna ; ſed ejus Pars aliqua : Cujus pars longe gravior ſit illa futuri ſeculi.

Et quamvis peccata hominum in Societate conjunctorum, reputari ſoleant, humano judicio, ut junctim facta, (quibus Innocui cum nocuis implicantur, & una perpetiuntur ;) Eſt tamen [a] *Judicium Dei ſecundum veritatem*. [b] *Diſtinguit ille inter Juſtum & Improbum* in mixta Societate. Juſto, *clementer Parcit* ; ſaltem eum [c] *benigne Affligit, bono ſuo* ; ([d] *A domino erudimur*, inquit Apoſtolus, *ne cum mundo condemnemur*.) Impium *Punit*, pœna proprie dicta. (Secundum illud Abrahami, [e] *ne Juſtum perdat cum Improbo*.) Atque inter ipſos *Nocuos*, diſtinguit, *Quis*, & *quatenus* ; unicuique rependens, pro menſura delicti ſui.

Non autem hoc ita ſemper fit *hoc in mundo*, (ubi nonnunquam [f] *res indifferenter omnibus eveniunt* ; *idemque eventus eſt juſto & improbo* ; aut etiam, aliquando, [g] *juſti ſunt quibus obtingit ſecundum opus improborum, & improbi quibus obtingit ſecundum opus juſtorum* :) Sed ſaltem, notabili [h] *illo die* ; nempe [i] *in die iræ, & patefactionis juſti judicii Dei* ; quando [k] *reddet unicuique ſecundum opera ipſius* ; quando [l] *omne opus adducet Deus in judicium* (*cum omni re occulta*) *ſive bonum ſive malum*.

In illo die, Sententia illa, [m] *Ite maledicti, Eſurivi enim & non dediſtis mihi quo veſcerer, Sitivi & non dediſtis mihi potum, Ægrotus & in carcere & non inviſiſtis me* ; pariter afficiet peccata Societatum quæ non [n] *proſpiciunt indigentibus*, atque ſingularium Perſonarum.

[o] *Juſtum eſt apud Deum* (inquit Apoſtolus) *afflictionem eis retribuere qui vos affligunt*, (ſive Societates ſint, ſive ſingulares Perſonæ,) [p] *in illo die* ; [q] *quum patefiet Dominus Jeſus de cœlo cum igne flammante, infligens ultionem eis qui Deum non noverunt, neque auſcultant Evangelio Domini noſtri Jeſu Chriſti*.

Dicitque diſerte Judas Apoſtolus, [r] *Sodomam & Gomorrham & finitimas Civitates* (non minus quam ſingulares Perſonas) *ignis æterni pœnam ſuſtinere*.

Ipſeque Chriſtus, ([ſ] *exprobrans Civitatibus in quibus editæ fuerant plurimæ virtutes ipſius*,) dicit ipſis *Chorazin, Bethſaidæ, & Capernaum* ; eiſque [t] *contra quas excuſſerint*

Jud. v. 7.
a Rom. 2. 2.
b Mal. 3. 17, 18.
c Pſ. 119. 71, 75.
d 1 Cor. 11. 32.
e Gen. 18. 23, 25.
f Eccl. 9. 2.
g Eccl. 8. 14.
h 2 Theſſ. 1. 10.
i Rom. 2. 5.
k Verſ 6.
l Eccl. 12. 14.
m Mat 25. 41, 42, 43.
n Pſ. 41. 1.
o 2 Theſſ. 1. 6.
p Verſ 10.
q Verſ. 7, 8, 9.
r Jud. v. 7.
ſ Mat. 11. 20, 21, 22, 23, 24.
t Mat. 10. 11, 14, 15.

Diſcipuli pulverem pedum ſuorum; quod *tolerabilior erit conditio Tyri & Sidonis, Sodomæque & Gomorrhæ, in die judicii, quam harum Civitatum. Atque tu* (inquit) *Capernaum, quæ es uſque ad cœlos ſublata, uſque ad inferos deprimeris.*

Quodque de *Civitatibus* dictum eſt, pariter obtinet de Regnis, Gentibus, Oppidis, Familiis, aliiſque Societatibus.

Multa ſunt Conſilia Practica, quæ ex hac, de Glorioſa Reſurrectione ad æternam Vitam, doctrina, deduci poſſent.

2 Pet. 3. 11, Ut eſt illud S. Petri, *Cum hæc omnia diſſolvenda ſint*; *Quales oportet eſſe nos, in omni*
12. *ſancta converſatione & pietate*; *Expectantes & properantes ad adventum diei Dei.*

2 Cor. 7. 1. Atque illud S. Pauli, *Has igitur Promiſſiones cum habeamus, dilecti, Purgemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctimoniam in timore Dei.*

1 Cor. 15. Illudque quod habetur ad finem hujus Capitis, *Itaque, fratres mei dilecti, firmi eſte, im-*
58. *moti, ſemper abundantes in opere Domini*; *Scientes, laborem veſtrum non inanem eſſe in*
a 2 Theſſ. 2. *Domino.*

16. Sed tempus jam non ſuppetit hiſce proſequendis.

b 2 Cor. 4.
14. Col. 2.
12.
c 2 Theſſ. 2. [a] *Ipſe autem Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ac Deus pater noſter,* ([b] *qui ſuſcitavit*
16, 17. *Jeſum ex mortuis,*) [c] *qui dilexit nos, deditque conſolationem æternam & ſpem bonam per*
2 Pet. 3. 14. 1 Cor. 1. 8. *gratiam*; *conſoletur corda noſtra, ſtabiliatque nos in omni ſermone & opere bono*; [d] *Confirmet*
d 2 Tim. 4. *ſervetque nos* (*inculpatos*) *ad cæleſte regnum ſuum,* [e] *& glorioſum adventum magni illius*
18. *Dei & Servatoris noſtri, Jeſu Chriſti*; [f] *qui transfigurabit corpus noſtrum humile, ut fiat*
e Tit. 2. 13. f Phil. 3. 21. *conforme Corpori ſuo glorioſo, per efficaciam illam qua poteſt etiam ſubjicere ſibi omnia.* [g] *Cui*
g 2 Tim. 4. 18. *ſit gloria in ſecula ſeculorum. Amen.*

Arati Phænomena; *in Principio.*

Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα· τὸν οὐδέποτ' ἄνδρες ἐῶμεν
Ἄῤῥητον. Μεσταὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαί·
Πᾶσαι δ' ἀνθρώπων ἀγοραί· μεστὴ δὲ θάλασσα·
Καὶ λιμένες· πάντη δὲ Διὸς κεχρήμεθα πάντες.
Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. Ὁ δ' ἤπιος ἀνθρώποισι,
Δεξιὰ σημαίνει· λαοὺς δ' ἐπὶ ἔργον ἐγείρει,
Μιμνήσκων βιότοιο· λέγει δ' ὅτε βῶλος ἀρίστη
Βουσί τε καὶ μακέλῃσι· λέγει δ' ὅτε δεξιαὶ ὧραι
Καὶ φυτὰ γυρῶσαι, καὶ σπέρματα πάντα βαλέσθαι.
Αὐτὸς γὰρ τά γε σήματ' ἐν οὐρανῷ ἐστήριξεν,
Ἄστρα διακρίνας· ἐσκέψατο δ' εἰς ἐνιαυτὸν
Ἀστέρας, οἵ κε μάλιστα τετυγμένα σημαίνοιεν
Ἀνδράσιν ὡράων, ὄφρ' ἔμπεδα πάντα φύωνται.
Τῷ μιν ἀεὶ πρῶτόν τε καὶ ὕστατον ἱλάσκονται.
Χαῖρε Πάτερ, μέγα θαῦμα, μέγ' ἀνθρώποισιν ὄνειαρ·
. . . . Ἐμοί γε μὲν ἀστέρας εἰπεῖν,
Ἧ θέμις, εὐχομένῳ τεκμήρατε πᾶσαν ἀοιδήν.

Idem Latine.

A ſummo (res juſta!) Deo nos incipiamus.
Hunc, homines, indictum haud permittamus. Eodem
Omnia plena Deo ſunt compita: Quique viſorum
Congreſſus pleni: Sunt & maria omnia plena, &
Portus quique Deo. Cujus nos indigeamus
Semper ope; Ex hujus cum ſimus origine nati.
Hic homines curat: Quæ nobis commoda ſignat:
Urget opus noſtrum, & conſtanti lege laborem.
Suppeditat victum: Monſtrat, quo tempore gleba
Apta foret bobus; Quandoque ligone petenda.
Edocet agricolam, Quæ commoda tempora plantas
Figendi terris; Quæ, ſemina cuncta ferendi.
Ipſe etenim cœlo fixit certiſſima ſigna:
Sidera quæque ſuo diſponens ordine: Stellis
Diſtinguens annos: Ut cuncta negotia tempus
Aptum habeant; Statu & perſiſtant omnia firmo.
Hunc nos principio; nos hunc & fine precamur.
Salve magne Pater, multum Venerande, Hominumque
Solamen ſummum. Mihi Tu, precor, ipſemet adſis,
Sidera (ſi per te liceat) tua cuncta canenti;
Omne meum juſto deducens ordine carmen.

FINIS.

DE MELCHIZEDECO.
DE JOBO.
DE PSALMORUM TITULIS.

Tractatus Tres, Anno 1692. Anglice Editi.

Nunc redditi Latine.

De Melchizedeco Diſſertatio. Junii 2. 1685.

QUIS ſuerit Melchizedecus, (de quo ſedulo quæſivernnt plurimi,) non poſſe, credo, certo definiri, per ea quæ nobis ſuperſunt de ipſo ſcripta : Nec eſſe, cur ſimus ea de re plurimum ſolliciti, (ſed, ignorare potius contenti, quæ nobis de illo Deus non certo patefecerit ;) Cum, non videam, magni momenti quicquam inde pendere, ſi, quis ille hominum fuerit, ignoremus.

Videtur autem mihi plurimum veriſimile (nec auſim ultra ſpondere) eundem ipſum fuiſſe eum, Noachi filio, Semo.

Siquis dixerit, Non poſſe nos certos eſſe, enndem illum fuiſſe; id ipſum ego dixerim : Sed, nec certos nos eſſe poſſe, eundem non fuiſſe : & quidem, ſi non ille, ne hariolari quidem nos poſſe, quis alius ſuerit.

Quod Semus tunc in vivis fuerit ; non eſt qnod dubitemus ; ſi Sacrarum Scripturarum Chronologiæ fidem habeamus ; ſimulque admittamus, Hebraici Textus authoritatem. Nec tamen quicquam juſtæ rationis video, cur, ſub prætextu Verſionis (quæ dicitur) τῶν Septuaginta , Originalis textûs Hebræi fidem ſublevemus.

Nam, ſi tota illa (quæ perhibetur) Ariſtæi Hiſtoria non ſit mera fabula (quod eſt cur ſuſpicemur ;) ſed fuerit, ſub ea tempora, Sacrorum Codicum Aliquid (non Totnm dixerim) in linguam Græcam converſum ; (Aliquid inquam ; quippe Totum eodem tempore & ab eiſdem Authoribus non fuiſſe converſum, ſuadere videtur, tam diſſimilis, in aliis atque aliis partibus, phraſiologiæ ratio ;) Si aliqnid , inquam, (nedum integrum) eorum tum fuerit in linguam Græcam converſum ; (quod ego non negaverim :) Nihil tamen eſt quod nos certos faciat, eos quos nunc habemus codices, eorum quos ipſi ſcripſerint, eſſe (per omnia) juſta exemplaria ; magis quam (imo multo minus quam) Hebræa quæ nunc habemus Biblia, cum illis quæ tunc erant, convenire. Atque, hoc poſito, non erit judicatu difficile, utris potius (ſicubi inter ſe diſſentiant) fidendum ſit.

Et quidem, ſi forte tum ſuerit, exemplarium Codicis Hebraici aliqua diverſitas ; quorum unum ſecuti ſunt illi Septuaginta à noſtris in aliquibus diverſum : Ecquis nobis ſpondebit, illud eorum purius eſſe, quant quod nobis Judæorum (curioſorum admodum) cura conſervavit.

Quodſi *in Vivis* tum fuerit Semus (quum Abrahamo occurrerit Melehizedecus,) de quo non eſt quod dubitemus ; Nec dubitandum eſt quin & *Rex* fuerit : præſertim ſi Primigenitnra jus fecerit Principatûs.

Sive enim fuerit Semus (quod aliquibus viſum eſt) Noachi filius natu maximus ; Sive, non ille, ſed Japhetus (quod potius putandum videtur :) Saltem omnes Noachi filii (qui tunc in vivis erant,) erant omnium vivorum hominum maxime ſeniores : Adeoque vel Reges ipſi, vel (quod non dicendum videtur) ſuorum Natorum ſubditi. Niſi quis forte dixerit (quod gratis dixerit) Hæredem natu maximi, unicum tunc fuiſſe totius Orbis Monarcham.

Et quidem ſi, quod (tum ex natura rei, tum ex Sacra Hiſtoria, Gen. 9. 1, 19. Gen. 10. 31, 32.) merito exiſtimemus, totus terrarum Orbis, ejuſque imperium, fuerit (proxime ſub Noacho dum ipſe vixerit, & poſt eum cum fuerit mortuus) inter tres Noachi filios diſtributum ; quorum Semus fuerit unus, nedum principalis : Non dubium eſt quin Semus (ſe-

rius

rius aut citius) Rex fuerit: (ſive ſupremus ipſe, ſive Fratri ſeniori ſubordinatus, hac in re non intereſt.)

Atque ſi aliquando Rex fuerit; non putandum eſt quod aut Abdicaverit ipſe, aut fuerit à Regimine Depoſitus; quin Rex permanſerit quamdiu vixerit; adeoque, in Abrahami tempore, Rex fuerit.

Cumque fuerit Mundus, tot populis refertus, ut multi fuerint Reges; (habemus enim hoc uno Capite, *Gen.* 14. ſaltem Novem Reges, præter ipſum Melchizedecum, præterque plurimos alibi memoratos, in hac Orbis parte non magna; eoſque Novem eodem prælio implicitos:) omnino ſentiendum eſt, Semum hunc ex illis Multis unum fuiſſe, quamvis non ex Novem illis unum.

Sed &, cum (in illa Patriarcharum ætate) Principatus & Sacerdotium, ſolebant junctim incedere; & utrumque Patri-familias competere: merito putemus (vel etiam non dubitemus) Semum tum Regem eſſe, tum Sacerdotem.

Cumque Semus fuerit, ex tribus Noachi filiis, ille ex quo Meſſias oriundus eſſet; atque in cujus Familia Poſteriſque, Eccleſia Dei, ejuſque verus cultus conſervandus erat; (utpote de quo pronunciatum erat, *Benedictus ſit Dominus Deus Semi*, ſeu *Jehovah Deus Semi*; atque de Japheto prædictum, ut munus gratioſe indultum, quod ipſi olim aliquando *perſuaſum foret in Shemi tentoriis habitare*, Gen. 9. 26, 27. adeoque ejuſdem olim Religionis, Eccleſiæque Dei, participem fore:) extra omne dubium eſt, Semum ipſum fuiſſe, veri Dei Cultorem; adeoque, ſi ſacerdos fuerit, fuiſſe *Altiſſimi Dei Sacerdotem*; prout Melchizedecum fuiſſe dicitur, Gen. 14.18. Ut, hactenus Melchizedeci character apprime Semo convenerit: quod fuerit (alicubi) *Rex*, & *Altiſſimi Dei Sacerdos*.

Et quidem, ſi Rex Alicubi, quidni *Rex Salemi*?

Huic forte reſpondebitur, Salemum (per *Salem* intelligendo *Hieruſalem*) in terra fuiſſe Canaanæa; adeoque non in terris Shemo, ejuſque poſteris, aſſignatis; ſed Chamo ſuiſque poſteris, & ſpeciatim Canaani: Et propterea non putandum eſſe quod Semus inibi Rex fuerit. Sitque magis veriſimile quod fuerit, Melchizedecus, unus aliquis ex *bonis regibus Canaaniticis*; quales putari poſſit fuiſſe nonnullos, etiam in illa terra Idololatrica.

At vero, in terra Canaanitica, ullos tum fuiſſe *bonos Reges*, & quidem ex ea gente; omnino gratis dictum eſt, omnique fundamento deſtitutum. Quippe nihil in Sacris Literis occurrit quod eo ſpectet; nullaque facta inſinuatio, quod, qui ex ea gente tum fuerint, verum Dei cultum fuerint amplexi: Sed plane contrarium. Ut merito judicemus ex illa ſolenni Maledictione, in Canaanem pronunciata; (prout ille à Semo & Japheto contradiſtinguitur; quorum alter, ut jam amplexus; alter, ut amplexurus, veri Dei cultum, ibidem proponitur:) Gen. 9. 25, 26, 27. *Maledictus Canaan, ſervus ſervorum futurus fratribus ſuis. Benedictus Dominus Deus Semi, eritque Canaan ipſi ſervus* (Servus Semo;) *Ampliabit Deus Japhetum* (vel *Suadebit Japheto Deus*,) *ut habitet in tentoriis Semi*; (in Eccleſiæ veræ conſortium olim recipiendus,) *eritque Canaan ipſi ſervus*.

Adeoque, ſi Melchizedecus (quicunque fuerit) tum temporis in terra Canaanæa vixerit, (ut Abrahamum vixiſſe novimus;) non eſt omnino veriſimile quod ex gente fuerit Canaanæa. Sed potius, ſicut Nimrodus (à Chamo oriundus) cum ſociis ſuis Babelis conditoribus, tranſiit in terram Aſhuris (à Semo oriundi,) ibique Babelis inceperit conſtructionem, aut Regni ſaltem fundationem, (Gen. 10. 6, 8, 10, 11:) ſic Melchizedecus alienigena (ex alia oriundus gente, non ex Chami aut Canaanis poſteris unus) eo migrari poſſit, ibique habitare, (quod ab Abrahamo factum novimus:) poſſitque nihilominus Rex, Princeps, aut Magnas aliquis nuncupari; prout Abrahamus etiam, ab Hethi filiis, Hebronis incolis, (Gen 23. 6.) *Domine, tu inter nos eximius Princeps es*, ſeu (ut in Hebræo) *Princeps Dei*: (prout Melchizedecus alibi dicitur *Sacerdos ſummi Dei*.) Erantque tum Abrahamus tum Iſaacus etiam tales habiti, ut Abimelecus (Rex Geraris) non dedignatus fuerit cum illis (tanquam Principibus) ſolenne fœdus paciſci, in Beer-ſheba, Gen. 21. 22, 23, 24. & Gen. 26. 26, 28, 31. Adeoque nihil hinc inferri poſſit, quod evincat Melchizedecum fuiſſe Canaanæum, etiamſi apud eos habitaſſet.

Et quidem, ſi fuiſſet ex ea gente populus aliquis, cujus Rex fuiſſet Sacerdos ſummi Dei; (adeoque, veriſimiliter, ex populo ſuo multi, nedum plurimi, ejuſdem cum eo Religionis;) non videatur tam neceſſarium fuiſſe Abrahamo, tanto cum Zelo, ſervum ſuum ſolenni juramento obligare (Gen. 24. 3, 4, 10.) *ne filio ſuo Iſaaco uxorem ſumeret de Canaanæorum filiabus*, (ſi inter eos fuerint cultores ſummi Dei;) *ſed Meſopotamiam adiret* (ſeu *Aram naharaim*) *ut uxorem inde ſumeret Iſaaco*. (Et Iſaacus, ſimiliter, pro Jacobo, Gen. 28. 1, 2.) Dum interim Religio non ibi fuerit tam ſuæ conformis, eademque; quin Jacobus poſtea cauſam perceperit contradiſtinguendi (Gen. 31. 53.) inter *Naboris Deum* (ſeu *Deos*,) & *Pavorem patris ſui Iſaaci* (hoc eſt, quem pavebat ſeu colebat Iſaacus.) Quod & porro patebat, eo quod (Gen. 31. 19.) *furata eſt Rachel imagines patris ſui*; quas Jacobo poſtea viſum eſt penitus abolere, Gen. 35. 2, 4. Adeo ut, ſi fuiſſet Melchizedecus unus ex Regibus Canaanæis, potuiſſent illi non minus inde ſumpſiſſe Uxores veram colentes Religionem.

Verum

Verum ego, tantum abeſt ut putem Melchizedecum fuiſſe gente Canaanæum (à Canaane oriundum,) ut ne incolam fuiſſe Canaanææ putem ; neque Salem, cujus ille Rex fuerat, eam eſſe quæ poſt dicta eſt Jeruſalem ; aut ipſi propinquam ; nec quicquam video, præter ipſum nomen, quod huic faveat.

Quod Hieruſalem videatur aliquando Salem dici, non negaverim ; ſi illud Pſal. 76. 3. (*Fuit in Salem tabernaculum ejus, & habitatio ejus in Zion* ;) ſit de Hieroſolyma intelligendum ; & non potius de Melchizedeci Salem. Num autem hæc ſit eadem ac Jeruſalem, eſt id quod quæritur. Et quidem videtur à Zione (adeoque ab Hieroſolyma, ubi Zion erat,) manifeſto contradiſtingui.

Sed demus, vocem *Salem*, pro *Jeruſalem*, hic contracte dici, per Aphæreſin ; (quæ figura eſt Poeticis ſcriptoribus non infrequens :) Sed & alibi, *Hoſhea* dicitur pro *Jehoſhua* ; & *Coniah* pro *Jeconiah* ; & (in recentioribus Poetis) *Solyma* pro *Hieroſolyma*. Demus, inquam, Hieruſalem, per Poeticam Aphæreſin. (ſaltem ſemel) dici Salem : Nil mirum eſt, duo loca eodem appellari nomine ; Nec inde ſequitur, Melchizedeci Salem, eandem eſſe cum Salem Hieroſolymorum.

Et minus adhuc ſequitur, ipſis Abrahami temporibus, Salemum fuiſſe Hieroſolymorum nomen : aut etiam ipſius Moſis temporibus, qui hiſtoriam hanc conſcripſit. Verum quidem eſt, non multo poſt Moſis tempora, reperiri nomen Hieruſalem ; Joſh. 10. 1, 3, 5, 23. Joſh. 12. 10. Joſh. 15. 63. Jud. 1. 7, 8, 21. At illud Proleptice dici poteſt, & per Anticipationem ; nomen illud huic loco attribuendo, quo innotuit tum temporis forte quo ſcripti fuerint libri Joſhuæ & Judicum ; (quando, & à quo, neſcimus ;) non, quo innotuit eo tempore quod reſpicit hiſtoria. Nam eo tempore, nec *Salem* dicebatur ; neque *Jeruſalem* ; (Ut nec illud addam, poſſe vocem illam ut Scholium interponi, ſerius quam ea primo ſcripta fuerit hiſtoria.) Sed antiquo nomine dicebatur *Jebus* vel *Jebuſi*, ut liquet Joſh. 15. 8. Joſh. 18. 28. Jud. 19. 10, 11. 1 Chron. 11. 4, 5. Et quidem Joſh. 18. 16. Jebuſi memoratur ut prope convallem Hinnomi ; quæ noſcitur non procul eſſe ab Hieroſolyma.

Erat quidem, in terra Canaanæa (prout aliqui textum illum interpretantur) locus alius *Shalem* dictus (Gen. 33. 18.) Shechemi civitas, ubi Jacob agrum emit ab Hamore, Scechemi patre. Sed nulla eſt ibidem inſinuatio (nec eſt qui ſuſpicatur) hanc fuiſſe ſedem Melchizedeci.

Sed Salem illa, cujus Rex erat Melchizedecus, mihi manifeſto videtur procul hinc eſſe ; extra limites terræ Canaan ; (ut eſt omne illud trans Jordanem :) in ea regione quæ erat Semo ejuſque poſteris aſſignata ; quæque poſſit, non incommode, ipſius Semi cenſeri habitatio.

Quod ut ego plenius oſtendam ; Conſiderandum primum eſt, Quinam fuerint Canaanææ limites : unde totum illud quod eſt ultra Jordanem excluditur.

Quando Abraham & Lot diviſim abierunt, inter ſe facta ſeparatione, Gen. 13. 12. (Loto ad Orientem abeunte,) dictum eſt. *Habitabat Abram in terra Canaan, Lot vero habitabat in civitatibus planitiei, tentoria ſua movens Sodomam uſque*. (Eumque mox conſpicimus in ipſa Sodoma, Gen. 14.) Ubi Sodoma manifeſto contradiſtinguitur terræ Canaan. Eſtque ab interpretibus ſignanter notatum ; ita à Deo proviſum eſſe, ut hæc Loti ab Abrahamo ſeceſſio fieret, ante repetitam Abrahamo factam promiſſionem de terra Canaan, *poſtquam ſeparavit ſe Lot ab eo*, (Gen. 13. 14.) ut qui illius terræ non futurus erat particeps.

Item Gen. 10. 19. terra Canaan ſic limitatur ; *Factuſque eſt terminus Canaan, à Sidone qua venis ad Gerar, uſque ad Gazam, indeque qua venis ad Sodomam & Gomorrham & Admam & Zeboim uſque ad Laſha*. Hoc eſt ; à Sidone per oram Maris Mediterranei, uſque ad Gazam ; indeque tranſeundo ad Sodomam & Gomorrham ; indeque per ripam Jordanis, Mariſque quod dicitur Tiberiadis (ſeptentrionem verſus) uſque ad Laſham : (Excluſis Zidone, Gaza, cæteriſque terminis memoratis.) Adeoque Sodoma, Gomorrha, totumque illud ultra Jordanem ad Orientem, excluſa videntur manifeſto à terra Canaan, ſeu Canaanæorum.

Sic Num. 33. 51. *Cum tranſituri eſtis Jordanem, in terram Canaan*. Adeoque omne illud quod eſt ultra Jordanem, reputatur extra terram Canaan. Et ſimiliter, Num. 35. 10.

Et quamvis Gilead, & Baſhan, reliquaque ultra Jordanem loca (quæ portio erant Rubenis, Gadis, dimidiique tribus Manaſſæ) pars erant poſſeſſionis Iſraeliticæ, ipſis à Moſe datæ ; (Num. 6. 32, 33. Deut. 3. 12. Joſh. 13. 8. Joſh. 22. 4.) non tamen erant ulla pars terræ Canaan ; utpote quam *Videre* tantum conceſſum eſt Moſi, non item *intrare*, Num. 27. 12. Deut. 32. 49. Et quamvis eo tempore poſſideretur ea regio ab Amorræis (Chami poſteris) Deut. 3. 8. antiquitus tamen Moabitarum fuerat (à Shemo oriundorum) à quibus Amorræi vi ceperant, Num. 21. 25, 26.

Videantur item huc ſpectantia, Gen. 50. 10, 11. Exod. 16. 32, 35. cum Joſh. 5. 12. Num. 13. 2, 17, 29. Num. 32. 30, 32. Num. 33. 51. Num. 34 per totum. Num. 35. 10, 14. Deut. 2. 29. Deut. 27. 2. Deut. 31. 13, 21. Joſh. 1. 2, 11. Joſh. 14. 1, 3. Joſh. 22. 9, 10, 11, 13, 24, 25. Item Num. 14. 30, 38. Num. 20. 12, 24. Num. 26. 65. Num. 27. 12, 13. Num. 32. 11, 12. Deut. 1. 36, 37, 38. Deut. 3. 25, 27. Deut. 31. 2. Deut. 32. 49, 52. Deut. 34. 1, 4. Unde omnino liquet, ea omnia, quæ ſunt trans Jordanem, eſſe extra terram Canaan.

Proximo loco conſideremus; Quinam erant illi belligerantes, in eo prælio quod memoratur Gen. 14. Et, Ubinam fuerat locus ille, quo Captivos liberavit; Et, conſequenter, ubinam Abrahamo occurreret Melchizedecus redeunti Sodomam verſus; adeoque, in qua regione cenſenda eſt ea Salem jacere, cujus Rex erat Melchizedecus. Atque ad hanc rem utilis foret, inſpectio Tabulæ Geographicæ Adricomii, aliuſve alicujus, qua Terra Sancta, cum adjacentibus regionibus, deſcribuntur; quo rectius locorum ſitus intelligantur.

Reges illi quinque qui erant ex una parte, Gen. 14. 2. recenſentur; *Reges Sodomæ, Gomorrhæ, Admæ, Zeboim, & Bele (quæ eſt Zoar.)* Quorum locorum prima quatuor jam invenimus extra Canaanæam ſita, ſed illi adjacentia: erantque omnia ibidem ſita ubi nunc eſt Lacus Aſphaltites, ſeu Mare Mortuum, ſeu Lacus Sodomæ & Gomorrhæ: ut quæ erant igni & ſulphure cœlitus dimiſſis, everſæ; quod huic Lacui fecit originem. Et Bela, quæ eſt Zoar, eſt ultra lacum illam, ad Orientem, quo ſe recepit Lotus ab incendio ereptus, Gen. 19. 22. quæ poſtmodum (hac occaſione) dicta eſt Zoar, (utpote Exigua,) ut diſerte docemur Gen. 19. 20, 22. Sed quæ ante dicebatur Bela.

Quatuor illi qui ex adverſa parte pugnabant Reges, reliquoſque vicerunt, ſunt *Chedorlaomer* (omnium præcipuus) *Rex Elam*; & tres alii vicini Reges, *Shinaris, Ellaſaris, & Nationum*; qui omnes ad Orientem erant. Shinar erat in Aſſyria, ubi Turrem Babylonicam condebant, Gen. 11. 2, 4, 9. Elam erat ad Orientem Meſopotamiæ, ſeu Aram-naharaim, (hoc eſt, Syriæ Bifluvialis, ſeu Interfluvialis,) ſeu Padan-aram, ipſiuſque Aſſyriæ; quæ ſe porrigebat (ſaltem temporibus ſequentibus) uſque ad Perſiam; quæ nonnunquam ſignificari putatur nomine Elam. Rex Ellaſaris, & Nationum putandi ſunt vicini Reges, inter Elam & Shinar ſiti; aut his ſaltem vicini.

Hi quatuor Reges (qui reliquos ſuperaverant) jam cum Spoliis & Captivis (inter quos Lot,) abierant prope Damaſcum, aut etiam ultra, Gen. 14. 15. (qui Syriæ locus eſt,) quando Abrahamus, cum ſociis ſuis, eos aſſecutus eſt, ſpoliaque & captivos recuperavit; *Percuſſit eos, perſecutuſque eſt eos ad Hobam uſque, quæ eſt a ſiniſtra Damaſco*: hoc eſt (reſpectu Sodomæ) ultra Damaſcum.

Nam (in Scripturæ phraſiologia) reputatur Facies tanquam ad Orientem ſpectans; ut ſit Meridies à dextra, & Septentrio à ſiniſtra, & Occidens à tergo. Sic 1 Sam. 23. 19, 24. *A dextra Jeſhimonis*, (ſeu ſolitudinis,) idem eſt atque *ad ejuſdem meridiem*. Et Zech. 14. 8. *prodibunt aquæ ab Hieroſolyma, parte ſui ad mare Orientale, & parte ſui ad mare Poſterum.* Atque alibi Mare Poſterum, idem eſt ac Mare Occidentale; Deut. 11. 24. Deut. 34. 2. Vide etiam Job. 23. 8. Sic Ezek. 47. 1. *exierunt aquæ ex inferiore parte liminis domus Orientem verſus; nam frons domus Orientalis erat; & aquæ deſcendebant inferne à latere domus dextro, ab Auſtrali parte altaris.* Item Joel. 2. 20. *facie ſua verſus Orientale mare; parteque poſteriori verſus mare Poſterum.* Ubi per mare Anterius, intelligi videtur Mare Gennezareth, ſeu Lacus Tiberiadis; &, per mare Poſterum ſeu poſticum, Mare Mediterraneum, ſeu (ut in ſacris literis paſſim dicitur) Mare Magnum.

Jam vero, tota regio Elam, atque Aram (hoc eſt Syria,) & Aſhur (hoc eſt Aſſyria,) pars erat ſedis Semo ejuſque poſteris aſſignatæ; unde & ſua ſumpſerunt nomina: ut liquet ex Gen. 10. 12. *Filii Semi, erant Elam, & Aſhur, & Arphaxad, & Lud, & Aram.* Adeoque tota Scena actionis (poſtquam direptores illi à Sodoma & Gomorrha receſſerunt) erat in terra Semæorum; ubi & apta ſedes ipſi Semo.

Abrahamus autem, in reditu ſuo à Damaſco (ſeu partibus huic viciniis) verſus Sodomam; obvium habet Melchizedecum, Regem Salem. Qui locus igitur occurſûs hujus, non alibi poteſt eſſe (prout conſideranti videbitur) quam in Aram, hoc eſt in Syria; non in Canaanæa. Quippe terra Canaan procul eſſet à directa via, quæ à Damaſco ad Sodomam ducit. Quod facile judicabit quiſpiam, qui in Charta Geographica conſpexerit Damaſci & Sodomæ ſitum. (Quod etiam magis foret conſpicuum, ſi in Adricomii charta, aliiſque inde derivatis, non poneretur Damaſcus magis ad occidentem quam eſſe oportuit, & quam ab aliis Geographis poni ſolet.)

Quæ omnia quidem apprime conveniunt noſtræ de Melchizedeco hypotheſi, eundem ipſum cum Semo eſſe. Ut qui *Rex* erat, & *Sacerdos Dei altiſſimi* (ut etiam erat Semus) & in terra Semi. Nempe, in Syria Damaſcena; aut ſaltem in Cœlo-Syria; aut (ſi adhuc paulo inferius) in Arabiæ ſaltem parte ſuperiore. Quæ omnia erant in Shemæorum terra. Quippe non ſolum Aram, ſed & tota Arabia, ad Shemum ejuſque poſteros attinebat; quam inhabitabant Iſhmael & Edom & Moab & Ammon & Amalec & Midian & Sheba & Dedan; Shemitæ omnes; ex poſteris Loti, aut Abrahami, (aliorumve ex ea proſapia) quamvis non Iſraelis.

Sequitur, ver. 18, 19, 20. quod *protulit Melchizedecus* (*Rex Salem*) *panem & vinum*, (ſive ut Sacrificium Euchariſticum, ut qui erat *Sacerdos Dei altiſſimi*; ſive ut Abrahami ſociorumque itinerantium refectionem;) atque *Abramo benedixit, à Deo altiſſimo; eique dabat Abramus decimam ex omnibus.*

Hinc recte infertur, Heb. 7. 1, 4, 6, 7. Melchizedecum fuiſſe *Virum Magnum*; ipſoque *majorem Abrahamo*; eo quod ab Abrahamo *decimas acceperit*, & *habenti promiſſiones benedixerit*; & *proculdubio minor benedicitur à majori.*

Cuinam

Cuinam autem hæc omnia rectius convenire poſſunt quam Shemo? ut qui, tunc, in Vivis erat; Rex erat; Altiſſimi Dei Sacerdos; Abrahami in directa linea Anteceſſor; (adeoque idoneus qui tum Paternalem benedictionem impertiret, tum Sacerdotalem;) eoque nomine, ipſo Abrahamo major, & melior, & cui officioſam reverentiam debuerit Abrahamus. Quæ omnia haud cuiquam convenire poſſent tunc in vivis, qui non fuerit Abrahami (in directa linea) Progenitor.

Præſertim, ſi porro conſideremus; quod Abrahamus ipſe fuerit quaſi-Rex, ſeu Princeps, (atque jam Victor Regum quatuor;) itemque Altiſſimi Dei Sacerdos, (ut erat ipſe Melchizedecus;) quique Promiſſiones acceperat; & à quo Meſſias ipſe naſciturus erat, ſeu Promiſſum ſemen; & in quo benedicendæ erant univerſæ terræ Gentes. (Quæ de nullo dicenda erant qui non in eadem fuerit directa linea.) Adeoque multiplici reſpectu (quantum ad ſpiritualem eminentiam) Major ipſo Melchizedeco, quicunque fuerit, ſi non Abrahami progenitor in directa linea.

Si dicatur; In hoc ſaltem Abrahamo ſupereminuiſſe Melchizedecum, quod in ſuis jam fuerit ditionibus, ut non fuerit Abrahamus: adeoque hac ſaltem ex parte Abrahamo ſuperiorem.

Hoc forte alicujus momenti foret, ſi non & Abrahamus hoc tempore, conſiderandus foret, non tantum ut Princeps, ſed ut Triumphans Victor, (quod, hoc in caſu, magni intereſt,) aliiſque nominibus (quantum ad ſpiritualem eminentiam) ſuperior: quod quidem (quantum ad benedicendi munus) ſuperiorem illum exhiberet; qui itaque Melchizedeco potius benediceret.

Verum cum dico, hoc alicujus ſorte momenti fore, (nempe, quod in ſuis fuerit ditionibus;) id hac ſola ſuppoſitione dictum eſt, quod fuerit Salem ſic ſita, (nimirum inter Shemitas:) Quippe, ſi Salem ſit Jeruſalem (in Canaanæorum terra;) tum Melchizedecus etiam (non minus quam Abrahamus) extra ſuas ditiones erat; nullumque habuit ſuperioritatis prætextum ſi non ipſius fuerit Progenitor. Nam Jeruſalem procul aberat ab eo loco ubi Abrahamo occurrerit Melchizedecus. Nec poteſt quiſquam imaginari (qui locorum ſitum in Charta Geographica conſpexerit) quod tanto circuitu aberrare vellet Abrahamus, cum tanto exercitu, à recta via, Damaſco Sodomam verſus, ut per Hieroſolymam incederet; nedum tanto itinere occurſum ire vellet Abrahamo Melchizedecus (benedicturus illi, extra ditiones ſuas,) cum poſſit id quoquo tempore (propter vicinam eorum habitationem) domi ſuæ facere, aut minore itinere adire Abrahamum; aut etiam (hanc nactus occaſionem) ipſum Sodoma domum redeuntem præſtolare.

Nec video, quomodo hoc evitare poſſint; niſi dictum velint, Hoc totum quod Abrahamo & Melchizedeco interceſſit, (verſibus 18, 19, 20, memoratum,) quamvis prius relatum, ſerius tamen contigiſſe, quam id quod (verſibus 21, 22, 23, 24,) interceſſit Abrahamo & Regi Sodomæ: Atque id quidem contigiſſe, non in itinere à Damaſco Sodomam verſus; ſed à Sodoma domum redeunti; quo caſu non foret Hieroſolyma tanto intervallo extra directam viam.

Verum hoc nullatenus admittendum eſt. Nam diſerte dicitur verſu 20, dediſſe Abrahamum *Decimam ex omnibus*; quod exponitur Heb. 7. 4. de *Decima ſpoliorum*. At eo tempore quo Abrahamus à Sodoma domum reverſus eſt, ſpoliorum nihil habuit unde Decimam daret.

Invenimus enim eum ſolenni forma jurantem Regi Sodomæ, Gen. 14. 22, 23. ſe nequidem *filum aut corrigiam calceamenti accepturum, ne dicat Rex Sodomæ, ſe ditaſſe Abrahamum*. Adeo ut quicquid decimarum datum fuerit, jam ante datum fuerat, quam Abrahamus inde ſeceſſerat.

Quin & eadem ſermonis formula in Juramento utitur, qua in Benedictione modo uſus eſt Melchizedecus; *Elevavi manum meam ad Dominum* [*Deum altiſſimum, poſſeſſorem cœli & terræ,*] *ne accepero*, &c. Nempe, ut oſtendat inde firmam ſuam à Deo dependentiam, abſque ulla de eo diffidentia, (in cujus nomine jam modo benedictus fuerat,) ne opus habeat aut Regis Sodomæ (aut alius cujuſcunque) munificentia, qua ditaretur.

Quæ omnia manifeſto docent, ea quæ ipſi cum Melchizedeco interceſſerunt, jam ante contigiſſe quam ea quæ ipſi interceſſerunt cum Rege Sodomæ; ſaltem non ſerius. Adeoque non in tranſitu ſuo à Sodoma ad domum ſuam; ſed, à Damaſco Sodomam verſus. Sin malit quiſpiam, ut putetur Abrahamo Melchizedecum, Regemque Sodomæ, ibidem una conveniſſe; eodem res redit, (nec eſt cur ego multum repugnem;) Nam, etiam ſic, Melchizedeci Salem, non erit Jeruſalem, ſed extra terram Canaan, in Regione Shemitarum; ſedes non incommoda pro Shemo ipſo.

Eſt & aliud effugium, quod quis ſorte comminiſcatur, ad hunc ſenſum. Non quidem diſerte dicitur, quod Abrahamus (à Damaſco) Sodomam reverſus eſt, (quod tamen prima facie putandum videtur, nec eſt quod dubitemus;) ſed ſaltem quod (poſt adeptam victoriam) *reduxit omnem ſubſtantiam, & etiam Lot fratrem ſuum & ſubſtantiam ejus reduxit, & etiam mulieres & populum: Et exivit Rex Sodom in occurſum ejus, (poſtquam reverſus eſt à cæde Chedarlaomer, & regum qui cum illo erant,) ad vallem Shaveh, quæ eſt*

vallis Regis; ver. 16, 17. Quod ſi Abrahamum ſupponamus (cum ſpoliis, captivis, totoque populo,) à Damaſco progreſſum, recta via ad domum ſuam, per Hieroſolymam; & non Sodomam adiiſſe: Simulque ſupponamus, vallem Shaveh (ubi ſe obviam dedit Rex Sodom,) jacere in recta via qua inceſſit Abrahamus ab Hieroſolyma ad domum ſuam: Poteſt hoc totum cum reliquo hiſtoriæ ſatis conſiſtere; ſimulque poſſet Melchizedeci Salem eſſe Hieruſalem in terra Canaan.

Et quidem verum eſt, quod hoc non ſit Impoſſibile; datis duobus hiſce ſuppoſitis. At ego nihil video, quod mihi perſuadeat, eorum vel alterum vel utrumque verum eſſe. Certe nihil eſt quod hoc cogat; & multa ſunt quæ contrarium ſuadeant.

Omnino non videtur veriſimile, quod Abrahamus, poſtquam recuperaverat (à Chedarlaomer) ſpolia & captivos Sodomæ, Gomorrhæ, partiumque vicinarum, (quæ omnia ſtatuerat reſtituere, non ſibi retinere;) voluerit ea tanto circuitu, cum tanto populo, circumducere, per totam regionem Canaanæam, (quod hoc effugio ſupponitur;) & non potius via breviſſima domum conducere; qua ipſos abduxerat Chedarlaomer.

Et quidem eo potius; quia, ſi vellet ipſe, cum tanto exercitu, militari forma procedere, per tot Canaanæorum regna, (erat enim, jam tum, terra Canaan Regum plena;) haud forte paterentur tot Reges hunc proceſſum; aut etiam proni forent ſibi captare tanta ſpolia: Cum altera via (& quæ erat breviſſima) qua Chedarlaomer ante inceſſerat populando; non erat, tum temporis, tam frequenti populo conferta; ſicut poſt erat, quando Iſhmaelitæ, Idumæi, Ammonitæ, & Moabitæ, ſuas ibi ſedes poſuerunt; ut in regione vacua, aut minus inhabitata. Et quidem, qui tunc regionem illam habitabant, non inviti, imo grati, paterentur, captivos & ſpolia (quæ nuper abduxerunt populatores) ſibi reſtitui; nulla facta oppoſitione in eum qui reduxerit: Qui cum alios atque alios in ſuis reſpective ſedibus (ut proceſſit) reliquiſſet, (benedictionem à Melchizedeco in itinere adeptus,) tandem Sodomam accedens (quæ in ultimis erat) Regem Sodomæ ſibi obviam habuit, ibique (cum reliquis) fratrem ſuum Lot illic repoſuit; (quem & ibidem invenimus, Sodomæ commorantem; Capite 19.) Ut non dubium ſit quin hac via proceſſerit Abrahamus.

Proximo loco inquiramus; ubinam fuerit (in hoc itinere) quod ipſi obviam iverit Rex Sodomæ. Et diſerte dicitur, ver. 17. *Et exivit Rex Sodom in occurſum ejus, ad vallem Shaveh, quæ eſt vallis Regis.*

Cujuſnam autem Regis hanc fuiſſe vallem putemus potius quam Regis Sodomæ? Non certe Regis Chedarlaomer? (Hujus utique, ſiqua vallis fuit, foret ea procul hinc, in Elam, ultra Damaſcum, quo properaturus erat à Damaſco Chedarlaomer:) Sed nec alterius cujuſpiam Regum eorum qui cum illo erant: Eccujus enim? (nam nemo indicatur cujus ſit.) Num Regis Hieroſolymæ? Quid ita; magis quam Regis Ægypti? cum neutrius fiat mentio. Simplicior certe, & minime coacta interpretatio eſt, ut de Rege Sodomæ intelligatur, utpote de quo fit ſermo; *Exivit, in occurſum ejus, Rex Sodom, ad vallem Shaveh, quæ eſt vallis Regis*, ſeu potius *ipſius Regis*, (*hammelech*, cum articulo demonſtrativo; non ſimpliciter *melech*, ſeu *cujuſpiam Regis*:) Ut manifeſto videatur intelligendum de *Valle Regis Sodomæ*; adeoque in confinio *Sodomæ*; & procul ab Hieroſolyma.

Verum quidem eſt, quod 2 Sam. 18. 18. mentio facta eſt de *Valle Regis*; (ubi Abſalom ſibi ſtatuam erexerat, in nominis ſui monumentum, quod filios non habuerit; qui dictus eſt *Locus Abſolomi*;) poteſtque non incommode cenſeri (prima facie) de *Valle Regis Iſraelis* intelligendum eſſe, quoniam in regno Iſraelitico, eratque Abſalom filius Regis Iſraelis. Sed quid hoc ad *Vallem Regis* tempore Abrahami? (cum Regnum Iſraelis nullum erat, neque per multa deinceps ſecula.) Pariter quis argueret; quoniam 2 Sam. 15. 31. *ex domo Regis* intelligendum eſt de domo Regis Iſraelis; Ergo *ex domo Regis* Ezr. 6. 4. de eodem Rege, eademque ejuſdem domo, intelligendum eſſe.

Vel etiam, ſiquis exiſtimare velit, eandem *Vallem Regis*, utrobique intelligendam eſſe; & Abſalomum eo loci ſibi ſtatuam erexiſſe, quæ (abſque ullo reſpectu ad Regem Iſraelis habito) jam inde ab Abrahami temporibus dicta fuerit *Vallis Regis*; res erit inde nihilo promotior. Quippe nos non magis inde ſcimus, ubi ſibi ſtatuam erexit Abſalom; quam, ubi Abrahamo convenerit Rex Sodomæ. Poſſemuſque non minus arguere (ſi nomen loci tam antiquum fuerit ut à temporibus Abrahæ, aut etiam Moſis qui hiſtoriam ſcripſerit,) Abſalomum ſibi ſtatuam erexiſſe (ultra Jordanem) eo loci ubi Abrahamo convenerit Rex Sodom; non procul ab eo loco ubi olim ſteterit Sodoma.

Atque hoc confirmatius eſt; Quoniam, ubi de Abſalomi morte facta eſt mentio, etiam hæc ſtatua memoratur. Patet autem (ex 2 Sam. 17. 22, 24, & ſequente capite 18) occiſum eſſe Abſalomum, ultra Jordanem (extra terram Canaan proprie dictam;) atque in Adricomii charta Geographica eò loci notatur *ſylva Ephraim*, ubi occiſum fuiſſe Abſalomum dicitur 2 Sam. 18. 6. non procul ab eo loco ubi Sodom fuerat, atque in via qua inde ad Damaſcum itur.

Et quidem tam abrupte ibidem inſeritur mentio de hac ſtatua (poſt mentionem factam de Abſalomo in foſſam injecto, & lapidibus obruto; atque, ante nuncium ea de re Davidi ferendum;) ut quis miretur cur illud inſereretur, niſi quod ille lapidum cumulus non procul fuerit ab eo loco ubi ſtatuam ſibi poſuerit Abſalomus.

Quippe

Quippe ſic ſe habet contextus 2 Sam. 18. 14. *Et cepit* (Joab) *tria ſpicula in manu ſua, & infixit ea in medio Abſalomi, dum adhuc vivus erat in medio quercus,* (15.) *Et circuiverunt decem Juvenes* (*Joabi arma ferentes*) *& percuſſerunt Abſalom, & occiderunt eum.* (16.) *Et clanxit Joab buccina, & reverſus eſt populus à perſequendo Iſraelem ; quia prohibuit Joab populum* ; (17.) *Et ceperunt Abſalom, & projecerunt eum in ſaltum, in foveam grandem, & ſtatuerunt ſuper eum acervum lapidum, magnum valde ; Et omnis Iſrael fugierunt, quiſque in tentoria ſua.* (18.) *Et Abſalom tulerat & ſtatuerat ſibi, in vita ſua, ſtatuam quæ eſt in Valle Regis ; quia dixit, non eſt mihi filius, eritque hoc in monimentum nominis mei ; & vocavit ſtatuam nomine ſuo ; & vocatur Abſalomi locus, uſque ad hunc diem.* (19.) *Et dixit Ahimaas, filius Zadok, Curram nunc & nunciabo Regi, quod judicavit eum Dominus, de manu inimicorum ſuorum,* &c.

Quod, quamvis nobis abrupte dici videatur, (quia neſcimus, quam prope fuerit hæc ſtatua, ad lapidum acervum illum ;) eis tamen qui tum vixerint, & locum utrumque noverint, (modo noverint non eſſe procul diſſitos,) ſatis obvia foret ratio, hanc inferendi Parentheſin (de Abſalomi ſtatua ;) ut inde pateat, quam provide à Deo ordinatum fuerit, ut ipſe Abſalomus jam ante ſibi ſtatuerit dedecoris ſui monimentum, prope lucum illum ubi poſt foret occidendus, & ignominioſe ſepeliendus, cum in Patrem ſuum rebellis fuerat.

Quæ omnia ſatis conveniunt hypotheſi noſtræ, quod *Vallis Regis*, ubi Abrahamo occurrebat Rex Sodomæ, fuit extra terram Canaan, non procul à Sodoma, in via qua Damaſcum itur ; inter Sodomam & Salem (cujus Rex erat Melchizedecus) in regione Semitarum.

Idem porro confirmatur, ſi totam illam Expeditionem conſideremus quam hic feciſſe dicitur Chedarlaomer ; Gen. 14. 5, 6, 7. *In decimo quarto anno, venit Chedarlaomer, & Reges qui cum eo erant, & percuſſerunt Rephaim in Aſhteroth-Charnaim, & Zuzim in Ham, & Emim in Shaveh-Kiriathaim, & Chorim in monte ſuo Sehir, uſque ad El-Paran, quæ eſt in deſerto* : *Et redierunt & venerunt ad En-miſhpat, quæ eſt Cadeſh ; & percuſſerunt omnem regionem Amalekitarum, & Amorrhæum qui habitabat in Azezon-thamar.*

Tota hæc expeditio hactenus (ſi chartam Geographicam inſpiciamus) eſt manifeſto extra terram Canaan, ad Orientem. Aſhteroth, eſt in regione Og, Joſh. 12. 4. Joſh. 13. 12, 31. Deut. 1. 4. Hinc, meridiem verſus, venerunt ad Zuzim in Ham ; quæ regio eſt à Canaane ad Orientem, prope montem Sehir, ſed citra illum, (ut liquet ab expeditione Simeonitarum, 1 Chron. 4. 39, 40, 42.) Inde ad Horæos, in Monte Sehir, (quæ poſtea fuit habitatio Eſavi, & poſterorum ejus, Gen. 36. 8, 9. Deut. 2. 5, 12.) Atque interim ceperunt Emim in Shaveh-Kiriathaim, (quæ videtur ea vallis eſſe, ad cujus Orientem erat Ham, 1 Chron. 4. 39, 40.) quæ procul eſſe non poteſt à Sodoma & Gomorrha ; & videtur pars eſſe regionis quæ poſt erat Moabitarum ; (nam ibi dicuntur Emim antea habitaſſe, Deut. 2. 9, 10, 11.) eademque quæ hic dicitur *Vallis Shaveh*, (ver. 17.) ubi Abrahamo occurrebat Rex Sodomæ. Atque prope hunc locum Kiriathaim reperimus Ezek. 25. 9. Num. 6. 32, 37. Adeoque hactenus intactas præteribant Sodomam & Gomorrham.

Hinc (ab Horæis & Monte Sehir) progreſſi, pervenerunt ad En-miſhpat, quæ eſt Kadeſh, (in deſerto, Num. 13. 26. Num. 35. 36.) & ſpoliarunt regionem Amalekitarum, (hoc eſt, regionem quam habitarent Amalekitæ, tempore quo Moſes ſcripſit : Quippe nondum natus erat Amalek, cum hæc facta eſt expeditio ; ut qui erat filius Eliphazi, filii Eſavi, Gen. 36. 9, 10.) Et Amorrhæos in Hazezon-thamar ; quæ non procul erat à Sodoma, ut liquet ex 2 Chron. 20. 1, 2, 10. Ubi exercitus ex filiis Moab, & Ammon, & de Monte Sehir, qui venerunt contra Jehoſhaphatum, ſic deſcribitur, *Venit contra te multitudo magna, ultra mare*, (nempe quod dicitur mare mortuum, ubi olim erant Sodoma & Gomorrha,) *ſuntque in Hazezon-thamar, quæ eſt En-gedi.* Quæ itaque (ſi conſideremus unde venerint illi, & quo ituri,) non alibi eſſe poteſt quam ultra Jordanem, non procul à Lacu Sodomæ, in regione quæ fuerat Sihonis, Regis Amorrhæorum. Et quidem ſi *Vinea En-gedi*, Cant. 1. 14. de hac En-gedi intelligenda ſit, (& non de altera illa in deſerto Judæ, Joſh. 15. 62. 1 Sam. 23. 29. & 24. 1.) cenſeri poteſt locus ſatis amœnus, ſi non & deliciarum hortus pro ipſo Solomone ; eademque forte (aut non procul inde) cum *Valle Shave, quæ eſt Vallis Regis*. Quæ loca omnia, in hac expeditione memorata, ſunt extra terram Canaan, ad Orientem, verſus Syriam & Arabiam.

Atque jam erant (in reditu ſuo ab expeditionis ſuæ partibus Auſtralibus) reverſi ad partes Sodomæ & Gomorrhæ, Regumque finitimorum, (quos in exitu prætereerant,) eoſque in reditu aggreſſi ſunt, cumque illis pugnarunt, *in Valle Siddim, quæ eſt mare ſalſum*, (hoc eſt, quæ poſt everſionem Sodomæ, facta eſt Lacus, & Mare ſalſum dicebatur, quo tempore ſcripſit Moſes ; ſed & jam antea fuit *puteis bituminoſis referta* ;) Gen. 14. 3, 8, 10. Eſtque ea Vallis ſive planities, in qua ſitæ erant Sodoma & Gomorrha & Adma & Zeboim, (quæ *Civitates Planitiei* dicuntur Gen. 13. 12.) quibus dirutis, facta eſt Lacus, quæ exinde dicta eſt, *Mare Planitiei*, & *Mare ſalſum*, Gen. 14. 3. Num. 34. 12. Deut. 3. 17. Joſh. 3. 16.

Cumque Rex Sodomæ, cum ſociis ſuis, fuerant ibi ſuperati ; ſpoliaque & captivi à Chedarlaomer deportati, ad Hobam uſque quæ eſt Damaſco à ſiniſtra ; poſteaque ab Abrahamo reducti : occurrit Abrahamo redeunti Rex Sodomæ, in Valle Shave : ver. 17. Quæ ſi ea-

 dem

dem ſit (quod omnino videtur) eum Shave-Kiriathaim, ver. 5. neceſſe eſt ut ſit extra terram Canaan ; adeoque non inter Hieroſolymam & planitiem Mamre (ubi habitabat Abraham) prout hoc ſupponit effugium.

Habetque Adricomius (in Tabula ſua Geographica) inter Sodomam & Damaſcum, (extra terram Canaan,) locum *Solyma* dictum (qua fretus authoritate neſcio, niſi quod Hieronymum citet,) in regione quæ *Peræa* dici ſolet, ultra Jordanem, ex adverſo Corazin & Bethſaidæ ; non procul ab eo loco qui *Jobi domus* dicitur, nec longe à *Sylva Ephraim*, ubi occiſus eſt Abſalom, aliquanto propius ad Sodomam. Quem ego locum, Solyma dictum, (potius quam Jebuſi, quæ poſtea dicta eſt Jeruſalem,) putaverim Salem illam eſſe cujus Rex erat Melchizedecus ; quem eundem ego cum Shemo putem.

Interrogabitur fortaſſe, Quid opus erat Abrahamo, tanto circuitu facto, per Sodomam (à Damaſco) redire domum ; & non recto itinere, via breviſſima ?

Sed & pariter (ex adverſo) rogari poterit, Quid opus erat reliquis, tanto circuitu (per totam terram Canaan) incedere, & non recta Sodomam verſus ?

At certum eſt, utroſque eadem inceſſiſſe via, (adeoque alteros circuitu facto ;) nam utroſque ſimul comperimus, cum ipſis in occurſum venit Rex Sodom.

Eademque Reſponſio utrique quæſito ſatisfaciet. Abrahamus, cum ipſos à Chedarlaomer liberaverat, cupiens eoſdem domi ſuæ ſoſpites videre, (præſertim fratrem ſuum Lot ;) copiis ſubſidiariis putare viſus eſt eos indigere, quæ tutos domum deducerent. (Quod ni fuerit, potuiſſet ille recta domum redire qua venerat ; ipſique recta Sodomam verſus ; utrique via breviſſima.) Sed cum id opus eſſe putaverit ; ille, quem non pigebat tanto itinere Damaſcum uſque progredi quo eos à captivitate eriperet, non dedignatus eſt circuitu longiuſculo eoſdem domi ſuæ tutos collocare. Quod ſi ſit ; non dubium eſt quin velit illud via breviſſima & maxime expedita præſtare, non longis ambagibus per totam terram Canaan, ipſamque Hieroſolymam, prout hoc ſupponit effugium.

Porro ; præter ea quæ dicta ſunt, quo probetur Salemum (cujus Rex erat Melchizedecus) non eandem eſſe cum Jebuſi, quæ poſt aliquot ſecula dicenda foret Jeruſalem : nulla probabilitate poterit quis imaginari, tam prope ab Abrahamo vixiſſe Melchizedecum Regem Shalemi, quam eſt Jeruſalem à Mamre. Quippe ſi tam prope vixerit (paucis ab inde milliaribus,) talis Rex aliquis Canaaniticus, qualis erat Melchizedecus (*Sacerdos altiſſimi Dei,*) non dubium eſt quin jam ante forent inter ſe mutuo noti, arctiſſima neceſſitudine conciliati ; (pariterque ſi Salem hæc eadem fuerit cum ea Shalem, Gen. 33. 18.) Taliſque conſociatio, multo gratior foret Abrahamo, quam cum Hamore Shechemita, vel cum Abimelecho Rege Gerar, aliove aliquo ex vicinis Regibus Canaanæis. At ne verbulum occurrit uſpiam vel de tali vicinia, vel conſortio, vel conſociatione. Quod certum mihi viſum eſt indicium, nil tale extitiſſe, nec Melchizedeci Salem tam in propinquo eſſe.

Si porro interrogetur ; Si Melchizedecus hic fuerit Shemus ; quidni ita vocitetur, ſed (alio nomine) Melchizedecus ?

Hic mihi videtur non magni momenti ſcrupulus. Perfrequens enim erat, iſtis diebus, eundem hominem binominem eſſe ; (non minus quam, apud nos, ejuſdem hominis, pro mutata dignitate, vel conditione, mutari Titulos.) Sic Abramus, & Abrahamus ; Jacobus, & Iſrael ; Gideon, & Jerubbael ; David, & Filius Jeſſe ; Solomon, Jedidiah, & Rex Lemuel ; cum multis aliis.

Sed & hac in re videtur aliquid eſſe peculiare, cur hoc fieret. Nam ego exiſtimo, quod nomen *Melchizedek*, (hoc eſt *Rex Juſtitiæ* ſeu *Rex Juſtus,*) non hic habeatur tam pro Nomine Proprio (quod vocant) quam Appellativo ; ſicut eſt *Melech-Shalem* (Rex Shalem ;) & potius Titulus quam nomen Proprium. Sed talis Titulus ut quo Perſona ſatis deſignetur : (Ut cum Servator noſter ſe vocat *Filium Hominis* ; & Johannes dicitur *Baptiſta* ; & Jeſus dicitur *Chriſtus* aut *Meſſias.*) Atque, ut tali, alluditur Hebr. 7. 1, 2. *Nam hic Melchizedecus Rex Salem, Sacerdos Dei altiſſimi, qui occurrit Abrahæ revertenti à cæde Regum, & benedixit ei* ; (*cui & decimas ex omnibus impertitus eſt Abrahamus* ;) *qui primum quidem ex interpretatione dicitur Rex Juſtitiæ* ; *deinde vero etiam Rex Salem, quod eſt Rex Pacis.* Ubi in utroque nomine, reſpicitur ad nominum ſignificationem quaſi Appellativorum.

Sequitur ibidem (Heb. 7. 3.) ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος. *Sine patre, ſine matre, ſine genere* ; *nec initium dierum, neque vitæ finem habens* ; *ſed aſſimilatus Filio Dei, manet Sacerdos in perpetuum.* Quomodo autem poſſunt hæc omnia de Shemo dici ? cujus & Parentes & Proſapiam novimus ; quandoque, & quamdiu vixit.

Jam verum eſt, ſi hæc verba ſtricte, & ſummo rigore, intelligenda forent ; hanc objectionem, dicendum eſt, ſatis eſſe validam. Manifeſtum autem eſt (& ab omnibus agnitum) non eſſe ſummo rigore intelligenda. Ecquis enim dubitat quin Melchizedecus (quiſquis fuerit hominum) & Patrem habuerit & Matrem ; genuſque, ſi non & proſapiam ; vitæque tum initium tum finem. Sed nihil horum *ibi diſerte dicitur* ; ſaltem non in eo contextu, ubi per nomen Melchizedeci deſignatur. Quod quidem videtur, id omne eſſe quod hiſce verbis inſinuatur.

Sed

Sed, de Shemo, (dici poterit,) quamvis non ſub hoc nomine Melchizedeci, aliunde tamen novimus, Noacho Patre natum, alioſque à quibus prognatus eſt majoribus.

Quod quidem omnino vernm eſt. Sed & hoc ipſum de Melchizedeco ſcimus, quamvis non ex hoc loco. Nimirum, quod à Noacho, & Noachi progenitoribus prognatus fuerit, ejuſque poſteris cognatus. Atque hoc totum eſt (quantum ad hanc rem) quod de Shemo cognoſcimus. Sed non magis id, ex hoc loco, de eo cognoſcimus, quam de Melchizedeco.

At, inquam, hoc totum de Melchizedeco non minus dici poteſt, ſi idem cum Shemo fuerit. Nam, quamvis ita ſit, non tamen hic diſerte dicitur, quod Shemus ille fuerit. Sed ex conjectura dicitur (ſed ſatis probabili;) non id diſerte dicitur; locuſque hic, ubi de Melchizedeco agitur, de his omnino ſilet: Atque hoc ſilentium, totum id eſt quod hic ſcriptor ad Hebræos inſinuare videtur, quum dicit eum fuiſſe *ſine patre*, *ſine matre*, &c. Non, qnod ille patrem ant matrem non habuerit; ſed, quod de ipſius patre & matre nulla ſit ibidem mentio facta.

De hoc, inquam, non ſumus indubitato certi, quod fuerit Shemus, (utut id ſit maxime veriſimile;) nam plures adhuc habuit Abrahamus progenitores tunc in vivis, quorum forte aliquis fuerit hic Melchizedecus. Nam (præter Shemum) Arphaxad, Sela, & Heber, erant adhuc ſuperſtites (ut ex eorum temporum Chronologia liquet,) quamvis intermedii progenitores, Peleg, Ren, Serug, Nahor, & Terah, tum fuerint mortui.

Sed, ex omnibus hiſce quatuor (qui tum viverent) magis videtur veriſimile quod Shemus fuerit; quoniam erat ille omnium maxime ſenior; & magis videatur congruum, quod ſolennis ea magnaque Benedictio, foret derivata immediate ab Illo ad Abrahamum, cum jam fuerit Abrahamus ſignanter à Deo deſignatus, ut ille in cujus ſemine benedicendæ forent omnes in terra Nationes. Et quidem, ſi Iſaacus tum natus fuerit, (cui promiſſio ea fuerit porro limitata;) fueritque tunc ibidem præſens; non dubito quin ipſi itidem pariter benediceretur.

Quamvis enim non certo conſtet, quoto anno ætatis Abrahami, hæc parta eſt victoria; attamen, ex hiſtoriæ ſerie, (& quia nondum facta erat mutatio nominis *Abrami*, ad *Abrahami*,) id ſerius factum liquet quam facta eſt ea promiſſio in Ure Chaldæorum (Gen. 12.1. Act. 7. 2, 4.) poſtque ipſius in Canaanæam adventum; Lotique ab eo ſeceſſionem: ſed ante natum Iſaacum, aut etiam Iſmaelem. Adeoque, ante ætatis ſuæ annum Octogeſimum-ſextum; ſed non multo ante.

At vero non omnino videtur veriſimile, Abrahamum, magnum illum Eccleſiæ Dei patrem, patremque Promiſſi ſeminis, (quod ut magni momenti rem notat ſcriptor ad Hebræos, Hebr. 7. 4, 6, 7.) eo tempore quo tot ex ejus progenitoribus adhuc viverent; mittendum eſſe ad maledictam Chami proſapiam, & ſpeciatim Canaanis (præ reliquis maledictorem,) pro ſolenni ea tum Parentali tum Sacerdotali Benedictione obtinenda. Quam benedictionem, tanti momenti rem fuiſſe (loco citato) inſinuatur; ut inde arguatur Melchizedecum magnum fuiſſe virum, (*Spectate quantus hic fuerit*, ver. 4.) & quidem ipſo Abrahamo majorem; & cui Chriſtus ipſe, magnus ille noſter Summus-ſacerdos, aſſimilatur, ut de ipſius Ordine, (*Sacerdos perpetuus, ex ordine Melchizedeci*, Pſal. 110. 4.) eo quod *decimas acceperit ab Abrahamo, eique benedixerit qui Promiſſiones habuit*; *& ſine contradictione, minor à majori benedicitur*. Heb. 7. 6, 7.

Quæ certe non intelligenda ſunt de Locali tantum præeminentia, (qualem infimus quiſque aut Principum aut Sacerdotum ſibi vendicare poſſet in ditione ſua,) ſed de Dignitate Perſonali, quæ cum perſona conjuncta ſit.

Verum ego, tantam Prærogativam haud conceſſerim maledictæ Chami nedum Canaanis proſapiæ: Quibus interminatum eſt, ut Shemitis ſervi forent; non, quod *Homagium* (quod dicitur) ab illis reciperent.

Cumque Idololatria jam in lineam ſacram irrepſerit, in Nahoris familia; (adeoque Abrahamus, cum Patre Tera, & Lot agnato, inde mitterentur extra patriam ſuam;) haud putaverim, maledictos Chami poſteros manſiſſe Religione puriores; ut ex illis aliquis ſignanter dicendus ſit *Sacerdos Dei Altiſſimi*; Chriſtuſque, *ex ejus Ordine ſacerdos*, tanquam, præ Aaronis ordine, nobiliore.

Reſtat adhuc dicendum porro aliquid, de voce Ἀγενεαλόγητος, *abſque genere* ſeu *genealogia*. Hoc eſt, quantum ego intelligo, abſque ulla à majoribus ſuis aſſignata genealogia, à quibus fuerit prognatus; non autem, de poſteris ab eo oriundis; quæ rès ad Scriptoris eo loci argumentum non omnino ſpectabat.

Quod ut rectius intelligamus, recurrendum videtur ad ſimilem locutionem, Ezr. 2. 62. de quibuſdam qui ad Sâcerdotium prætenſiones aliquas fecerant: *Hi quæſierunt ſcripturam genealogiæ ſuæ, & non invenerunt*; *& ejecti ſunt de Sacerdotio*, &c. *donec ſurgeret Sacerdos cum Urim & Thummim.* (nempe, qui dubium illud poſſit determinare, num fuerint, aut non fuerint, ex poſteris Levi & Aaronis, quibus ſolis attinebat jus Sacerdotii.) Unde liquet, nulli competere ad Sacerdotium prætenſionem (nempe, ut ſit *ſacerdos ex Ordine Aaronico*,) qui non poſſit genealogiam ſuam deducere ab Aarone. Secundum expreſſum illud Dei mandatum

datum

datum, quod *nullus alienigena, qui non eſſet de ſemine Aaronis, Sacerdotio fungeretur*; Exod. 28. 1, 40, 41. Num. 3. 10. Num. 16. 46. Num. 18. 7.

Unde arguit Apoſtolus; Sacerdotium Meſſiæ (ut qui *Sacerdos* foret *ex Ordine Melchizedeci*, Pſal. 110. 4.) aliud omnino eſſe Sacerdotium ab Aaronico; & conſequenter, *mutato Sacerdotio* (à Levitico ſeu Aaronico, ad illud Melchizedeci,) *neceſſario & Legem mutatam eſſe*, Heb. 7. 12. Adeoque Legem Leviticam, tempore Meſſiæ, abolendam eſſe, ſeu potius eſſe abolitam.

Hoc ut probet; arguit Melchizedecum (ex cujus ordine futurus erat Meſſias) non potuiſſe, ad Leviticum ſacerdotium, prætenſionem habere; cum ſit, in Melchizedeci hiſtoria, nulla mentio patris aut matris ſuæ, ejuſve genealogiæ, unde conſtare poſſit illum ab Aarone deſcendiſſe. Quippe, quod non habuerit Patrem aut Matrem aut genealogiam ibi memoratam; nulli illic uſui erat, niſi ut argumentum negativum; non poſſe inde conſtare, quod fuerit ex poſteris Aaronis, indeque jus haberet ad Sacerdotium Aaronicum. Atque, ad hanc rem, tantundem erat (quantum ad Apoſtoli argumentum) ſive nullos habuerit (prout nulli memorantur,) ſive nullos qui arguant eum ſic deſcendiſſe.

Sed non hoc argumento negativo contentus acquieſcit, (nempe, quod nulla poſſet genealogia produci, unde conſtet eum ita deſcendiſſe;) ſed procedit porro arguendo, non modo quod non liquet, ſed quod impoſſibile ſit, ut illud eſſet. Eo quod, tum temporis, nondum natus eſſet Aaron, (adeoque poſteros habere non poſſet;) ſed neque Levi (unde oriundus erat Aaron:) Nam *etiam ipſe Levi, qui decimas ſolet accipere, in Abrahamo decimatus eſt; nam is adhuc in lumbis patris erat, cum occurreret Abrahamo Melchizedecus*, Heb. 7. 9, 10. Adeo ut non poſſet Melchizedecus, Sacerdos eſſe ex ordine Aaronis; (ut qui ipſo prior fuerit, adeo & ſacerdotio illo prior quod ab eo incepit, eratque in ipſo Aarone fundatum;) ſed ſuperioris Ordinis ſacerdos (quam erat Aaronicus,) cui & Levi & Aaron (qui in Abrahami lumbis tum erant) ſolvebant decimas.

Et porro adhuc arguit; Sicut in Melchizedeco (qui typus erat) *nulla ſit mentio* ipſius ab Aarone deſcenſus; ita *Dominus noſter* (qui eſt Anti-typus) revera *non deſcendit* ab Aarone; ver. 13, 14; *Nam is de quo hæc dicuntur* (per modum Typi) *ad aliam tribum pertinet, de qua nullus attendit altari: Palam enim eſt, è Juda exortum eſſe Dominum noſtrum; cui tribui nihil de Sacerdotio locutus eſt Moſes.*

Pari modo; à ſilentio de morte & de ceſſatione ſacerdotii Melchizedeci, (qui typus erat,) arguit ille perpetuitatem Sacerdotii Chriſti (cujus ille typus fuerat) abſque ulla ejuſdem determinatione. Nam cum ante dixerat, ver. 3. Melchizedecum habuiſſe *nec initium dierum, nec vitæ finem*; (hoc eſt, non ibi memoratum;) concludit de *Chriſto* (cui *aſſimulatus eſt Melchizedecus*, utpote typus ejus,) quod *non ex lege, cujus mandatum ſit carnale, factus ſit Sacerdos, ſed ex vi indiſſolubilis vitæ: teſtificatur enim in hunc modum, Tu ſacerdos es in æternum, ſecundum ordinem Melchizedeci*, ver. 16, 17.

Liquet igitur, (ex tota ſerie argumenti Apoſtolici,) quod quæ de Melchizedeco dicit, quod fuerit ille *ſine patre, ſine matre, ſine genere; nec initium dierum, nec vitæ finem habens*; non eſſe ſummo rigore intelligenda, quaſi omnino *non habuerit*, (aut illud aliunde non potuerit cognoſci,) ſed quod id *non fuerit ibi memoratum*: Atque quod ex ſilentio, ſeu nulla mentione facta de his, in Typo; adumbratum erat, quod in Anti-typo, illa revera non Eſſent: cum perfectio Anti-typi, futura erat multo major quam Typi: Pro analogia eorum quæ alibi dicit, Heb. 9. 23. *Neceſſe fuit Exempla quidem eorum quæ ſunt in cœlis, hiſce rebus purificari; ipſa vero Cœleſtia, potioribus quam hæ ſunt victimis. Lex enim umbram obtinuit futurorum bonorum, non ipſam expreſſam formam rerum*, Heb. 10. 1. Sufficit, ſi ſit, in typo, *Umbra* ejus, cujus, in re typificata, expectemus Realitatem.

Ex eis igitur quæ hactenus diximus; Quamvis non certe demonſtretur, Melchizedecum fuiſſe ipſum Shemum: At ſaltem hoc manifeſto eſt oſtenſum; quod id omnino eſſe poſſet; ſitque maxime veriſimile quod ita fuerit: Quippe tum *Rex* fuit, tum *Sacerdos Dei altiſſimi*, (ut & Shemus erat;) atque in *Shemitarum terra*; ipſoque *Abrahamo ſuperior*; ut erat Shemus, Abrahami Progenitor, & Anteceſſor in directa linea; atque omnium Patriarcharum, qui tunc in vivis erant, maxime ſenior.

Quin ex adverſo; omnino videtur improbabile, & non facile creditu; quod Abrahamus, Fidelium Pater, magnuſque Pater Eccleſiæ Dei; & Promiſſi Seminis Pater ſignanter declaratus (in quo benedicendæ forent omnes in terra Gentes;) quod hic, inquam, (dum tot ex ejus Progenitoribus adhuc in vivis eſſent) mitteretur ad aliquem ex maledicta Chami & Canaanis proſapia pro obtinenda benedictione; eique (ut Abrahamo ſuperiori) obſequium exhiberet, qui ex eis erat quibus (maledicendo) denunciatum fuerit, quod *ſervi ſervorum* eſſent (hoc eſt, abjectiſſimi ſervi) *fratrum ſuorum*; adeoque Shemitarum.

Quæ quidem conjectura, non alio fundamento nititur quam errori manifeſto; Quaſi, cum fuerit Abrahamus Canaanææ incola, ſeu inquilinus; oporteat & Melchizedecum Canaanæum eſſe. Cum tamen liquido conſtet, quod Abrahamus (utut inquilinus terræ Canaaniticæ) fuit tum temporis (hac occaſione) extra Canaanæam; totaque ſcena rerum tum geſtarum fuerit in terra Shemitarum.

Argumentus

Argumentis ab authoritate petitis abſtineo. Quoniam eadem nobis lux ſuppetit qua judicemus, quæ ipſis aliis; pro hac aut illa opinione. Quippe nihil ſuppetit Authenticum cui inſiſtamus, quo quæſtio determinetur, præter ipſam Melchizedeci hiſtoriam, Gen. 14. eamque de Chriſto prophetiam, Pſal. 110. 4. (quod foret *Sacerdos in perpetuum ſecundum ordinem Melchizedeci*,) quæque hinc arguit Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos, Capp. 5, 6, 7.

Quæ porro occurrunt alibi apud Authores, ſeu Veteres ſeu Recentiores; non alia ſunt quam ipſorum conjecturæ, ex his quæ in ſacro Codice habentur; cum eorum inde ratiociniis pro conjecturis ſuis.

Quod Judæi, ut plurimum, eum fuiſſe Shemum exiſtiment; eſt (ni fallor) in confeſſo etiam apud eos qui ipſi aliter ſentiunt. Sed cauſantur illi hoc eſſe pro vanitate Judaica, qui proni ſunt attribuere, omne quod antiquum eſt & laudabile, alicui de gente ſua eorumve progenitoribus.

Verum, hoc ipſum putaverint ego, non meram eſſe illorum vanitatem (utut nimis forte proclives fuerint ad talem affectationem;) Nam multum ſubeſſe veri hac in re exiſtimo: Nempe; Sapientiæ & eruditionis, quæ apud Ethnicos ſcriptores (antiquiores præſertim) occurrit, magna pars, nedum præcipua, (ſaltem prout ea ad nos deſcendit) à Gente Judaica (eorumque majoribus) videtur derivata. Eorumque Mythologia & Theologia (qualis qualis erat) manifeſtam habere videantur relationem ad ea quæ in ſacro textu occurrant. Quod liquet ex variis talium rerum collectionibus, quas habent Natalis Comes, Bochartus, atque (ex noſtris) Johannes Owen, Theophilus Gale, Jacobus Duportus, Edmundus Dickinſonus, aliique; &, ante hos omnes, Clemens Alexandrinus in Stromatum libris. Nec quicquam habemus Scriptorum Ethnicorum, quod de Antiquitate poſſit cum libris Moſis contendere. Imo antiquiſſimi eorum quos habemus, ſunt etiam Salomone juniores.

Theologi noſtri recentiores (non pauci ſaltem & non incelebres viri) juxta cum Judæis ſentiunt; præſertim poſtquam Hebraicarum literarum ſtudium apud nos excoli cœperit. Et ſpeciatim Hugo Broughtonus, ſtrenuus fuit hujus opinionis patronus. Sed hos, illi qui contra ſentiunt, novitatis inſimulant; eo præſertim quod antiquiores ex Græcis Patribus hac de re prorſus tacent.

At hoc eorum ſilentium, non cedere debet in præjudicium noſtræ ſententiæ; quoniam manifeſta eſt hujus ſilentii ratio. Nempe, quia Græci Patres (Hebraicæ literaturæ vel non omnino, vel parum gnari,) ſecuti ſunt Septuaginta Interpretes Græcos, eorumque Chronologiam: Secundum quam, tum diu mortuus fuerat Shemus. Quem itaque Melchizedecum fuiſſe, non poſſent exiſtimare. Sed, de quoquam alio, nequ ſcio quod illi conjecturam fecerint.

Sed cum Hebraica literatura cognoſci cœperat, veraque textus Hebraici Chronologia, (ſecundum quam, Shemum tunc in vivis fuiſſe conſtat,) ea de Shemo ſententia, quamprimum propalari cœperit, prompte recepta eſt. Et vix quicquam in contrarium allatum video; niſi quod (non habita matura rei conſideratione) Salemum putaverint Hieroſolymam fuiſſe in terra Canaan, & Melchizedecum ibidem Regem. Qui quidem error cum fuerit depoſitus; non video quid aliud contra urgeatur.

Et quamquam non dixerim, hoc eſſe Mathematice demonſtratum: tanta tamen veriſimilitudine (quantum pati poteſt res hujuſmodi) dictum puto, ut aſſenſum facilem mereatur.

DE JOBO DISSERTATIO.

Junii 8. 1685.

QUOD Jobus ille, (cujus hiſtoriam habemus in Sacro Codice,) olim aliquando actu extiterit; non eſt quod dubitemus: quodque illa, quam de ipſo habemus, [illegible] ſit hiſtoria plane ficta; ſed rei aliquando geſtæ.

Verum quidem eſt, quod olim in uſu fuerit (apud gentes præſertim Orientales) Parabolis, Apologis, & aliis Allegorice conditis narrationibus, multa diſſerere. Quod omnino liquet, ex variis Chriſti Parabolis; Quales ſunt illæ De Divite & Lazarô; De Filio Prodigo; De Seminatore qui ſeminatum exivit; De Nuptiis filii Regis, Adveniſque ad [illegible] advocatis; De Decem Virginibus in occurſum ſponſi exeuntibus, (prudentibus [illegible] & quinque fatuis;) De Vinea Agricolis elocata, De Domino peregre abeunte, qui [illegible] concredidit ſervis ſuis ad negotiandum; aliæque plurimæ. Quod & ante o[illegible] in Parabola de Vinea Domini, Iſai 5. multiſque Prophetarum Viſionibus, & [illegible] Prophetis. In Nathanis parabola de Agna femella, 2 Sam. 12. Et Mulieris de T[illegible], Cap. 14. Sed & multo citius in Jothami Parabola, Jud. 9. de Arboribus ſibi Regem eligentibus. Et alibi paſſim.

Sed non putandum eſt, hanc de Jobo hiſtoriam, talem eſſe: ſed rerum vere geſtarum narrationem. Ut quæ tot locorum & perſonarum circumſtantiis ſignata ſit, quæ rem vere geſtam indicant. Sed & citatur, Jacob 5. 11. ut vera Hiſtoria, & Exemplum Patientiæ, (*Tolerantiam Job audiſtis, & vidiſtis finem Domini*; hoc eſt, quem finem Deus dederit, & optandum exitum, ipſius perpeſſionibus;) atque hoc cum Prophetarum exemplis conjunctum, ver. 10. (*Sumite, fratres mei, pro exemplari vexationis & lenitatis, Prophetas qui locuti ſunt in nomine Domini*;) quibus accenſet Jobum. Nec eſt quod putemus, quin ipſe fuerit (ut illi alii) exemplum verum nobis propoſitum; totaque ea narratio non [illegible] parabola. Sed jam ante, Ezek. 14. 14, 18, 20. (ubi Deus ſe ut inexorabilem proponit, caſu illic indicato,) *Etiamſi eſſent hi tres viri, Noah, Daniel & Job in medio ejus, ipſi cum juſtitia ſua non eriperent filios aut filias, ſed ipſi ſe ſolos eriperent.* Quæ omnia indicant Jobum (non minus quam cos alios) actu extitiſſe, veramque eſſe non fictam hiſtoriam quam de illo habemus.

Non negem tamen quin & Poema ſit, ſeu hiſtoria Poetice ſcripta (quamvis non talibus quibus jam utimur verſibus.) Adeoque, quamvis Perſonas & Loca vere deſcribi non dubitem; eoſque ſermones & colloquia, ſummam rei quod ſpectat, prout ibi memora[illegible] prolata fuiſſe: Non auſim tamen ſpondere, quod ea fuerint omnia [illegible], & eiſdem præciſe verbis, prolata, prout jam habemus ſcripta. ſed receſſu poſtea, & per otia, de[illegible] ab homine aliquo divinitus acto; & in hunc ordinem redacta, quæ ad eum ſenſum f[illegible] ab illis collocutoribus prolata. (Quod & de aliis alibi ſermonibus recitatis, intelligendum putem.) Quippe non ſolent homines, tali occaſione convenientes, ſermonibus præconceptis, & ſtudioſe congeſtis, (nedum Poetice exornatis,) omnia fari. Nec amanuenſes præſto habere, qui de ore loquentium ſcripto acciperent quæ ipſi dixerint. Sufficit ſi, quæ jam habemus colloquia, eadem ſint quæ ad eum ſenſum fuerant ab illis collocutoribus prolata, cum talibus ampliationibus & ornamentis, ut in Poematis uſu venire ſoleant.

Quis primus hoc Poema ſcripſerit, neſcimus. Sunt qui putant à Moſe fuiſſe ſcri[illegible]; qui eſt Authorum antiquiſſimus, quantum ſcimus, qui libros ſcripſit. Putaverim ego, potius ab ipſo Jobo conſcriptum eſſe, aut à Collocutorum aliquo, (aut forte pluribus;) tùm alias ob cauſas, tum quia verba quædam, aut locutiones, ab Interpretibus notantur, quaſi Arabiſmum ſonantia; & à Moſis ſtylo aliena. Sed, quis ſcripſerit, non eſt cur ſimus admodum ſolliciti.

Sed neque nos moveat, quod ſit Poetice ſcriptum; quaſi mirum ſit, ea ætate, poeſin cultam fuiſſe. Sed non eſt cur id miremur. Nam veterrimæ quas habemus, etiam eruditionis Ethnicæ reliquiæ, ſunt verſibus ſcriptæ. Ut ſunt Homeri & Heſiodi Poemata, q[illegible] neſcio an quicquam habeamus vetuſtius à quovis Ethnicorum ſcriptum. Sed &, jam diu ante ea tempora, habemus in Sacro Codice Jacobi Benedictionem filiorum ſuorum (Gen. 49. 13, &c.) ſtilo plane Poetico; quamvis non talibus ſit conſcripta verſibus (ut neque eſt Jobi Poema) qualibus poſt uſi ſunt Poetæ Græci Latinive. Sed & Balami Parabola, Num. Cap. 23. iterumque Cap. 24. eſt plane Poetica. Et Moſis Canticum, Exod. 15. aliudque Deut. 32. Ejuſque Benedictio, Deut. 33. Aliaque multa Cantica, quæ, ſub ea ætate, in ſacro Codice paſſim recenſentur.

Eratque jam tum Eruditio exculta, apud Ægyptios; Ut patet Act. 7. 22. Ubi *Moſes, inſtitutus*

ſtitutus eſſe, dicitur, *omni ſapientia Ægyptiorum.* Nec eſt cur dubitemus, quin in familia Shemi, & apud poſteros ſuos, jam diu antea fuerit exculta; ab Ante-diluvianis tradita; atque à Chaldæis ad Ægyptios derivata. Ut omnino fruſtra ſint, qui putent, eruditionem non ante excultam fuiſſe, quam ad Græcos pervenerit, quod multo poſt ſeculis factum eſt. Ut non mirum ſit, hiſtoriam Jobi (magna ex parte) ſtilo Poetico ſcriptam eſſe.

Reſtat, ut (de Jobo) quæramus, Quis fuerit, Ubi vixerit, & Quo tempore. Quæ omnia, ſingulatim conſiderata, videantur inveſtigatu difficilia; ſed, junctim ſumpta, ſibi mutuo facem præbeant.

Nomen hujus Jobi, non alibi occurrit in ſacris literis, quam in hoc libro; & (quod huc directè reſpicit) Ezek. 14. (*Quamvis hi tres viri, Noah, Daniel, & Job, &c.*) iterumque Jac. 5. 11. (*Audiſtis tolerantiam Job*, &c.) Habetur quidem alius eo nomine, *Job filius Iſſachar*, Gen. 46. 13. qui noſter eſſe non poſſit, cum fuerit unus eorum qui cum Jacobo deſcenderit in Ægyptum. Numeratur item inter Joctani filios, Jobab quidam (Gen. 10. 29. & 1 Chron. 1. 23.) nomine non multum abſimili: Sed tempora non conveniunt ut idem ſit cum Jobo noſtro; qui multo ſerius vixit quam ille Jobab. Adeoque Jobi nomen ipſum, haud multum lucis præbebit quærentibus, quis fuerit, aut cum quibus relatione conjunctus erat.

Addititius character; quod fuerit *Vir integer & rectus, timens Dei, & recedens à malo*, Job. 1. 1. una cum ea pietate quæ per totam hiſtoriam conſpicua eſt, tum in ipſo, tum in Amicis ſuis; facit ut credamus eum eſſe ex Shemi poſteris; apud quos Religio, Veruſque Dei cultus, conſervabatur.

Habitaſſe dicitur (Job. 1. 1, 3.) *in terra Uz*; quodque *Vir maximus fuerit, omnium filiorum Orientis*: Quo ſatis indicatur, quod vixerit Orientem verſus, ſaltem reſpectu habito ad terram Canaan. Nam tales deſignari ſolent, nomine *Orientalium*, ſeu *Filiorum Orientis*: ut Gen. 29. 1. Num. 23. 7. Jud. 6. 3, 33. Jud. 7. 12. Jud. 8. 10. 1 Reg. 4. 30. Iſai. 2. 6. Iſai. 11. 14. Iſai. 41. 2. Iſai. 46. 11. Jer. 49. 28. Ezek. 25. 4, 10. Mat. 2. 1, 2, 9.

Sed, in qua parte Regionis Orientalis vixerit, reſtat adhuc inquirendum. Mihique videtur maxime veriſimile, quod fuerit, vel in Syriæ parte inferiori, vel Arabiæ parte ſuperiori, vel in utriuſque confinio, non procul ab Idumæa. Talemque illi tribuit ſitum Adricomius in ſua Terræ Sanctæ Tabula Geographica. In regione quæ *Peræa* dicitur, trans Jordanem. Nec procul inde fuiſſe exiſtimo Salem illam, cujus Rex erat Melchizedecus: Quem eundem & Shemum eſſe, mihi videtur maxime veriſimile.

Et ſatis convenit cum utriuſque inſigni Pietate, ut duo tam eximii viri, (quamvis non eodem præciſe tempore) ſedes ſuas haberent, ſi non eaſdem, ſaltem non longe diſſitas. Quod ſcilicet veri Dei Cultus (uti videtur) circa locum illum per aliquod tempus manſerit, ibique aliquandiu fuerit propagatus, dum alibi terrarum rarus fuerit.

Satiſque convenit hic ſitus, cum incurſionibus Chaldæorum ex una parte, & Sabæorum ex altera parte, Job. 1. 15, 17. inter quos ſitus hic eſt intermedius.

Quantum ad Regionis nomen, Uz; tres invenimus eo nomine viros, à quorum uno videatur regioni (ut tunc moris erat) nomen inditum. Nempe, Uz filium Arami, nepotem Shemi, Gen. 10. 23. 1 Chron. 1. 17. Item Uz ſeu Huz, filium Nahoris & Abrahami fratrem; Et Uz filium Diſhan, filii Sehir, Horitæ, Gen. 36. 20, 21, 28. 1 Chron. 1. 38, 42. Quis horum Regioni nomen fecerit, incertum eſt: Ego potius putaverim fuiſſe Uz filium Arami, filii Shemi. Quippe cum Aram ſit ea regio quæ nunc Syria dicitur, (ut quam occupaverit Aram filius Shemi;) ejuſdem credo portionem aliquam occupaverit filius ejus Uz, quæ regio Uz diceretur.

Quamquam & Mons Sehir, in Idumæa, ſeu Edomæorum terra, non ſit inde procul; quem poſt Horæos, (qui nomen ſumpſiſſe videntur ab Hori, Sehiri nepote, Gen. 36. 20, 23, 30. 1 Chron. 1. 39, 42.) ab Eſavo fuerit habitata ejuſque poſteris, Gen. 36. 8, 9. Joſh. 24. 4. Cui favere videtur illud Thren. 4. 21. *Filia Edom, quæ habitas in terra Uz, ad te tranſiturum eſt poculum* (niſi illud ſit disjunctive legendum, ut quidam volunt interpretes, *ô filia Edom, ô quæ habitas in terra Uz.*) Sed Jer. 25. (ubi idem reſpici videtur *Poculum furoris*; quod *accepturus erat* Jeremias *à manu Domini, bibendum daturus omnibus illis gentibus ad quas illum mittebat Dominus*, ver. 15. 17.) *turba miſcellanea & reges terræ Uz*, ver. 20. manifeſto diſtinguuntur ab *Edom, & Moab, & Amon*, ver. 21. Et quidem ſi *Tidal Rex gentium* dictus Gen. 14. 1, 9. intelligendus ſit de hac *turba miſcellanea*, ver. 20. aut *miſcellanea turba habitantium in deſerto* ver. 24. (quod non eſt improbabile) ſatis hoc convenit, cum eo ſitu terræ Uz quam nos aſſignamus. Nec video, quin eidem conſentiant interpretes; in regione Trachonitidi eam collocantes, in Arami ſeu Syriæ parte inferiori.

Sed & cum Jobus fuerit terræ Uz incola; putemus etiam eum fuiſſe ex poſteris Uz, filii Aram, filii Shemi; adeoque incolam Arami (hoc eſt Syriæ) aut ſaltem in ejus confinio. Quippe non videtur probabile, quod Aramus filium ſuum Uz, procul ab ipſo ablegaret; cum nondum fuerit mundus incolis refertus.

Amici ejus quatuor, qui viſitatum & conſolatum eum venerunt in miſeria ſua, hunc porro ſitum confirmant.

Tres eorum, quamvis à variis locis, ex condicto ſimul venerunt, Job. 2. 11. *Eliphaz Temanita, & Bildad Shuhita, & Zophar Naamathita.*

Horum primus Eliphaz, fuiſſe videtur Idumæus, ex regione Teman; cui nomen dederat Teman, filius Eliphazi, filii Eſavi, Gen. 36. 10, 11. 1 Chron. 1. 35, 36. quæ communi conſenſu reputatur pars regionis Edomæorum, Arabiæ deſertæ finitima.

Hunc Eliphazum, non illum exiſtimo, qui Temanis Pater erat; ſed filium aut nepotem illius Temanis; qui nomen avi aut proavi ſibi habuerit inditum.

Quamvis enim pater aliquis à filio ſuo videatur aliquando agnominationem acquirere; Ut cum Hamor, Shechemita dicitur, à filio ſuo Shechem, aut à civitate filio ſuo cognomine, Gen. 33. 19. Act. 7. 16. Et Sehir, Horita dicitur, ab Hori, nepote ſuo, Gen. 36. 22, 29, 30. 1 Chron. 1. 38, 39. Sic Deut. 26. 5. dicit (qui corbem primitiarum affert) *Syrus*, (ſeu *Aramita*,) *pater meus* &c. (Jacobum innuendo,) quamvis, non ab Aram deſcenderit Jacobus, ſed ab ejus fratre Arphaxad, Gen. 10. 22. Item *Bethuel Syrus*, Gen. 25. 20. & *Laban filius Bethuelis Syri*, Gen. 28. 5. & *Laban Syrus*, Gen. 31. 20, 24. (quamvis non ab Aram deſcenderint,) quoniam incolæ fuerunt Arami, nempe Padan-aram, aut Aram-naharaim, (ſeu Syriæ bifluvialis,) hoc eſt Meſopotamiæ. Quæ quamvis ab aliis tunc incoleretur, nomen tamen jam ante acceperat ab Aramo illo. (Niſi forte dicendum ſit, ſic dici ab Aramo filio Kemuelis, filii Nahoris, Gen. 22. 20, 21.) Et Terah, habitaſſe dicitur *Ure Chaldæorum* (ſeu *Chaſdim*) Gen. 11. 28, 31. aut in *Terra Chaldæorum* Act. 7. 4. cum tamen nomen illud *Chaſdim*, à *Cheſed* dictum videtur, nepote ſuo, Nahoris filio, Gen. 22. 20, 22.

Attamen magis veriſimile videtur, Eliphazum (hic dictum Temanitam.) filium aut nepotem fuiſſe hujus Temanis, quam Temanis Patrem.

Bildad Shuhita, pari ratione, deſcendiſſe videtur à Shuha, uno filiorum Abrahami ex Ketura, Gen. 25. 1, 2. 1 Chron. 1. 32. Quos ſitos eſſe conſtat in Arabiæ parte ſuperiore, prope terram Idumæorum.

Zophar Naamathita, cenſendus videtur, duorum illorum vicinus; non procul inde habitans: Omneſque tres, inter ſe vicini, ad Meridiem iſtius loci ubi terram Uz poſuimus.

Quartus erat Elihu; de quo nihil aliunde diſcimus quam ex hoc libro Jobi.

Erant quidem ejuſdem nominis plures: Elihu Ephraita, avus Elkanæ, patris Samuelis, 1 Sam. 1. 1. Et Elihu Manaſſæus, qui ad Davidis auxilium venit ad Ziklag, 1 Chron. 12. 20. Et Elihu Korita, Nepos Obed-edom, 1 Chron. 26. 7. Et Elihu frater Davidis, 1 Chron. 27. 18. Sed nullus eorum potuit eſſe ille de quo agitur Elihu.

Sic autem deſcribitur, *Elihu filius Barachelis Buzita, è familia Ram.* Job. 32. 2, 6.

Quis fuerit hic Ram, non conſtat. Certe non *Ram, filius Ezroni, & frater Jerahmeelis*, Ruth. 4. 19. 1 Chron. 2. 9, 10. (dictus Aram, Mat. 1. 3.) Nec *Ram, filius Jerahmeelis*, 2 Chron. 2. 25, 27. Nam hi multo ſerius vixerunt.

Sed neque de Barachele quid alibi dictum legimus.

Quicquid igitur hinc lucis ſperemus, eſt ab adjuncto titulo, Buzita. Qui nos referat, non ad *Buzi patrem Ezekielis*, Ezek. 1. 3. neque ad *Buz, Gaditam*, 1 Chron. 5. 14. Sed potius ad *Buz filium Nahor*, Gen. 22. 21. Et quidem, ſi, ut *Ram* alter, vocatur *Aram*, Math. 1. 3. ſic *Ram* hic loci ſit idem cum *Aram*, Gen. 22. 21. merito dici poſſit, *ex familia Ram*, hoc eſt *Arami*. Nam Nahoris filios ſic habemus enumeratos, *Huz primogenitum, & Buz fratrem ejus, & Kemuel patrem Arami, Cheſed, & Chazon, & Pidlaſh, & Jidlaph, & Bethuel: Bethuel autem genuit Rebekam*, &c. Atque de hujus proſapia dictum putemus, quod habetur Jer. 25. 23, 24. Ubi (inter eos ad quos Poculum illud tranſiturum erat) numerantur *Dedan, & Teman, & Buz, regeſque Arabiæ, & miſcellanei populi in deſerto.* Erat autem Dedan filius Keturæ, Gen. 25. 3. Tema filius Iſmaelis, Gen. 25. 15. & Buz, Nahoris, Gen. 22. 21. Arabiæ incolæ, omnes.

Ab illo Buz, filio Nahoris, & fratre Kemuelis, patris Arami, deſcendiſſe putemus *Elihu, Buzitam, ex familia Ram*, ſeu *Aram*. Adeoque ſedem ejus fuiſſe alicubi in Meſopotamia, ubi habemus civitatem *Nahoris*, Gen. 24. 10. Quæ an fuerit *Ur Chaldæorum* ſeu *Chaſdim*, ubi natus erat Nahor, & aliquandiu habitavit, Gen. 11. 28, 31. Act. 7. 2. quæ nomen *Chaſdim* ſumpſiſſe videtur à *Cheſed*, Nahoris filio, Gen. 22. 22. quem itaque ibidem ſitum putemus; non dixerim: An potius *Haran*, quæ itidem erat in Meſopotamia, & nomen ſumpſiſſe videtur ab Harane, Nahoris fratre; quo forte receſſerit una cum Tera, Abrahamo & Loto filio fratris ſui Haranis, Gen. 11. 31. quamvis, de ipſius illuc adventu, nulla ſit mentio, quia non ulterius progreſſus eſt, ſed illic manſit, cum Abrahamus ad Canaanæam proceſſit.

In hac Nahoris Civitate (quæcunque fuerit) comperimus, alium ex Nahoris filiis, Bethuelem; Labanem item & Rebekam, Bethuelis filium filiamque, Gen. 29. 24, 50. Eundemque Labanem poſtea reperimus Harane, in Padan-aram, Gen. 24. 2, 5, 6, 7. Gen. 29. 4, 5. 10.

Nec tamen certi ſumus Nahorem & Bethuelem ibidem habitaſſe, ſed ſaltem Labanem; qui forte interea temporis (ſi Nahoris Civitas ſit Ur) poſſet Haranem ſecedere.

Quamvis enim Gen. 28. 2. Iſaacus jubeat Jacobum, *adire Padan-aram ad domum Bethuelis Patris matris ſuæ, & uxorem ſibi accipere de filiabus Labanis fratris ſuæ matris;*

tris; fieri tamen poteſt, ut *domus Bethuelis* dicatur de *Bethuelis familia* (cujus filius erat Laban) quamvis non in eadem urbe vixerit Bethuel cum Labane.

Utcunque ſit, (de civitate Nahoris,) hoc ſaltem conſtat, Nahoris familiam (aut totam aut ejuſdem partem maximam) in Meſopotamia ſitam eſſe. Et quidem fieri poteſt, ut *Padan-aram* (ſi non ſit nomen totius Meſopotamiæ, ſed partis illius ubi ſita eſt Haran,) aut *Aram naharaim* (Syria bifluvialis, ſeu interfluvialis, utpote inter fluvios Tigrim & Euphratem ſita,) nomen ſumpſerit ab Aramo, Kemuelis filio & Nahoris nepote; potius quam ab Aramo Shemi filio, unde reliquæ partes Syriæ nomen Arami ſumpſerint, ut Syria Damaſcena, Syria Zobah, & Beth-rehob & Maacha, 2 Sam. 8. 5, 6. 1 Chron. 18. 3, 5, 6. Pſal. 60. 1. 2 Sam. 10. 6, 8, 19. 1 Chron. 19. 6, 7, 19. Atque inter cæteros, ſedem ſuam habuiſſe in Meſopotamia cenſeri poſſit Buz; fortaſſe & Huz ſeu Uz frater ejus.

Vel, ſi non in Meſopotamia, ſaltem haud procul inde in altera parte Syriæ, quæ eſt à Meſopotamia verſus Meridiem, ſed verſus Septentrionem ab Uz regione Jobi.

Atque hoc in cauſa eſſe poſſit, quod Elihu non memoratur ut in eodem accedens conſortio cum reliquis tribus; quia à Meridie venerint, & (cum inter ſe vicini fuerint) una venerint. Sed Elihu, alio tempore, ut à plaga contraria.

Quodſi *terra Uz*, nomen ſumpſerit ab Uz ſeu Huz altero filiorum Nahor, & Buzi fratre; tum non tantum ex vicinis Jobi foret Elihu, ſed ex cognatis. At potius putaverim ab Uz Arami filio nomen regioni factum eſſe, quam ab Uz ſeu Huz filio Nahoris.

Hi quatuor Amici Jobi, quamvis ex diverſis familiis, & regionibus diverſis (utut non longe diſſitis,) ex inſigni eorum pietate, quæ per totum eorum colloquium conſpicitur; oſtendunt manifeſto, quod ipſi (pariter ac Job) Cultores fuerint veri Dei, veramque retinebant Religionem: Ut & illi etiam in Meſopotamia, quamvis non nihil Superſtitionis irrepſiſſe videatur.

Atque hinc manifeſto liquet, quod vera Religio, veruſque Dei cultus, non tam arcte coercebatur in Abrahami familias, quin ad alios item extenderetur: quodque illa Dei Reverentia, & Educatio pia, quæ in Abrahami viguit familia, non ſtatim erat extincta, aut ad Iſaacum & Jacobum ſic coercita; ſed aliquandiu in aliis ejus familiæ ramis quadantenus remanſit; apud Eſavum, Iſmaelem, eorumque poſteros, & poſteros Keturæ: Quos non putemus omnes profligatos eſſe, atque à vero Deo protinus deſciviſſe. (Quod & aliunde confirmari poſſet, ſi ea res jam ageretur.) Quamvis haud multum ſit quod ad noſtram cognitionem de his pertigerit; cum tam curta ſit illorum temporum hiſtoria, & fere tota reſtricta ad directam lineam Abrahami, Iſaaci & Jacobi, & (poſt eorum tempora) ad Eccleſiam Judaicam, & quæ huc ſpectant.

Atque hoc eo magis videatur veriſimile, ſi Shemus ipſe (Patriarcharum antiquiſſimus) ſub nomine Melchizedeci, ſedem habuerit in eorum medio (quod nos exiſtimamus) nec multo ante mortuus fuerit. Quippe ſancta ipſius vita, & ſana doctrina, eouſque afficere cenſenda eſt omnes circumcirca vicinos, qui verum Dei cultum retinebant, ut per aliquot hominum ætates non foret oblivioni tradita.

Inter hos Amicos Jobi, quamvis omnes fuerint viri vere pii, manifeſta tamen apparet diſcrepantia in eorum ſermonibus.

Tres illi priores, id agebant, ut Jobum arguerent magni alicujus peccati reum, aut altæ ſimulatæ pietatis; quo fine, haud putandum ſit, quod tam ſevere voluerit illum tractare Deus.

Contra quos ſe ſatis defendit Jobus, ſuamque vindicat innocentiam; & quidem eouſque, ut videatur nonnunquam de Deo durius loqui, quaſi ipſum nimis ſevere tractaverit.

Sed Elihu contra (Cap. 32. & ſeqq.) cui neutrius partis argumentatio nimis placebat; media inſiſtit via. Jobi partibus, adverſus amicos ſuos, eatenus favens; quod non propterea cenſendus ſit vir impius quia talia paſſus fuerit; adeoque cenſores nimis ſeveros fuiſſe amicos ſuos: Contra vero, quamvis virum integrum cenſuerit Jobum, non ei tamen de Deo querendum eſſe arguit ut nimis ſevero.

Quod arguit, à conſideratione, tam immenſæ inter Deum & hominem diſtantiæ; à ſumma Dei majeſtate, potentia, & abſoluto dominio; hominiſque deſpicabili ſorte & impotentia, ſi cum Deo comparetur; (aliiſque Topicis conſimilibus;) Qui poſſit itaque, pro arbitrio ſuo, hominem etiam innocentiſſimum ſic tractare, nec erat propterea quæſtioni obnoxius cur ita fecerit: adeoque decere hominem, Divino arbitrio ſe permittere, abſque obmurmuratione.

Atque Deus tandem (Cap. 38. & ſeqq.) ut totius litis arbiter & moderator, eadem cum Elihu proſequitur argumenta; Juſtitiam ſuam arguit, ſe nihil iniquum contra Jobum feciſſe, nec obnoxium eſſe querelis Jobi: Sed amicos ejus inſimulat culpæ, quod nimis ſevere de ipſo cenſuerint; eoſque monet ut injuſtæ cenſuræ veniam à Jobo peterent, ſintque ipſi ſupplices, ut ille apud Deum precibus & ſacrificio ageret pro illorum indemnitate.

Quam interceſſionem, eorum gratia factam, admittit Deus: Ipſeque Jobo (ut tantæ Patientiæ præmium) duplum eorum, quæ ab eo fuerant ablata, ex poſtliminio reſtituit.

Reſtat porro ut inquiramus, Quo tempore hic loci convenerint illi, cæteraque quæ de Jobo narrantur.

Si Bildad Shuhita ſit ex poſteris Shuhæ, filii Abrahami ex Ketura; neceſſe ut ipſe Shuha fuerit quam Iſaacus multo junior. Nam vixit Sara, poſt natum Iſaacum annis ſaltem triginta ſeptem. Natus enim eſt Iſaac, cum fuerit Abrahamus annorum centum, & Sara annorum nonaginta; Gen. 17. 17. Gen. 21. 5. ſed mortua eſt Sarah annorum Centum viginti & ſeptem, Gen. 23. 1. Hoc eſt, annis triginta & ſeptem poſt natum Iſaacum. Quoto autem anno poſt mortuam Saram nupta ſit Ketura, non liquet; recenſetur autem Shuha tanquam natu minimus filiorum ſex quos habuit Ketura. Ut rite putemus eum quaſi eadem ætate fuiſſe cum Iſaaci filiis, Jacobo & Eſavo, gemellis. Adeoque Shuhæ poſteros, (inter quos Bildad,) multo adhuc poſteriores.

Porro, cum Jacobus & Eſavus eadem fuerit ætate, (utpote gemelli;) recte putemus Eliphazum, Eſavi primogenitum (Gen. 36. 4, 15.) natum fuiſſe ſub id tempus quo Jacobus adiit Padan-Aram: (Quippe tunc Eſavus uxorem duxerat, eratque annorum quaſi quadraginta; ut liquet ex Gen. 26. 34. Gen. 27. 46.) adeoque annis quaſi Nonaginta antequam Jacobus in Ægyptum deſcendit: (Quippe tunc erat Jacobus annorum Centum & triginta, Gen. 47. 9.) adeoque Eliphazum fuiſſe annis quaſi octo aut decem Reubene ſeniorem. Et propterea Teman (Eliphazi filius natu maximus, Gen. 36. 11.) eadem quaſi ætate cenſendus eſt cum Reubenis filio natu maximo. Et Eliphaz Temanita, (Temanis ſaltem filius, ſi non adhuc ex poſteris remotioribus,) non cenſendus eſt naſci multo ante Jacobi deſcenſum in Ægyptum. At putandus potius eſt Eliphaz, non Temanis filius (nam tum potius diceretur Filius Temanis, quam Temanita;) ſed ſaltem Nepos aut ex poſteris remotioribus; adeoque multo ſerius natus quam Jacobus eo deſcenderit; atque adhuc ſerius ſi ex poſteris remotioribus. Eratque Eliphaz ipſe, dum hæc contigerunt, non juvenis quidem, ſed ætate maturus, aut provectus etiam; quippe multo ſenior quam Elihu, (ut liquet Job. 32. 6.) qui tamen ipſe fuit ætate maturus, ut ex ejus ſermonibus liquet. Adeoque neceſſe eſt, ut hæc multo ſerius geſta fuerint, quam Filii Iſrael in Ægyptum deſcenderint, cum Jacobo Patre.

Sed pariter cenſendum eſt, quod (quamvis multo poſt eorum in Ægyptum deſcenſum contigerint) jam ante contigerint quam ex Ægypto redierint Iſraelitæ, Moſe duce: ob has quæ ſequuntur rationes.

Si jam tum condita fuiſſet Eccleſia Judaica, ejuſque cultus ſtabilitus; merito putemus, quod Jobus (*vir integer & timens Deum*) ſeipſum aſſociaret (ut Proſelytum) illi Eccleſiæ; Deumque coleret ſecundum cultus formam ibidem conſtitutam.

Non quod putaverim, Legem Ceremonialem (miniſterio Moſis) Judæis datam, ab omnibus ubivis Deum timentibus neceſſario obſervandam; ceſve omnes teneri ſe proſelytos ſiſtere huic Eccleſiæ; quin poſſent licite Deo inſervire ad modum Patriarcharum ante hæc tempora exiſtentium: Sed, cum Voluntas Divina clarius & plenius ibidem quam alibi patefacta fuerit; probabile eſt, voluiſſe Jobum (hanc occaſionem nactum) ſe ad ipſos aſſociare. Vel (ſi non ut Proſelytum) ſaltem ut Amicum, qui cum illis communicationem coleret, (ut Jethro Midianita, Exod. 18.) de quo nullum extat veſtigium in hiſtoria Judaica.

Adeoque reliquias illas Pietatis, verique cultus Divini, quos apud Uzitas, Buzitas, Temanitas, Shuhitas, & Naamathitas, ſupereſſe comperimus Jobi temporibus, à Patriarchis anterioribus ad ipſos derivatas; putemus, magna ex parte, ſi non prorſus, extinctas fuiſſe, ea ætate qua ex Ægypto redierint Iſraelitæ, erantque potiti Canaanæa.

Quod tamen multo ſerius factum eſſe, quam quæ hic narrantur, certum eſt. Nam Jobus poſtea fuit aliquandiu ſuperſtes; genuitque decem liberos; vixitque annos Centum quadraginta, ut liquet Job. 42. 13, 16; quorum pars magna putanda eſt poſtquam ea geſta ſunt, quæ hic narrantur.

Sed & ea ipſa regio quam habitavit Jobus, aut ipſi ſaltem finitima, ab Ogo (Baſhanis Rege) poſt occupata (in Peræa trans Jordanem;) videtur (Ogo ſuperato) in Iſraelitarum poteſtatem deveniſſe, priuſquam venerint in terram Canaan: Ut jamdiu hæc ante geſta fuerint quam in Canaanæam venerint Iſraelitæ.

Sed nec putandum eſt, (poſt eorum exitum ex Ægypto,) hæc contigiſſe dum adhuc in deſerto manſerint. Nam magnalia illa in Ægypto facta; eorum item tranſitus per Erythræum (ſeu Idumæum) mare; promulgatio Legis in Monte Sinai (ſtatim poſt eorum exitum ex Ægypto;) aliaque quæ in deſerto contigerant; (eorumque nonnulla haud longe à ſede Jobi;) neceſſe eſt ut venerint in cognitionem Jobi, ſi tum ille in vivis fuerit.

At vero, ut nulla facta eſt Jobi mentio (ejuſve patriæ) in Iſraelitarum Hiſtoria, in deſerto degentium; ſic nec ulla mentio facta eſt in libro Jobi, de rebus ſic apud Iſraelitas egregie geſtis: Cum tamen valde congruum foret, de his agi, in illis quæ agebantur diſceptationibus Jobum inter & amicos ſuos, ſi jam fuerint præterita, & ipſis nota.

Nam perpeſſiones Iſraelitarum in Ægypto; Deumque jam eos inde ſtato tempore liberaſſe, ſecundum promiſſionem Abrahamo factam; Ægyptioſque tanto ſupplicio mulctatos eſſe, cum Deus Iſraelitas inde deduxerit elata manu; Partitio Maris Rubri, quo tranſirent illi; promulgatio Legis in monte Sinai; variaque miracula in deſerto facta: Egregia fuiſſent argumenta, tum diſſerentibus; pro illuſtrandis ſanctorum hominum perpeſſionibus;

&

& veritate juſtitiaque Dei, (in ſublevandis juſtis, & injuſtis puniendis,) Divina item majeſtate, potentia, & dominio; aliiſque quæ Jobum inter & Amicos ſuos diſceptabantur; quæque Elihu ut moderator interpoſuit, & Deus ipſe, ut litis arbiter, tandem concludit.

Tam altum igitur ſilentium, de rebus his omnibus, in tota illa diſſertatione, cum tam apta fuerit occaſio de illis diſſerendi; facit ut credamus ea nondum extitiſſe; ſed ea quæ de Jobo narrantur, utut poſteriora fuerint quam Iſraelitarum in Ægyptum deſcenſus; ante tamen contigiſſe quam eos inde eduxerit Moſes; quaſi medio tempore eorum ibidem moræ & ſervitutis.

De quo quidem tempore cum tam parca ſit hiſtoria Moſis, & tam rara fuit occaſio habendæ communicationis inter Iſraelitas (manente eorum ſervitute) cum aliis nationibus; non mirum eſt quod in eorum hiſtoria nihil de Jobo compareat; nec de illis in hiſtoria Jobi.

Si objiciatur; in tota illa diſſertatione, de Potentia & Majeſtate Divina; magniſque Dei operibus, ejuſque provida potentique mundi gubernatione, (de quibus tum ab Elihu, tum ab ipſo Deo, in poſtremis undecim Capitibus iſtius libri diſſeritur;) nulla ſit mentio de Maris fluxu & refluxu, (quæ res non minus miranda videatur quam Nubes, Nix, Grando, Tonitru, Fulgur, Venti, aliaque multa quæ hic diſſeruntur.) Adeoque minus miremur, omiſſa fuiſſe alia nonnulla, quæ apta ſuppeditarent illi colloquio argumenta, etiamſi tunc nota fuerint.

Hæc, inquam, objectio non minus movenda foret contra totius Sacræ Scripturæ reliquum, quam hunc Jobi librum. Nam de hoc Æſtu maris, nuſquam (quantum ego hactenus me obſervaſſe memini) ſit ulla mentio in Sacro Codice. Quod quidem nobis (apud quos ea res tam eſt notoria & obſervatu digna) mirum forte videatur.

At vero, ſi rite conſideremus, qua Scena fuerint acta ea omnia (pleraque ſaltem) quæ in Sacro Codice narrantur; ceſſemus id mirari.

Nam eorum, quæ narrat Hiſtoria Sacra, pleraque; vel eas ſpectant regiones quæ ſunt ultra Canaanæam, (puta, Babyloniam, Aſſyriam, Meſopotamiam, Chaldæam, aliaſque) ad quas non pertingit mare (adeoque nulla ibi occaſio marinos æſtus obſervandi:) Vel ſaltem Ægyptum, Canaanæam, aliaſque regiones Mediterraneo Mari adjacentes: Illudque Mare Magnum, cujus ibi mentio facta eſt, non eſt quem nos vocamus Magnum Oceanum; ſed ipſum Mare Mediterraneum.

In omnibus autem fere Mediterranei Maris oris, (ut nos docent Mercatores Nautæque, ad Alexandriam, Alexandrettam (quam dicimus Scanderoon,) Conſtantinopolim, parteſque vicinas, iter facientes) aut nullus eſt, aut vix obſervabilis, Maris Æſtus. Quam cauſam eſſe judico quod (in Sacris literis) de Arena maris, de marinis fluctibus, de Fremitu maris, aliiſque conſimilibus, ſit frequens mentio; ſed de Æſtu maris, non item. Quoniam in illis Mediterranei maris partibus, aut nullus eſt, aut vix obſervabilis; & multo minus adhuc in Mari mortuo dicto, & Mari Tiberiadis (qui lacus potius ſunt quam Maria,) aut ipſo mari Erythræo.

Et conſonanter ad hæc; In conjecturis noſtris faciendis de Reem (quem Unicornum dicimus) de Leviathan, Behemoth, aliiſque ejuſmodi in Sacro Codice memoratis; non tam conſiderandum eſt quid in noſtris terræ partibus notandum occurrat, cui horum nominum aliquod accommodemus, quam, quid tale ſit in eis regionibus ubi illi vixerint, qui de hiſce verba faciunt. Sed hoc obiter dictum eſto.

His conſideratis; ſumma dictorum huc redit: Jobum exiſtimo unum fuiſſe ex poſteris Uzi, filii Arami, filii Shemi; (quippe illud potius putaverim, quam ex poſteris Huzi, filii Nahoris:) Et terram Uz, quam habitavit Jobus, ſitam eſſe à terra Canaan verſus Orientem; in interiore parte Syriæ (ſive Arami) in confiniis ſuperioris partis Arabiæ & Idumeæ; in regione Peræa dicta, trans Jordanem; non procul ab ea Salem cujus Rex erat Melchizedecus, (quem eundem cum Shemo putaverim.) Tempuſque quo hæc contigerunt, (hoc eſt eam ætatis ſuæ partem qua tanta perpeſſus eſt,) circiter medium iſtius temporis contigiſſe quo morati ſunt Iſraelitæ in Ægypto.

Quam quidem eorum ibidem moram, à tempore quo Jacobus cum filiis reliquis eo deſcendit ad filium ſuum Joſephum, ad eorum inde exitum ducente Moſe, annorum eſſe judico ducentorum & decem.

Nam, à Promiſſione Abrahamo facta, cum erat ille annorum Septuaginta (non ſeptuaginta quinque,) Ure Chaldæorum (non Harane) Gen. 12. 1. Act. 7. 3. ad natum Iſaacum (cum erat Abrahamus annorum Centum, Gen. 21. 5.) præterierant anni triginta. Atque inde ad exitum ex Ægypto, alii quadringenti (cum, non tam ille, quam *filii ſui, inquilini fuerint in aliena terra, annos quadringentos*, Gen. 15. 13. Act. 7. 6.) hoc eſt, à promiſſione primum facta, annos *quadringentos & triginta*, Exod. 12. 40, 41. Gal. 3. 20.

Ex illis (poſt natum Iſaac) annis quadringentis; præterierant Sexaginta ad Nativitatem Jacobi & Eſavi, Gen. 25. 26. Aliique centum & triginta, cum Jacobus deſcendit in Ægyptum, Gen. 46. 6. Hoc eſt omnino centum & nonaginta: Ut fuerint, ex quadringentis, Reſidui adhuc ducenti & decem, quibus in Ægypto morati ſunt Iſraelitæ poſt deſcenſum Jacobi.

Ex

Ex quibus annis, ducentis & decem, ſi putemus ad mortem Joſephi, indeque *ad ortum alterius Regis qui non agnoſcebat Joſephum* Exod. 1. 8. annos quaſi centum alios; reſidui forent anni quaſi centum & decem, quibus duram ſerviebant ſervitutem.

Atque ſub initium hujus ſervitutis, hoc eſt circa medium tempus ipſorum moræ in Ægypto; merito putemus has Jobi perpeſſiones accidiſſe.

DE PSALMORUM TITULIS,

Diſſertatio. Junii 18. 1685.

Pſalmorum Liber, non raro ſolet inſigniri nomine *Pſalmorum Davidis*. Non quod fuerit *David* eorum ſingulorum Scriptor. Sed quod eorum plurimi fuerint ab ipſo ſcripti fueritque ipſe, præ cæteris, inſignis Scriptor.

Eorum aliquos longo poſt tempore quam ipſe vixerit, ſcriptos eſſe res ipſa docet.

Pſal. 137. *Super flumina Babylonis ſedimus & flevimus, cum recordaremur Sion*, ver. 1. *Super ſalices in medio ejus ſuſpendimus citharas noſtras*, ver. 2. *Qui nos captivos duxerant, dixerunt nobis, Cantate nobis de Canticis Sion*, ver. 3. *Quomodo cantabimus canticum Domini in aliena terra?* ver. 4. *Memor eſto, Domine, filiorum Edom in die Jeruſalem, dicentium, Exinanite, Exinanite, uſque ad fundamentum ejus*, ver. 7. *Filia Babylon miſeria vaſtata, Beatus qui retribuet tibi retributionem quam retribuiſti nobis*, ver. 8. Quæ manifeſto denotant Captivitatem Babylonicam; erantque multo ſerius ſcripta quam tempore Davidis. Ego potius Jeremiæ putaverim hunc Pſalmum aſcribendum, (cujus nomen præferunt Septuaginta Interpretes & Vulgatus Latinus,) qui quamvis non fuerit in Babylonem deportatus ipſe, poſſet tamen deportati perſonam induere. Quod in Threnis fit.

Pſal. 79. quamvis Aſaphi nomen in fronte gerat, multo tamen ſerius ſcriptus eſt quam Davidis aut Aſaphi tempore. *O Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam; polluerunt Templum tuum Sanctum; poſuerunt Jeruſalem in acervos*, ver. 1. *Dederunt cadavera ſervorum tuorum eſcam volatilibus cœli, carnem ſanctorum tuorum beſtiis terræ*, ver. 2. *Effuderunt ſanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Jeruſalem, & non erat qui ſepeliret*, ver. 3. *Facti ſumus opprobrium vicinis noſtris, ſubſannatio & deriſio eis qui ſunt in circuitu noſtro*, ver. 4. *Comederunt Jacob, & locum ejus deſolaverunt*, v. 7. aliaque ejuſmodi. Quæ certe ſcripta non fuerunt tempore Davidis, ſed multo poſt. Quippe Templum nondum erat conditum, multoque minus deſolatum, & Jeruſalem in acervos redacta.

Et quamvis *Templi* nomen, videatur aliquando (more Poetico) de Tabernaculo vel Sanctuario dici; ut Pſal. 5. 7. Pſal. 11. 4. Pſal. 29. 9. Pſal. 65. 4. Pſal. 68. 29. Pſal. 132. 2. (qui dicuntur Pſalmi Davidis,) & fortaſſe 2 Sam. 22. 7. Pſal. 18. 6. (niſi his in locis de Cœlo potius ſit intelligendum, ut Pſal. 33. 13, 14. Pſal. 102. 19. 2 Chron. 30. 27.) Et quidem extra Poeſin, 1 Sam. 1. 9. 1 Sam. 3. 3. (ut eſt *Domus Dei*, vel *Domini*, Jud. 18. 31. Jud. 19. 18. 1 Sam. 1. 24.)

At ſaltem illud *Gentes venerunt in hæreditatem tuam*, & *Jeruſalem in acervos redacta*, aliaque hiſce gemina; neceſſe eſt ut de tempore multo poſt ſequente ſint intelligenda. (Nam nil tale contigit ea ætate.) Et quidem, maxime vero ſimile, de Captivitate Babylonica; quando Templum pariter & Urbs Jeruſalem deſtruerentur.

Atque illud *le-Aſaph* in Titulo, exponunt LXX, τῷ Ἀσάφ, *Aſapho*, non *Aſaphi*, ut ſit Pſalmus *Aſapho* (ejuſve poſteris) *dicatus*, potius quam ab ipſo ſcriptus.

Pſal. 74. habetur item in titulo *le-Aſaph*, τῷ Ἀσάφ. Sed multo ſerius ſcriptus. *Utquid, Deus, elongaſti te in finem? & fumat ira tua in oves paſcuæ tuæ?* ver. 1. *Recordare congregationem tuam quam acquiſiveſti ab initio, Virgam quam redemiſti hæreditatis tuæ, Montem Zion quo habitaſti*, ver. 2. *Leva pedes tuos ad deſolationes perpetuas; omnia quæ maligne fecit inimicus in Sanctuario*, ver. 3. *Rugierunt hoſtes tui in medio conventus tui, poſuerunt ſigna ſua, ſigna*, ver. 4. *Diruunt ſculpturam ejus ſecuribus & malleis*, ver. 6. *Immiſerunt igni Sanctuarium tuum, polluerunt in terram tabernaculum nominis tui*, ver. 7. Aliaque multa quæ non contigerunt ætate Davidis aut Aſaphi, neque longo poſt tempore.

Pſal. 80. itidem *le-Aſaph*, τῷ Ἀσάφ. *Domine, quouſque excandeſces ſuper oratione populi tui?* ver. 4. *Comedere nos facis panem lachrimarum, & potum propinas nobis in lachrimis magna menſura?* ver. 5. *Poſuiſti nos contentionem vicinis noſtris, & inimici noſtri ſubſannant inter ſe*, ver. 6. *Vitem ex Ægypto tranſtuliſti, expuliſti gentes & plantaſti eam*, &c. ver. 9. *Cur dirupiſti maceriem ejus, & decerpſerunt eam omnes tranſeuntes viam*. ver. 12. *Conſumpſit eam aper de ſylva, & fera agreſtis depaſta eſt eam*, ver. 13. *Incenſa eſt igne, ſuccisa eſt*, &c. ver. 16. Quæ majorem denotant calamitatem quam quæ contigerat tempore Davidis, aut Aſaphi.

Nec

Nec improbabile eſt, hos Pſalmos fuiſſe à Jeremia conſcriptos. Stilusque illorum non abludit ab ejus ſtilo in Threnis. Multæque clauſulæ ſunt utrobique non abſimiles. Confer Pſal. 79. 6, 7. cum Jer. 10. 25. ubi eadem propemodum occurrunt verba.

Pariter Pſal. 83. qui eſt itidem Pſalmus *le-Aſaph*, τῷ Ἀσάφ. *Ne ſileas, ne taceas, ô Deus*, &c. ver. 1. *Quoniam ecce inimici tui tumultuantur, & qui oderunt te extulerunt caput*, ver. 2. *Dixerunt, Venite & diſperdamus eos ne gens ſint, & nomen Iſrael non ultra memoretur*, ver. 4. *Quoniam unanimiter conſuluerunt, iſto ſimul fœdere*, ver. 5. *Tabernacula Edom, & Iſmaelitæ, Moab, & Hagareni*, ver. 6. *Gebal, & Ammon, & Amalek, Philiſtii, cum habitatoribus Tyri*, ver. 7. *Etiam Aſhur conjunctus eſt eis, auxilio fuerunt filiis Lot*, ver. 8. *Qui dixerunt, Poſſideamus nobis habitacula Dei*, ver. 12. Quæ quamvis non ita plane denotant captivitatem Babylonicam, ut ea quæ memorantur in Pſalmis ante dictis, (machinationes & conſilia potius inimicorum exhibentia, quam eorum effectivam Executionem;) plus tamen innuunt, quam cujus occaſionem videmus in hiſtoria temporis Davidici. Et potius reſpicere videntur tempus Jehoſhaphati, 2 Chron. 20. ubi fit mentio (ver. 1, 2, 10, 22, 23.) *Moabi, Ammonis*, & *Montis Seir*, aliorumque; contra Jehoſhaphatum confœderatorum: ſed irrito conſilio.

Aliaque multa paſſim in Pſalmis occurrunt, quæ neutiquam conveniunt tempori Davidis; quæ non putemus itaque ab ipſo ſcripta.

Sed & Pſalmorum aliquos reperimus, aliorum nominibus inſignitos; quorum nonnulli ſaltem, merito reputentur illorum authores.

Pſal. 90. *Oratio Moſis, viri Dei.*

Pſal. 88. *Maſchil Hemanis Ezrabitæ.*

Pſal. 89. *Maſchil Ethanis Ezrabitæ.*

Et non video quidni hos eis aſſignemus, quorum nomina præ ſe ferunt.

Neſcio autem annon *Ezrabita* hic loci, idem ſit ac *Zarbita*, ſeu filius *Zerah*. Invenimus enim 1 Chron. 2. 6. *filios Zerah* memoratos, *Zimri, & Ethan, & Heman, & Calcol, & Dara*, (ſeu *Darda*;) quorum aliqui videntur iidem ipſi cum eorum aliquibus 1 Reg. 4. 31. recenſitis, ubi Solomon dicitur *ſapientior quam omnes homines, quam Ethan Ezrabita, & Heman, & Darda, filii Mahol.* (Cur autem hic dicantur *filii Mahol*, qui dicuntur illic *filii Zerah*, cauſam eſſe conjicio, quod *Mahol* (eorum pater) fuerit ipſe *filius Zerah*; adeoque illi, *Nepotes Zerah*, ſed dicti *Filii* latiori ſenſu.) Hinc autem recte conjiciamus, hos fuiſſe viros magnos, ſapientia inſignes, & Prophetas ſeu Θεοπνεύστους. Quod ſi ſit; non male conjunguntur hi tres Pſalmi 88, 89, & 90, ut ſcripti ab antiquioribus Davide. Sed eorum materia contenta non ſatis congruit, præſertim Pſalmi 89, ubi Davidis facta eſt mentio aliquoties. Et quidem Davidis eſſe putaverim, ſi per Titulum liceret.

Pſal. 72. Titulum habet *Li'ſhlomoh*. Poteſtque reddi vel *Solomonis*, vel *Solomoni*. Nam præfixa *le*, indifferenter de utrovis exponi poteſt. Poteſt utique *Li'ſhlomoh* innuere Pſalmum *Solomonis*, ut *Le-David* Pſalmum *Davidis*; & materia mihi contenta Solomonem potiſſimum ſpectat, ejuſque regnum pacificum.

Quod in contrarium maxime ſuadet, eſt id quod ad calcem ſubjicitur, *Finitæ ſunt orationes David filii Jeſſe.* Hoc vero, an hunc ſpeciatim Pſalmum ſpectat, an hunc cum aliquot ex præcedentibus, non dixerim. Videtur autem innuere, hunc Pſalmum potius à Davide ſcriptum eſſe, intuitu Solomonis, (ejuſque regni proſperi & pacifici,) quam ab ipſo Solomone. Huc etiam facere videtur, quod ipſo ſtatim initio habetur, *Deus, Judicia tua Regi da, & juſtitiam filio Regis*; ver. 1. (quaſi *Rex* David, hic contradiſtingueretur Solomoni *Filio Regis.*) Quod tamen (niſi id alterum eſſet ad calcem) ſatis intelligi poſſet de Solomone, qui (pro ſtilo Poetico) duplici charactere deſcribitur, ut qui *Rex* erat, & *Regis filius*. LXX Interpretes habent εἰς Σαλωμών, *In Salomonem*: Quaſi fuerit hic Pſalmus, à Davide ſcriptus, de Solomone. Quod omnino dicendum videtur.

Pſal. 127. Inſcribitur, *Canticum graduum* (Li'ſhlomoh) *Solomonis* vel *Solomoni* Ex verſu primo (*Niſi Dominus ædificaverit domum, fruſtra laboraverunt qui ædificaverunt eam; Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.*) Scriptus videtur occaſione vel ædificationis Templi, vel Domus Solomonis. Atque tum, ſive ab ipſo Solomone ſcriptus fuerit, ſive ab alio quopiam pro eo, erit ſaltem poſt tempora Davidis Scriptus.

Pſal. 45. A quo ſcriptus ſit ex titulo non conſtat. Sed, ex ſubjecta materia, videtur vel ab ipſo Solomone ſcriptus, vel ab alio aliquo cum relatione ad illum; occaſione nuptiarum ejus cum filia Pharaonis.

Quodque Solomon ipſe (præter libros alios) Pſalmos item ſeu Cantica ſcripſerit, diſerte dicitur, 1 Reg. 4. 31, 32. Ubi etiam, ob ſapientiam ſuam, nominatim præfertur *Ethani Ezrabitæ, Hemani*, aliiſque.

Pſalmorum multi præ ſe ferunt Aſaphi nomen (*le Aſaph*) *Aſaphi*, vel *Aſapho*, τῷ Ἀσάφ. Ut Pſal. 50. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. Quorum aliquos, non omnes, putaverim ab Aſapho ſcriptos.

Non omnes, inquam. Quamvis enim *le-Aſaph* (ſi nihil ſuaderet in contrarium) vide-

retur innuere Pſalmum *Aſaphi*, vel *ab Aſapho ſcriptum*; perinde ac *le-David*, Pſalmum à *Davide* ſcriptum: Sunt tamen quæ ſuadent non eos omnes ab Aſapho ſcriptos.

Nam materia quorundam innuere videtur tempus poſterius Aſaphi tempore, (qui fuit Davidi σύγχρονος atque ab illo rei Muſicæ præfectus, 1 Chron. 6. 31, 32. 1 Chron. 25. 1, 2.) Quod modo dictum eſt, de Pſalmis 74. 79. 80. 83.

In quibus omnibus (&, in quot aliis, neſcio) illud *le-Aſaph*, τῷ Ἀσάφ, nil aliud videtur eſt innuere, quam quod fuerint *Aſaphi curæ commiſſi*; (qui vel Muſicam ipſis aptaret, vel ſaltem ipſis rite canendis proſpiceret;) non, quod fuerit eorum Scriptor.

Atque, *Aſaphi* nomine, intelligendos eſſe *Aſaphum ejuſque fratres*, (1 Chron. 16. 7) vel *Aſaphum ejuſque filios*, aut etiam ſimpliciter *filios Aſaphi*, (ut 1 Chron. 25. 1, 2, 9. 2 Chron. 20. 14. 2 Chron. 29. 13. Ezr. 2. 41. Ezr. 3. 10. Neh. 7. 44. Neh. 11. 17, 22.) Nempe, illum Cantorum ordinem, qui fuerat Aſapho aſſignatus, atque ab ipſo denominatus.

Quod quo melius intelligamus, notandum eſt, Quod David, cum Arcam Domini, ex Domo Obed-Edom, tranſtulit ad Tentorium ſeu Tabernaculum quod ipſi paraverat in Civitate Davidis (2 Sam. 6. 7, 10, 16, 17. 1 Chron. 15. 1, 3, 12, 25, 29. 1 Chron. 16. 1. 2 Chron. 1. 4.) conſtituit (inter alios Officiarios) Tres Ordines Cantorum qui coram Arca miniſtrarent, *quos conſtituit David ad miniſterium Muſicum, in domo Jehovæ, ex quo quievit Arca*, 1 Chron. 6. 31. Hoc eſt, ex quo perducta fuit Arca, in tentorium quod ei paraverat David Zione, ſeu in civitate Davidis, ibique poſita; non alio inde transferenda; ſed Templum ibidem conſtruendum (quod deſignaverat David, & conſtruxit Solomon) quo reciperetur.

Hic utique permanſura erat, ſeu *quietura*, Arca Domini. Non (ut prius) de loco in locum deportanda. Utpote, primitus in *Eremo* de loco in locum mota; poſtea variis in locis poſita; nunc in *Gilgal*, nunc in *Miſpeh*, nunc in *Baal-ſhemeſh*, nunc in *Kiriath-Jearim* ſeu *Baale Judah*, nunc in domo *Obed-Edom*, & alibi, Joſh. 4. 19. Joſh. 5. 9, 10. Joſh. 6. 6, 11. Joſh. 7. 6. Joſh. 9. 6. Joſh. 10. 6, 15, 43. Joſh. 14. 6. Joſh. 18. 1, 9, 10. Joſh. 19. 51. Jud. 18. 31. Jud. 20. 1, 27. 1 Sam. 4. 3. 1 Sam. 6. 12, 13, 14, 19, 21. 1 Sam. 7. 1, 2. 1 Sam. 10. 17. 2 Sam. 6. 2, 10, 11. 1 Chron. 13. 5, 6, 13, 14. Fortaſſis etiam in *Nob*, & *Gibeon*, 1 Sam. 21. 1, 6. 1 Reg. 3. 4, 5. 2 Chron. 1. 3, 4, 5, 6.

Qui locus ſic aſſignatus, dicitur deinceps Manſio ejus, ſeu *Habitaculum ejus*, & *habitaculum nominis ſui*, & *habitaculum Tabernaculi congregationis*. Pſal. 76. 2. *In Salem Tabernaculum ejus*, & *Habitaculum Zione*. Sic Pſal. 79. 7.

Atque hic loci Cantores, hac occaſione deſignati, *adminiſtri erant in Muſica, coram habitaculo tabernaculi congregationis*, (quod intelligendum puto de hoc Tentorio ſeu Tabernaculo, quod paraverat David, potius quam de eo quod Gibeone adhuc remanſerit, 2 Chron. 1. 3.) *uſque dum* (ſeu *antequam*) *ædificaverat Salomo domum Jehovæ Hieroſolymis* (nempe Templum Hieroſolymitanum,) *atque tum demum* (poſt Templum ſic conditum) *ibidem obibant ſua munera, pro ſuo cujuſque ordine*. 1 Chron. 6. 32. Quodque hoc (ante Templum conditum) de Tabernaculo, à Davide erecto, (non de illo quod Gibeone fuit) intelligendum, patet ex 1 Chron. 16. 4, 5, 37, 41, 42.

Horum autem Cantorum, Tres erant Ordines conſtituti; quorum Principes ſeu Præfecti, erant *Heman*, & *Aſaph*, & *Ethan*. 1 Chron. 6, 33, 39, 44. Ex quibus *Heman* (cum ſuis) conſiſtebat *in Medio*; *Aſaph* (cum ſuis) *ad Dextram*; & *Ethan* (cum ſuis) *ad Siniſtram*, ver. 39, 44.

Notatu non indignum eſt, hoſce tres Cantorum Ordines, deſumptos eſſe ſingulos, ex tribus Levitarum familiis, à tribus filiis Levi prognatis; qui fuerunt *Gerſhon*, *Kohath*, & *Merari*. (Gen. 46. 11. Exod. 6. 16. Num. 3. 17. Num. 26. 57. 1 Chron. 6. 1, 16.) Nimirum, *Heman* à *Kohath*, 1 Chron. 6. 33, 38. *Aſaph* à *Gerſhon*, ver. 39, 43. & *Ethan* à *Merari*, ver. 44, 47.

Hæc eadem nomina (Heman, Aſaph, & Ethan) repetito habemus, (atque eodem ordine) 1 Chron. 15. 17. iterumque ver. 19.

Pro quibus habemus, *filios Aſaphi*, *Hemanis* & *Jeduthunis*, 1 Chron. 25. 1. qui omnes ſeparatim notantur, ver. 2, 3, 4. & ſimul omnes, ver. 6.

Num Jeduthun idem ſit qui Ethan, haud certo dixerim; an (Ethane, caſu aliquo, deficiente,) *Jeduthun* illius loco ſubſtitueretur.

Videtur hic Jeduthun idem fuiſſe ac *Jeduthun pater ipſius Obed-Edom*, 1 Chron. 16. 38. Suntque *Heman* & *Jeduthun* (etiam ſat cito) conjuncti 1 Chron. 16. 41, 42. Et utrique cum *Aſaph* (qui ante memoratus eſt ver. 37.) junctim miniſtrantes in magna illa ſolennitate, pro *Arca* collocanda in *Civitate Davidis*, quæ ver. 1. memoratur. Quæ videtur occaſio prima pro conſtituendis his Cantorum Ordinibus, 1 Chron. 16. 31. *ex quo Quievit Arca*. Atque hic *Jeduthun* 1 Chron. 26. 1. ſicut ipſe Ethan, 1 Chron. 6. 31, 44. & 1 Chron. 15. 16, 17. huic miniſterio à Davide deſignatus: & quidem (ut ex collatis 1 Chron. 15. 16, 17. & 1 Chron. 16. 37, 41, 42. videatur) pro eadem ipſa ſolennitate.

Eſt itaque omnino probabile, quod idem fuerit *Jeduthun* & *Ethan*. Novimus enim in Sacris Literis non infrequens eſſe, eundem Hominem, *diverſis Nominibus* appellare; aut

eodem

eodem nomine (parum variato) *diverſis modis ſcripto.* Poteſtque nomen *Jeduthun*, compoſitum eſſe ex *Ethan* cum alia aliqua voce præfixa. Sic *Hoſhea* & *Jehoſhua*; *Salem* & *Jeruſalem*, (ſaltem ſi eadem ſit *Salem* & *Jeruſalem* ;) *Coniah* & *Jeconiah*; item *Ram* & *Aram*. Aliaque ſimilia.

Hi autem tres Cantorum Ordines, à Davide conſtituti, ad miniſtrandum coram Arca ſic locati, Continuantur in Templo Solomonis ; ut patet 1 Chron. 6. 32. 2 Chron. 8. 14. Et (multo ſerius) ſub Hezekiah, 2 Chron. 29. 13, 14. ubi iterum occurrunt *Filii Aſaph*, *filii Heman*, *filii Jeduthun* : Atque hi (ver. 25, 30.) *Laudantes Jehovam ex præcepto Davidis*. Et qoidem, ſaltem *filii Aſaph*, temporibus *Ezræ* & *Nehemiæ* ; (*Laudantes Jehovam, ex præcepto Davidis Regis Iſraelis, & Solomonis filii ejus*,) Ezr. 2. 41. Ezr. 3. 10. Neh. 7. 44. Neh. 12. 35, 36, 45, 46. Ejuſque ſimul & *Jeduthunis poſteri*, Nehem. 11. 17, 22. Omneſque Tres Ordines (quamvis non ſub nomine Cantorum) recenſentur inter eos qui (poſt Captivitatem) habitarunt Hieroſolymis, 1 Chron. 9. 1, 2. Nempe *Mattaniah* ex *filiis Aſaph*, & *Obadiah* ex *filiis Jeduthunis*, ver. 15, 16. & *Shallum* ex *filiis Korah*, ver. 19. Quem ultimum, *Korabitarum* Ordinem, eundem puto cum *Hemanis* ordine.

His Cantorum Ordinibus, eorumque curæ (reſpectivè,) committebantur varii Pſalmi & Cantica ; (ſive ut eis aptarent Muſicam, ſive ut aliàs curarent rite canenda, quod particulatim jam neſcimus,) ut liquet ex eorum prima conſtitutione, 1 Chron. 16. 7. *Eodem die* (quo Arca primum inducebatur in Civitatem Davidis) *tradidit David primum, hunc Pſalmum* (*ad celebrandum Jehovam*) *in manum Aſaphi & fratrum ſuorum.* Nempe Pſalmum illum qui ibidem ſequitur, uſque ad ver. 37. Qui quidem idem fere verbatim eſt cum Pſal. 109. (uſque ad ver. 16.) & Pſal. 96. (per totum,) & Pſal. 106. ver. 1, 47, 48.

Num autem ea verba *tradidit primum*, id innuant quod hic ſit *primus Pſalmus* quem ſic tradidit ; an, quod hic Pſalmus *tum primum* tradebatur, (& non prius ;) nolim determinare.

Ex Pſalmis ſic recommendatis curæ *Aſaphi & filiorum ſuorum*, exiſtimo multos ex illis eſſe qui titulum gerunt *le-Aſaph* (*Aſaphi*, vel *Aſapho* ;) eos præſertim qui, ex materia inibi contenta, videantur ipſius ætate poſteriores ; aut etiam, poſteriores Captivitate Babylonica. Nam euſque continuata fuit, ſaltem Ordo filiorum Aſaph, ut modo oſtenſum eſt ex Ezr. 2. 41. Ezr. 3. 10. Neh. 7. 44. Neh. 11. 17, 22. 1 Chron. 9. 15. Et quantum ad illum Pſal. 83. qui reſpicere videtur tempus Jehoſhaphati, 2 Chron. 20. expreſſe dicitur, ver. 14. *Levita è filiis Aſaph.*

Nonnulli tamen ex illis qoi hunc gerunt Titulum, videntur ab ipſo Aſapho fuiſſe conſcripti.

Nam eorum ſaltem unus, alterius Ordinis curæ videtur commiſſus, (qui tamen Aſapho inſcribitur, quaſi ab ipſo ſcriptus,) nempe *Jeduthunis* Ordini, Pſal. 77. (*Lamnatſeach al-Jeduthun, le-Aſaph mizmor* :) *Præfecto* ; *ſuper Jeduthun, Aſaphi Canticum.* Qui itaque videtur Pſalmus, Jeduthunis curæ commiſſus, ſed ab Aſapho ſcriptus.

Atque ad Hezekiæ ſolenne ſacrificium, 2 Chron. 29. canere dicuntur non tantum *ex præcepto Davidis*; &c. & *inſtrumentis Davidis Regis Iſraelis*, ver. 25, 27. ſed ipſis *verbis Davidis, & Aſaphi videntis*, vel (ut habent οἱ LXX) *Aſaphi Prophetæ*, ver. 30. Unde liquet *Aſaphum* (pariter ac Davidem) *Prophetam* fuiſſe, & *Pſalmorum ſcriptorem.*

Jam vero, ut *Aſapho*, ſeu *filiis Aſaphi* ; Sic & *Jeduthuni*, inſcribuntur Pſalmi aliquot (ut Pſal. 39, & 62, & 77.) ub *LJeduthun*, ſeu *al Jeduthun*, potius redditur *Jeduthuni*, vel *pro Jeduthune*, quam *Jeduthunis*, (οἱ LXX habent τῷ Ἰδιθὼν & τῷ Ἰδιθών.) Habent enim, eorum ſinguli, alium Authorem indicatum. Nempe, Primores duo Davidis nomen præ ſe ferunt ; Tertius, Aſaphi. Quaſi quidem fuerint Jeduthuni (ejuſve Ordini) commendâti ; ſed illi à Davide, hic ab Aſapho, conſcripti.

Sed nullum video *Ethanis* Ordini (ſub eo Nomîne) dicatum. Niſi forte Pſal. 89. (cujus Titulus, *Maſchil, Ethanis Ezrabitæ*,) de hoc *Ethane* intelligatur. Ubi tamen *Ethan* videtur potius Authoris nomen, quam nomen Ordinis cui dicatur. Nam qui huic Ordini dicantur, *Jeduthunis* nomen videntur præ ſe ferre ; quem eundem eſſe putaverim cum *Ethane*. Neque conſtat *Ethanem Ezrabitam*, eundem eſſe cum *Ethane Cantore* ; utut fortaſſe fuerit.

Neque ullos video *Hemanïs* curæ aſcriptos, ejuſve Ordini, aut *filiis Heman*, ſub eo nomine. Niſi ſic cenſeatur Pſalmus 88, qui eſt *Maſchil Hemanis Ezrabitæ* ; ſed *filiis Korah* dicatus ; ut ſit *Heman* potius Authoris nomen. Quippe tota inſcriptio ſic ſe habet ; *Canticum ſeu Pſalmus filiis Korah* : *Lamnatſeach, al-Mahaloth le-annoth* ; *Maſchil Hemanis Ezrabitæ.* Neque conſtat eundem eſſe *Hemanem Ezrabitam*, & *Hemanem Cantorem* ; utut forte fuerit.

Sed, quod *ſub eo Nomine* non invenimus, potarim ſub alio nomine reperiri. Quippe hunc *Hemanis Ordinem*, eundem eſſe puto atque *filiorum Korah.* Erat enim Heman ipſe, ex filiis Korah ; ut patet 1 Chro. 6. 33, 37. Ubi recenſetur ipſius Genealogia, ab ipſo Korah derivata, qui fuit Nepos Kohathi, filii Levi.

Cujus appellationis ratio, hæc eſſe poſſet : *Heman* ipſe, quamvis Præfectus Ordinis, forte non tot habuit ſui Filios, aut tam numeroſam progeniem, ut potuerint toti muneri exequendo ſufficere ; adeoqoe opus habuerint, ſubſidium aſſumere (qui ſuppleant hunc de-

fectum) ex *Agnatis* ſuis, *filiis Korah*: Indeque Ordini nomen factum eſt *filiorum Korah*, potius quam *filiorum Heman*.

Atque tum huic Ordini, (ſub nomine *filiorum Korah*) aſcribuntur Pſalmi, 42. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 84. 85. 87. 88.

Inſcriptio altera (quæ paſſim occurrit) *La-mnatſeach*; ab ipſis LXX redditur εἰς τέλος, *in finem*; ab Interlineari Interprete, *Victori*; ab aliis, *Magiſtro Symphoniæ*, aut *Præfecto Muſicæ*, aut ad eum ſenſum. Poteſtque indifferenter intelligi de quovis Ordine; ſeu Præſide cujuſvis Ordinis; nunc hujus, nunc illius.

Aut etiam ſpeciatim de *Chenaniah* (ejuſque in eo munere ſucceſſoribus) qui (1 Chron. 15. 22, 27.) dici cenſetur, canendo *Princeps*; ut præ cæteris peritus.

Huic *Muſicæ Præfecto* ſimpliciter (non addito, qualis Muſicæ,) aſcribuntur Pſalmi 11. 13. 14. 18. 19. 20. 21. 31. 36. 39. 40. 41. 42. 44. 46. 47. 49. 51. 52. 57. 58. 59. 62. 64. 65. 66. 70. 75. 77. 85. 109. 139. 140.

Nonnunquam addi videtur indicatio, Cui generi Muſicæ, aut quibus Inſtrumentis, ſpeciatim accommodandus ſit ille Pſalmus. Sed Muſices modi, & Inſtrumentorum genera apud eos tunc uſitata, ſunt nobis nunc dierum tam parum cognita, ut nobis dictu ſit difficile quid ſingulis ſignificetur.

Ut *Lamnatſeach in Neginah*, vel *Neginoth*, Pſal. 4. 54. 55. 61. 67. 76. Itemque Habak. 3. 19.

In Neginoth ſuper Sheminith. Pſal. 6.

Lamnatſeach ſuper Nehiloth. Pſal. 5.

Super Gittith. Pſal. 8. 81. 84.

Super Muth-labben. Pſal. 9.

Super Sheminith. Pſal. 12. Item 1 Chron. 15. 21.

Super Ajeleth-ſhaher. Pſal. 22.

Super Shoſhannim. Pſal. 45. 69.

Super Shuſhan-eduth. Pſal. 60.

Super Shoſhannim-eduth. Pſal. 80.

Super Alamoth. Pſal. 46. Item 1 Chron. 15. 20.

Super Mahaleth. Pſal. 53.

Super Mahalath-leannoth. Pſal. 88.

Super Jonath elem-rechokim. Pſal. 56.

Item *Super Sigionoth.* Habak. 3. 1.

Nonnunquam habetur nomen innuens, qualis ſit Materia Pſalmi, (addito vel non addito nomine Authoris, ejuſve cui commendatur;) ut *Mizmor* Pſalmus, (ſeu Canticum,) Pſal. 3. 4. 5. 6. 8. 9. 12. 13. 15. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 29. 31. 38. 39. 40. 41. 47. 49. 50. 51. 62. 63. 64. 73. 77. 79. 80. 82. 84. 85. 98. 100. 101. 109. 110. 139. 140. 141. 143.

Nonnunquam ab Interpretibus ſuppletur. Ut Pſal. 11. 14. 18. 25. 26. 27. 28. 32. 34. 35. 36. 37. 52. 53. 54. 55. 61. 69. 70. 72. 81. 103. 138. 144. 145.

Sic *Mizmor ſhir*, aut *Shir mizmor*. (Pſalmus, Canticum.) Pſal. 30. 48. 65. 66. 67. 68. 75. 76. 83. 87. 88. 92. 108.

Shir Hammahaloth. (Pſalmus graduum.) Pſal. 120. 121. 122. 123. 124. 125. 126. 127. 128. 129. 130. 131. 132. 133. 134.

Tephillah. (oratio.) Pſal. 86. 90. 102. 142.

Shiggaim. Pſal. 7.

Michtam. Pſal. 16. 60.

Al taſchith. Pſal. 71.

Al taſchith Michtam. Pſal. 57. 58. 59.

Maſchil. Pſal. 32. 42. 44. 45. 52. 53. 54. 55. 56. 74. 78. 88. 89. 142.

Le-hazchir. (Ad recordandum.) Pſal. 38. 70.

Le lammed. (Ad docendum.) Pſal. 60.

Le-jom ha-ſabbath. (In diem Sabbati.) Pſal. 92.

Le-todah. (Pro laudatione.) Pſal. 100.

Tehilla. (Laus, laudatio.) Pſal. 145.

Nonnunquam innuitur Occaſio ſcribendi Pſalmum; ut

Cum fugerit ab Abſalomo, filio ſuo. Pſal. 3.

Super verbis Cuſh Benjamitæ. Pſal. 70.

In die quo eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum ſuorum, & de manu Saul. Pſal. 18.

In dedicatione domus Davidis. Pſal. 30.

Quando mutavit vultum ſuum coram Abimeleco; qui dimiſit eum, ipſeque abiit. Pſal. 34.

Quando venit ad eum Nathan Propheta, quum intraverat ad Bathſhebah. Pſal. 51.

Quum veniſſent Ziphæi, dixerintque Sauli, Nonne David abſcondit ſe nobiſcum? Pſal. 54.

Quum tenuerunt eum Philiſtii in Gath. Pſal. 56.

Quum fugeret à facie Saulis in ſpelunca. Pſal. 57.

Quando miſit Saul, & cuſtodierunt domum, ut eum occiderent. Pſal. 59.

Quando

Quando contendit cum Aram-naharaim, & cum Aram-Joba; Et reverſus eſt Joab & percuſſit Edom in valle Salis, duodecim millia. Pſal. 60.

Quando erat in deſerto Judæ. Pſal. 63.

Afflicti; quum anxius fuerit, & effuderit coram Domino precem ſuam. Pſal. 102.

Quum fuerit in ſpelunca. Pſal. 142.

Qui præ ſe ferunt nomen Davidis; videntur ipſi tribuendi omnes, ut Authori. Ut ſunt Pſal. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 68. 69. 70. 86. 101. 103. 108. 109. 110. 122. 124. 131. 133. 138. 139. 140. 141. 142. 143. 144. 145.

Eorum qui vel nullum habent titulum præfixum, vel nullam inibi ipſius mentionem factam; neque omnes Davidis eſſe, neque nullos, concludere licet.

Non *omnes*, inquam; nam (ut ante oſtenſum) eorum aliqui videntur (ex Titulo) aliis aſcribendi; alii (ex materia inibi contenta) videntur ſerius conſcripti quam ætate Davidis.

Neque *nullos* eorum concludamus ipſius eſſe. Nam eorum aliqui, qui nullam ipſius in Titulo mentionem faciunt, poſſunt tamen, aliis rationibus, cenſeri, illius eſſe.

Ut ſunt Pſal. 105. 96. 106. Quoniam ipſi, (vel eorum pars maxima,) continentur in eo Pſalmo qui Davidi tribuitur, 1 Chron. 16. 7. ut ab eo traditi Aſapho.

Et Pſal. 72. quamvis in fronte ferat nomen Solomonis; ex Epilogo tamen videtur à Davide ſcriptus. *Finiuntur Orationes Davidis filii Jeſſe.*

Et (propter eundem Epilogum) cenſendus videtur (qni proxime antecedit) Pſal. 71. illius item eſſe; utut ſit ἀνεπίγραφος.

Et Pſal. 2. (uteunque ſine Titulo) citatur ut à Davide ſcriptus. Act. 4. 25. Et quidem videtur ab ipſo ſpeciatim ſcriptus, occaſione Captæ (de Jebuſæis) Arcis Zionis, 2 Sam. 5. 6, 7. 1 Chron. 11. 4, 5. quæ non, ante tempus illud, venerat in poſſeſſionem Iſraelitarum.

Sed & Pſalmos alios aliquot, ſive ob materiam inibi contentam, ſive ob ſtilum ipſum, ſive ob alias circumſtantias, merito ſentiamus illius eſſe.

Sic Pſal. 104. 105. 106 107. quia videntur eſſe continuatio Pſalmi 103. (qui Davidi aſcribitur,) & Pſal. 108. (ſimilis ſtili & argumenti) eidem diſerte aſcribitur; atque videntur omnes ejuſdem argumenti, ſed ſic diviſi ne foret Pſalmus longiuſculus. Et quidem eorum duo, Pſal. 105. & 106. ſic omnino cenſendi ſunt (ut ante oſtenſum eſt) propter 1 Chron. 16. 7. Et quia Pſal. 107. idem habet exordium ſolenne cum Pſal. 106.

Idemque dicendum videtur (ob eandem cauſam) de Pſal. 118. & 136. propter Exordium ſimile, ſimileque argumentum, & ſtilum ſimilem. Item Pſal. 135. & 115.

Pſal. 132. videtur (ob ſubjectam materiam) Davidis item eſſe; & propter ejus conformitatem cum 2 Sam. 7. & 1 Chron. 17. Pariterque Pſal. 78. quamvis Aſaphi nomen præ ſe ferat, utpote cujus curæ fuerit commendatus.

Atque ob ſimiles rationes putaverim (etiamſi deeſſet Titulus) ejuſdem eſſe Pſal. 15. *Quis habitabit in Tabernaculo tuo? quis requieſcet in monte tuo ſancto? Qui perfecte incedit, & operatur juſtitiam, & veritatem loquitur in corde ſuo*, &c. Et Pſal. 24. *Quis aſcendet in montem Domini, & quis conſiſtet in loco ejus ſancto? Qui eſt mundus manibus & purus corde; qui non accepit in vanum animam ejus, nec juravit doloſe proximo ſuo*, &c. Qui videntur ab eodem Authore ſcripti, propter ſimilem utrobique quæſtionem & reſponſionem; eodem ſenſu, quamvis non eiſdem verbis. Item Pſal. 101. propter ſimilem characterem illius qui *in ejus domo habitaret*, qui eſt eorum *qui habitent in Monte Sancto.* Adeoque omnes Davidis eſſe, propter ibidem memoratum *Tabernaculum*, & *Montem Sanctum*, & *Civitatem Domini*, (quæ eadem eſt cum *Civitate Davidis*,) & *Domum Davidis*; & quia David (qui *Montem Zion* vocat *civitatem Davidis*,) delectari videtur memorando *Montem Zion*, & *Sanctum Dei montem*, (quem dedicaverat David Cultui Divino;) & quia non poſſit eſſe Privatæ conditionis aliquis, qui dixerit Pſal. 101. 8. *mature ſuccidam omnes impios de terra; ut exſcindam à civitate Domini, omnes operantes iniquitatem.* Quæ omnia (etiamſi abeſſet Titulus) ſatis deſignant Davidem Authorem. Sed hic, ne dubitemus, præfixus ſingulis Titulus *le-David*, idem indicat. Pariterque de multis aliis (ſive præfixum habeant, ſive non habeant, Davidis nomen,) ex materia ſubjecta, aliiſque loci circumſtantiis, judicandum erit.

Sed, ubi Titulus id non indicat, neque ex ſubjecta materia, locive circumſtantiis determinatum videatur in utramvis partem; incerti ſumus, an ſit, aut non ſit, Davidi aſcribendus ille Pſalmus.

DE
SACRA TRINITATE,
CONCIONES TRES;
Anno 1691. Anglice primum editæ;

Nunc redditæ Latine.

AD

Lectorem Monitio.

HARUM Concionum Prima, hic habetur, prout Anglice habita erat Oxoniæ, in Conventu Academico, Anno 1664*, illi tum loco tum tempori accommodata; ſed quæ jam tum, ante annos plus minus Viginti, (ſummam rei quod ſpectat) fuerat habita Londini. Quod moneo, ut oſtendam, eam quæ hic habetur verborum Conſtructionem, ſeu Explicationem, non eſſe jam nuper fictam, quo præſenti ſubſerviatur occàſioni; (quod ſuggerit nonnemo, ſanæ de Sacra Trinitate doctrinæ parum amicus, quaſi* pariter & Nova *fuerit* & Cauta:) *Sed quam ego jam tum amplexus eram ut receptam Expoſitionem. Quam & jam video, ſaltem non minus antiquam eſſe, quam eſt Auguſtini Epiſtola* 174. *Conciones duæ Poſteriores, tum nuper additæ fuerant cum primum ederentur Anglice, annò* 1691. *Occaſione ſcriptorum aliquot à me tum nuper editorum, quibus propugnaretur ſana de Sacra Trinitate doctrina, à male ſanis quibuſdam, in variis libellis tum oppugnata. Ubi multa prius à me ſparſim dicta (prout oppugnantium poſtulabat ratio) fuſius aliquanto & aptiori ordine digeſta jam habentur. Si, quod jam præſtiti, tuendæ Veritati, Deique Eccleſiæ, ſubſerviturum ſit; habeo quod expetebam, operæque impenſæ non pœnitebit.*

DE

DE

SACRA TRINITATE,

CONCIO PRIMA;

Oxoniæ habita, ad Academiam *Oxonienſem*.
Decemb. 27. 1664.

Johan. XVII. 3.

Αὕτη δέ ἐστιν ἡ αἰώνιος ζωὴ, ἵνα γινώσκωσί σε, τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν, καὶ, ὃν ἀπέστειλας, Ἰησοῦν Χριστόν.

Hæc eſt autem Æterna Vita, ut Te cognoſcant, illum ſolum verum Deum, &, quem miſiſti, Jeſum Chriſtum.

NON multis opus erit ut oſtendam, quem cepi Textum explicandum, ſat tempeſtivum eſſe: Cum Chriſti *Miſſionem* hac tempeſtate celebramus; &, *Scriptoris* memoriam, hodierno die. Quin & hujuſce rei tractatio, Chriſtianis Auditoribus nunquam intempeſtiva cenſeri debet; eis præſertim qui ex profeſſo dant operam Cognitioni acquirendæ; quibus nulla potior habenda eſt, quam *Cognitio Dei, Chriſtique ſui*, quæ eſt omnium maxime deſideranda.

Nec objiciendum erit, hanc novam non eſſe, ſed dudum cognitam doctrinam: Tum quia multi ſunt qui præ ſe ferunt, ea ſe ſcire, quæ aut vere neſciunt, aut factis negant: Tum quia multa ſunt, quæ probe ſcimus, de quibus tamen opus eſt ut ſæpius moneamur. Quid quod & multos videmus, quibus non diſplicet ea ſæpius audire memorata quæ aut Uſui ſibi aut Laudi eſſe putant; non magis quam Ingenioſo Viro, Laudari; aut, bellæ Fœminæ, Venuſtam prædicari; quamvis (quod dici ſolet) id ipſum plus ſatis noverint. Cum igitur, Deum Chriſtumque ſcire, nobis tum Utilitati tum Laudi ſit; vobis non grave futurum ſpero, quod hac de re verba faciam; tum ut qui nondum ſciunt, tandem diſcant; tum ut qui probe ſciunt, inde delectentur.

Nec eſt ut veniam deprecer, quod ſtilo plano ſimplicique, hac in re uſurus ſim; cum & mei moris ſit, & profeſſionis, *Demonſtrare*, reſque planas & perſpicuas reddere; non ornatu nimio perplexas & intricatas; Quod Auditores attonitos forte reddat, & quandoque placeat aut titillet; raro autem vel Doceat vel Perſuadeat: ut fucus adventitius, qui nativam vitiat pulchritudinem; vel nimius ornatus, qui veſtem ſubtus probam abſcondit.

Quæ legi verba, ſunt ipſius Chriſti Servatoris noſtri, ad Patrem ſuum cœleſtem prolata, in favorem Diſcipulorum ſuorum. Suntque pars Precationis ſuæ, qua claudit Hortationem illam, ſeu Sermonem Valedictorium Diſcipulis ſuis factum, ea veſpera quæ diem præceſſit quo perpeſſurus erat. Quem Sermonem habemus fuſe repetitum, præcedentibus Capitibus decimo quarto, decimo quinto, & decimoſexto; quem, capite decimo ſeptimo, hac Precatione concludit.

Precationem hanc orditur à Petitione de *Vita Æterna*, quam (pro poteſtate ſibi à Patre conceſſa) *daturus* erat *eis omnibus quos ipſi dederit Pater*, hoc eſt, eis omnibus qui in eum forent credituri: Quam Petitionem claudit hoc Epiphonemate, *Hæc autem eſt Vita Æterna, ut cognoſcant Te, unicum illum verum Deum, &, quem miſiſti, Jeſum Chriſtum.*

Quæ quidem verba conſiderare licet, methodo (ut loquuntur Scholæ) vel *Synthetica*, vel *Analytica*; Quarum Priorem ſequi ſolent in Scientiis *Speculativis*, Poſteriorem in *Practicis*.

Si conſiderentur *Synthetice*; exhibent nobis, Primo, *Cauſam* ſive Principium, *Cognitionem Dei Chriſtique*; Secundo, *Effectum* ſeu Conſequens hujus Cognitionis, *Vitam Æternam*.

Si *Analytice* conſiderentur; Proponunt, primo, *Finem* glorioſum, *Vitam Æternam*: Et, ſecundo, *Medium* huic Fini accommodatum, *Cognitionem Dei, & Chriſti*.

Priori ſenſu conſiderata, hoc exhibent documentum; nempe, quod *Præcellens Cognitio Dei Chriſtique, glorioſum habet hoc conſequens, Æternam Vitam*.

Poſteriori ſenſu, hoc docent; quod *Vera via methoduſve obtinendi Æternam Vitam, eſt, Dei Chriſtique Cognitio*.

Nec multum intereſt, utro ſenſu accipiantur; *Synthetice*, an *Analytice*: Sive ut *Theorema*, Effectum hunc illius Cauſæ affirmans; ſive ut *Problema*, Medium oſtendens ad illum Finem.

Ego Poſteriorem conſiderationem potius prætulerim (ſed Prioris non excluſivam:) Quoniam anſa data eſt huic Epiphonemati, ab *Æterna Vita* anteriori verſu memorata; (non ab ante memorata *Cognitione Dei Chriſtive*;) ut videatur potius *Directio*, quomodo acquirenda ſit *Æterna Vita*; quam *Indicatio*, quis ſit Effectus illius *Cognitionis*. Sed, Uno facto, fit & Alterum.

Incipiam, primo, ab eo quod in ordine verborum primum occurrit; nempe, à *Fine* propoſito, *Effectuve* ſeu Conſequente hujus Cognitionis; ſeu *Felicitate* quæ hanc conſequitur: quæ, propter Excellentiam ſuam dicitur *Vita*, &, propter Durationem, *Æterna*: *Hæc eſt Æterna Vita*.

1. *Vitæ* nomen hic intelligo ſenſu Figurativo ſumptum, prout *Bonum* innuit ſeu *Felicitatem*; ſicut, ex adverſo, *Mors*, præſertim *Æterna Mors*, innuit *Miſeriam*.

Eſt quidem, paſſim memorata, ſaltem *Vita* triplex; & totuplex ex adverſo *Mors*; Naturalis, Spiritualis, & Æterna.

Vita Naturalis (quæ eſt primaria, maximeque propria vitæ acceptatio) facillius mente concipitur, quam poſſit verbis definiri. Illum innuit Activum ſtatum ſeu conditionem, quæ ab Animæ Corporiſque unione oritur, ſive in Homine, ſive in aliis Animantibus, (ut de Plantis nihil dicam,) cujus Privatio ſeu defectus (recedente Anima) *Mors* dici ſolet. Illud utique ſecundum quod (in communi ſermone) dicitur quis, *Vivus* eſſe aut *Mortuus*.

Atque hæc *Vita*, ſpectari ſolet ut Bonorum Naturalium præcipuum; adeoque *Mors*, ut Malorum Naturalium maximum. Quoniam Vita eſt Fundamentale illud ſeu Bonum Primigenium, quo fit ut aliorum quæ bona ſunt ſimus capaces; &, amiſſâ Vita, amittuntur omnia. Hinc eſt quod dicitur Job. 2. 4. *Pellem pro pelle, & quicquid ipſi eſt, daturus eſt homo pro Vita ſua*; Illudque Solomonis, *Præſtantior eſt vivens Canis, quam Leo mortuus*, Eccleſ. 9. 4. Quippe quum Vita receſſit, ſuccedit incapacitas aut bonum Efficiendi, aut Fruendi Bono.

Ex hac Vitæ conſideratione, oriuntur illi omnes ſignificatus hujuſce Vocis. Quippe cum Vita ſpectatur bonorum naturalium maximum, & Mors ut maximum malorum naturalium: Hinc fit ut illa (per Synecdochen Speciei) paſſim uſurpetur (à Scriptoribus tum Sacris tum Profanis) pro *Bono* indefinite, præſertim pro Summo Bono; atque hæc, contra, pro *Malo* indefinite, ſaltem Summo Malo: Illa quidem pro *Felicitate*, hæc pro *Miſeria*.

Atque tum porro (per Synecdochen Generis) hæc generalis Boni Malive notio, ſeu Felicitatis Miſeriæve, vocibus Vitæ & Mortis inſinuata, accommodari ſolet huic illive Bono aut Malo, prout fert occaſio; Puta, Vitæ Spirituali *Gratiæ*, Mortique Spirituali *Peccati*; itemque Vitæ Cœleſti *Gloriæ* in Cœlis, & Æternæ Morti *Miſeriæ* in Inferno. Sic Moſes ad Iſraelem Deut. 30. 19. *Propoſui tibi, Vitam & Mortem, Benedictionem & Maledictionem*, (ubi Vita & Mors, tantundem valent atque Benedictio & Maledictio,) *quare Vitam elige, ut vivas; tu cum ſemine tuo*; hoc eſt ut ſitis vos Felices. Sic verſu 15. ejuſdem Capitis, *Propono tibi hodie Vitam & Bonum, item Mortem & Malum*. Ubi Vita & Bonum, ſunt Exegetica alterum alterius; itemque Mors & Malum. Sic, apud Poetam, *Non eſt Vivere, ſed Valere, Vita*. Sic Deus Adamo in Paradiſo, (neque enim novus eſt ille aut heſternus Tropus) *Quo die comederis de fructu illo, morte morieris*; hoc eſt, Miſer fies. Scimus enim Adamum non eo die mortuum eſſe morte naturali (ſed poſt annorum aliquot centurias;) Sed jam ſtatim factus eſt Miſer eodem die; Cujus quidem Miſeriæ, mors naturalis non niſi Pars fuit. Sic Rom. 6. 23. *Stipendium peccati, Mors eſt*: Ubi complexio Malorum, quæ meretur peccatum, aut infligit Deus, *Mors* dicitur; ſicut, ex adverſo, tota illa Felicitas, ſeu Bonorum complexio, qua fruuntur Sancti, vocatur *Vita*; quippe ſic ſequitur, *Donum autem Dei, eſt Vita æterna, in Chriſto Jeſu Domino noſtro*. Atque ſic hic, per *Vitam* intelligimus *Felicitatem*, quæ eſt Morti *Miſeriæ* contraria: Atque tum (per Metalepſin, ſeu Tropum multiplicatum,) illam ſpeciatim Felicitatem, qua in Gloria potiuntur Sancti (non excluſa tamen ea qua fruuntur in hac Vita;) eamque, contra, Miſeriam quam in Inferno patiuntur Improbi.

Verum quidem eſt, habituros eſſe Sanctos, in Cœlo, Vitam etiam ſtricto ſenſu ſumptam; propter Animæ Corporiſque futuram unionem poſt Reſurrectionem; & facultatum

Vitæ

Vitæ (ſaltem præcipuarum) exercitium. Non tamen hanc exiſtimo genuinam eſſe iſtius vocis notionem hoc in loco. Quamvis enim habituri ſint, in cœlo Sancti, veram Corporis Animæque Unionem, ſed & iſtius unionis ſenſum & cognitionem, ſtatuſque in quo tunc erunt conſtituti, (quod & *Vitam* inſinuare poſſet, & quidem Vitam *Rationalem*:) Eſt tamen non minus verum, damnatos in inferoſ vitam hoc ſenſu habituros, (nam & horum etiam corpora cum animabus ſuis futura ſunt unita, eruntque & illi miſeriæ ſuæ conſcii;) Non tamen hæc eorum conditio, dici ſolet æterna *Vita* (quamvis ſenſu naturali ſic dici poſſit, ſitque eorum infelicitas quod ita ſit;) ſed *Mors æterna*; quoniam eſt æternæ Miſeriæ vita, non Felicitatis: Nam Vivida Miſeria, eſt (ſenſu noſtro) veriſſima Mors.

Secundo; Ut propter Excellentiam *Vita* dicitur; ſic, propter Durationem *Æterna*.

In Allegoriis, & Figurative dictis, eſt in Sacra Scriptura frequens, Epitheton aliquod ſubjungere, quo Figurata vox, ab eadem nativo ſenſu ſumpta diſtinguatur. Cumque adhibetur vox ea Figurata ad Excellentius quiddam ſignificandum, quam quod innuit nativa ſignificatio; ſolet hoc Epithetum conſignificare peculiarem aliquam ſuperadditam Eminentiam. Sic Chriſtus, 1 Cor. 10. 4. *Rupes dicitur Spiritualis.* Et Joh. 6. 15. Panis *Vivens*; & Manna, *quod de Cœlo deſcendit*. Quo diſtinguantur voces ſic ſumptæ Metaphorice, ab ea *Rupe*, eoque *Manna*, quorum facta eſt mentio, in eorum per Deſertum itineratione. Sic Eccleſiam Chriſti deſcribit Apoſtolus, ut Lapides *Vivos*, in Domum *Spiritualem* aſſurgentes; *Sanctumque* Sacerdotium, ad *Spiritualia* Sacrificia Deo offerenda, 1 Pet. 2. 5. Tum ut his Epithetis contradiſtinguantur à Lapidibus Templiſque *materialibus*, *Leviticoque* Sacerdotio, & *Beſtiarum* Oblationibus; Tum ut eorum præ hiſce dignitas & eminentia inſinuetur. Sic Cœlum *Novum*, Terra *Nova*, *Novaque* Hieroſolyma, Apoc. 21. 1, 2. Eaque *quæ eſt ſuperne Jeruſalem*, Gal. 4. 26. *Non* (inquit Chriſtus) *de Fructu Vitis bibiturus ſum, donec Novum vobiſcum bibero in Regno Patris mei*, Mat. 26. 29. Non, quod fuerit Chriſtus *Tale Vinum* denuo bibiturus in Regno Patris ſui; ſed *Vinum Novum*; aliud quidem ab eo quod hic Vinum dicitur; Gaudia nempe Spiritualia; quibus magis oblectarentur Animæ Spiritusque quam hocce Vino Corpora. Sic, *Ego ſum Vera Vitis, Paterque meus Agricola*, Joh. 15. 1. *Ego ſum Bonus ille Paſtor*, Joh. 10. 11. Non, quod Chriſtus magis *Vere* fuerit *Vitis*, eo ſenſu quo Vitis apud nos dicitur; aut etiam *Opilio*, qui Oves quas vulgo dicimus curet; Sed, quod in Chriſto fuerit id alius generis multo Eminentius, quam quod in Vite videmus (quod tamen hæc quadantenus repræſentet;) multoque major in ſuos Affectus, majorque Sollicitudo, (ſed alius generis,) de illis quos Gregem ſuum appellat, quam Opilionis eſt de ſuis Ovibus. Pariter & hic; *Hæc* inquit *eſt Vita Æterna*; non Vitam innuens Naturalem, (qualem nos vulgo Vitam dicimus;) ſed alius generis Vitam, Beatitudinem, Felicitatem; Bonum longe Præcellentius quam quod ſolemus Vitam dicere; quodque hæc admodum imperfecte repræſentat, *Æternam Vitam*.

Atque hæc quidem Æternitas, ut Vitam hic indicatam, à vulgo dicta Vita diſtinguit, ut ſaltem ſit Aliud quid: Sic & dignitatem ſimul inſinuat, ut quid Excellentius. Et, ſpeciatim, *Æternam Durationem*, hujus tam Eximiæ Felicitatis. Quæ talis ſit, ut Initium quidem habuerit, ſed nunquam habitura Finem. Atque hinc eſt quod toties appelletur *Æterna Vita*, Vita *Sempiterna*, & quæ ſunt hujuſmodi: ut haud facile enumeraverim loca, quibus talem ſubit Compellationem: *Æternam hæreditatem*; *Domicilium in Cœlo Æternum*; *Hæreditatem quæ nec Perire poteſt, nec Contaminari, nec Marceſcere, nobis in cœlo ſervatam*; *Regnum quod Concuti non poteſt*; *Gloriæ pondus Æternum*; *Cum Mortale noſtrum induerit Immortalitatem*: Et ſimilia. Heb. 9. 15. 2 Cor. 5. 1. 1 Pet. 2. 4. Heb. 12. 28. 2 Cor. 4. 17. 1 Cor. 15. 53. & alibi.

Atque hæc quidem *Æternitas*, Vitæ ſuperaddita, (Æterna *Duratio*, ſummæ *Felicitati*,) facit ut hæc *Æterna Vita* ſit *Perfecta Felicitas* & undiquaque Completa. Nam perfectio *Gradus*, quam innuit *Vita*, non aliam admittit completionem, quam perfectionem *Continuationis*, quam adſignificat vox *Æterna*. Sicut, ex adverſo, Perfecta *Miſeria*, quæ manet Impios, non aliam patitur Aggravationem, quam illam *Perpetuitatis*, quam obſignat illa Triſtiſſima, Miſeriæ vividæ, deſignatio, *Æterna Mors*. Utramque habemus ex adverſo poſitam, Math. 25.46. *Abibunt hi in Æternum Supplicium*; *Juſti vero, in Vitam Æternam.*

Atque hactenus de Primo conſiderando diximus, Felicitate propoſita, ſeu Fine conſequendo, *Æterna Vita*.

Ante autem quam Secundum illud, *Dei Chriſtique Cognitionem*, directe conſideremus; notanda venit duorum Connexio, in verbo *Eſt*, (*Hæc Eſt autem Æterna Vita.*) Quæ ſaltem duplicem admittit acceptationem. Quippe cenſeri poteſt hæc, vel ut Prædicatio *Formalis*, vel ut *Cauſalis* Prædicatio. Nempe, *Hæc Eſt Vita æterna*; hoc eſt, *in hoc Conſiſtit* æterna vita. Vel ſic etiam, *Hæc eſt æterna vita*; hoc eſt, Hæc eſt *Via*, ſeu Medium, *obtinendi* æternam vitam.

Prior illa acceptatio, ſatis convenit doctrinæ Scholaſticorum, qui Cœleſtem Felicitatem collocant in *Beatifica Viſione*; hoc eſt, in Viſione ſeu Cognitione Dei. Hujuſmodi nixi locis, & horum ſimilibus. Mat. 5. 8. *Beati ſunt puri corde, quoniam ipſi Deum Videbunt.*

Et 1 Cor. 13. 9, 10, 12. *Ex parte Cognoſcimus, & ex parte Prophetamus; poſtquam advenerit quod Perfectum eſt, tunc, quod ex parte eſt, abolebitur: Cernimus enim nunc per Speculum & per Ænigma; tunc autem coram cernemus: Nunc Cognoſco ex parte; tunc vero Cognoſcam prout Cognitus ſum.* Et 2 Cor. 3. 18. *Nos omnes retecta facie gloriam Domini ut in ſpeculo Intuentes, in eandem imaginem transformamur, ex gloria in gloriam.* Itemque 1 Joh. 3. 2. *Chariſſimi nunc filii Dei ſumus, ſed nondum patefactum eſt quod erimus: quando autem* Is *patefactus fuerit* (ſeu, *quando* id *patefactum fuerit,*) *erimus ei ſimiles, quoniam Videbimus eum ſicuti eſt.* Aliiſque Sacræ Scripturæ locis, tantundem innuentibus. Et quidem minime dubitandum eſt, quin ea Perfecta Cognitio, ſeu Intuitio, ſaltem Pars erit, neque minima, Beatitudinis illius quam in Cœlo futuram exſpectamus; prout ex locis illis, aliiſque ſimilibus, recte colligitur. Adeoque non improprie dicatur, quod *Æterna Vita,* ſaltem in parte, in tali Cognitione *Conſiſtit.*

Neque hic objiciendum erit, Quod, non per ſolam Cognitionem, prout eſt actus Intellectus, Deo fruimur; quo noſtra conſtat Beatitudo; ſed per actum Voluntatis, quo ipſum Amamus, Amplectimur, eoque Delectamur.

Quamvis enim id verum ſit, non tamen hoc officit ante dictis. Nam neque hic agitur de Cognitione mere *Speculativa* & Notionali, qua ſolus verſetur Intellectus: Sed de Cognitione Activa ſeu *Practica*; quæ Voluntatem, Affectus, cæteraſque Facultates debite Conformes præſtet. Atque in tali quidem (in Intellectu) Cognitione Dei, cum debita Voluntatis & Affectuum conformitate, non eſt negandum quin *conſiſtat* noſtra Felicitas, etiam ea quæ eſt *Æterna Vita.*

Sed ego (non excluſo hoc ſenſu) *Cauſalem* potius hic putaverim Prædicationem. Ut indicetur *Via* ſeu *Medium* obtinendi Æternam Vitam *Hæc eſt Vita Æterna*; hoc eſt, Via qua tenditur ad Æternam Vitam; Nempe, *Ut Te cognoſcant, Unicum illum verum Deum, &, quem miſiſti, Jeſum Chriſtum.* Quippe Dei Chriſtique cognitio, eſt directa Via qua Vitam Æternam conſequamur. Huic conſonum eſt illud Chriſti, Joh. 12. 50. *Mandatum ejus, eſt, Æterna Vita.* Suntque frequentiſſimæ hujuſmodi *Metonymiæ* Effectus pro Cauſa. Sic illud Chriſti, Joh. 11. 25. *Ego ſum Reſurrectio & Vita*, hoc eſt, earum Author Effectorque. Sic Luc. 12. 15. *Non conſiſtit humana vita, in abundantia rerum quas poſſidet*; hoc eſt, non ita hinc dependet, ut inde ſit ſecura: Sive, ut alibi Chriſtus, Mat. 4. 4. (quod ex Deut. 8. 3. citatur,) *Non ſolo pane vivit homo.* Moſes item, de ſedula mandatorum Dei obſervantia verba faciens, Deut. 32. 47. *Hæc* inquit *eſt Vita veſtra, & hac re prolongabitis dies veſtros*; (ubi clauſula poſterior, eſt prioris Exegetica:) in eadem verborum forma quæ hic habetur, *Hæc eſt Vita Æterna*; hoc eſt, Medium quo conſequamur Æternam Vitam.

Cumque hæc ſit plana & ſimpliciſſima verborum Interpretatio: proxime diſpiciendum eſt, Quid illud eſt quod hic ait Chriſtus, Æternam eſſe Vitam; ſeu, Viam quæ conducit ad Æternam Vitam. *Ut Te cognoſcant, illum unicum verum Deum, &, quem miſiſti, Jeſum Chriſtum.*

Quod quidem ſummatim continet *Doctrinam Evangelicam*, ſeu *Religionem Chriſtianam*; in duo membra Diſtinctam, *Cognitionem Dei,* & *Cognitionem Jeſu Chriſti*: Quorum utrumque neceſſarium eſt quo conſequamur Æternam Vitam.

I. De Priori, primum, verba ſum facturus; nempe *Cognitione Dei,* hoc eſt, Dei *Creatoris, Dominique omnium*; prout contra-diſtinguitur *Cognitioni Chriſti, Redemptoris.* Ἵνα γινώσκωσί σε, τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεόν· *Ut cognoſcant Te, illum unicum verum Deum.*

Per Pronomen *Te*, ſeu Perſonam quam hic alloquitur Chriſtus, intelligendus eſt *Deus*, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti. (Manifeſtum enim eſt, quod ad hunc dirigit Chriſtus Precationem ſuam:) Sed non tam ratione *Perſonalitatis*, quam *Eſſentiæ* ſuæ. Non enim à *Perſonalitate*, ſed *Eſſentia* Dei Patris, determinatur, quod ſit *ille Unicus verus Deus.*

Habemus igitur, in hujus Cognitionis Objecto, ſaltem hæc Tria nobis indicata; 1° Quod *eſt* Deus: 2° Quod ſit *Unicus* Deus verus: 3° Quod Deus, *Pater Domini Jeſu Chriſti*, eſt ille Unicus verus Deus.

1. Horum primum, *Atheos* tangit; qui negant eſſe Deum: ſive id apertis verbis fiat, ſive mente aut factis. Quodque neceſſe ſit ut *Eſſe Deum* cognoſcamus, liquet ex Hebr. 11. 6. *Qui ad Deum accedit, neceſſe eſt ut credat eſſe Deum, quodque ſit eorum remunerator, qui ipſum exquirunt.* Πιστεῦσαι δεῖ ὅτι ἐστί. Credere oportet, quod Deus *eſt*. Neque hoc tantum, ſed & (aliquatenus) *Qualis* eſt; ſaltem quod ſit *eorum qui ipſum exquirunt remunerator*: Adeoque rerum humanarum curam habeat, præmiaque & pœnas diſpenſaturus; Non otioſus in cœlis ſedeat, harum negligens; quaſi *denſæ nubes ſint ipſi operculum, ne videat, & cælorum ambitus ſe contineat*, quod ſomniaſſe videntur ii de quibus agitur Job. 22. 14. Non utique, ſub *Dei* nomine, fingere nobis par eſt, id quod non ſit Deus; taleſve de Deo conceptus imaginari, qui cum Divina natura ſunt ἀσύμβατα, (ut Pſal. 50. 21. *Cogitas me prorſus eſſe ſimilem tui.*) Quippe qui tales de Deo falſos conceptus credit, non Deum credit, ſed falſum ſui ipſius cerebri Figmentum.

2. Secundo;

2. Secundo; ut cognoſcere oportet *Deum Eſſe*, cognoſcere item oportet *Unicum* eſſe Deum. Unicum, inquam, *Verum* Deum. *Sunt quidem* (ut ait Apoſtolus 1 Cor. 8. 4, 5, 6.) *Dii multi, & Domini multi*; (hoc eſt, *qui dicuntur dii*, prout ibidem ſe exponit;) *nobis autem eſt Deus Unus. Scimus enim* (inquit) *nullum eſſe Deum alium, niſi Unum.* Atque hoc quidem ex illo Priori dependet. Quippe qui, ſecundum veram Dei notionem, Deum eſſe cognoſcit, neceſſe eſt ut ſimul cognoſcat eum eſſe *Unicum*. Cum enim vera Dei notio, includat Infinitum, Abſolutum, Perfectum, &c; neceſſe eſt ut pariter includat *Unicum*. Fieri enim non poteſt ut ſint Plura talia. Adeoque Polytheiſmus, etiam includit Atheiſmum. Quique Multos eſſe credit Deos, reapſe Nullum eſſe credit: hoc eſt, nullum Ens tale, qualia impoſſibile eſt eſſe Plura.

3. Sciendum, tertio, quod *Hic Deus*, quem Chriſtus innuit, eſt ille Unicus Deus verus. Hic inquam Deus, qui in Sacris Literis eſt pluribus Characteribus deſignatus, *Deus qui fecit Cælum & Terram*; *Deus Vivus*; *Deus Iſraelis*; *Deus cui nomen eſt Jehova*; atque (ut hic & alibi ſæpius in Novo Teſtamento) *Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Quibus characteribus, & horum ſimilibus, à diis falſis, aut falſo prætenſis, diſcriminatur. *Hunc* Deum, oportet ut cognoſcamus, eſſe, Unicum illum Verum Deum.

Sed cum dico, *Patrem Domini Jeſu Chriſti*, eſſe *Unicum illum verum Deum*; Addo, hoc ei competere non tam ratione *Perſonalitatis* ſuæ, quam ratione *Eſſentiæ*. Quamvis enim Tres illæ in Sacra Trinitate Perſonæ, ſint ratione *Perſonalitatis* inter ſe diſtinctæ, (Pater non eſt Filius, Filius non eſt Pater, &c.) in eadem tamen *Eſſentia* communicant omnes; qua tum *Pater*, tum *Filius*, tum item *Spiritus Sanctus*, eſt ille *Unicus Verus Deus*. Eſt quidem *Perſona Patris*, Verus Deus; non tam ratione *Perſonalitatis*, quam ratione *Eſſentiæ*. Eſtque *Perſona Filii*, Deus item, & Verus Deus; non tamen *Deus Alius*, ſed *idem ipſe* verus Deus. Et *Spiritus Sanctus* ſimiliter. Secundum illud Joh. 10. 30. *Ego & Pater meus Unum ſumus*: Hoc eſt *Unus Deus*, quamvis non una eademque Perſona. Et 1 Joh. 5. 7. *Tres ſunt qui teſtificantur in Cælo, Pater, Sermo, & Spiritus Sanctus*; *& hi tres, Unum ſunt.* Ita *Tres* ſunt, ut tamen ſint *Unum*. Tres Perſonæ, ſed Unus Deus. Sunt illi omnes, Unus hic unicuſque Deus; præter quem unum, non eſt Deus alius.

Sunt (ſcio) nonnulli, qui, ex hoc loco, anſam ſibi captare ſatagunt, ad derogationem Deitatis Filii, Spirituſque Sancti: Quaſi hic diceretur *Solum Patrem* eſſe *Verum Deum*; adeoque non *Filium*, aut *Spiritum Sanctum*.

Sed merum eſt Sophiſma, & Solutio facilis. Non enim dicitur *Solum Patrem* (μόνον τὸν Πατέρα, aut σὲ μόνον,) eſſe Verum *Deum*; Sed quod *Pater*, ſit, *ipſe ſolus* (ſeu Unicus) Deus Verus. Nempe, *Pater* (Domini noſtri Jeſu Chriſti) eſt *verus ille Deus*, præter quem Deum, *non eſt alius Deus Verus*. Quod recte dicatur, quamvis *Filius* item ſit (ut revera eſt) *idem Verus Deus*; & *Spiritus Sanctus* ſimiliter. Si diceremus *Filium* eſſe *Verum Deum*, & Deum *Alium*; non dicendus foret Pater, *Unicus* Verus Deus, cum fuerit *Alius* verus Deus præter ipſum; (Idemque de Spiritu Sancto:) Sed cum Filium dicimus *Eundem* verum Deum, ſatis hoc conſiſtit. Quamvis enim *Alia Perſona* (quam Pater) ſit Verus Deus; cum tamen non ſit *Alius Deus*, hic idem Deus eſt Unicus ille Verus Deus. Eſtque hoc ex ordine Verborum ſatis manifeſtum. Ἵνα γινώσκωσί σε, τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεόν. Ubi articulus τὸν, voci μόνον præpoſitus (non eidem poſtpoſitus) ſatis determinat vocem μόνον reſtrictivam eſſe Prædicati, non Subjecti. Non enim dicitur σὲ μόνον, τὸν ἀληθινὸν Θεόν· ſed σὲ, τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεόν. (aliud enim eſt σὲ μόνον, τὸν aliud σὲ, τὸν μόνον.) Pariter atque in Verſione noſtra: Ubi non dicitur *Thee onely* (aut *onely Thee*) *the True God*; ſed *Thee, the Onely True God*. Ubi articulus *The*, voci *Onely* præpoſitus, facit ut hæc ſit reſtrictiva Prædicati, non Subjecti; ut, in textu Græco, articulus τὸν. Nempe, ut *Te* cognoſcant eſſe *Unicum illum verum Deum*, præter quem Deum, non ſit Alius Deus Verus, quamvis alius item à Te, ſit idem ille Unicus Deus Verus: Hoc eſt Deus *Idem*, quamvis *Alia* Perſona. Excludit ſolummodo Pluralitatem Deorum, non Pluralitatem Perſonarum in eadem Deitate.

Verum quidem eſt, hanc Divinitatem non hic diſerte Affirmari, ſive de Filio, ſive de Spiritu Sancto. Sed nec Negatur. Adeoque aliunde determinandum, ab eis alibi locis ubi id Clarius indicatur.

Atque hactenus de priori debitæ Cognitionis membro, nempe Cognitione Dei. *Ut cognoſcant Te, ipſum unicum Verum Deum.*

Sequitur aliud ejuſdem Cognitionis membrum, quod eſt itidem neceſſarium ad obtinendam Æternam Vitam; nempe *Cognitio Chriſti*. Sic utique ſequitur, *Et, quem miſiſti, Jeſum Chriſtum.*

Verum quidem eſt, quod, ſi in eo permanſiſſemus ſtatu, quo primitus Hominem Creavit Deus; non fuiſſet neceſſarium, hoc Secundum Cognitionis membrum. Nam ſi nullum fuiſſet *Peccatum*, non foret opus *Redemptore*: adeoque nec Cognitione Jeſu Chriſti. Cognitio Dei; hoc eſt, Unius, Unicique, Veri Dei; una cum perfecta Obedientia huic cognitioni conformi; ſuffeciſſet, Nobis Beatis faciendis. Sed cum Homo, lapſu ſuo, ſibi con-

traxerat Miſeriæ ſtatum; jam nulla reſtabat ad amiſſam Felicitatem recuperandam via, niſi per Redemptionem; nullaque alia ſuppetit Redemptio quam per Jeſum Chriſtum; indeque oritur hujuſce Cognitionis neceſſitas. Nam, ut *Unicus eſt Deus*, ita & *Unicus Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus*, 1 Tim. 2. 5. *Neque eſt aliud nomen cœlitus datum hominibus, per quod ſervari nos oporteat, quam nomen Jeſu Chriſti Nazareni, quem illi crucifixerant, ſed Deus ſuſcitaverat à mortuis*, Act. 4. 10, 12. *Nec eſt in alio quoquam ſalus.* Eſt igitur neceſſe, (quo jam ſumus ſtatu,) ad vitam æternam obtinendam, ut illum cognoſcamus.

Quid ſit, quod de illo cognoſcendum eſt, non eſt ut exſpectemus paucis hiſce verbis indicatum iri clare, abſque commentario aliunde adhibito, ex aliis alibi locis, quæ lucem his ſuppeditent. At hæcce Tria ſaltem videntur hiſce verbis indicari; nempe, Ipſius *Deitas*, Ipſius *Incarnatio*, Ipſiuſque *Officium Mediatorium*.

1. Ipſius *Deitas*; ex eo quod ſit *Filius Dei*. Illum enim appellat *Patrem*, quem ait oportere ut cognoſcamus eſſe *Unicum Deum Verum*. Sin ita ſolummodo dicendus eſſet Dei Filius, quo ſenſu dicitur *Adamus, Filius Dei*, Luc. 3. 38. aut ut *Angeli* ſic à nonnullis dici putantur, Job. 1. 6. nempe, per *Creationem*; Aut etiam, ut *Sancti* ſic dicuntur (Rom. 8. & alibi,) nempe, per *Adoptionem*: non hinc inferri poſſet vera *Divinitas*; ut ſit vere *Deus*. Sed cum ſit (ut quidem eſt) Dei *Filius*, per Æternam *Generationem*: hoc indicat, ejuſdem *Naturæ* communicationem: Prout arguit Apoſtolus Heb. 1. 5. *Nam cui dixit unquam Angelorum, Filius meus es Tu, ego hodie Te Genui?* Hic igitur *Unigenitus Patris*, neceſſe eſt ut ſit *ejuſdem naturæ* cum Patre; adeoque vere Deus ut ipſe eſt.

Atque hoc quidem Argumentum (utut nunc dierum forte ſint qui velint id eludere) habitum eſt ab inimicis ſuis, Judæis, vere Concluſivum. Cum enim notaverint eum appellaſſe Deum, *Patrem* ſuum; aut præ ſe ferre, ſe eſſe *Dei filium*; ſaltem, *Chriſtum Dei filium*. non illum ſic locutum intelligebant, quo ſenſu ſic de ſeipſis ſolebant dicere, (ut Joh. 8. 41. *Nos ex fornicatione non ſumus geniti, unum Patrem habemus, nempe Deum*:) ſed tali ſenſu quem ipſi *Blaſphemum* judicarunt (quod & foret quidem, ſi non fuiſſet verum,) *qui propterea eo magis ſtudebant eum trucidare, quod Deum dixiſſet Patrem ſuum, æqualem ſe faciens Deo.* Ex *Princeps Sacerdotum* (Mat. 26. 65.) *veſtimenta ſua laceravit, dicens, Blaſphemavit; quid amplius egemus teſtibus? ecce nunc audiſtis Blaſphemiam ejus*; nempe quum Jeſus coram eo profeſſus eſt, ſe eſſe *Chriſtum, Dei filium*. Manifeſtum itaque eſt, tum eum ſic locutum eſſe, tum eos eum ſic intellexiſſe, de tali *Filiatione*, quæ *Divinitatem* innuerit, ipſumque *Deo æqualem* eſſe.

2. Ejuſdem *Humanitas*, ſeu *Incarnatio*, innuitur his verbis, *Quem tu miſiſti.* Nam ipſius *à Patre Miſſio*, ejuſque *in Mundum Adventus*, ipſius manifeſto indicant ἐνσάρκωσιν, ſeu *Incarnationem*, qua *factus eſt Homo*. Ut Gal. 4. 4. *Miſit Deus Filium ſuum factum ex Muliere.* Et Joh. 1. 14. *Sermo*, ὁ λόγος, *factus eſt Caro, & commoratus eſt inter nos.*

3. *Officium* ejus *Mediatorium* innuit tum ipſa *Chriſti* appellatio, Nomini *Jeſu* ſubjuncta, tum ipſius à *Patre Miſſio*. *Jeſum Chriſtum*, ſeu *Meſſiam, quem tu Miſiſti.* Nomen *Jeſus*, indicat Perſonam; Tituluſque *Chriſtus*, ſeu *Meſſias*, (hoc utique tantundem ſignificat Hebraice, quod illud Græce, & utrumque quod Latine *Unctus* dicitur,) Officium illud ſeu Munus indicat, ad quod à Patre deſignatus erat, atque in mundum Miſſus. Non enim eum miſit Pater nullo Fine; ſed ad Munus illud exequendum; Ut ſit *Dei & Hominum Mediator*; Ut *nos cum Deo Reconciliaret*; Ut ſit *pro nobis Propitiatorium*; Ut *Tollat peccata mundi*; Ut pro nobis obtineat *æternam Redemptionem*, *æternam Hæreditatem*, *ſanguine ſuo redemptam*; Ut pro nobis *Interceſſionem faciat*; *poſſitque eos perfecte ſervare, qui per ipſum accedunt ad Deum.* 1 Tim. 2. 5. Col. 1. 20, 21. Rom. 5. 10, 11. 1 Joh. 2. 2. Joh. 1. 29. Heb. 9. 12, 15. Eph. 1. 14. Heb. 7. 25. Sive, ut Joh. 3. 16, 17. (ubi hæc Tria pariter innuuntur) *Ita Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum dederit, ut quiſquis credit in eum, non pereat, ſed habeat Vitam Æternam.*

Et nunc quidem, cum totum Textum pertranſivimus, poſſemus (ſi per tempus liceret) retroſpiciendo denuo perluſtrare; indeque recolligere quæ ad Praxin noſtram ſuppetunt Documenta. Quippe *Cognitio* ea quam nobis proponit Chriſtus, ut *neceſſariam ad æternam Vitam, mediumque* quo illam conſequamur; non eſt Cognitio mere *Notionalis*, Fideſque pure *Speculativa*, (qualem habent ipſi *Dæmones*, Jac. 2. 19.) Sed *Operativa Cognitio*, & *Fides Practica, Bonorum operum frugifera*: abſque qua, Notiones mere Speculativæ nunquam ſunt perducturæ nos ad Æternam Vitam.

Miſſis igitur Diſputationibus ſubtilioribus de Juſtificatione per ſolam Fidem, aut Operibus eo conducentibus: de hoc certe eſt indubitato conſenſum, quod *Fides* ea quæ non eſt *Bonis Operibus* ſociata, nos nunquam erit Juſtificatura. Quæcunque ſit, aut non ſit, eorum ad Juſtificationem Influentia, eorum ſaltem Præſentia eſt neceſſaria. Abſque *Operatione* debita, non cenſebimur, apud Deum, aut *Scire* aut *Credere*. Qui non ſunt *Evangelio auſcultantes obaudiendo*, inter eos reputantur qui non *norunt Deum*, 2 Theſſ. 1. 8. ſaltem qui, dum *Deum profitentur ſe ſcire, factis negant*, Tit. 1. 16. Qui, tantum abeſt ut, per hanc cognitionem,

cognitionem, *æternam vitam* conſequantur, ut *Chriſtus venturus ſit, flammante igne, ad vindictam de illis ſumendam, eoſque puniendos æterno ſupplicio, à conſpectu Domini, ejuſque robore glorioſo*, 2 Theſſ. 1. 7, 8, 9.

Speciatim; *Si Deum cognoſcimus, ut Unicum verum Deum*; nobis incumbit, eum *Amare, Timere*, eique *Obaudire*. Neque enim Cognitio Chriſti ut *Mediatoris*, quidquam remittit de debita in illum *Obedientia*. Quamvis enim venerit ille *ad redimendum nos ab Execratione legis, dum pro nobis factus eſt Execratio*, Gal. 3. 13. non tamen ab *Obligatione* Legis. *Non venit ad diſſolvendam legem*, quo minùs ſit obligatoria, *ſed ad implendam*. Quin & illud addo, Qui ſe reputare volunt à Legis *Obligatione* exemptos, metuendum eſt ne ſub ejus *Execratione* teneantur.

Item, *Si cognoſcimus Chriſtum quem miſit Pater*; Noſtra intereſt ut in eum *Credamus*. (Nam *ſolis in eum Credentibus*, daturus eſt Chriſtus *æternam vitam*. Joh. 17. 2.) Atque ita quidem in eum Credamus, ut etiam *Obaudiamus*. Nam *non obaudientibus Evangelio ſuo, ultionem inflicturus eſt Chriſtus, flammante igne*, 2 Theſſ. 1. 8.

Denique; *Si in Chriſto ſperamus Æternam Vitam*; Quam hoc nos excitaret ad *Gaudium* & *Gratitudinem*, de *tanta Salute*! Non quidem Ebriis Comeſſationibus, aliiſve Intemperantiis, (quæ Abuſus ſunt, non Celebratio, ſolennis hujus Commemorationis, Chriſti Incarnati;) Sed *pia* recordatione & commemoratione Salutis quam ille pro nobis acquiſivit; quæ *Honori* ſit, non *Opprobrio*, ei qui venit *redempturus nos à vana converſatione*; *ut abnegata impietate & mundanis cupiditatibus; vivamus ſobrie, juſte, & pie, in præſenti ſeculo; Exſpectantes beatam illam ſpem, & illuſtrem adventum magni illius Dei & Servatoris noſtri, Jeſu Chriſti; Qui ſemetipſum pro nobis dedit, ut redimeret nos ab omni iniquitate; ſibique purificaret populum peculiarem, bonorum operum ſtudioſum*. Tit. 2. 12, 13, 14.

Cui quidem Servatori noſtro, una cum Patre & Spiritu Sancto ſit Laus & Gloria in æternum.

DE SACRA TRINITATE,

CONCIO SECUNDA;

Ad Academiam *Oxonienſem* habita, Apr. 26. 1691.

Joh. 17. 3.

Αὕτη δέ ἐςιν ἡ αἰώνιος ζωὴ, ἵνα γινώσκωσί σε, τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν, καὶ ὃν ἀπέςειλας, Ἰησοῦν Χριςόν.

Hæc eſt autem Æterna Vita, ut Te cognoſcant, illum ſolum verum Deum, &, quem miſiſti, Jeſum Chriſtum.

JAM ante multos annos, hoc in loco (ſi non ad eoſdem Auditores) de Verbis hiſce Sermonem habui. Eorum quæ tum dicta ſunt, pauca repetam; alia tum dictis addituros.

Servator noſter Jeſus Chriſtus, Capitibus tribus præcedentibus (Capp. 14, 15, 16. Evangelii ſecundum Johannem,) longum habuerat ad Diſcipulos ſuos Sermonem (poſt Sacræ Cœnæ Inſtitutionem) pridie illius diei quo perpeſſurus erat: Quem (hoc Capite 17°.) concludit, Precatione ad Patrem ſuum facta, illorum gratia.

Qua quidem Precatione, cum mentionem feciſſet *Æternæ Vitæ* (verſu ſecundo) quam erat ipſe *daturus* eis omnibus *quos ipſi dederit Pater*; hoc eſt, eis omnibus qui efficaci Fide *in ipſum Crederent*; hoc ſubjungit Epiphonema, *Hæc autem eſt Æterna Vita, ut cognoſcant Te, illum Unicum verum Deum, &, quem miſiſti, Jeſum Chriſtum.*

Quibus verbis, habemus hæc Duo; Chriſtiani hominis *Felicitatem*; & *Medium* illam obtinendi.

I. Hæc Chriſtiana *Felicitas* ſeu *Beatitudo*, vocatur (pro Excellentia) *Vita*; &, (pro Duratione) *Æterna*. Quæ cum in Regno (quod dicitur) *Gratiæ* ſit inchoata; Complenda eſt & Perpetuanda in Regno *Gloriæ*.

II. *Medium* quo Vitam hanc conſequamur; eſt *Cognitio Dei*, & ipſius *Chriſti*.

Per *Cognitionem*, non hic intelligo, Cognitionem mere *Notionalem* ſeu *Speculativam*, (quam habere *Dæmonas*, putandum eſt, non minus amplam quam nos habemus, qui tamen *Vitam Æternam* non ſunt conſecuturi:) Sed Cognitionem *Activam* ſeu *Practicam*. Talem volo *Cognitionem*, quam *Fides* & *Praxis* congrua comitetur. Sic Iſai. 53. 11. *Cognitione*

tione ſua (ſeu potius *ſui*) *ſervus meus juſtus, juſtificabit multos.* Hoc eſt, *Fiducia* in illum, quam idonea *Praxis* comitetur.

Objectum hujus Cognitionis, indicatur Duplex, ſeu Bimembre; Cognitio *Dei*, & Cognitio *Chriſti*. *Ut Te cognoſcant, ipſum Unicum verum Deum,* (Hæc una pars;) *Et* (*quem Tu miſiſti*) *Jeſum Chriſtum* : Hæc pars reliqua.

Quarum utraque plures in ſe continet Particulas.

Pars prior, has ſaltem Tres innuit particulas. 1. Quod Deus *Eſt*. 2. Quod Deus (verus) eſt *Unicus*. 3. Quod *Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti*, eſt hic *Unicus verus Deus*. Hoc eſt, *Deus ille*, præter *quem Deum*, non eſt *alius* Verus Deus. Quamvis enim *Jeſus Chriſtus* ſit item *Deus*, non tamen Deus *Alius*, ſed *idem ipſe* Verus Deus. *Ipſe* enim *& Pater ejus, ſunt Unum.* Joh. 10. 30.

Pars poſterior, (*Cognitio Chriſti*,) bas item tres continet particulus. 1. Ipſius *Deitatem*. 2. *Humanitatem*. 3. Officium ejus *Mediatorium*. Quæ breviter hie inſinuantur, & fuſius alibi explicantur.

1. Chriſti *Deitas*, inde liquet, quod ſit *Filius Dei Patris*, qui eſt *Unicus ille Verus Deus*. Non quidem per *Creationem*; ut *Adamus Angelique* dicantur *Filii Dei* : Neque per *Adoptionem*, ut *Juſti* qui in Chriſtum vere Credunt : Sed per æternam *Generationem*, ut *Patris Unigenitus*, Joh. 1. 14. adeoque *ejuſdem Naturæ* eum Patre.

2. *Humanitas* ejus innitur hiſce verbis, *Quem Tu miſiſti*. Nempe *ſic* miſiſti, ut ſit *ex muliere factus*; ſic miſiſti, ut *fiat Caro*. Gal. 4. 4. Joh. 1. 14.

3. *Mediatorium* munus, innuitur ipſo *Chriſti* Titulo, qui *Jeſu* Nomini adjicitur, (*Quem tu miſiſti, Jeſum Chriſtum.*) Sic miſſus eſt, ut ſit ipſe *Chriſtus*, ſeu *Meſſias*. Sie miſſus, ut *per eum mundus ſervetur*. Sic miſſus, ut *quiſquis in eum credit, non pereat, ſed Vitam habeat æternam.* Joh. 3. 16, 17.

De quibus omnibus tunc fuſius diximus; adeoque nunc breviter inſinuamus.

Sed & tunc item notavimus, ex *Ordine* verborum, (quo *Socinianorum* Cavillis occurratur,) quod vox illa μόνον, (*ſolum*,) ſit Reſtrictiva, non quidem Subjecti, *Te*; ſed Prædicati, *Verum Deum*. Qua de re (eum ope Divina, veſtraque patientia) jam plura dicturus ſum.

Objectio Prima.

Prima, præcipuaque ex hoc loco, *Socinianorum* Objectio, contra *Deitatem* Chriſti, & de *Sacra Trinitate* doctrinam, hæc eſt. Si *ſolummodo Pater*, ſit *Deus Verus*; tum *Filius, Spiritusve Sanctus*, non *Deus* eſt, ſaltem non *Verus Deus*; ſed *ſolus Pater*.

Cui quidem Objectioni hæc Tria repono.

1. Hoc Argumentum eſt *Sophiſma* merum, ſeu (ut dici ſolet) *Fallacia*; quam nobis ſatagunt imponere, perverſa *Ordinis* verborum immutatione. Non enim dicitur (quod ipſi volunt) *Te ſolum* eſſe *Verum Deum*, (quaſi excluderentur *Filius, Spiritusque Sanctus*, ne ſint *Verus Deus*; ſed *ſolus Pater*:) Sed, *ut cognoſcant Te* (non *Te ſolum*, aut *ſolum Te*,) eſſe *ſolum illum* (ſeu *Unicum*) *Verum Deum*. Neque hoc ſolummodo in Verſione noſtra *Anglicana*, ſed & in Originali *Græco*; ἵνα γινώσκωσί σε, τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεόν. Non dicitur σὲ μόνον, τὸν, ſed σὲ, τὸν μόνον, ἀληθινὸν Θεόν. Ubi Articulus τὸν, voci σὲ poſtpoſitus, ſed præpoſitus voci μόνον, determinat reſtrictivam particulam μόνον, non applicandam eſſe Subjecto σὲ, ſed Prædicato ἀληθινὸν Θεόν. Omnino ut in Verſione noſtra Anglicana, Articulus *The*, vocibus *Thee* & *Onely* interpoſitus, connectit reſtrictivam particulam *Onely*, non ad vocem eam quæ præceſſerat *Thee*, ſed ad id quod ſequitur, *True God*. *To know Thee* (non *Thee Onely*,) *the Onely true God*. Hoc eſt, ut Te cognoſcant eſſe *Deum illum Unicum*, præter *quem Deum*, non eſt *alius* ullus *Deus verus*. Quod nos Agnoſcimus & Profitemur.

Illudque *Socinianorum* Sophiſma, in hac præciſe Forma conſpicitur. *Deus Abrahami*, eſt *ipſe Unicus verus Deus*; Ergo non *Deus Iſaaci, vel Jacobi*. Imo, inquam; *Deus Iſaaci*, eſt *idem ipſe* Deus Verus, cum *Deo Abrahami*; adeoque (ut ipſe eſt) *Deus Verus*. Et, *Deus Jacobi* ſimiliter.

Atque hoc unum Reſponſum, abunde ſatisfacit huic Sophiſmati, ut pluribus non ſit opus. Addam tamen alia duo; quæ quamvis hic loci tuto poſſint negligi, poſſunt forte alibi uſui eſſe.

2. Si dictum fuiſſet *Te ſolum* (quod non eſt;) ne ſic quidem Excluderetur, qui ſit *idem cum illo*. Adeoque nec *Filium*, nec *Spiritum Sanctum*, qui ſunt, cum illo, *unus idemque Deus*. Ut Joh. 10. 30. *Ego & Pater Unum ſumus*; Et 1 Joh. 5. 7. *Hi Tres, Unum ſunt.*

In hanc rem, conſideremus quod habetur Jer. 16. 14, 15. iterumque Jer. 23. 7, 8. *Ecce dies venturi ſunt, dicit Jehova, quibus non dicetur amplius, Vivit Jehova qui evexit Iſraelitas è terra Ægypti : Sed, Vivit Jehova qui evexit Iſraelitas è terra Aquilonis.* Jam vero, dictum legimus ab ipſo Deo, Exod. 20. 2, 3. *Ego ſum Jehova Deus tuus, qui eduxi te è Terra Ægypti, —Non erit tibi Deus alius præter Me*, ſeu *coram Me*. Num hinc arguendum erit, Deus ille *qui eduxit Iſraelem è terra Ægyti*, eſt *Unicus verus Deus*; nec habere licet *Deum alium præter ipſum*; Adeoque non *Eum qui eduxit Iſraelem è terra Aquilonis*?

Aquilonis? Imo, inquam, *Hunc* item. Nam Deus *qui eduxit Iſraelem è terra Aquilonis*, eſt *idem ipſe Deus*, cum eo *qui eoſdem eduxit ex Ægypto*, (non *alius ab ipſo Deus*, etiamſi *alio Charactere deſignatus*,) adeoque *Hunc* habendo, non habemus *Deum alium*. Pariter & hic; ſi dictum fuiſſet (quod non eſt) *Te ſolum cognoſcant Deum verum*; non aliud hoc innueret, quam, *Non ullum qui ſit, à Te, Deus alius.* Ut cognoſcant *Te ſolum* (non ullum qui non ſit Tecum *Deus idem*,) *verum eſſe Deum*. Quod itaque non excluderet *Filium* aut *Spiritum Sanctum*, qui ſunt, cum Patre, *idem Deus*. Atqui hoc reſponſo non opus eſt hic loci; quia non hic dicitur *Te ſolum*, aut *ſolum Te*.

3. Dico porro; Si dictum fuiſſet (quod non eſt) *Te ſolum* (quod intellectum vellent Sociniani;) dicerem hanc eſſe Prædicationem *Eſſentialem*; non *Perſonalem*. Hoc eſt, quod Prædicatum illud, *Verus Deus*, de ipſo diceretur, ratione *Eſſentiæ*, potius quam *Perſonalitatis*. Ut quod ipſi competat ratione *Eſſentiæ* (quæ eſt Communis Trium Perſonarum,) non ſit *Perſonæ Patris* peculiare. Ut ſi diceretur *David Rex Iſraelis*, aut *David Pater Solomonis*, eſt *Animal Rationale*, aut eſt *Ratione præditus*: Hoc ipſum, *Ratione præditum eſſe*, non ipſi competit ut *Regi Iſraelis*, aut ut *Patri Solomonis*; ſed prout eſt *Homo* (utut & his Relationibus denominetur;) & huic æquipollet, Hic *Homo* (qui Solomonis Pater eſt, aut Rex Iſraelis) eſt *Ratione præditus*. Item, ſi diceretur, *David Rex Iſraelis*, atque *hic ſolus*, eſt *Pater Solomonis*: non hoc innueret, quod ita foret *quatenus Rex Iſraelis*, (nedum *hac ſola* ratione;) ſed potius, quod ita ſit, quatenus *Vir ille qui hunc Genuit*; quamvis hic alio charactere deſignetur. Pariter hic, *Deus* omnium *Creator*, eſt *Unicus Deus Verus*: & Deus *Redemptor*, ſimiliter. *Ego Auxiliator tuus*, *dicit Jehova* R E D E M P T O R *tuus*, *ipſe Sanctus Iſraelis*; *Sic ait Jehova Rex Iſraelis*, R E D E M P T O R *ejus*, *Dominus Exercituum*; *Ego ſum Primus*, *ego Ultimus*, *& præter* ME *nullus eſt Deus*; Iſai. 41. 14. Iſai. 44. 6. Quæ Chriſto attribuuntur, Apoc. 1. 8, 17. & Apoc. 21. 13, 16. Num igitur inde arguendum erit, Deus *Redemptor*, eſt *Unicus ille Verus Deus*; &, *præter Ipſum*, *Nullus eſt Deus*; Ergo non Deus *Creator*? Non, inquam, ſic arguendum eſt. Non enim vel *quatenus Redemptor*, vel *quatenus Creator*, eſt ille *Unicus Verus Deus*; ſed *quatenus Deus*. (Eſt utique Prædicatio illa, καθ' αὑτὸ, ſed non καθ' ἓν πρῶτον.) Erat enim *Unicus ille Verus Deus* jam ab *Æterno*; ſed in *Tempore*, tum *Creavit* mundum, tum eſt *Redemptor* humani generis.

Atque hoc neceſſe eſt ut fateantur tum *Ariani*, tum *Sociniani*, in loco quem jam tractamus. Nam cum ait Chriſtus, Ut cognoſcant *Te* (*Pater*) *unicum illum eſſe Verum Deum*: Non poteſt hoc (per eorum placita) de eo dici, quatenus eſt *Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti*, ſed quatenus eſt *Deus*. Sive enim Chriſtus ſit *Titulo tantum Deus*, ſive *Deus Creatus*, (quod ipſi volunt;) Tempus fuiſſet, ſeu Momentum, quo *non fuit*, (ἦν ὅτε οὐκ ἦν,) adeoque, quo Deus non fuerit *ejus Pater*: (Fuit autem *ab Æterno*, *Unicus ille verus Deus*:) Adeoque non ita dicendus, quatenus *Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti*, ſed quatenus *Deus*. Non ſecundum *Perſonalitatem* ſuam, ſed ſecundum *Eſſentiam*: quam *Communem* eſſe diximus *Tribus Perſonis*, quamvis *Perſonalitate* ſua diſtinctis; *Deo* tamen Unico.

Hæc autem Duo Reſponſa poſteriora, (quamvis Vera ſint, & ſolida ratione nixa,) non ſunt hic loci neceſſaria: Quoniam non hic dictum eſt *Te ſolum*. Ea tamen, ex abundanti, ſuggero; quia uſui forſan eſſe poterunt aliis ſolvendis Objectionibus, quas aliunde forte ſuggerant nonnulli.

Summa dictorum huc redit; Quod *Pater ille Domini noſtri Jeſu Chriſti*, *eſt Deus ille*, *præter quem Deum*, *nullus eſt alius Verus Deus*. Seu, *Nullus eſt alius Verus Deus*, *præter Deum illum*, *qui eſt Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Atque hoc ipſum nos aſſerimus & profitemur; cum dicimus *Filium* & *Spiritum Sanctum*, non eſſe *Deum Alium*, ſed *eundem ipſum* Deum cum *Patre*.

Objectio Secunda.

Oggeri forte poteſt, ſecundo in loco, Quod, quamvis non hic *Negetur*, *Filium Spiritumque Sanctum eſſe Verum Deum*, (nempe, *eundem* cum Deo Patre, non *alium* ab illo Deum;) non tamen hic *Affirmatur*, aut hinc diſerte Probari poterit *Sacræ Trinitatis* Doctrina.

Reſpondeo; Hoc quidem omnino verum eſt; Nempe, non ex hoc loco ſolo (ſi non & alia advocentur loca) probatum iri Doctrinam *Sacræ Trinitatis*. (Et quidem mirum eſſet ſiquis hinc probatum id eat, ubi non niſi *Duo* memorantur.) Nec in eum finem à nobis adducitur hic locus. Nos id agimus, ut *Objectionibus* hinc ab aliis allatis contra doctrinam de Sacra Trinitate, *Reſpondeatur*. Ejuſdem *Probationem*, ab aliis aliunde locis (cum hoc conjunctis) petendam relinquimus.

Dixerim aliquando; ſi ita intelligantur hæc verba, *Ut cognoſcant Te eſſe*, *unicum ipſum verum Deum*; *& quem miſiſti Jeſum Chriſtum*, (ſubaudiendo, ſeu ἓν καὶ repetendo, *eundem eſſe unicum verum Deum*:) Vel ſic, *Ut cognoſcant Te*, *&* (*quem miſiſti*) *Jeſum Chriſtum*, *eſſe*, *Unicum ipſum verum Deum*: Etiam ita ſatis conſtarent verba, nulla ipſis vi adhibita.

Neque eſt hæc Nova Notio, à me jam primum excogitata. Sed & id ipſum S. *Auguſtinus* jamdudum ſuggeſſit, in Epiſtola ſua 174. Ubi *Paſcentium* (Arianum) ſic alloquitur, de hoc ipſo loco; *De Patre tantummodo, vos vultis intelligi, quod ait, Ut cognoſcant Te unum verum Deum, &, quem miſiſti, Jeſum Chriſtum; Ubi nos ſubaudimus, etiam Jeſum Chriſtum verum Deum : Ut hæc ſit ſententia ; Te & quem miſiſti Jeſum Chriſtum, cognoſcant unum verum Deum. Ne illa conſequatur abſurditas, ut, ſi non eſt verus Deus Jeſus Chriſtus, quia dictum eſt Patri, Te unum verum Deum; propterea non ſit Dominus, Pater, quia dictum eſt de Chriſto, Unus Dominus.* Ubi hunc eſſe ſumit hujuſce loci ſenſum, *Ut cognoſcant Te, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum, unicum eſſe verum Deum* ; Quod hoc confirmat argumento ; Quoniam ſi hoc nomine excluderemus Filium, ne ſit *Verus Deus* ; pariter excluderemus Patrem, ne ſit *Dominus*, quia dictum eſt, 1 Cor. 8. 6. *Unus Dominus, Jeſus Chriſtus.*

Sed & hoc, quamvis id de *Filio* probare poſſet, non tamen de *Spiritu Sancto* hinc idem concludetur : Sed ex aliis alibi locis advocatis id manifeſte probabitur. Quod ego de utroque ſum oſtenſurus.

De *Filio*, id diſerte affirmatur, ab eodem *Johanne* cujus hæc ſunt verba, (qui ſuorum verborum ſenſum optime intellexerit,) 1 Joh. 5. 20. *Nos in eo ſumus qui verax eſt, nempe in Filio ejus Jeſu Chriſto ; hic eſt ipſe Verus Deus, & æterna vita.* (Adeoque, non *ſolus* Pater.) Idemque ipſe jam ante dixerat, ex ipſius Chriſti verbis, Joh. 10. 30. *Ego & Pater, Unum ſumus.*

Neque hoc intelligi poteſt, de *Unitate Teſtimonii*, quod volunt Sociniani, (nam nulla eſt, in hoc contextu, *Teſtimonii* mentio,) ſed de *Uno Deo*. Quod & manifeſtum eſt ex illa Judæorum hinc *Illatione*, verſibus 31, 32, 33. ejuſdem Capitis ; qui *ſuſtulerunt rurſum lapides ut ipſum lapidarent, ob* (quod eſſe putaverint) *Blaſphemiam* ; *quia Tu* (inquiunt) *cum homo ſis, facis teipſum Deum.* Cujus quidem *Illationis*, nulla ſpecies ſeu prætextus foret, ſi, per *Unum*, non intellexerint *Unum Deum*.

Pariter & *Summus Sacerdos*, Mat. 26. 63, 64, 65. *Adjuro te*, inquit, *per Deum Viventem, ut dicas nobis, an tu ſis Chriſtus ille, filius Dei.* Cui cum Chriſtus reſpondit, *Tu dixiſti* (ſeu, dicis quod res eſt,) *tunc Pontifex maximus dirupit veſtimenta ſua, dicens, Blaſphemavit ; quid amplius egemus teſtibus? ecce nunc audiſtis Blaſphemiam ejus.* Quippe ſe dicere eſſe τὸν Χριστὸν, *Chriſtum illum, Filium Dei* ; ſeu (ut Marc. 14. 61.) *Chriſtum illum, Filium Benedicti* ; tantundem ipſis viſum eſt, atque dicere, *ſe Deum eſſe.* Quod quidem *Blaſphemum* foret, ſi non eſſet Verum.

Quodque de ſe Chriſtus ait, Joh. 10. 30. *Ego & Pater, Unum ſumus* ; id ipſum de Tribus illis ab eodem Johanne dicitur, 1 Joh. 5. 7. *Pater, Sermo, & Spiritus Sanctus, Hi Tres Unum ſunt.*

Objectio Tertia.

Atqui hic objicitur ; hunc quem proxime recitavimus verſum (1 Joh. 5. 7.) in quibuſdam Verſionibus, & antiquis aliquot Codicibus Manuſcriptis, deeſſe.

Eſto, inquam. Sed & integræ aliquot Epiſtolæ, in quibuſdam deſunt Verſionibus : Capitumque aliquot Periochæ non contemnendæ. At non propterea rejiciendæ ſunt ut ſpuriæ, atque ex Bibliis noſtris reſecandæ.

Epiſtolæ S. Johannis Secnnda & Tertia ; & S. Judæ Epiſtola ; deeſſe dicuntur in Verſionibus *Syriaca* & *Arabica* : Et Hiſtoria de Muliere in adulterio deprehenſa, deeſt in Evangeliorum Verſione *Gothica*, Joh. 8. Pars item poſtremi Capitis Evangelii ſecundum *Marcum* deeſſe dicitur in quibuſdam Exemplaribus. Itemque *Doxologia* ad calcem Orationis Dominicæ. Ne plura nominem. At non propterea cenſenda ſunt hæc omnia minime Genuina, atque ex Bibliis noſtris rejicienda, eo quod contigerit hæc in quibuſdam Codicibus fuiſſe omiſſa.

Et quidem tantum abeſt ut miremur hujuſmodi nonnunquam Omiſſiones contigiſſe, ut mirum ſit potius (niſi inſigni Dei Providentia cautum fuerit, ut Sacra Biblia conſerventur pura & integra) quod non multo plura fuerint aut Omiſſa aut mendoſe Scripta in quibuſdam Exemplarbius. Nam, antequam inventa fuerit Ars Typographica, cum Exemplaria fuerint ſingulatim tranſcribenda, eaque in paucorum manibus : Omnino erat poſſibile, & ægre quidem evitandum, etiam diligenti Scriptori, quin aliquando foret de verſu in verſum tranſitio. Præſertim, ubi (quod hic contigit) unum aliquod plurave verba mox iterum (poſt interjecta pauca) recurrunt. Quippe tum ſæpe contingit, ſive Scribentibus, ſive ex Prelo edentibus, (quod ipſi probe norunt, qui in hiſce rebus verſantur,) quod de Voce aliqua, ad eandem mox denuo recurrentem tranſiliatur. Nec hujuſmodi facile deprehendantur (quæ contingunt) Omiſſiones, ſi (quod hic fit) ſententiæ conſequentia non turbetur.

Quando autem hujuſmodi occurrit Exemplarium varietas, (ut in alteris reperiantur quædam quæ in alteris deſunt :) Contingat hoc oportet, vel Caſu aliquo fortuito (non deſignata

ſignata fraude ;) Vel mala Fide illorum, qui data opera ſuis inſervire rebus ſatagunt : Quod in Pontificiorum *Indicibus Expurgatoriis*, notare licet.

Et quidem, in verbis hiſce de quibus jam agitur : Si Exemplarium varietas mero caſu primitus contigerit, (quod ego credo ;) multo facilius videtur, ut Lineam unam aut aliam *Omittat* Scriptor (haud ſatis cautus) quæ in eo fuerit exemplari unde ſuum deſcripſit, (præſertim cum hæc omiſſio non manifeſte turbaverit verborum Senſum vel Syntaxin ;) quam ut *Interponat* in ſuo, quod non in illo altero habeatur Exemplari. Cumque hoc contingit, magis veriſimile putandum eſt, quod Plenius Exemplar probum ſit, illudque mendoſum in quo contigerit hæc omiſſio. Quod quidem cum contigerit (ut credendum eſt) jam ante annorum aliquot centurias, in uno aliquo Exemplari ; id facile propagetur (inobſervatum) in alia plura quæ inde exſcriberentur, (atque hinc in alia poſt transſcribenda.) Sed *Inſertio*, (eorum quæ in priori Exemplari non fuerant,) neceſſe eſt ut Voluntaria ſit, (& data opera,) non mero caſu.

Contra vero ; Si fuerit hæc varietas Exemplarium, à *Falſificatione Voluntaria*, & fraudulenta : multo potius putandum eſt, id *Arianorum* fraude fieri, ut hoc in aliquot eorum Codicibus conſulto fuerit Omiſſum (quod tacite & inobſervato poſſet contingere,) quam ut fuerit ab Orthodoxorum *Inſertione* fraudulenta.

Nam hujuſmodi *Interpolatio*, ſi plane Nova fuerit, & non ante audita ; neceſſe eſt ut ab *Arianis* foret ſtatim detecta, cum primum contra illos produceretur : Qui ſtatim clamitarent, id ſpurium eſſe, & in nullis ante Codicibus reperiri.

Quid quod & hoc, *Orthodoxis*, nulli foret emolumento ; cum *Chriſti Deitas* (quæ res tunc agebatur) non minus liquido poſſet argui ex illo Evangelii loco, *Ego & Pater Unum ſumus* ; quam ex hoc ejuſdem Johannis Epiſtolæ loco, *Hi Tres ſunt Unum*. Adeoque non eſt ullatenus veriſimile, ut hujuſmodi fraudulentam Falſificationem inducerent Orthodoxi, unde nullum ſibi ſperare poſſent emolumentum. Nec ſcio, quod ulli olim *Arianorum*, hanc unquam Orthodoxis objecerint fraudem; quamvis hinc *Athanaſius* aliique dicantur contra illos arguiſſe ; quod certo certius facturi forent, ſiquid tale contigiſſet. Quin & in Codicibus quibuſdam ſatis antiquis, ubi hoc omiſſum fuerat, id ſuppletur ad Marginem, ut mendoſe omiſſum.

Sed & hinc porro Genuina putanda erit hæc clauſula, *Pater, Sermo, & Spiritus Sanctus* ; quia Sacræ Trinitatis *Secunda* (quæ dicitur) *Perſona*, hic appellatur ſimpliciter ὁ λόγος (*ſermo* ſeu *verbum* ;) quæ eſt S. *Johannis* locutio, tum in hac ejus Epiſtola, tum in Evangelio, Joh. 1. Eſtque ipſi (ni fallor) peculiaris; nec ab aliis Novi Teſtamenti Scriptoribus uſurpata.

Non nego, quin ipſe forſan vocetur *Verbum Dei*, Hebr. 11. 3. *Per fidem intelligimus conſtructum fuiſſe mundum Verbo Dei*. Et 2 Pet. 3. 5, 7. *Cælos jam olim extitiſſe per Dei Sermonem, & Terram ex aqua & in aqua conſiſtentem, —cæloſque & terram ejuſdem Sermone ſervari*. Et Apoc. 19. 13. *Vocatur nomen ejus, Sermo Dei*. Sed, ut vocetur abſolute ὁ λόγος (abſque alio additamento) eſt ipſi (ni fallor) S. *Johanni* peculiare. Adeoque multo probabilius eſt, ut ab eodem Scriptore profectum, quam ut fuerit (poſt annorum aliquot centurias) ab alio Interpolatum. Cumque hæc Epiſtolæ clauſula, ὅτι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι, (*Hi tres Unum ſunt*,) cum illa Evangelii ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν, (*Ego & Pater, Unum ſumus*,) tam apte reſpondeat ; id porro confirmat, ejuſdem eſſe Scriptoris utrumque.

Addo etiam, quod *Antitheſis* illa verſuum 7 & 8, tam apta videtur, ut merito præſumatur Genuina. *Tres ſunt qui teſtificantur in Cælo, Pater, Sermo, & Spiritus Sanctus ; & hi Tres, Unum ſunt : Et Tres ſunt qui teſtificantur in Terra, Spiritus & Aqua & Sanguis ; & hi Tres, in unum conſentiunt*. Quæ quidem, prout habetur, apta eſt & naturalis ; ſed clauſula poſterior, abſque priore poſita, manca foret : voceſque *in Terra* plane redundantes videantur, ſi non ut ſunt *Antapodoſis* ad eas *in Cælo*, verſus præcedentis.

Quodque antiquitus ſic lectum fuerit, patet ex *Cypriano* ; qui duobus in locis hoc citat ; (in libro ejus *De Unitate Eccleſiæ*, & in *Epiſtola* ad *Jubaianum* ;) jam ante quam orta fuerit *Ariana* controverſia.

In priori loco (pro Unitate Eccleſiæ arguens, ne Schiſmate rumpatur) hæc habet. *Dicit Dominus, Ego & Pater Unum ſumus. Et iterum, de Patre & Filio & Spiritu Sancto, ſcriptum eſt, Et hi tres Unum ſunt. Et quiſquam credit hanc Unitatem, de Divina firmitate venientem, Sacramentis Cæleſtibus cohærentem, ſcindi in Eccleſia poſſe?* Ubi, pro Unitate Eccleſiæ (ne Schiſmate dividatur) duplici argumento contendit, ex hoc loco ; Altero, à *Firmitate Dei* ; quod verſu 7° innuitur, *Pater, Filius & Spiritus Sanctus, Unum ſunt* ; Unde procedere vult Eccleſiam (*de Divina firmitate venientem* :) Altero, ab eorum à Sacramentis Unione, (*Sacramentis Cæleſtibus cohærentem*,) quod reſpicit verſus 8us, *Spiritus, & Aqua, & Sanguis, in Unum conſentiunt*. Quod quidem Duplex Argumentum, ex his duobus verſibus deſumptum, ſatis oſtendit, utrumque verſum, *tum* fuiſſe lectum.

Quorum etiam verſuum Priorem (de quo nunc agitur) ipſe iterum citat, in *Epiſtola ad Jubaianum*. Ubi, contra *Baptiſmum Hæreticorum*, ſic arguit. *Si Baptizari quis apud*

Hæreticos potuit; utique & Remiſſam Peccatorum conſequi potuit. Si Peccatorum Remiſſam conſecutus eſt; & Juſtificatus eſt, & Templum Dei factus eſt. Quæro, Cujus Dei? Si Creatoris; non potuit, qui in eum non credidit. Si Chriſti; nec hujus potuit fieri Templum, qui negat Deum Chriſtum. Si Spiritus Sancti, [cum Tres Unum ſunt] quomodo Spiritus Sanctus placatus eſſe ei poteſt, qui aut Patris aut Filii inimicus eſt?

Manifeſtum igitur eſt, quod *Hi Tres Unum ſunt, Cypriani* temporibus legeretur, (ut quod ab eo Bis citatum eſt;) jam ante quam orta erat *Ariana* Controverſia.

Sed &, ante *Cyprianum*, id ipſum à *Tertulliano* citatur; in libro ejus *Adverſus Praxeam*, cap. 25. *Connexus Patris in Filio, & Filii in Paracleto, Tres efficit cohærentes, alterum ex altero. Qui Tres, Unum ſunt: (non Unus:) quomodo dictum eſt, Ego & Pater Unum ſumus; ad Subſtantiæ Unitatem, non ad Numeri Singularitatem.* Sunt quidem *Unum*, non *Unus*. *Unum Ens, Una Subſtantia*; utut alias *Tres* ſint.

Non eſt igitur hoc, Interpolatio Nova; ſed jam olim lectum à *Cypriano* & *Tertulliano*, (duobus ex antiquiſſimis Patribus Latinis,) diu ante quam orta eſt Controverſia *Ariana*; ſuitque ab aliis poſtmodum, contra *Arianos* allegatum.

Citantur etiam, in hanc rem, *Fulgentius*, *Facundus*, *Victor Vitenſis*, *Vigilius Tapſenſis*, qui teſtantur id antiqoitus fuiſſe lectum. Nec ullum eſt (quod ſciam) præjudicium, quin ita fuiſſe lectum reputemus; niſi quod (ut dicitur) à Patrum aliquibus non fuerit contra Arianos allegatum, cum tamen occaſio fuerit illud allegandi.

Verum hoc (præterquam quod ſit Argumentum mere Negativum, nec ſcio quam recte fundatum,) omnino poſſet contingere, ſi forte in eo deeſſet Exemplari, quo uſus eſt Pater ille. Non enim putandum eſt, tot tum temporis extitiſſe ſacrorum Bibliorum Exemplaria, quot nunc dierum Noſtris verſantur manibus: ſed Unum aliquod Exemplum, Pluribus ipſorum Patrum potuerit ſufficere. Quin & hoc ideo poſſet contingere, quoniam illud in *Johannis* Evangelio, *Ego & Pater Unum ſumus*, eorum uſibus non minus erat idoneum, (nedum magis,) quam hoc, in Epiſtola, *Hi Tres, Unum ſunt*. Nam quæ tunc agebatur Controverſia, non tam erat, de *Sacra Trinitate*, quam ſpeciatim, de *Chriſti Divinitate*.

Ut redeamus igitur ad locum quem jam tractamus: Manifeſtum eſt, ex jam dictis, quod eum, apud S. Johannem, *Pater* hic dicatur *Unicus ille verus Deus*; non id eo nomine factum eſt, ut excluderetur *Filius* ne ſit *idem* Deus cum Patre; quem idem Johannes alibi appellat *ipſum Verum Deum*, 1 Joh. 5. 20.

Non magis, inquam, quam quod de *Deo Redemptore* dictum eſt, Iſai. 44. 6, 8. excluſivum eſſe cenſeatur *Dei Creatoris*, ſeu *Dei Patris*. *Sic ait Jehova REDEMPTOR tuus, Dominus Exercituum; Ego ſum Primus & ego Poſtremus, & præter ME non eſt ullus Deus.* Quod *Chriſto* ſpeciatim attribuitur, Apoc. 22. 13, 16. Quod non eſt excluſivum *Patris*; quoniam *Deus Creator* (ſeu *Deus Pater*) eſt *idem ipſe Deus*, cum *Deo Redemptore*, adeoque non *alius Deus* ab ipſo. Adeoque *eorum uterque* (ſeu potius *idem ille* ſub utraque conſideratione) indiſcriminatim dicitur (præſertim in Veteri Teſtamento) indefinite *Deus*, item *Dominus Exercituum*, & *Sanctus ille Iſraelis*.

Neque illud quod de Chriſto dicitur, 1 Tim. 6. 14, 15, 16. *Dominus noſter Jeſus Chriſtus,—qui ſolus habet immortalitatem*, &c. putandum eſt excluſivum eſſe *Dei Patris*; quaſi non fuerit *Pater*, pariter *Immortalis*, aut etiam (quod ibidem de *Chriſto* dicitur) *Beatus ille & ſolus Princeps, Rex Regum, & Dominus Dominorum*: Quin hoc ſolum innuitur; quod *Dominus noſter Jeſus Chriſtus*, eſt ille *Deus*; qui (Deus) eſt, *Beatus ille & ſolus Princeps, Rex ipſe Regum, & Dominus Dominorum; quique ſolus habeat Immortalitatem.*

Atque (ut prius ex *Auguſtino* notatum eſt) non excluditur *Pater*, ne ſit *Dominus*, eo quod dicatur, 1 Cor. 8. 6. *Unus Deus Pater, & Unus Dominus Jeſus Chriſtus*: Aut Ephel. 4. 5, 6. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma, unus Deus & Pater omnium.* Nam *Pater* & *Filius*, ſunt *Idem* Deus, *Idem* Dominus. Idem nempe de quo dicitur Iſai. 45. 5. *Ego ſum Jehova & nullus præterea, & præter Me nullus Deus.* Et ver. 6. *Ego ſum Jehova, & nullus præterea.* Ubi notandum item eſt, quod vox *Pater*, in ea clauſula *Deus & Pater omnium*, alio ſenſu intelligenda eſt, quam ubi dicitur *Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Quippe illic reſpicit *Communem Naturam*; hic vero, peculiarem *Perſonam*.

Quod autem, his in locis, quæ de *Filio* dicuntur, (quod *ſolus habeat Immortalitatem*, quod ſit *ſolus Princeps*, quod ſit *unus Dominus*, quod *præter ipſum* Redemptorem *non ſit ullus Deus*,) non ſint excluſiva *Dei Patris*; Sic quod hic de *Patre* dicitur (quod ſit *Unicus ille verus Deus*) non putandum eſt excluſivum *Filii*; qui non eſt *Alius*, ſed *Idem* verus Deus.

Putarim alia quædam, de *Sacra Trinitate*, hic inſeruiſſe (ut huic loco ſatis apta;) ſed quæ nunc Omittenda ſunt, ſaltem Differenda, ne tempus non ſuppeteret aliis jam dicendis.

Quod ſit quidem Deus *Creator*, & Deus *Redemptor*, & Deus *Sanctificator*; quodque hi Tres, ſint *Unus Idemque* Deus; haud facile negatum iri exiſtimo. De ſingulis id oſtendam.

De *Creatore* Deo, dictum eſt Gen. 1. 1. *In principio Creavit Deus Cælum & Terram.* Et paſſim alibi ad eundem ſenſum. Nec quenquam dubitaturum credo, quin hic *Creator*, ſit

Verus

Verus Deus, Summus Deus: Atque hoc quidem Charactere Deus, ſe diſtinguit ab aliis omnibus (prætenſis) Deis, Jer. 10. 11. *Dii qui non fecerunt Cœlos & Terram, peribunt è Terra & ſub Cœlis ipſis.*

De Deo *Redemptore*, dictum eſt Jobi 19. 25. *Novi Redemptorem meum viventem*, inquit *Jobus*. Nec dubium eſt, quin per hunc *Viventem Redemptorem*, intellexerit *Viventem Deum*; Deum, qui tum *Viveret*, qui tum *Exiſteret*. Non (quod volunt *Sociniani*) qui nondum *extiturus* foret, niſi *poſt bis mille annos*, aut etiam plures. Et Iſai. 44 6. *Sic ait Jehova Redemptor, Dominus Exercituum, Ego Primus & Ego Ultimus, & præter Me non eſt Deus ullus.* Qui quidem *Redemptor*, neceſſe eſt ut *idem* ſit cum Deo *Creatore, Domino Exercituum.*

De Deo qui *Sanctificat*; ſic loquitur *David*, Pſal. 51. 7, 10. *Purifica me Hyſſopo, ut mundus ſim; ablue me, ut præ Nive albeſcam: Cor mundum Crea in me Deus, & Spiritum rectum in me renova.* Quæ certe ſunt *Sanctificandi* opera. Deuſque quem ſic oravit David, erat *Deus vivens*, Deus qui *tunc* Exiſtebat. Cumque Deus Iſraeli promittit, Jer. 24. 7. *Indam illis Cor ad cognoſcendum me, & ad me revertentur toto corde ſuo.* Et Jer. 32. 39, 40. *Indam illis Cor unum & viam unam, ut me revereantur omnibus diebus: & timorem mei indam animo ipſorum, ut à me non recedant.* Et Ezek. 11. 19. & 36. 26. *Dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum ponam in medio veſtri; & adimens cor lapideum, cor carneum indam vobis.* Item Jer. 31. 31. *Indam legem meam menti eorum, & cordi eorum inſcribam eam.* Et Deut. 30. 6. *Circumcidet Jehova Deus tuus Cor tuum, & cor ſeminis tui, ad diligendum Jehovam Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, ut vivas.* Hæc quidem omnia, ſunt *Sanctificandi* opera; Deuſque qui hæc facit, eſt *Deus Sanctificans.* Idemque Deus eſt hic *Sanctificator*, qui & *Creator*, & *Redemptor*.

Jam vero, Deus hic *Creator*, Deus *Redemptor*, & Deus *Sanctificator*; ſunt qui alias dicuntur Deus *Pater*, Deus *Filius*, & Deus *Spiritus Sanctus*. Sic utique ſe exponit *Eccleſia noſtra*, in *Catechiſmo* ſuo. Quippe, cum Quæritur, *Quid præcipue diſcis ex his Articulis Fidei?* (Nempe, ex Symbolo Apoſtolico tum recitato;) Reſpondetur, *Primo diſco, Credere in Deum Patrem; qui Fecit me, totumque Mundum: Secundo, In Deum filium; qui Redemit me, totumque Humanum genus: Tertio, In Deum Spiritum Sanctum; qui Sanctificat me, totumque Dei populum Electum.* Neque magis Abſurdum eſt, aut Inconſiſtens, ut dicatur, *Deum Patrem, Deum Filium, & Deum Spiritum, Eundem eſſe Deum*; quam ut dicatur, *Deum Creatorem, Deum Redemptorem, & Deum Sanctificatorem, Deum Eundem eſſe.*

Hi quidem, prout ad Nos Relationem habent, vocantur, Deus *Creator*, Deus *Redemptor*, Deus *Sanctificator*. Sed, pro diverſa inter ſe Oeconomia, Unus vocatur *Pater*, ut qui *Generare* dicitur: Alter vocatur *Filius*, ut qui dicitur *Genitus*: Tertius vocatur *Spiritus Sanctus*, qui dicitur ab utroque *Procedere*. Quæ quidem inter ſe Oeconomia, eſt *Æterna*; (nec ab eorum ad Nos Relatione dependet;) Sed *Creationis, Redemptionis*, & *Sanctificationis* opera, Temporanea ſunt, & ſuo quæque tempore effecta.

Objectio Quarta.

Verum hic occurrit Objectio quarta; quam ut magni momenti habent Sociniani. Nempe, *Si Deus Creator, Deus Redemptor, Deus Sanctificator*; ſeu *Deus Pater, Deus Filius*, & *Deus Spiritus Sanctus*; *ſint Idem Deus: Non poſſunt eſſe Tres Perſonæ. Si vero ſint Tres Perſonæ; ſunt & Tres Dei.* Quippe ſicut, inter Homines, *Tres Perſonæ* reputantur *Tres Homines*; Sic, inquiunt, *Tres Perſonæ*, in Divinis, forent *Tres Dei*: contra Præceptum primum, quo prohibemur *Plures* habere Deos quam *Unum*.

Reſpondeo: 1°. Hæc tantum eſt de *Nomine* Cavillatio, cum ad *Rem* ipſam non ſit quod dicant. Quippe ſi, pro *Hæ tres Perſonæ ſunt Unus Deus*, diceretur, *Hi Tres, ſunt Unus Deus*; aliudve ipſis *Nomen*, pro *Perſona* tribueremus; aut etiam diceretur *Hi quidam*, nullo addito *Nomine* quo appellentur: cadit per ſe hæc Objectio.

2. Dico porro; Quamvis verum ſit, quod in Lingua noſtra *Anglicana*, per aliam *Perſonam*, innuimus (aliquando) alium *Hominem*, (quoniam hæc alia *Perſona*, eſt non raro, alius *Homo*:) Non tamen id ſemper innuitur; nec eſt ea hujus vocis propria ſignificatio, ſed potius Abuſio Vocis.

Ratioque hujus *Abuſivi ſignificatus* apud nos, ſeu ſenſus *Improprii*; eſt propter Defectum vocis Anglicæ, quæ ſic ſignificet ut Latina vox *Homo*, aut Græca ἄνθρωπος; quæ indifferenter reſpiciat *utrumque Sexum*.

Nam noſtra vox *Man*, proprie *Marem* ſignificat, & *Woman*, *Femellam*. Quodſi vox *Man* quandoque ſic ſumatur ut etiam *Fœminam* includat; id fit (per *Synecdochen*) nomen unius Sexus pro utroque adhibendo. Et, pro defectu Vocis (quæ utrumque Sexum indifferenter reſpiciat) *Perſonam* dicimus (ſenſu mutuatitio) potius quam, (Circumlocutione facta) utrumque Sexum nominando, *Marem & Fœminam*.

Et quidem ſi, Circumlocutione facta, diceremus *Man and Woman*; neque hoc totam *Speciem* includeret. Quippe non *Virum & Fœminam* dicimus, uſque dum ad ætatem ali-

quatenus provectam perveniunt; ſed antea *Pueros* dicimus aut *Puellas*; ut, ſi totam ſpeciem vellemus indicare, dicendum eſſet, *Man, Woman, and Child.*

Dicimus quidem, aliquando, *Mankind*, hoc eſt, *genus Humanum*, (quo amplietur ſignificatus;) Verum hoc non uſurpatur niſi pro *Humano Genere*, Collective ſumpto; non de *ſingulis Hominibus*, Diſtributive ſumptis. Non enim dicitur, Unum vel duo *Mankinds* (humana genera,) ut dicitur *Homo*, *Homines*.

Cogimur itaque pro defectu vocis Anglicæ, *Perſonam* dicere (ſenſu mutuatitio) pro *Homine*.

At vero *Patres Antiqui*, qui primi *Perſonæ* vocem *Sacræ Trinitati* adhibuerint; non *Anglico Sermone* uſi ſunt. Adeoque non poſſumus, ex præſenti uſu vocis *Perſonæ* apud nos, ſatis concludere, quo ſenſu hanc vocem ipſi uſurpaverint, cum eam attribuerint Perſonis Sacræ Trinitatis.

3. Scholaſtici (qui dicuntur) alium adhuc ſenſum voci *Perſonæ* attribuerunt, ſibi peculiarem. Eam tum *Angelis* tum *Hominibus* accommodantes. (Pro defectu vocis quæ ſit Hominibus & Angelis communis.) Ut idem ſignificet, apud eos, ac *Suppoſitum Rationale*, ſeu (ut nos loquimur) *Rationalis Creatura*. (Aliique, hos imitantes, pariter loquuntur.) Sed hic eſt *Novus* ſenſus, *Antiquæ* Vocis, poſt eorum *Patrum* tempora qui primi vocem hanc Sacræ Trinitati attribuerunt. (Neque ipſi Scholaſtici, abſque Metaphora, Sacræ Trinitati vocem hanc adaptant.) Non igitur hinc ſatis conſtat, quo ſenſu Patres illi, ſic de Perſonis illis locuti ſunt. Certe *Patrem & Filium*, in Divinis, non eodem prorſus ſenſu intellectos vellent, quo de Hominibus uſurpantur: nec talem eſſe Æternam Filii *Generationem*, qualis eſt ea quæ apud Homines.

4. Ut igitur genuinum ſenſum hujuſce vocis *Perſonæ*, prout ea Sacræ Trinitati accommodatur, recte intelligamus: non tam conſiderandum eſt, quo ſenſu vox hæc apud *Anglos* nunc uſurpetur; ſed neque quo ſenſu *Scholaſtici* (poſt Patrum tempora) uſi ſint, (qui non omnes eodem plane ſenſu ſunt locuti:) Sed, quis fuerit vocis *Perſonæ* ſignificatus, ante ea tempora, apud probatos Latinæ Linguæ Scriptores. Qui plane alius eſt, quam quo nos aliquando utimur.

Quod nos *Angli* nonnunquam dicimus *Tres Perſonas* (indiſcriminatim hoc dicentes de Viris, Fœminis, Pueriſque,) Latini non dicerent *Tres Perſonas*, ſed *Tres Homines*. Quamquam, ſi *Tres* illi conſiderentur inter ſe *Relati*; ut *Pater*, *Mater*, *& Filius*; ſic quidem dici poſſent *Tres Perſonæ*.

Neque etiam ſcio, quod, apud probatos Latinæ linguæ Scriptores, uſurpetur vox *Perſona*, quo ſenſu locuti ſunt Scholaſtici; ut vel *Angelis*, vel etiam *Geniis*, aut *Diis Ethnicis*, (abſolute conſideratis) attribueretur.

5. Sed ita ſolet occurrere vox *Perſona* apud Scriptores Latinos, ut ſignificet, *Statum, Qualitatem, aut Conditionem cujuſpiam, prout ad alios Relationem ſuſtinet.* (Atque ſic vox *Perſona*, in *Dictionariis* noſtris, Anglice reddi ſolet.) Puta, ut *Rex*, *Subditus*, *Pater*, *Filius*, *Vicinus*, *Perſona Publica aut Privata*, *Honorabilis Perſona*; & ſimilia. Atque ſic, prout *Conditio* variatur, variatur *Perſona*, quamvis idem *Homo* maneat. Sic, cum *plebeius homo*, ad ordinem *Equeſtrem* promovetur, aut *Magnatibus* accenſetur; *Perſona*, *Statuſquè* mutatur, ſed eſt idem *Homo* qui ante fuit. Quique hoc anno *Prætor* eſt aut *Conſul*, anno ſequenti futurus eſt tantum *Civis*.

Hinc Latinæ Phraſes quæ paſſim occurrunt, *Perſonam imponere*, cum quis ad Munus aut Dignitatem promovetur; *Perſonam induere*, cum Munus illud ſuſcipit; *Suſtinere Perſonam*, cum Magiſtratum gerit; *Deponere Perſonam*, cum exuit ſe Munere vel Magiſtratu; ſic *Agere Perſonam*, qui Mimice imitatur; Aliaque ſimilia.

Adeoque nihil eſt *Abſurdi*, aut *Incongrui*, nihil *Contradictorium* aut *Inconſiſtens*, ut idem *Homo* ſuſtineat plures *Perſonas*, (ſive ſimul, ſive ſucceſſive;) vel ut *Plures Perſonæ*, in *eodem Homine* conveniant; ſecundum Genuinam Propriamque *Perſonæ* ſignificationem. Poteſt utique idem *Homo*, tum *Regis*, tum *Patris* Perſonam, una ſubire; *Regia* ſimul & *Paterna* Authoritate fretus; (ipſæque Authoritates, altera alteri ſubordinari;) agereque nunc ut *Rex*, nunc ut *Pater*. Ipſeque *Cicero* (qui probe novit Latini Sermonis uſum) *Suſtineo* (inquit) *Unus, Tres Perſonas; Meam, Adverſarii, Judicis.* Pariterque *David*, ſimul & ſemel erat *Filius Jeſſe*, *Pater Solomonis*, & *Rex Iſraelis*.

Atque hoc penitus tollit Fundamentum hujus Objectionis; quæ hoc nitatur errore, quaſi *Tres Perſonæ* (ſenſu proprio) neceſſario innuat *Tres Homines*.

6. Cum itaque *Tres Perſonæ* (ſecundum proprium *Perſonæ* ſignificatum) poſſunt eſſe *idem Homo*: Quid impedit, quin *Divinæ Tres Perſonæ* (ſenſu Metaphorico ſeu Tranſlatitio) ſint *Idem Deus*? Quid impedit, quin Deus, ut *Mundi Conditor & Gubernator*, ſit Deus *Creator*, ſeu Deus *Pater*; idemque Deus, prout peculiarem habet Generis Humani curam, eſtque *Redemptionis* noſtræ Author, ſit Deus *Redemptor*, ſeu *Deus Filius*; idemque Deus, prout in Electorum *Cordibus* efficaciter Operatur, ſit Deus *Sanctificans*, ſeu *Spiritus Sanctus*?

Imo, quid impedit, quin Deus ut *Primum Ens*, omniſque *Eſſendi* ſeu *Exiſtendi* principium,

cipium, ſit Deus *Pater* ; idemque ut *Primum Sciens*, omniſque *Cognitionis* ſeu *Cognoſcendi* principium, ſit ὁ λόγος, (*ſermo, ratio, ſapientia*) ſeu Deus *Filius*, (nam aliud eſt *Eſſe*, aliud *Scire* ; multa *Sunt*, quæ non *Sciunt* ; & *Cognoſcere*, ſupponit *Eſſe* ;) idemque ut *Primum Agens*, principiumque *Agendi* ſeu *Operandi*, ſit *Spiritus Sanctus*, (ſeu δύναμις ὑψίστου, *Poteſtas Altiſſimi*,) *ab utroque Procedens* ; (nam aliud eſt *Scire*, aliud *Agere* ; multa *Scimus*, quæ non *Agimus* ; ipſumque *Operari*, ſupponit tum *Eſſe* tum *Cognoſcere*.)

Non quod Ego audacter dixerim, has eſſe Trium Perſonarum ipſiſſimas inter ſe Differentias ; (neque enim id dictu opus eſt :) Sed, quod nihil impedit, quin Unus idemque Deus, aliter atque aliter conſideratus, eſſe dicatur, aut ſuſtinere, Tres Perſonas ; aut, Tres Perſonas, pro varia inter ſe Oeconomia (utut nobis non perfecte cognita) diſtinctas, unicum eundemque Deum eſſe. Vel (ſi diſplicet vox Perſona) ſaltem, quod *Hi Tres* ; *Pater, Filius & Spiritus Sanctus*, (quacunque compellatione ſint vocandi,) *ſunt ita inter ſe diſtincti, ut tamen ſint Unus Deus.*

Dicat forte quiſpiam ; Inter tres haſce *Perſonas*, plus eſſe poſſe Diverſitatis ſeu Differentiæ, quam hujuſmodi *Relationum quaſi-Politicarum*. Nec tres *Perſonas*, eſſe, tres tantum *Modos*, ſeu *Relationes*.

Et recte quidem ; Quippe Tres *Perſonæ*, non ſunt tres *Relationes*, ſed Tria *Relata*. Sicut, apud nos, *Pater* aut *Filius*, non ſunt *Relationes*, ſed *Relata*. (Quippe *Relatum*, in Concreto, connotat, *Subjectum una cum Relatione* : Quod norunt vel *Tirones* in Logica. Et plane Captioſum eſt hæc non diſtinguere.) Sed *Paternitas & Filiatio*, (in Abſtracto,) ſunt Modi ſeu *Relationes*, quibus inter ſe differunt *Relata*, Pater & Filius. Sic, in Divinis, *Perſonarum* quæque, eſt ipſe *Deus*, ſic Relatus ; ſed *Perſonalitates*, ſunt (ut locuti ſunt Patres) τρόποι ὑπάρξεως, *Relationes* quædam, ſeu *Modi Exiſtendi*, quibus differunt hæ Perſonæ.

Sed & hæ *Relationes*, non ſunt mera *Nomina*, ſeu *Phantaſiæ noſtræ Figmenta* ; ſed quæ habent (ut loquuntur) *Fundamentum in Re* ; Nempe, Æternam eam *Generationem* (quicquid ſit quod ea vox ſignificet) qua *Filius* generatur ab eo *Patre* ; & *Proceſſionem* illam, qua *Spiritus Sanctus*, ab utroque *Mittitur* ſeu *Procedit*. Sed quid ſit Æternum illud, quod *Generationis*, & *Proceſſionis*, vocibus (quibus utitur Scriptura Sacra) ſignificatur ; nos non perfecte aſſequimur aut comprehendimus ; ut neque perfecte comprehendimus ipſum *Eſſe Dei*.

Quodque *Plus* eſſe poſſit (hoc Fundamentum) quam quale eſt Fundamentum *Relationis Politicæ* ; Ego non inficias eo. Plus eſſe poteſt, forte & Eſt, (cum ſit potius *Relationis Phyſicæ* fundamentum ;) ſed Quid illud *Plus* ſit, nos neſcimus, (ſaltem Ego neſcio.)

Mihi ſaltem dictu ſufficit ; quod Unus idemque Deus, in tres (quas dicimus) *Perſonas* diſtinctus ; quatenus *Generare* dicendus eſt, eſt Deus *Pater* ; Quatenus *Generari*, ſeu *Genitum eſſe*, eſt Deus *Filius* ; Quatenus ab utroque *Procedere* dicitur ſeu *Miſſum eſſe*, eſt *Spiritus Sanctus*. Cætera poſſimus *Modeſte Ignorare*. Sed hæc ſufficiunt, ut *Tres* ſint *Perſonæ*, ſed *Deus Unicus*.

Atque hæc quidem (prout mihi ſaltem videtur) eſt Plena Perſpicuaque Solutio iſtius Objectionis, in voce *Perſonæ* (perperam intellecta) male-fundata.

Objectio Quinta.

Objicietur forte porro ; Quid opus eſt ut de voce *Perſona* contendamus, (ut appellentur *Tres Perſonæ* ;) ſi ſaltem *Tres quidam* (innominati) aut *Tria quædam* ſit dictu ſufficiens ?

Reſpondeo 1. Nobis non eſſe plane neceſſariam *Perſonæ* vocem ; quin ea carere poſſimus. Sufficeret nobis Vox *Hypoſtaſis*. Et quidem ſi putent Græcorum *Hypoſtaſin*, non bene reddi per Latinorum *Perſonam* ; utantur per me licet Græca voce Hypoſtaſi. (Nos utrovis vocabulo idem intendimus.) Atque tum forte ſe privatos ſentient ea Cavillationis anſa, quam captant, à communi apud nos uſu, quo *Tres Perſonæ* nonnunquam dicantur pro *Tribus Hominibus*.

Verum 2°. ſi eatenus conſenſum ſit, ut *Tres quidam*, (ſeu *Tria quædam*, ſic conſiderata) poſſint eſſe *Unus Deus* ; non video cur de Nomine *Perſonæ* debeant contendere. Quippe hæc eſt λογομαχία mera, de *Nomine* contendere, ſi de *Re* ſeu *Notione* conſenſum ſit ; Quod *Hi Tres*, inter ſe diſtincti, *ſint Unus Deus*.

3. Si admiſſum foret (quod, cur ſit, non video,) quod vox *Perſona*, aut non Perfecte, aut minus Apte, *Notionem* illam exprimat quam Intellectam volumus ; non gravius quid hinc inferri poſſet, quam, Quod *Nomenclaturam* haud ſatis Commodam aſſignavimus ; non, quod ea *Notio* non ſit Vera. Quo nomine ſi cui Cavillari libet, perinde eſt ac ſi quis contenderet, nunquam extitiſſe Virum illum qui dicebatur *Pius Quintus* ; eo quod, qui ſic dicebatur, non fuerit vere *Pius*. (Sufficit, ſi eo nomine ſatis intelligatur, Quem Virum volumus.) Per *Tres Perſonas* (in Divinis) nos intelligimus *Hos Tres* ; *Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum* : Quos dicimus, ita inter ſe diſtinctos eſſe, ut tamen ſint *Unus Deus*.

4. At

4. At interim, non video, quin Vox *Perſona* ſit ſatis apta; (neque ipſi, quod ſciam, aptiorem ſuggerunt, quam pro *Perſona* ſubſtituamus.)

Horum Duos deſignat nobis Scriptura Sacra, Nominibus *Patris* & *Filii*; qui quidem Filius, à Patre *Genitus* dicitur; (neque erit de hiſce Vocibus cavillandum, cum eas exhibeat Scriptura Sacra;) Sed ſenſu Metaphorico, (ſaltem Figurativo,) intelligendas eſſe ſatis conſtat. Nemo enim putaverit, hunc *Patrem* ſic *Genuiſſe* ſuum *Filium*, ut Voces illæ (primaria ſua ſignificatione) apud nos ſignificant.

Relationes autem illæ, *Patris* & *Filii*, ſenſu proprio; tales ſunt quales innuit (ſenſu proprio) Vox *Perſona*.

Adeoque (per eandem Analogiam) *Pater* & *Filius*, ſenſu Metaphorico ſeu Figurativo; apte dicantur *Perſonæ*, eodem ſenſu Figurativo. Et quo ſenſu dicuntur *Pater* & *Filius*, eodem dicendi ſunt *Perſonæ*; ſecundum veram propriamque Latinæ vocis *Perſonæ* ſignificationem. Nam, ſic *Relatos*, Latini vocant *Perſonas*. *Eſſe Patrem* & *Eſſe Filium*, eſt *Eſſe Perſonam*; &, quo ſenſu ſunt *Pater* & *Filius*, eodem & ſunt *Perſonæ*.

Quod ſi *Pater* & *Filius*, apte dicantur *Perſonæ*; non dubitandum erit, quin ſic dici poſſit *Spiritus Sanctus*, ab ipſis *Procedens* (ἐκπορευόμενος.) Ut Joh. 14. 26. *Paracletus ille, qui eſt Spiritus Sanctus, quem mittit Pater in nomine Meo, ille vos docebit omnia.* Et Joh. 15. 26. *Cum autem venerit Paracletus ille, quem Ego mittam vobis à Patre, Spiritus ille veritatis qui à Patre emanat, ille teſtabitur de Me.* Unde manifeſtum eſt, quo ſenſu *Pater* & *Filius* reputandi ſunt *Perſonæ*; eodem & *Paracletus* ille, ſeu *Spiritus Sanctus*, *ſic* reputandus erit.

Adeoque (ni fallor) ſatis vindicavi, tum *Notionem* ipſam, Quod *Hi Tres* (quocunque nomine cenſendi ſunt) ſint *Unus Deus*; tum *Nomen* ipſum, Quod apte dicendi ſint *Perſonæ*.

Objectio Sexta.

Unam adhuc Objectionem nunc memorabo, cui cum ſatisfecero, deſiſtam; cætera, quæ dicenda habeo, in tempus aliud relaturus.

Objectio Sexta (eaque debilis) hæc eſt; quod ipſi *Trinitarii* (ut loquuntur hi Objectores) non omnes inter ſe conſentiunt, ſed inter ſe differunt, aliter atque aliter ſe expedientes, hanc *de Trinitate Notionem* explicando.

Eſto hoc. Annon autem & *Anti-trinitarii*, etiam magis adhuc inter ſe differunt, dum hanc oppugnant? Annon *Ariani* & *Sociniani*, tantundem inter ſe differunt quantum à nobis Utrivis? atque hoc ipſum profitentur ipſi? Annon item & *Ariani* inter ſe, & inter ſe *Sociniani*, plus different, quam inter ſe *Trinitarii*? Omnino.

Non quidem negamus, quin alii atque alii Viri, aliis atque aliis temporibus, aliter atque aliter ſe expediverint, hanc ipſam Notionem, de Perſonarum inter ſe differentiis, explicando.

Sed id ipſum obvenire ſolet, in explicandis rebus in Mundo verſatiſſimis. Puta, *Tempore*, *Loco*, *Spatio*, *Motu*, & ſimilibus. Nemo eſt qui ſe non putaverit ſatis intelligere, quid hiſce Vocibus ſignificetur, dum id nondum ſit interrogatus. Sin de horum aliquo interrogetur, Num *Aliquid* ſit aut *Nihil*, num *Res*, aut *Non-Res*, aut *Aliquid Rei*, & *Quid ſit hoc Aliquid*? Omnino non ſperandum eſt, aut exſpectandum, ut ſe expediant omnes, eodem plane modo rem ipſam explicando. Et quidem, tam *clare perſpicueque*, ut qui velit (quod aiunt) nodum in ſcirpo quærere, non poſſit anſam captare cavillandi. Idem dixerim de *Calore* & *Frigore*; de *Luce*, *Viſu*, & *Coloribus*; de *Odoribus* & *Saporibus*, horumque variis *Speciebus*.

Nunquamne de hoc conſenſum iri dicemus, *Quod Ignis Comburit & Conſumit Lignum*; Niſi prius intelligamus *Qua figura ſint Igneæ particulæ*, (*quis earum Motus* & *quo Impulſu*,) *quæ ſubeunt Ligni Poros*, ejuſque *partes dirimunt*; has in Fumum, illas in Flammam, iſtaſque in Cineres convertendo; & *quas quæque* in horum ſingula; &, *quomodo* id fiat?

Quantæ igitur erit dementiæ, in abditis *Dei* rebus id exigere, (ut omnes eodem plane modo conceptus ſuos explicent;) cum id non exſpectandum ſit in rebus *Naturæ*, quæ paſſim occurrunt, ſuntque omnibus, ſemper & ubique, obviæ!

Et quidem; quo caſu, pro explicandis conceptibus noſtris non alia ſuppetunt vocabula quam Figurata; non mirum eſt, ſi alii aliis utantur *Metaphoris*, pro Conceptibus ſuis quadantenus exprimendis.

Verum hactenus, credo, inter Orthodoxos conſenſum eſſe omnes: Quod inter *Tres illos*, qui in Sacris Literis vocantur, *Pater*, *Filius*, & *Spiritus Sanctus*; ſeu *Pater*, *Sermo*, & *Spiritus*; ſit quædam *Diverſitas* ſeu *Diſtinctio*, qua *Tres* ſint; (& quidem *Major*, quam quæ eſt inter ea quæ dici ſolent *Divina Attributa*;) non vero talis qua ſint *Tres Dei*, ſed ut ſint *Deus Unus*. Atque hanc *Diverſitatem* ſeu *Diſtinctionem*, viſum eſt his vocibus *Hypoſtaſeos* & *Perſonæ* denotare.

Conſenſum item eſt, quod harum *Perſonarum* una, (quæ *Filius*, & ὁ λόγος ſeu *Sermo*, dicitur,) eſt *Caro facta*, ſeu *Incarnata*; aſſumpta in ſe *Humana Natura*.

Sed, de *Modo quo* vel hæ *Naturæ duæ*, (*Divina* ſcilicet & *Humana*,) inter ſe *Uniantur*,

vel

vel *Tres illæ Perſonæ* inter ſe *Diſtinguuntur*; contenti ſumus *modeſte neſcire*; non perfecte & adæquate *comprehendere*, ſed eatenus ſaltem quatenus Deo viſum id nobis *Revelare*, ſeu *Patefacere*.

Scimus quidem nos, *Animam Immortalem*, *Humano Corpori* conjunctam eſſe, ut fiat *Unus Homo*; (ita tamen ut nec illa deſinat eſſe *Spiritus*; neque hoc, *Corpus* eſſe;) ſed difficile dictu eſt, *Quomodo* fiat.

Pariter dicimus, quod *Homo Jeſus* (ita ut maneat *Homo*,) & *Deus in Carne Patefactus* (ita ut non deſinat eſſe *Deus*,) ſunt *Unus Chriſtus*: Sed *qualis* ſit hæc *Unio*, quam *Hypoſtaticam* dicimus, nos non *perfecte intelligimus*, nec profitemur nos *adæquate comprehendere*.

Scimus quidem quod *Pater* dicitur *Generare*; & *Filius*, eſſe *Genitus*; & *Spiritus Sanctus*, *Procedere*: ſed, quæ ſit horum verborum (in Divinis) *plenaria ſignificatio*, nos non *perfecte Intelligimus*, (nec neceſſarium eſt ut perfecte intelligamus; cum neque perfecte intelligimus ipſum *Eſſe* Dei, nedum ipſius *Gignere*.)

Sed, prout jam ante dictum eſt, inter Orthodoxos convenit.

Ipſique Deo Patri, Deo Filio, Deoque Spiritui Sancto; Tribus Perſonis, ſed Uni Deo; ſit Laus, Honor, & Gloria; & nunc & in ſecula ſeculorum. Amen.

DE SACRA TRINITATE,

CONCIO TERTIA;

Cum duabus præcedentibus Anglice edita; Anno 1691.

Joh. 17. 3.

Αὕτη δέ ἐστιν ἡ αἰώνιος ζωὴ, ἵνα γινώσκωσί σε, τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν, καὶ ὃν ἀπέστειλας, Ἰησοῦν Χριστόν.

Hæc eſt autem Æterna Vita, ut Te cognoſcant, illum ſolum verum Deum, &, quem miſiſti, Jeſum Chriſtum.

EX hoc Verſiculo, de *Sacra Trinitate*, jam ante verba fecimus. Non, quod ea hic tradatur; ſed, occaſione hinc deſumptâ.

Oſtendi, Vocem *Solum*, non reſtrictivam eſſe Subjecti *Te*, ſed Prædicati *Verum Deum*. Affirmando, *Patrem* eſſe *Unicum verum Deum*; non autem *Solum Patrem*. Non excludendo *Filium*, qui & ipſe eſt *Verus Deus*; atque ſic, ab [illegible] Scriptore, diſerte dicitur, 1 Joh. 5. 20. ubi (de *Jeſu Chriſto* verba faciens,) *Hic*, inquit, *eſt ipſe Verus Deus, & Æterna Vita*: quaſi cum reſpectu habito ad hæc ipſa verba (quæ jam tractamus) id diceretur.

Et quidem, quod *Chriſtus* ſæpe vocetur *Deus*, nec negant *Ariani* nec *Sociniani*. Quod toties fit, & tam manifeſte, ut id negari non poſſit, aut diſſimulari. Neque id ſolum fit in Textu proxime citato; ſed & alibi paſſim. *Ad Filium, dicitur, Thronus tuus, ô Deus, eſt in ſeculum ſeculi*, Heb. 1. 8. *Sermo* (ὁ λόγος) *erat apud Deum*; *eratque Sermo ille Deus*, Joh. 1. 1. *Thomas dixit ei, Domine mi, & Deus mi*, Joh. 20. 28. *Chriſtus, qui eſt ſupra omnes Deus, laudandus in ſecula, Amen.* (Vel, *Ens ſupremum, Deus in æternum Benedictus*,) ὁ Χριστὸς, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων, Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν. Rom. 9. 5. Et ſimiliter alibi.

Objectio Septima.

Sed objicitur: Quamvis aliquando vocetur *Deus*, non tamen per *Deum* intellectum volunt *Supremum illum Deum*; Sed vel Deum mere *Titulo tenus*, quod volunt *Sociniani*, (quaſi ſit ex illis, qui perhibentur λεγόμενοι Θεοὶ, 1 Cor. 8. 5. qui deus *diceretur*, non *ſit*; ſed merus *Homo*, utcunque Dei titulo decoratus:) Vel, (ut volunt *Ariani*) Deus quidem, at non *Summus Deus*, non *idem cum Patre Deus*, ſed inferioris ordinis Deus; *Deus factus*, Deus *Creatus*; qui quidem fuit *ante mundum conditum*, ſed non *ab æterno*. ἦν ὅτε οὐκ ἦν· Fuiſſe volunt, *Tempus*, *Momentum*, aut *Quando* aliquod, cum non fuerit; cum nondum *Extiterit*.

Quibus ut ſemel ſimulque Reſpondeam utriſque (*Socinianis*, inquam, & *Arianis*;) Oſtenſurus ſum (ex *Characteribus* maxime Inſignibus, quibus in Sacris Literis deſignatur *Summus Deus*, *Unicus ille Verus Deus*; aliiſque omnibus contra diſtinguitur *Diis falſis*, aut *prætenſis*

tenſis Diis;) Quod *Chriſtus* ipſe ſit Deus *Verus*, Deus *Supremus*, *idem cum Patre* Deus; non ab eo *Deus Alius*.

Character Primus.

Primum de *Vero Deo* characterem habemus. Gen. 1. 1. *In Principio Creavit Deus Cælum & Terram.* Quod de *Deo Vero*, *Deo Summo*, dictum eſſe, neminem credo negaturum.

Atque hoc Titulo, Mundi *Dominium* & *Suprematum* ſibi vindicat. *Jehovæ, eſt Terra ejuſque Plenitudo*, Pſal. 24. 1. *Jehova, Dominus totius Terræ*, Joſh. 3. 11, 13. *Jehova, Deus Cæli, Deuſque Terræ*, Gen. 24. 8. *Sic ait Jehova, Cælum ipſum, Solium meum eſt, & Terra ſcabellum pedum meorum*, Iſai. 66. 1. *En Jehovæ, Dei tui, ſunt Cæli, & Cæli Cælorum, Terraque, & quicquid eſt in ea*, Deut. 10. 14.

Idemque Character, Deo multoties attribuitur; Ut Iſai. 42. 5, 8. *Sic ait ipſe Deus Jehova, Creator Cælorum, & qui extendit eos; qui expandit Terram & res ex ea prognatas; qui indit animam populo qui eſt in ea, & Spiritum ambulantibus in ea; Ego ſum Jehova, illud mihi nomen eſt, gloriamque meam alteri non dabo.* Et Iſai. 48. 13. *Manus mea Fundavit Terram, dextræque meæ palmus expandit Cælum.* Sic Pſal. 8. 3. *Cum aſpicio Cælos, opera Digitorum tuorum, Lunamque & Stellas quas ſtatuiſti.* Et Pſal. 146. 6. *Qui fecit Cælos & Terram, Mare, & quicquid in eis eſt.* Multiſque aliis in locis; nec Veteris tantum Teſtamenti, ſed & Novi. Ut Act. 14. 15. *Ut à vanis hiſce rebus convertatis vos, ad Deum illum Vivum, qui fecit Cælum, & Terram, & Mare, & omnia quæ in eis ſunt.* Et Act. 17. 20. *Deus ille, qui fecit Mundum & omnia quæ in eo ſunt; qui eſt Cæli & Terræ Dominus.* Sic Apoc. 4. 11. *Tu creaſti omnia, & per voluntatem tuam ſunt, & creata ſunt.* Et Cap. 19. 7. *Adorate eum qui fecit Cælum, & Terram, & Mare, & Fontes aquarum.*

Eſtque hic Characteriſmus ipſe quo ſeipſum diſtinguit ab aliis omnibus prætenſis Deis. Jer. 10. Quippe cum dictum ſit ver. 10. *Jehova, Deus Verus, Deus Vivens, Rex ſempiternus, à cujus fervore ſubmovetur Terra, neque ſuſtinere poſſunt Gentes indignationem ejus*: Subjungitur verſu 11. (quaſi in contemptum aliorum pro Diis perperam habitorum) *Dicitote illis; Dii iſti qui Cælum & Terram non fecerunt, perituri ſunt ipſi è Terra, & ſub Cælo ipſo.*

Jam vero, hic ipſe Characteriſmus Veri Dei; etiam Chriſto attribuitur. Non ſolummodo in locis illis ubi de *Deo* indefinite dicitur; ſed de Chriſto intelligendis (quales ſunt locorum horum aliqui:) ſed ubi ſpeciatim attribuitur *Chriſto*.

Incipiam ab illo celebri loco, in Principio Evangelii ſecundum S. *Johannem*: ubi hac de re fuſius diſſeritur. Dicitur Joh. 1. 1, 2. *In principio erat* ὁ λόγος, (*Verbum* ſeu *Sermo*,) *& Sermo ille erat apud Deum, eratque ille Sermo Deus.* Ubi, quod ὁ λόγος, (*Sermo*) ſit de Chriſto intelligendus; liquido patet à Verſibus inſequentibus, ubi fuſius deſcribitur; Nempe ille, de quo *teſtificaturus venit Johannes Baptiſta*; dixitque *ſe non eſſe Lucem illam, ſed de Luce teſtificaturum, ut omnes per eum crederent*, ver. 7, 8. Qui *in mundo fuit, ſed mundus ipſum non novit*, ver. 10. Qui *ad ſua venit, ſed ſui non ipſum exceperunt*, *quot autem eum exceperunt, dedit eis hoc jus, ut Filii Dei ſint facti, nempe eis qui credunt in nomen ejus*, ver. 11, 12. *Qui factus eſt caro, & commoratus eſt inter nos: ſpectavimuſque gloriam ejus, gloriam ut Unigeniti à Patre*, ver. 14. *Ille de quo teſtatus eſt Johannes, & clamavit dicens; Hic eſt de quo dicebam, Is qui poſt me venit, antepoſitus eſt mihi, quia Prior me erat*, ver. 15. (quod de ipſius *Humana Natura* non intelligendum erit; ſic enim *Baptiſta* fuit ipſo Senior, *ſex menſibus*. Luc. 1. 26.) *Ex cujus plenitudine* (dicit Evangeliſta) *accepimus gratiam pro gratia: Nam Lex per Moſen data eſt, ſed Gratia & Veritas per Jeſum Chriſtum*, ver. 15, 16. Ut dubium non ſit, *Chriſtum* ipſum eſſe, qui hic dicitur ὁ λόγος *Sermo*.

Jam vero, de hoc *Sermone* ſeu *Verbo* dicitur, quod *Ipſe fuerit in Principio*: quod *per hunc omnia facta ſunt; & abſque eo factum eſt nihil quod factum eſt*, ver. 2, 3. quod *Ipſe erat in Mundo, & Mundus per eum factus eſt*, ver. 10. Cui conſonat illud, Hebr. 11. 3. *Conſtructum fuiſſe Mundum Verbo Dei.* Et 2 Pet. 3. 5. *Cælos jam olim extitiſſe per Dei Sermonem, & Terram ex aqua & in aqua conſiſtentem*; Et, *eodem Sermone, Cælos & Terram quæ nunc ſunt, conſervari*, ver. 7.

Eodem ſpectat quod habetur, Col. 1. 16, 17. *Per eum* (Dei Filium) *condita ſunt omnia quæ in Cælis ſunt & quæ in Terra; Viſibilia & Inviſibilia; eſtque ipſe ante omnia, & omnia per eum conſiſtunt.* Et Hebr. 1. 2. *Per quem etiam Mundum condidit.*

In *Pſalmo* 102. longam habemus *Orationem* (Summo Deo proculdubio, factam) cui Titulus, *Oratio pro paupere cum obruitur, effunditque coram Jehova planctum ſuum.* Quæ ſic inchoatur, *Audi Jehova orationem meam, & vociferatio mea ad Te perveniat*; & pari tenore procedit, ad eundem Deum directa: Et ver. 24, 25, 26, 27. *O Deus mi, per generationem æternam ſunt anni tui; Tu olim fundaſti Terram, Cælique ſunt opus manuum tuarum*; (Qui itaque *idem Deus* eſt de quo dixerat Moſes, Gen 1. 1. *In principio creavit Deus Cælum & Terram*;) *Iſta peritura ſunt* (procedit Pſalmiſta) *Tu autem permanes*;

Iſta

Iſta omnia ut veſtimentum veteraſcent; ut indumentum mutabis ea, atque mutabuntur. Tu vero idem es, & anni tui non finiuntur, ver. 24, 25, 26, 27. Nec dubium eſt, quin, quando ſic precatus eſt Pſalmiſta, *Summo Deo* ſe locutum putaverit; Deo *tunc Exiſtenti*; (non Deo alicui poſt annos plus mille tum primum extituro, quod de *Chriſto* volunt *Sociniani*:) Deumque ut *Redemptorem* alloquitur; hoc eſt *Chriſtum*.

Quodque de *Chriſto* hæc dicta ſint, diſerte dicitur, Heb. 1. 8, 10, 11, 12. *Ad Filium autem dicit, —Tu in initio, Domine, Terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt Cœli. Ipſi peribunt, Tu autem permanes; & omnes ut Veſtimentum veteraſcent, ac velut amictum circumvolves eos; Tu autem Idem es, & anni tui non deficient.* Quæ omnia ex Pſalmo illo citantur. Ut certum ſit, *Chriſtum* ipſum eſſe *Deum* illum, quem hic oravit Pſaltes, eundem ipſum *Supremum Deum*, qui *creavit Cœlum & Terram*: Nempe, *Jeſum Chriſtum, qui heri & hodie idem eſt, & in æternum*, Heb. 13 8.

Eſtque in Sacris Literis paſſim obſervandum; id quod, uno in loco, de *Deo indefinite* dicitur, (abſque hujus illiuſve *Perſonæ* ſpecificatione;) alibi, ſpeciatim, huic illive accommodatur. Utpote *Creationis* opus, Chriſto *Redemptori*, ut qui *Deus idem* eſt cum *Creatore* Deo. Et *Redemptionis* opus, Deo *Creatori* (qui & *Redemptor* idem eſt;) ut Iſai. 43 1. *Sic ait Jehova Creator tuus, —Ne timeto, ego te Redemi*, ſeu *Vendicavi*: Ut Deus *Creator*, & Deus *Redemptor*, ſit *idem Deus*.

Character Secundus.

Quem proxime nominabo Characterem, ille eſt quo Moſi ſe deſcribit Deus, Exod. 3. 13, 14, 15. *Ego ſum QUI SUM*: Et *QUI SUM miſit me ad vos.* Cùm Deus *Moſen* miſſurus erat ad *Filios Iſraelis*, eos ex *Ægypto* educturum; hanc movet *Moſes* quæſtionem, *Cum venero ad Filios Iſraelis, dixeroque illis, Deus Patrum veſtrorum me miſit ad vos; ſi dicerent mihi, Quod eſt Nomen ejus? Quid dicerem illis?* Certum igitur eſt, Ipſum *Verum Deum* eſſe, de quo hic ſit ſermo. Videamus, quem hic ſibi facit Characterem Deus, quo à Diis falſis diſtinguatur; *Dixit itaque Jehova ad Moſen, Ego ſum QUI SUM*; dixitque, Itaque dices *Filiis Iſraelis, QUI SUM* (ὁ ὢν) *miſit me ad vos.* Hic itaque eſt proprius Character *Veri Dei.* אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה (*Ehjeh aſher Ehjeh*) *Sum QUI SUM*, ſic Vulgatus Latinus; Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν, (ſic Septuaginta interpretes,) & *QUI EST miſit me ad vos* ὁ ὢν ἀπέσταλκέ με πρὸς ὑμᾶς. Quaſi quod ait de ſe Deus, in prima perſona (ut loquuntur Grammatici) *Ego qui Sum*; diceret Moſes (de Deo) in tertia perſona, *Ille qui EST*. Ut, ſimpliciter *ESSE* ſit Diſtinctivus Dei Character; Utpote cujus *Eſſentia*, eſt ipſum *Eſſe*; & impoſſibile ſit *eum non-eſſe* Qui *ex ſeipſo Eſt* (ſeu potius *Ipſe Eſt*) non aliunde ſuum *Eſſe* excipiens; atque *à quo* ſuum habent *Eſſe*, alia quæ *ſunt* omnia. *Qui dat omnibus Vitam, & halitum, & omnia, in quo Vivimus & Movemur & Sumus*, Act. 17 25, 28. *Quis ei prior dedit?* quippe nemo; Nihil habet aliunde; ſed *ex eo, & per eum, & in ipſum, ſunt omnia*, Rom. 11. 35, 36. Qui itaque ſimpliciter dicitur ὁ ὤν. *qui Eſt.*

Eandem de Deo Summo notionem habuerunt ipſi Ethnici. Hinc *Ariſtoteli* dicitur ὂν ὄντων. *Ens Entium*: & *Platoni* αὐτὸ ὄν, ipſum *Ens*. Qui *ipſe Eſt*; aliiſque omnibus *dat Eſſe*.

Cùmque ſit αὐτὸ ὂν (*à ſe exiſtens*,) & *Primum Ens*, eſt propterea *Ens Neceſſarium*, adeoque *Æternum*. Nam ſi quando *non fuerit*, impoſſibile eſſet ut *aliquando foret* Quippe *Nihilum*, ſeu *Non-ens*, non poſſet facere ſe *Eſſe*. Si quando foret *Ens in potentia*, ecquod poſſet (hoc *primum Ens*) in *Actum* reducere? Adeoque & *Ens Infinitum*; utpote *Entitatis* omnis *Fons & Origo*; (Unde Aratus, τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. à S. *Paulo* ibidem citatus.) Ut, quicquid *Entis* eſt, ab eo ſit. Atque hoc omne ipſi Ethnici, pariter ac nos, agnoverunt, ut Luci Naturali congruum.

Jamque hic ipſe Dei Character *Ego Sum*, ſeu ὁ Ὤν, (quo Septuaginta Interpretes reddunt Hebræorum *Ehjeh*; quod nos reddimus *Ego Sum*, ſeu *Ego qui Sum*, ſeu *ipſe qui Eſt*,) ſignanter attribuitur ipſi *Chriſto*, Rom. 9. 5. ὁ ὤν, *ipſe qui Eſt*. Quod enim nos reddimus *Qui eſt*, non eſt in Græco ὃς ἐστι, ſed ὁ ὤν. Sic enim legitur, ὁ Χριστὸς — ὁ ὢν ἐπὶ πάντων, Θεὸς εὐλογητὸς, εἰς τοὺς αἰῶνας ἀμήν. Nempe ὁ ὤν, *ille qui eſt*, ſeu *ipſum Ens*; hoc item addito, *ſuper omnia*, ut ſit *Ens ſupremum*; atque hoc porro, *Deus Benedictus in æternum*.

Ubi itidem notandum eſt, quod hæc compellatio, *ipſe Benedictus* (ὁ εὐλογητός) cenſebatur indicativus *Veri Dei*. Adeoque quam quæſtionem proponit Servatori noſtro *Cajaphas*, princeps Sacerdotum, Mat. 26.53. *Adjuro te per Deum viventem, ut dicas nobis, an tu ſis Chriſtus ille, Filius Dei?* Habetur Marc. 14. 61. *Tune es ille Chriſtus, filius illius Benedicti?* υἱὸς τοῦ εὐλογητοῦ; Ubi nemo dubitaverit, quin, Summo Sacerdoti, ὁ Εὐλογητός, ibi dicebatur pro *Summo Deo* Cùmque *Chriſtus* hic dicatur, ὁ Ὢν ἐπὶ πάντων, Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, *Ens ſupremum* (ſeu *ſuper omnia*) *ipſe Deus in æternum Benedictus*, cum ſolenni Aſſeverationis nota *Amen*: Certe nimis Auguſtus foret hicce Titulus cuiquam attribuendus, qui non ſit *Deus Summus*, ipſeque *Unicus Verus Deus*.

Idemque Character eidem attribuitur, Apoc. 1. 8. Ubi Chriſto attribuitur non modo Ti-

[illegible] hic, ὁ ὢν, quo innuitur ipſum *Eſſe* ſimpliciter; ſed cum *Æternitatis* [illegible] per omnes *Durationis* varietates; *Præteritæ*, *Præſentis*, & *Futuræ*.

Notandum utique eſt, ver. 4. hunc eſſe Characterem *Dei* indefinite nominati, [illegible] reſtrictione ad hanc aut illam Sacræ Trinitatis Perſonam: Ut liquet ex contradiſ[illegible] *Chriſti*, Perſonaliter ſumpti ver. 5. *Gratia ſit vobis & Pax*, (ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ [illegible] ος. — καὶ ἀπὸ τοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ) *ab eo qui Eſt, & qui Erat, & qui Venturus eſt*, — *& à* [illegible] *Chriſto*, &c.

Ubi manifeſtum eſt, ex Conſtructione inuſitata, quod Titulus ille ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν [illegible] (*qui Eſt, qui Erat, & qui Futurus eſt*) ſumitur (ut loquuntur Grammatici) [illegible] unum *Subſtantivum indeclinabile*, articulo τοῦ conjunctum: totuſque hic T[illegible] ſumptus, eſt *Dei* titulus, *Indefinite* expoſiti, (propter eam quæ ſequitur Con[illegible] nem, *atque à Jeſu Chriſto*.) Et quidem, in Bibliis noſtris cum Marginali [illegible] Exod. 3. 14. ἐγώ εἰμι ὁ ὤν, *Ego ſum QUI SUM*. Nec poteſt de alio quovis [illegible] de ipſo *Supremo Deo*.

Quod autem ſic dicitur de *Hoc Deo*, indefinite indicato verſ[illegible] id [illegible] ſpeciatim dicto, ver. 8. Addito item *Omnipotentiæ* indicio. Ἐγώ εἰμι τὸ Α καὶ τὸ Ω, λέγει ὁ Κύριος, ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος, ὁ παντοκράτωρ. *Ego ſum Alpha & Omega*; [illegible] *Finis, dicit ipſe Dominus*, (ſeu *Primus & Ultimus*,) *Qui Eſt & qui Erat &* [illegible] *turus eſt, ipſe Omnipotens*. Habemus itaque *Dominum Chriſtum*, (qui dici ſolet, ὁ Κύριος,) hic deſignatum, tum per ipſius *Eſſe* abſolutum; tum ejus *Æternam Du*[illegible] (per omnes continuæ Durationis varietates, præſentis, præteritæ & fu[illegible] *Erat & qui Venturus eſt*; qui *Primus* eſt (ante quem Nullus fui[illegible] & [illegible] Nullus eſt futurus;) perque ejus *Omnipotentiam*; παντοκράτωρ, *Omnipotens*. [illegible] paſſim dictus *Deus Omnipotens*.

Atque ad eundem ſenſum dicitur Apoc. 16. 5. Apoc. 11. 17. & Apoc. 4. 8. [illegible] ὁ ἐρχόμενος, ſeu ἐσόμενος. Notantque Hebræi, id ipſum innui in Nomine *Jehova*[illegible] character temporis *Futuri*; & *ho* participii *Præſentis*, & *va* tempor[illegible] *Præter*[illegible]

Idemque Titulus, *Alpha & Omega*, ſeu *Primus & Ultimus*, (Æternitatis [illegible] eidem alibi paſſim attribuitur; Ut ver. 11. ejuſdem Capitis, *Ego ſum Alpha* [illegible] *Primus ille & Ultimus*: iterumque ver. 17, 18. *Ego ſum Primus ille & U*[illegible]*timus* [illegible] *Vivo, ſed fui Mortuus; & Ecce Vivo in ſecula ſeculorum, Amen*. Iterumque [illegible] & 22. 13. Quæ quidem reſpiciunt omnia ad Iſai. 41. 4. & 44. 6. & 48. 12. ([illegible] rant ante dicta, ut Character, abſque omni dubio, ipſius *Veri Dei*.) Et I[illegible] 43 [illegible] *me non fuit Deus ullus, nec erit poſt me*.

Ecquem igitur poſſunt hæc innuere alium, quam ipſum *Infinitum*, *Æternum* [illegible] *potentem Deum*? Qui eſt *idem Heri, & Hodie, & in Æternum*, quod de[illegible] tur, Heb. 13. 8. Qui eſt *Beatus ille, & ſolus Princeps, Rex Regum, & Domi*[illegible] *rum, qui ſolus habet Immortalitatem*, &c. prout deſcribitur *Jeſus Chriſtus*, 1 Tim. 6. 15, 16. Iterumque *Rex Regum & Dominus Dominorum*, Apoc. 17. 14. & [illegible] 6 *ipſe Deus & Servator noſter Jeſus Chriſtus*, Tit. 2. 13. Ubi dicitur *Magnu*[illegible] & *Servator noſter*; non, ut *hic Servator* ſit alius ab ipſo *magno Deo*; ſed alius Chr[illegible] dem *Jeſu Chriſti*; ut ſit *Et magnus ille Deus & Servator noſter*; vel *Deus Servator* [illegible] ut dicitur Tit. 3. 4. (Pariter ac de *Patre* dicitur *Deus & Pater*, Eph. 4. 6. *Unus* [illegible] *Pater omnium*. Iterumque Eph. 5. 20. & Col. 3. 17. *Gratias agentes Deo & Pa*[illegible] *Deo Patri*. Sic Apoc. 1. 6. *Deo & Patri ſuo*, hoc eſt, *Deo Patri ſuo*.) Manifeſ[illegible] eſt, quod in dicto loco Tit. 2. 13. deſcribitur Adventus Chriſti ad Judicium exercen[illegible] hic dicitur *Adventus gloriæ, magni illius Dei & Servatoris noſtri, Jeſu Chri*[illegible] *Glorioſus Adventus Jeſu Chriſti, qui eſt ipſe Magnus Deus & Servator noſter*. Q[illegible] deſignatur *Deus Verus* Jer. 32. 8. *Deus ipſe Magnus & Potens, cui Nomen*, [illegible] *cituum*. *Chriſtus itaque Servator noſter*, eſt ὁ μέγας Θεός, *ipſe Magnus Deus*.

Eaque *Doxologia* ibidem addita, Apoc. 1. 6. *Sit ei Gloria & Robur in ſecula ſ*[illegible], *Amen*; tantundem innuit atque illud Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, Rom. 9. 5. *Deus in æternum Benedictus*. Atque illud pariter 1 Tim. 6. 16. *Cui Honor & Robur in æternum, Amen*. Magiſque adhuc ea Doxologia quæ habetur Apoc. 5. 12, 13, 14. *Dignus eſt Agnus* [illegible]*e mactatus, qui accipiat Potentiam, & Divitias, & Sapientiam, & Fortitudinem, & Honorem, & Benedictionem*; (Quæ non minor eſt Doxologia quam quæ habetur ad finem O[illegible] Dominicæ;) Cui concinit Acclamatio illa *omnis Creaturæ quæ in Cœlo eſt* [illegible] *Terram, & quæ ſub Terra, & in Mari, & quæ in eis ſunt omnium, Dicentium* [illegible] *Throno & Agno, Benedictio, & Honor, & Gloria, & Robur, in ſecula ſecul*[illegible]*rum*. [illegible] *tuorque illa Animalia dicebant, Amen. Et viginti quatuor illi Seniores, procid*[illegible]*erunt in* [illegible] *ſuas, & adoraverunt illum qui vivit in ſecula ſeculorum*. Quæ omnia majora ſunt [illegible] dicenda ſint de mera *Creatura*, aut *Titulari Deo*; ſed quæ apprime conveniunt J[illegible] qui ſit (ut revera eſt) *Deus idem cum Patre*, & *Unicus ille Verus Deus*.

Poſſem quidem id ipſum (de Dei *Eſſe* abſoluto) iiſdem notare, ad illud Iſai. 48. 12. אֲנִי הוּא

Audi

Anoki Iſrael (Ani Hu) *Ego ſum Ipſe, Ego Primus & Ego Ultimus.* Pariterque Iſai. 41. 4. & Iſai. 43. 10, 13, 35. Et Deut. 32. 39 *Videte nunc, Ego, Ego ſum Ipſe, nullus eſt Deus mecum,* ſeu *præter me.* Et aliter alibi. *Ego ſum Ipſe,* ſic nos reddimus.

Ego ſum *Ipſe* Quis [illegible] nempe [illegible] κατ' ἐξοχήν. *IPSE* Abſolute ſumptus, Deoque Emphatice attributus. Quod mihi [illegible] videtur, id ipſum quod ὁ ὤν, *Ego Sum,* ſeu *Ego qui Sum,* aut *ipſum Ens* Græci Interpretes Septuaginta, hoc *Ani Hu,* his in locis, reddunt ἐγώ εἰμι. Et Vulgatus Interpres Latinus (indifferenter) per *Ego Sum, Ego Ipſe, Ego ſum Ipſe, Ego Ipſe Sum* innuendo i[illegible] ſum [illegible] Dei, ſeu *Deum Eſſe.* Chriſtuſque de ſe dicit, Joh. 8. 58 Πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, ἐγώ εἰμι *Antequam fuerit Abraham, Ego SUM.* Illudque eò magis p[illegible]m in locis [illegible]) ſignificare, quod ibidem annexa ſit *Æternitatis* ſuæ indicat[illegible] Ille Eſt ipſe *Primus* eſt [illegible]ſque *Ultimus. Ante quem non Fuerit* quiſpiam; nec, [illegible] ſit *Futurus* quiſ[illegible] Ipſe *Eſt,* & *Erat,* & eſt *Futurus.*

Ex[illegible]o quidem Hebræorum Pronomen *Hu,* vel *Hi,* (quod reddi ſolet *Ille, Illa,* vel *Illud,* pro Generum varietate, [illegible] *Verbale* derivatum à Verbo *Havah,* ſeu *Hajah,* quod ſignificat [illegible] & tantundem ſignificare quod τὸ ὂν ſeu ὁ ὤν non quod dixerim *Hu* eſſe Dei *Nomen Proprium* (ut ſunt *Jah* & *Jehovah,* ab eodem Themate,) ſed Nomen *Appellativum* (ut loq[illegible] Grammatici) C[illegible]uris etiam applicabile ; ſed hic *Emphatice* Deo attributum ; ut ſunt τὸ ὂν, quæ ſunt [illegible]turæ communia, (nam ipſæ ſunt in ſuo genere ὄντα,) ſed de Deo [illegible] dicta.

Et Latinorum Pronomina, *Is, Id* quando *Relative* ponuntur, (& quæ hiſce congruunt Inte[illegible]a, [illegible], *Quid,* [illegible] ponen[illegible]a ſ[illegible]nt de ipſorum *Antecedente* ad quod ſunt Relata. Sed [illegible] po[illegible] (abſque Ant[illegible]nte,) videntur id innuere quod τὸ *Quid,* ſubſtantive poſitum ([illegible] τὸ τί,) [illegible]um quod in *Metaphyſicis* dicimus *Ens & Aliquid convertuntur* . ut τὸ *Quod* (ſeu *Aliquid*) idem innuat quod [illegible] *id quod Eſt,* & (in Genere Maſculino) ὁ ὤν, *is qui Eſt.*

Pfochenius enumerat *Hu* (u[illegible] dicit [illegible] *Ani Hu*) inter Dei Nomin[illegible] Propria ; q[illegible] F[illegible] *Verbale* ab *Havah* ; ut ſunt *Jah* & [illegible]*hovah.*

Gatakerus noſter (ſummi Judicii & Acuminis Vir ; cui, in Re Critica, non m[illegible] [illegible]ter m,) [illegible] libro ſuo *De Stilo No[illegible] Inſtrumenti, Contra Pfochenium* , non putat eſſe Dei *Nomen Proprium* ; ſed quod *Appellativum* ſit, (ipſis item Creaturis Commune,) utut Deo *Emphatice* a[illegible]tum.

Exiſtimat autem, quod his in locis (multiſque aliis quos ipſe ibidem recenſet,) poſitum ſit *Hu,* pro *Verbo Subſtantivo* (*Sum* vel *Eſt*) Quod eodem recidet, cum hoc quod diximus ; nempe, quod *Entitatem* innuat ſeu ipſum *Eſſe* : Adeoque, cum ipſi Deo ſignanter attribuitur, innuit ipſum Abſolutum, Infinitum, & Independens *Eſſe* , ſeu αὐτοῦ, ſeu αὐτ[illegible], vel αὐτὸ ὄν.

Quod ipſum ſe[illegible] ſic videntur Septuaginta Interpretes, cum *Ani Hu* reddunt ἐγώ εἰμι, & La[illegible] Interpr[illegible] *Ego Sum.* Atque in Novo T[illegible]ſtamento (quod, plerumque retinet Phraſeologiam Græcorum Septuaginta Interpretum) Chriſtus de ſeipſo dicit, *Antequam fuerit Abraham,* ἐγώ εἰμι (non ἐγὼ ἦν *Ego Eram,* ſed) *Ego Sum.* Innuendo ſuum *Eſſe Permanens* (non Succeſſivum) omnibus Durationis varietatibus (præteritæ, præſentis, & futuræ,) *Co-exiſtens* ; Idem *Heri, Hodie, & in Æternum.*

Inter *Is ſeu Id, Relative* ſumptum, idemque ſumptum *Abſolute* ; idem intereſſe v[illegible], quod (ut cum Logicis loquar) inter *Eſt ſecundi adjecti* (quæ [illegible] *Copula,* connectens Prædicatum cum Subjecto,) & *Eſt tertii adjecti,* quod vel eſt, vel includit, ipſum Prædicatum ; ut cum dicitur *Socrates eſt* , hoc eſt, *Socrates eſt Ens,* ſeu *eſt Exiſtens*: Pariter ac *Quid* Subſtantive poſitum, tantundem eſt atque *Ens* ſeu *Aliquid* ; ut cum dicimus, *Bonum Quid,* innuendo *Bonum Aliquid,* ſeu *Aliquod Ens Bonum.*

Atque hactenus de Secundo Charactere; Nempe, ut Deus Summus & quidem Unicus, ſe deſignat per *Ego SUM,* innuendo ſuum *Eſſe Abſolutum* ; ſic Chriſtus pariter dicitur ὁ ὤν, addito ἐπὶ πάντων θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, aliiſque Epithetis tantundem innuentibus.

Character Tertius.

Proximus quem nominabo Character, eſt à *Propriis Nominibus* Deo attributis *Jah* & *Jehovah.* Quæ Deo *Propria* exiſtimo, cum aliis non communicanda. Hæc duo Nomina conj[illegible] q[illegible]a tantundem innuunt utraque ; & quidem id ipſum cum eo de quo jam dictum eſt [illegible]ab, *Sum.* Id maxime intereſt, quod *Ehjeh* (*Sum*) retinet formam Verbi ; ſed *Jah* & *Jehovah,* ſunt *Nomina Verbalia,* ab *Hajah,* ſeu *Havah* derivata, quod *Eſſe* ſignificat. Quæ omnia denotant ipſum *Eſſe* Dei Abſolutum & Independens. Omniaque Supremo Unicoque Deo peculiaria, nec (quod ſciam) in Sacris Literis cuiquam alii accommodata.

Scio quidem *Socinianos* nos perſuaſum ire velle, quod nomen *Jehovæ,* ſit *Angelo* cuidam attributum ; Quod non inficias imus , ſed dicimus *Angelum illum* non eſſe *Angelum Creatum,* ſed *Angelum Fœderis* ; nempe *Chriſtum* ipſum, qui eſt ipſe *Deus.*

Nomen *Jah,* in Veteri Teſtamento, ſæpe occurrit ; ſed minus frequenter quam Nomen

Jehovah. Et quidem, ut alibi, ſic ſpeciatim Pſal. 68. 5. *Cantate Deo, Canite Nomini* [illegible] *exaltate equitantem in ſupremis Cœlis, nomine ejus J A H.* Sic utique habetur in [illegible] noſtris, & ipſo Originali, omnibuſque quas conſului Verſionib[illegible] in q[illegible]nque Ling[illegible] quod in Antiquiori quadam Verſione Anglica, (quæ cum Liturgia noſtra con[illegible]) inveterato quodam mendo, pro *Jah* ſeu *Ya*, perperam ſcribit[illegible]r *Y*[illegible].

In Codice quodam Majorum Bibliorum (quod monere vilum eſt) in [illegible] (in Bibliotheca *Bodleiana*) hujus Verſionis, *in Eccleſiis legendæ*, ([illegible]tur,) Typis edito ſub finem Regni *Henrici Octavi*, aut Principi[illegible]m [illegible] inveni *the name J A*: & quidem recte. Sed in Recentio[illegible]ibus [illegible]uas [illegible]di) om[illegible]tionibus altius Verſionis, perperam habetur *Y E A* (quæ eſt apud nos Affirmandi [illegible]) Cujus quidem inveterati mendi, hanc fuiſſe ſuſpicor occaſionem. Hebræa l[illegible]que aliis, indifferenter dici ſolet *Jod* & *Yod*; adeoque hoc nomen Dei poſſit A[illegible] (omiſſa *He* finali) *Ja*, vel *Ya*. Cumque hoc (ut videtur) fuerit in uno [illegible] (aut typis edito aut manuſcripto) ſcriptum *Ya*; poſterior aliquis Editor, [illegible] ſcriptum exiſtimans pro *Yea*, mendum (prout ipſi videbatur) [illegible] *Yea* mendoſe; atque hoc mendum deinde hucuſque propagatum eſt. Eoque [illegible]niam ſenſus inde non videatur interruptus. Hoc autem mendum eum obſervav[illegible]detur) aliquis; in nuperis aliquot Pſalmorum Editionibus, hujuſce ve[illegible]ſion[illegible] inve[illegible]nio, *praiſe him in his name, yea, and rejoice before him,* (poſita Interſtinctionis n[illegible]que ad vocem *yea*,) ut poſſit ea vox indifferenter referri ad clauſulam præceden[illegible] habeatur pro *Yea*, vel *Ya*, Dei nomine; vel ad ſequentem clauſulam, quo h[illegible] affirmandi particula. Quo ſaltem palliatur, ſi non tollitur, mendum. Sed h[illegible]que omnibus (quas conſului) verſionibus, in quacunque lingua, habetur [illegible] vel quod huic æquipolleat. Sed hoc obiter.

Verum hoc nomen *Jah*, nuſquam (ni fallor) apud Septuaginta Interpretes G[illegible] retinetur, (qui hic habent Κύριος ὄνομα αὐτῷ.) Neque in Novo Teſtamento ([illegible] tineri ſolet Græcorum Interpretum locutio) niſi in ea ſolenni formula *Hal[illegible]lu*[illegible] *Laudate Jah*, ſeu *Laudate Dominum*,) pro quo habetur, conjunctum, ἀλληλούια [illegible]tionem ad[illegible]ibitam reperio *Sedenti in Throno*, & ipſi *Agno*, Apoc. 19. 1, 3, 4, 6. [illegible] eundem eſſe videtur, qui dicitur *Dominus Deus noſter*, ver. 1. & *Dominus Deus* [illegible]*potens*, ver. 6. & *ipſe Magnus Deus*, ver. 17. Nam *Cœna Magni Dei*, ver. 17. [illegible] quæ *Cœna Agni*, ver. 7, 9.

Nomen *Jehovah*, pluries occurrit in Veteri Teſtamento quam nomen *Jah*, præſertim in Originali textu Hebræo. In verſione vero noſtra Anglicana, pro *Jah*, vel *Jehovah*, paſſim redditur *the LORD*, ſed (ſi Typographi fuerint ſatis diligentes) literis [illegible] Capitalibus; (ſed non ita, literis Capitalibus, ubi pro *Adonai* occurrit *the Lord*.)

Nomen *Jehovah*, Exod. 3. 14, 15. habetur ut æquipollens nomini *Ehjeh*. N[illegible] quod dicitur ver. 14. *Dices filiis Iſraelis, Ehjeh miſit me ad vos*; repetitum habemus ver. 1[illegible] *filiis Iſraelis, Jehova (Deus Patrum veſtrorum, Deus Abrahami, Deus* [illegible], [illegible] *Deus Jacobi,) miſit me ad vos.* Hoc addito, *Hæc eſt nomen meum in ſeculum, & hoc* [illegible] *meum in omnem ætatem.* Et Pſal. 83. 18. *Ut cognoſcant Te, cui ſoli nomen eſt Je*[illegible] *celſum eſſe ſupra totam Terram.*

Ubi reſtrictiva particula non reſpicit vocem *Nomen*, ut ſic conſtruatur [illegible] eſt *Jehova ſolum*, (nam plura ſunt Dei Nomina quibus paſſim vocatur.) Sed vocem [illegible]; *Cujus ſolius*, ſeu *cui ſoli*, *nomen eſt Jehova.* Quod & in Hebræo eſt manifeſ[illegible] *Tibi ſoli.* Ut nulli alii hoc Nomen competat.

Sic Iſai. 45. 5. *Ego Jehovah & nullus præterea: præter me nullus eſt Deus.* Et Deut. 4. 35, 39. *Jehova eſt ipſe Deus, nullus amplius præter eum Jehova Deus* [illegible] *Cœlis superne, & in Terra inferne, nullus amplius.* Et Iſai. 42. 8. *Ego ſum Jehova*, [illegible] *nomen meum; & gloriam meam alteri non dabo.* Et Deut. 6. 4. *Audi Iſrael, Jehova Deus noſter, Jehova unus eſt.* Alius quam ipſe nullus eſt Jehova. Et Deut. 28. 58. *Ut timeas nomen illud glorioſum & ſumme reverendum, Jehovam Deum tuum.* Atque ad eundem ſenſum Deut. 32. 39. Et paſſim alibi.

Non hic anxius diſputabo, num hoc Dei Nomen *Jehovah* non ante fuerit cognitum quam Deus id indicavit *Moſi*, Exod. 3. 15. prout inſinuari videatur Exod. 6. 3. *App*[illegible] *Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo, nomine El Shaddai; at nomine meo Jehovah non innotui* [illegible] Verum quidem eſt, quod, in libro Geneſeos, paſſim occurrit nomen *Jehova*. Sed [illegible] à Moſe ſcriptus eſt, poſt id tempus de quo Moſes locutus eſt Exod 3 15. Ut poſſit [illegible] illud adhibere, ut *tum* notum *quum ille hæc Scriberet*, προληπτικῶς, quamvis nondum [illegible] notum *eo* tempore *de quo* tum ſcriberet. Ut dicitur *Abrahamus*, pr[illegible]s ex *Ur* [illegible]rum, ſeu *Chaſdim*, Gen. 11. 31. quamvis *Cheſed* filius *Nahoris*, (unde nomen *Chaſ*[illegible] ſeu *Chaldæorum*, deſcendiſſe videtur,) nondum fuerit natus, ut liquet Gen. 22. 22 [illegible] Exod. 12. 40. dicitur *Filios Iſraelis* peregrinatos fuiſſe *annos quadringentos & triginta*, [illegible] à retro computandos ab eo tempore quo *Abrahamus* exceſſit ex Ure Chaldæoru[illegible], [illegible] tempore non fuerint *Filii Iſraelis*, (cum *Iſrael* ipſe nondum natus erat, neque poſt multos poſt annos,)

annos,) ſed *ea gens* innititur quæ *poſt* dicta erat *Filii Iſraelis*. Multæque ſunt hujuſmodi *Prolepſes*, ſeu Anticipationes Nominum, apud Hiſtoriographos, paſſim obſervandæ.

At vero, num hanc ob cauſam, aut aliam aliquam, dictum ſit, quod *nomine Jehovæ non fuerit ipſis notus*, ad rem præſentem parum intereſt. Sufficit, quod *Jehovah* tum fuerit nomen celebre *Veri Dei*; nullique, credo, alii attributum.

Sed *Chriſto* Servatori, nomen hoc *Jehovam* datum eſſe, non eſt negandum. (Eſtque ob hanc cauſam quod nolint *Sociniani* hoc nomen illi vero Deo peculiare.) Sic Jer. 23. 5, 6. vocatur *Jehovah Tſidkenu*, (*Jehovah Juſtitia noſtra.*) *Ecce dies venturi ſunt, dicit Jehovah, quibus excitabo Davidi germen juſtum; qui regnabit Rex, & ſecundabitur; atque exercebit jus & juſtitiam in terra: Diebus ejus ſervabitur Judah, & Iſrael habitabit ſecure*; (quod Judæis pariter & Chriſtianis, de *Meſſia* dictum eſſe, convenit:) *Atque hoc nomen eſt quo vocabitur*, (Jehova Tſidkenu) *Jehova juſtitia noſtra*. Iterumque ad eundem ſenſum Jer. 33. 15, 16.

In Pſalmo 102, qui dicitur *Oratio afflicti* (ſeu *pauperis*) *cum planctum ſuum effundit coram Jehova*, & ſic incipit, *Jehovah, audi orationem meam; & vociferatio mea ad Te perveniat*: ſaltem octies occurrit nomen *Jehovah*, & *Jah* ſemel. Ille autem ad quem hæc oratio dirigitur (ut diſerte docemur Hebr. 1 8, 10, 11, 12.) eſt ipſe *Chriſtus*. *Filio autem dicit*, --*Tu a principio poſuiſti fundamenta Terræ, & Cœli ſunt opus manuum tuarum; Ipſi peribunt; Tu autem permanes: Illi omnes ut veſtimentum veteraſcent, ac velut amictum circumvolves eos & mutabuntur; Tu autem idem es, & anni tui non deficient.* Quæ omnia ex Oratione illa citantur, ad *Jehovam* facta.

Verum quidem eſt, quod apud Septuaginta Interpretes veteris Teſtamenti, nomen *Jehovæ* (quod ſciam) non occurrit uſpiam; ſed ejus loco ſubſtituitur κύριος ſive propter ſuperſtitionem Judaicam, nolentium nomen illud proferre; ſive quod *Jehovah* non commode ſcriberetur Græcis literis; ſive ob aliam aliquam cauſam; nolim determinare. Atque ob eam cauſam (nempe, quod in illa verſione Græca non habeatur) neque occurrit in Novo Teſtamento; (ubi retineri ſolet utplurimum mos loquendi in Verſione Septuaginta Interpretum uſitatus; ut quæ fuerit tum temporis uſitata Græca Verſio.) Adeoque non ibidem occurrit nomen *Jehovah* ipſi Chriſto adhibitum. Sed Chriſto, in Novo Teſtamento, applicantur Veteris Teſtamenti loca, quibus haberetur nomen *Jehova*. Ipſumque nomen ὁ κύριος (quod pro *Jehova* ſubſtituunt tum Septuaginta Interpretes, tum Novi Teſtamenti Scriptores,) tam frequenter attribuitur Chriſto in Novo Teſtamento, ut ſit quaſi perpetuus ipſius Character, ὁ κύριος, aut ὁ κύριος Ἰησοῦς Χριστός, ſimiliaque. Sic 1 Cor. 8 6. Εἷς Κύριος, Ἰησοῦς Χριστός. Et Jac. 2. 1. τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Et Joh. 20. 28. ὁ Κύριός μου, καὶ ὁ Θεός μου. Et 1 Cor. 12. 3. οὐδεὶς ἐν πνεύματι Θεοῦ λαλῶν, λέγει ἀνάθεμα Ἰησοῦν, καὶ οὐδεὶς δύναται εἰπεῖν Κύριον Ἰησοῦν, εἰ μὴ ἐν πνεύματι ἁγίῳ. Atque alibi tam paſſim, ut nemo poſſit ignorare.

Character Quartus.

Ultimus (cui inſiſtam) Character *Dei Veri, Unicique Dei*, eſt *Dominus Deus Iſraelis*; Quem eſſe Verum Unicumque Deum, non eſt ambigendum. Deut. 6. 4, 5. *Audi Iſrael, Jehova Deus noſter, Jehovah unus eſt; Et diliges Jehovam Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex toto animo tuo, & ex totis viribus tuis.* Et *Jehova Deus tuus*, eſt quaſi perpetua locutio Moſis ad *Filios Iſraelis*. Eſtque Character ipſe, quem Moſi commendat Deus, quo deſignet ipſum. *Dixitque iterum Deus Moſi, ſic dices Filiis Iſraelis, Jehova Deus Patrum veſtrorum; Deus Abrahami, Deus Iſaaci, Deus Jacobi, miſit me ad vos; Hoc eſt, Nomen meum in ſeculum, & hoc memoriale meum in omnem ætatem*, Exod. 3. 15. Et ver. 18. *Jehovah Deus Hebræorum*. Atque alibi paſſim in Sacro Codice. Nec dubium eſt, quin *Dominus Deus Iſrael*, ſit Deus ipſe *Verus*, Deus *Unicus*.

Hic ille eſt qui dicit, *Ego Jehova Deus Tuus —Non erit tibi Deus alius præter Me*, Exod. 20. 2, 3. Et, *Præter Me, nullus eſt Deus*, Iſai. 44. 6. Atque alibi tam frequenter, ut non ſit opus loca numerare.

Atque hunc etiam Characterem (ut illos ante memoratos) Chriſto tributum legimus, Luc. 1. 16, 17. Ubi de *Johanne Baptiſta* diſerte dicitur, *Multoſque filiorum Iſrael convertet ad Dominum Deum ipſorum*, ἐπὶ Κύριον τὸν Θεὸν αὐτῶν, (ad Dominum Deum Iſraelis;) *Nam ipſe præcedet in conſpectu ejus, in ſpiritu & virtute Eliæ.* Novimus autem omnes, Cujus *Præcurſor* fuerit *Johannes Baptiſta*; & *coram quo* præceſſurus erat *in ſpiritu & virtute Eliæ*. Ille autem coram quo ſic præceſſurus erat, diſerte dicitur *Dominus Deus Iſraelis*. Non igitur ille eſt, vel *Titularis* tantum Deus, aut Deus *Factus* (ſeu Creatura Deus,) ſed *Verus* Deus, Deus *Supremus*, Deus ille qui eſt *Dominus Deus Iſraelis*; Quem nemo dubitet eſſe ipſiſſimum *Verum* Deum, Deum *Supremum*, Deum *Unicum*.

Poſſem plures adhuc adjicere Characteres, Chriſto competentes, quibus probetur eſſe *Verus Deus*. Ut, quod ſit καρδιογνώστης, Apoc. 2. 23. *Ego ſum ſcrutator renum cordiumque; daturus unicuique ſecundum opera ſua.* Atque ad eundem ſenſum Apoc. 22. 12. & alibi. Sic Joh. 2. 23, 24, 25. *Multi crediderunt in nomen ejus; —Ipſe autem Jeſus non credebat*

eis

eis ſeipſum, eo quod noſſet omnes; *Nec opus eſſet ut quiſquam ei teſtaretur de homine*; *ipſe enim ſciebat, quid eſſet in homine.* Quod Deus (Deus Verus) ſibi vendicat ut peculiare ſibi privilegium, Jer. 17. 9, 10. *Fraudulentum eſt Cor ſuper omnia, quis cognoſcat ipſum? Ego Jehova, ſcrutator cordis, probator renum, ut dem cuique ſecundum vias ſuas, ſecundum fructum actionum ſuarum.* Atque ad eundem ſenſum, Jer. 17. 10. Jer. 20. 12. 1 Chron. 28 9. Pſal. 7. 9. Pſal. 139. 1. & paſſim alibi.

Item illud Iſai. 9. 6. *Vocabitur Nomen ejus, Admirabilis, Conſiliarius, Deus fortis, Robuſtiſſimus, Pater æternitatis, Princeps Pacis*, &c. Multaque alia de ipſo alibi dicta, quæ non alii congruant quam *Vero Deo.*

Sed mihi non eſt propoſitum, hac brevi diſſertatione, omnia dicere quæ dici poſſent, ſed ſaltem quæ ſufficiant.

Ille itaque qui eſt (ut jam oſtenſum eſt) *Deus Verus, Deus fortis, Æternus Pater, Æternus Deus*, qui *Primus & Ultimus*, (*Ante quem, nihil erat*; *nihilque Futurum Poſt eum*,) qui *Eſt & Erat & Futurus eſt*; *Idem heri, hodie & in æternum*; *Omnipotens*; per quem *Factus eſt mundus*; per quem *omnia facta ſunt*; & abſque quo, *nihil factum eſt eorum quæ facta ſunt*; qui *poſuit fundamenta Terræ, Cœlique ſunt opus manuum ſuarum*; qui, *cum Cœli & Terra deficient, permanſurus eſt, ejuſque anni non deficient*; qui *ſcrutatur Cor & Renes, ſingulis daturus ſecundum eorum opera*; qui eſt ipſe *Jehovah, Dominus Deus Iſraelis*; qui eſt *Ens ſummum*; qui eſt *ſuper omnia, Deus in æternum Benedictus*; qui eſt *Beatus ille, & ſolus Princeps, Rex Regum, & Dominus Dominorum*, qui *ſolus habet Immortalitatem*; cui *Honor & Robur in æternum, Amen.* Deus, inquam, ille, cui hæc omnia competunt Magna; certe non eſt Deus mere *Titularis* (qui *dicitur* Deus, ſed *non eſt*:) non Deus *factus*, Deus *Creatus*, aut mere dignificatus *Homo.* Quippe, ſi hi non ſint *Veri Dei* Characteres; Quibuſnam Characteribus deſcribendus erit *Verus Deus*!

Scio quidem quod ſatagunt *Sociniani*, ingeniique ſui nervos intendunt omnes, offuciis exquirendis, quibus hæc tam perſpicua lucidiſſimaque Scripturæ Sacræ Teſtimonia eludant. Sed quibus ſingulatim repetendis, aut reſponſo dignandis, neque mihi neque vobis jam faceſſam negotium: Neque ſi vellem, jam vacat. Suntque tam tenuia eorum effugia, & tam coacta; ut ipſa plana Scripturæ verba, juxtim poſita, refellendis illis ſufficiant; ut alio reſponſo non ſit opus.

Objectio Octava.

Ultima quam jam memorabo Objectio, hæc eſt. Quod hæc de Sacra Trinitate Doctrina, ignota fuerit veteri Eccleſiæ Judaicæ, Patribuſque qui ante Chriſtum vixerunt.

Reſpondeo 1°. Si hoc non fuerit ipſis Revelatum; non erat id ipſis cognitu neceſſarium. Quippe quæ ſunt puræ Revelationis negotia, non ſunt ante cognitu neceſſaria quam Revelentur, (ſed, neque ultra quam Revelantur.) At nobis, poſtquam jam fuerint Revelata, poſſunt eſſe cognitu neceſſaria.

Tota illa, de *Redemptione per Chriſtum*, Doctrina; fuit, certo certius, Adamo nondum lapſo incognita: Et quidem, ſi non lapſus aliquando fuiſſet; non foret ipſi culpabile, Neſciiſſe.

Et quidem (poſtquam fuerit lapſus) quam primum innotuerit, in illa primaria Promiſſione, (de *Semine Mulieris contrituro Caput Serpentis*, Gen. 3. 15.) tam erat adhuc obſcurum promiſſum illud; ut omnino parum ſit, eorum quæ nobis innoteſcunt, quod potuerit ille diſtincte & particulatim cognoſcere. Sed prout Deus *particulatim* (πολυμερῶς) *variis temporibus variiſque modis*, id gradatim expoſuerit, *Abrahamo, Davidi*, & *Prophetis*; ita debuerunt illi plus continue & ſcire & credere hac de re. Cumque ille tandem *diebus poſtremis*, rem totam *per Filium ſuum* patefecerit, Hebr. 1. 1, 2. Nobis jam incumbit multo plura ſcire & credere, quæ potuerint illi tuto neſcire. Pariterque dicendum eſt de *Sacra Trinitate*, ſi hæc non fuerit ipſis patefacta.

Sed 2°. Multa ſunt, quæ quamvis non ita clare fuerint patefacta, ut ab Omnibus intelligerentur; ita tamen erant (utut obſcure) inſinuata, ut nonnullis quadantenus innotuerint; quæ & plenius intelligenda forent, *cum Velamen illud de facie Moſis demeretur*, 2 Cor. 3. 13, 15, 16.

Et ſpeciatim, ipſa *Mors & Reſurrectio Chriſti*, ne ſuis quidem Diſcipulis intelligerentur, donec ipſe fuerit à Mortuis Reſuſcitatus. Non tamen dicendum eſt, hæc non fuiſſe in Sacris Literis inſinuata (ſed tecte.) Nam poſtquam *aperti fuerint eorum intellectus ut intelligerent Scripturas*, & *quod fuerat Scriptum in Lege Moſis, & Prophetis, & Pſalmis*, perceperunt illi quod *ita fuerit ſcriptum*, quodque *oportuerit Chriſtum, tum Pati, tum de Mortuis Reſurgere die tertio.* Verum hoc omne tam tecte in Scripturis contentum erat ut videantur illud haud de eo plus intellexiſſe, quam de *Sacra Trinitate.*

Et quidem S. *Paulus*, in Epiſtola ad Hebræos, oſtendit multa fuiſſe ſub *Ritibus & Ceremoniis Judaicis* tecta, quæ pleriſque Judæorum non erant intellecta; ſed eorum nonnullis quadantenus innotuerunt, poſtea plenius elucidanda.

Idem

Idem dicendum ſoret de *Reſurrectione Mortuorum*; quæ non niſi tecte patefacta fuerat, uſque dum *Immortalitas producta eſt in lucem per Evangelium*, 2 Tim. 1. 10. Non tamen dicendum eſt, hoc *Eccleſiæ Judaicæ* fuiſſe penitus *incognitum*, (quippe non dubium eſt quin eorum multi crediderint *Reſurrecturos eſſe Mortuos*;) Neque tamen erat tam aperte indicatum & univerſim receptum, quin hac de re inter *Phariſæos* & *Sadducæos* controverſum fuerit, Act. 23. 6, 7, 8. Eſtque tam parum hac de re aperte traditum in Veteri Teſtamento, ut ii, quibus eſſet contradicendi animus, potuerint prætextus non minus ſpecioſos comminiſci *tunc* cavillandi, quam noſtri *nunc* adverſarii comminiſcuntur de *Sacra Trinitate*.

3. Dico 3°. Ut ſunt, de *Reſurrectione Mortuorum*, Inſinuationes Variæ; quæ nunc (in clariori luce) melius intelliguntur, quam tum fuerint intellectæ: Sic & de *Sacra Trinitate*. Quarum aliquot attingam.

1. Quod fuerint, in *Unitate Deitatis*, *Pluralitas* quorundam (quas nunc *Perſonas* dicimus,) inſinuatum videtur in ipſo *Bara Elohim* Gen. 1. 1. *In principio Creavit Deus*, (ſic nos reddimus;) ubi *Elohim* (Deus) Nominativus Pluralis, jungitur Verbo Singulari *Bara*. Quod, niſi quid lateret Myſterii, haud ſatis congrue dictum videretur; quaſi dici videatur *Illi Creavit*, vel *ipſi Deus creavit*. Neque hic tantum, ſed & alibi paſſim, dicitur Deus *Elohim*, in forma Plurativa; (& quidem multo ſæpius quam *Eloah* in numero ſingulari;) ſed cum Verbo Singulari conſtruitur. Quaſi, quamvis *Jehova* ſit *Unicus*, ſint tamen plures *Elohim*. Non quidem *Tres Dii*, ſed *Tres quidam* qui ſint *Unus Deus*. Quamvis enim *Elohim* ſit in Numero Plurativo, eſt tamen *Bara* in numero ſingulari. Ita ſunt *Tres*, ut ſint tamen *Unus*. Sed neque dicitur *Elohajim* (in numero Duali,) ut de *Binis*; ſed *Elohim* (in Plurali) ut de *Pluribus* quam Duobus, adeoque ſaltem *Tribus*.

Dici forte poteſt, Hunc eſſe *Criticiſmum*; (atque eſt quidem) Nolim tamen autumari, hoc mero *Caſu* eveniſſe, & non conſulto poſitum. Sæpe enim minutæ quædam *Circumſtantiæ*, & *Locutiones inobſervatæ* (prout prima fronte videantur) poſſunt (Divina ſic ordinante Providentia) ſic præ-ordinari, ut rei alicui ſatis notabili inſerviant. Sic illud, *Non os in illo confringatur*, Exod. 12. 46. Num. 9. 12. Pſal. 34. 20. Atque illud, *Foderunt manus meas & pedes meos*, Pſal. 22. 16. Illudque, *Reſpicient in me quem transfixerunt*, Zach. 10. 12. Et illud, *Partiuntur veſtimenta mea inter ſe, & pro indumento meo projiciunt ſortem*, Pſal. 22. 18. Illudque demum, *Dant pro alimento meo, fel; & in ſiti mea bibendum dant acetum*, Pſal. 69. 21. Quorum pleraque videntur Poetice plane dicta; &, quantum ad ſenſum literalem, caſu potius quam conſulto poſita: ſed (Divina ſic ordinante Providentia) ad literam poſt complenda; ut liquet Joh. 19. 23, 24, 28, 29, 36, 37. locisque apud reliquos Evangeliſtas parallelis.

Poſſem & plura notare, quæ quamvis videantur Caſu prolata, fuerint à Divina Providentia prius ordinata. Unum ſaltem addam; nempe illud S. *Pauli* (quod videri forte poſſet meius *Criticiſmus*, non minus quam quod ego modo memoravi) Gal. 3. 16. *Abrahamo vero factæ ſunt Promiſſiones & Semini ſuo. Non dicit, Et ſeminibus, ut de multis; ſed, ut de Uno, Et ſemini tuo, qui eſt Chriſtus.* Jam *Promiſſiones Abrahamo* factæ, quas reſpicit Apoſtolus, ſunt illæ Gen. 22. 16, 17, 18. (qui, credo, unicus locus eſt, ubi, in promiſſionibus Abrahamo factis, fit mentio *Seminis ſui.*) *Per meipſum juro, dicit Jehova, quandoquidem feciſti rem hanc; & non ſubtraxiſti filium tuum, unicum tuum; benedicendo benedicam tibi, & multiplicando multiplicabo Semen tuum, ut ſunt Stellæ Cœli, & Arena quæ in littore maris; Et poſſidebit Semen tuum portam inimicorum ejus; Et in Semine tuo benedictionem conſequentur omnes in terra gentes; eo quod auſcultaſti voci meæ.*

Per *Abrahami ſemen* hic manifeſto intelliguntur *liberi ejus*, quos *multiplicaturum* ſe promittit Deus. Et plane perinde eſſe videatur, an dixerit *Semen tuum*, an *liberos tuos*, aut *filios tuos*. Sed tam *Criticus* erat S. *Paulus*, ut hinc captet anſam, quod dixerit (in Singulari) *Semen*, non (in Plurali) *Semina* vel *liberos*; quo ſignanter denotet (ut præcipue intentum, & eminenter,) Unicum illud *Semen*, nempe *Chriſtum*. Nec tamen *Reliqui* de ſuo ſemine ſunt prorſus excludendi, (ne quidem in poſtrema illa clauſula; *& in Semine tuo benedictionem conſequentur omnes terræ Gentes*,) ut liquet Act. 3. 12, 25. *Vos* (*Iſraelitæ*) *eſtis filii Prophetarum, & pacti quod pepigit Deus erga Patres noſtros, dicens Abrahamo, Et in Semine tuo benedictionem conſequentur omnes familiæ terræ.* Unde patet, quod *Criticiſmi* (ut videantur) *vix obſervandi*, ſuum nonnunquam pondus habeant, ſintque à Divina Providentia ſic ordinati. Atque talem hunc eſſe credo, de *Bara Elohim*. Quod à Scriptoribus tum *Judæis* tum *Chriſtianis* notatum fuit.

Hæc item *Pluralitas*, in eodem iterum Capite videtur directe ſatis inſinuari, Gen. 1. 26. *Faciamus* (nagna ſeh) *hominem in imagine Noſtra*, (betſalmenu) *ſecundum ſimilitudinem Noſtram*. Dum tamen hæc *Pluralitas* non alia ſit, quam quæ, alia conſideratione, cum *Unitate* conſiſtet; nam ſic ſequitur ver. 27. *Et creavit* (vajibbera) *deus hominem in imagine Suâ* (betſalmo.) Hi *plures quidam*, ſunt *Unus Deus*.

Eſtque puerile plane effugium, ſi dixerint, hoc *Stilo Regio* dictum eſſe; ut cum dicere ſoleant Reges, *Nos*, *Noſtrum*, pro *Ego*, *Me*, *Meum*. Quamvis enim nunc ſic dici ſoleat, (& forte per aliquot retro ſecula;) ſed non ſic & olim. Non inde à temporibus *Moſis*, nedum ab

ipſa *Creatione*. Reges *Pharaoh, Senacharib*, & *Ahaſuerus*, dicere ſolebant *Ego, Me, Mea*, (non *Nos, Noſtra.*) Sic *Nebuchadnezar*, etiam in ſumma ſua ſuperbia elevatus, Dan. 4. 30. *Annon hæc eſt Babilon illa magna, quam Ego ædificavi, ut eſſet ornamentum majeſtatis Meæ, robore potentiæ Meæ.* Habemus hic *Ego, Meæ*, non *Nos, Noſtræ*. Non erat hic, ea ætate, *Stilus Regius*. Et quidem ſi illud *Faciamus Nos in imagine Noſtra*, huic æquipollere velint *Faciam Ego in imagine Mea*; etiam ne ſic ſatis conveniret: Nam *Verba Imperativa* carere ſolent *prima perſona Singulari*; cum non ſoleat quiſpiam Imperare ſibi. Videtur potius illud inſinuari, quod ſit quidem *Pluralitas quorundam*, qui ſint *Deus*; ſed non *Pluralitas Deorum*.

Sic Gen. 3. 22. *Ecce homo evaſit ſicut Unus è Nobis.* Num hoc item dictum volent *Stilo Regio*, pro *ſicut Unus mei*, ſeu *Unus è me*?

Item Gen. 11. 6, 7. *Et dixit Jehova—Venite, deſcendamus & confundamus linguam eorum.*

2. Ut loca jam dicta, *Pluralitatem* innuunt: Neſcio annon & illud Gen. 18. innuat *Pluralitatem* hanc, eſſe *Trinitatem*. Quod illa *Trium Hominum* apparitio *Abrahamo* conſpecta, fuerit *Divina Apparitio* (quamvis id non ſtatim notaverit Abrahamus) ſatis patet. Nam *Moſes* diſerte dicit, ver. 1, 2. *Apparuit ei Jehovah in Plano Mamræ*; &, *cum ſublatis oculis aſpexit, Ecce ſtabant Tres Viri ante eum.* Hæc igitur *Apparitio Trium Virorum*, erat *Apparitio Domini Jehovæ*. Et quamvis *Abrahamus* in tota illa tractatione non utatur nomine *Jehova*, (ſed ſemper *Adonai*;) *Moſes* tamen (dum in ſua perſona loquitur) ubique ait *Jehova*, quamvis (ubi Abrahami verba recitat) habeatur *Adonai*. Sed *Adonai* eſt vox Pluralis (ſicut *Elohim*) hoc eſt *Domini Mei*, cujus Singularis eſt *Adoni, Domine Mi*; ſed raro de Deo dicitur *Adoni*.

Sive igitur fuerit, quod Nomen *Jehovah* non fuerit *Abrahamo* notum, (ſecundum illud Exod. 6. 3.) ſive, quod *Abrahamus* non ſtatim animadverterit, primo aſpectu, Deum eſſe quocum colloquebatur; ſive ob quam aliam cauſam, non uſus ſit *Abrahamus* Nomine *Jehova*; non hic diſquiram anxius. At certum eſt, *Moſen* hic diſerte dicere, Hanc apparitionem *Trium* (ut primum videbantur) *Virorum*, apparitionem fuiſſe ipſius *Jehovæ*.

Non dubitandum igitur eſt, quin hic apparuerit *Deus*, in apparitione hac *Trium Virorum*. Quæ poſſit eſſe aliqualis Inſinuatio *Trinitatis Perſonarum in uno Deo*.

Verum quidem eſt, quod, ſi nihil aliud nobis conſtaret de *Sacra Trinitate*, quam hæc Inſinuatio; foret Cavillæ locus, contra hanc de Trinitate Doctrinam. Sed & pariter foret de eo quod de *Jona* dicitur, quod fuerit ille *tres dies & tres noctes in ventre Ceti*: Cum afferretur pro Argumento quod *Triduo* manſurus foret *Chriſtus* in *Sepulcro*. Dicit tamen S. *Paulus*, 1 Cor. 15. 3, 4. quod Chriſtus eſt *mortuus ſecundum Scripturas*, quodque *reſuſcitatus eſt tertio die, ſecundum Scripturas*. (Et Chriſtus ſimiliter Luc. 24. 46.) At interim ego nihil video *in Scripturis* (Veteris Teſtamenti) quo diſertius hoc indicatur (de Chriſti Reſurrectione *die Tertio*) quam vel hoc de *Jona*, per *triduum* detento in ventre *Ceti* (cui alludit Chriſtus Mat. 12. 40.) vel illud Hoſ. 6. 2. *Vitæ reſtituet nos poſt biduum*; *die tertio excitabit nos, & vivemus coram eo.* Quod non magis diſerte dicit, Reſurrecturum Chriſtum *die tertio*, quam illud de *Jona*. Sed tales ſunt, in Veteri Teſtamento, Inſinuationes multæ, rerum in Novo Teſtamento clarius patefaciendarum: Quæ quidem Inſinuationes ſeu Alluſiones, quamvis non clare doceant rem ipſam ad quam Alluditur; conducunt tamen ad confirmandam rem ipſam, & fidem faciendam, poſtquam ipſa res evenerit. Quod & de Prophetiis fere omnibus dici ſolet, quod melius intelligantur cum fuerint perimpletæ. Adeoque putaverim tum eam de *Reſurrectione Mortuorum*, tum hanc de *Trinitate*, aliaſque multas, non tam eſſe *Doctrinas Novas*, quam Veteres (operte prius inſinuatas) nunc elucidatas.

Et quidem hæc de *Sacra Trinitate* doctrina, videtur, non fuiſſe veteribus Judæorum Doctoribus, prorſus ignota: Ex eo quod citat *Ainſworthus* noſter, in ſuis ad Geneſeos Caput primum Annotationibus; ut dictum *R. Simeonis Ben Jochai*, in Libro Zoar, (quem eſſe dicunt magnæ vetuſtatis librum;) *Agedum, videte Myſterium vocis Elohim*: *Sunt quidem Tres Gradus, & Graduum quiſque per ſe Diſtinctus*; *ſunt nihilominus illi omnes Unum*; *ſuntque in Unum ſimul juncti, & non à ſe invicem Diviſi.* Quod plane idem videtur quod nos de *Trinitate* dicimus; niſi quod ille *Gradus* dicat, quod nos *Perſonas*. Ut hoc Judæis Antiquioribus non fuerit ignotum, quicquid de eo ſentiant Judæi moderni. Nec tamen cenſendi ſunt Judæorum Doctores, rebus Chriſtianis nimis favere, ſi non fuerit, hæc Doctrina, antiquitus admiſſa.

3. Quinam autem vel Quales fuerint hi Tres, (*Pater, Sermo*, & *Spiritus*,) videtur etiam ſubinſinuari, in ipſa Creationis hiſtoria, Gen. 1. ubi videntur ſinguli diſtincte inſinuati.

In Principio Deus (Elohim) *creavit Cœlum & Terram*, ver. 1. Ubi nemo dubitat quin inſinuetur *Deus Pater*, quamvis forte *non ſolus Pater*.

Et ver. 2. *Et Spiritus Dei incubuit* (ſeu *movebat ſe*) *ſuper faciem aquarum*. Ubi notat *Ainſworthus*, ex veteribus *Rabbinis* quos ipſe citat, quod hunc appellaverint, *Spiritum miſerationum à facie Domini*; *Spiritum Sapientiæ, Spiritum Viventis Dei, dictum*; & *Spiritum*

ritum

ritum Meſſiæ. De quo etiam *Spiritu* fit alibi mentio. *Dixit Jehova, non contendet Spiritus meus cum homine in ſeculum*, Gen. 6. 3. *Spiritum tuum Sanctum ne auferas à me*, Pſal. 50. 12. *Spiritus Domini Jehovæ eſt ſuper me*, Iſai. 61. 1. *Dolore affecerunt Spiritum Sanctum ſuum*, Iſai. 63. 10 & paſſim alibi. Sin dicatur, *Spiritum Dei*, tantundem eſſe ac *Deum ipſum*; nos id ipſum dicimus, nempe *Spiritum Sanctum eſſe ipſum Deum*.

De *Verbo* ſeu *Sermone* (τῷ λόγῳ) inſinuatum item eſt ver. 3. *Et Dixit Deus* (ſeu Verbo locutus eſt) *Eſto Lux, & fuit Lux*. Sic ver. 6, 9, 11, 14, 20. *Et Dixit Deus, Eſto Expanſum*, &c. Sic Pſal. 33. 6, 9. *Verbo Dei facti ſunt Cæli, & Spiritu oris ejus totus exercitus eorum. Ipſe Dixit, & factum eſt; Ipſe Præcepit, & ſtabilitum eſt*. Et Pſal. 148. 5. *Ipſe Præcepit & creata ſunt*. Cui conſonat illud Hebr. 11. 3. *Per fidem intelligimus conſtructum eſſe Mundum Verbo Dei*. Et 2 Pet. 3. 5, 7. *Cœlos jam olim extitiſſe per Dei Sermonem; Terramque* τῷ τοῦ Θεοῦ λόγῳ, — *& per eundem Sermonem conſervantur*. Quibus in locis, per Dei *Verbum* ſeu *Sermonem*, toties Emphatice memoratum, innuit videtur ὁ λόγος ipſe à S. *Johanne* memoratus, Joh. 1. 1, 3, 10. *In principio erat* ὁ λόγος (*Sermo* ſeu *Verbum*;) *omnia per Eum facta ſunt; per Eum factus eſt Mundus*; omnino ut Heb. 11. 3. *Conſtructum eſſe Mundum* (ῥήματι Θεοῦ) *Verbo Dei*.

Neque erat hæc Notio, de *Verbo Dei* (Perſonaliter ſumpto,) Judæis Doctoribus ignota. Nam ubi dicitur Pſal. 110. 1. *Dixit Jehova Domino meo, Sede ad dextram meam*; habet Chaldæus Paraphraſtes, *Dixit Jehova* (Bemimreh) *in Verbo ſuo*; per *Verbum ſuum* intelligendo *Meſſiam*; prout ipſe Chriſtus id ipſum exponit, Mat. 22. 42, 43, 44, 45.

Et frequens eſt, apud Chaldæum Paraphraſtem, *Verbum* ſeu *Sermonem*, de *Meſſia* dicere; ut, apud S. *Johannem*, τὸν λόγον. Joh. 1. 1. *In principio erat* ὁ λόγος.

Sic Iſai. 41. 10. *Ne timeas, quia Ego tecum ſum*; & ver. 13. *Ne timeas, Ego te adjuvo*; & ver. 14. *Ne timeas, Ego auxiliatus ſum tibi dicit Jehovah, & Redemptor tuus, Sanctus Iſraelis*; & ver. 16. *Ventus* (ſeu Spiritus, *Ruach*) *tollet eos, & turbo diſperget eos*. Apud Chaldæum Paraphraſten (Latine redditum) habetur, *Ne timeas, quia in adjutorium tuum erit Verbum meum. Ne timeas, quia Verbum meum erit in adjutorium tuum. Ne timeatis, —Verbum meum eſt in auxilium veſtrum, dicit Dominus* (Jehova) *& Redemptor veſter, Sanctus Iſrael. Ventus* (ſeu *Spiritus*) *abripiet eos, & Verbum ejus diſperget eos, quaſi turbo Stipulas*. (Ubi habentur, *Jehova, Verbum, Spiritus*.)

Sic Iſai. 48. 11. *Propter me, propter me faciam*. Et ver. 12. *Audi me*. Et ver. 13. *Manus mea fundavit Terram, & dextra mea menſa eſt Cælos*. Et ver. 15. *Ego, Ego locutus ſum, Ego vocavi eum*. Et ver. 16. *Appropinquate ad me, Audite hoc*. Sunt apud Chaldæum Paraphraſten, *Propter Nomen meum, propter Verbum faciam. Obedite Verbo meo. In Verbo meo fundavi Terram, & in Potentia mea appendi Cælos*. (Ubi iterum habentur *Deus, Verbum*, & *Potentia*, ſeu Spiritus.) *In Verbo meo pepigi pactum cum Abraham Patre veſtro, & vocavi eum. Accedite ad Verbum meum, Audite hæc*. Et, pari tenore, plurimis in locis, apud Chaldæum Paraphraſten. Sic Gen. 28. 21. *Erit mihi Verbum Jehovæ in Deum*. Exod. 2. 25. *Et dixit* (*Jehova*) *in Verbo ſuo ut liberaret eos*. Exod. 16. 8. *Non contra nos murmura veſtra, ſed contra Verbum Jehovæ*. Exod. 19. 17. *Et eduxit Moſes populum de Caſtris, in occurſum Verbi Jehovæ*. Levit. 26. 46. *Hæc ſunt pacta ei judicia & leges, quæ dedit Jehova inter Verbum ejus & inter filios Iſraelis, per manum Moſis*. Num. 11. 20. *In faſtidium fuit vobis Verbum Jehovæ, cujus Majeſtas habitat inter vos*. Deut. 1. 30. *Verbum Jehovæ Dei veſtri pugnabit pro vobis*. Deut. 2. 7. *Iſtis quadraginta annis Verbum Jehovæ Dei tui fuit in adjutorium tuum*. Deut. 1. 32. *Non credidiſtis in Verbo Jehovæ Dei veſtri*. Deut. 4. 24. *Jehova Deus tuus, Verbum ejus eſt conſumens ignis*. Deut. 5. 5. *Ego ſtabam inter Verbum Jehovæ & vos, in illo tempore*. Deut. 31. 6, 8. *Verbum Jehovæ Dei tui dux erit coram te. Jehova ipſe dux erit coram te; Verbum ejus erit in auxilium tuum* Et paſſim alibi.

Atque huic quidem ego preſſius inſiſto; quoniam, ut hinc Gen. 1. 2, 3. ſic alibi, *Verbum* & *Spiritus*, memorantur, ut in *Creationis* negotio occupati. Pſal. 33. 6. *Verbo Jehovæ facti ſunt Cæli, & Spiritu* (Beruach) *oris ejus omnis exercitus eorum*. (Ubi habentur, *Jehovah, Verbum, Spiritus*.) Job. 26. 12, 13. *In Potentia ejus ſcidit Mare; & in Intelligentia ſua percuſſit ſuperbum; Spiritu ſuo ornavit Cælos; & Manus ejus formavit ſerpentem tortuoſum*. (Ubi habentur *Potentia* Dei, *Intelligentia, Spiritus*, & *Manus* Dei.) Job. 33. 4. *Spiritus Dei me fecit, & Spiraculum Omnipotentis vivificavit me*. Et Pſal. 104. 24, 30. *Quam magnifica* (ſeu *multiplicia*) *ſunt opera tua Jehovah? in Sapientia feciſti ea omnia. Emittes Spiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem Terræ*. Ubi iterum occurrunt Dei *Sapientia*, & *Spiritus*.

Neque hic abſonum eſt notare, quod ut λόγος ſignificat tum *Rationem*, tum *Orationem*; ſic Chriſtus (ὁ λόγος) vocatur tum *Verbum* Dei, tum *Sapientia* Dei. Atque ut Joh. 1. 1, 3, 10. de *Verbo* ſeu *Sermone* dicitur, quod *in Principio fuit Verbum*, ſeu *Sermo*; *eratque ille apud Deum: omnia per ipſum facta ſunt; munduſque per ipſum factus*; & Heb. 11. 3. *Conſtructus eſt Mundus Verbo Dei*: Idem de *Sapientia* dicitur, Prov. 3. 19. *Jehova, Sapientia ſua fundavit Terram, & Prudentia ſua ſtabilivit Cælos*. Et Prov. 8. 22, &c. *Jehova poſſedit me* (Sapientiam) *in principio viarum ſuarum; ante opera ſua jam olim: Ab æterno*

 ordinata

ordinata ſum, & ab antiquo, antequam terra fieret. —Quando paravit Cælos, aderam, —Quando æthera firmabat ſuperne, & ſtabilivit voraginem abyſſi, & conſtituit fundamenta Terræ; *apud eum aderam*, &c.

Pariterque *Spiritus Sanctus*, vocatur *Potentia Dei*; Luc. 1. 35. *Spiritus Sanctus ſuperveniet tibi, & Potentia Altiſſimi* (δύναμις ὑψίστου) *inumbrabit te*. Et 1 Pet. 1. 5. *Potentia Dei* τῇ δυνάμει Θεοῦ) *cuſtodimur, per fidem, ad ſalutem*; Quod certe eſt opus *Spiritus Sancti*, fidem in nobis operantis & conſervantis.

Eſtque huic conſonum, quod Dei *Potentia* & *Sapientia*, toties occurrunt conjunctim. *Eſt Sapiens corde, & Fortis viribus*, Job. 9. 4. *Omnipotens eſt, quem non aſſequimur*; *magnus Potentia & Judicio*, Job. 37. 22. *Magnus eſt Dominus noſter, & magnus Viribus, ejuſque Intelligentia eſt infinita*, Pſal. 147. 5.

Sed (ut non preſſius inſiſtamus horum ſingulis,) ſubeſſe videtur fundamentum non obſcurum, cur conſideremus *Verbum* Dei, & *Spiritum* Dei, evidenter diſtingui, in magno *Creationis* negotio: quod & Scriptores Sacri, etiam in Veteri Teſtamento, videntur obſervaſſe; qoin & Scriptoribus Judaicis pariter & Chriſtianis id fuit animadverſum. Non quod hoc tunc fuerit diſtincte perceptum ut poſt futurum erat; ſed ut ſunt alia multa typis obumbrata, (ipſaque de *Reſurrectione Mortuorum* doctrina,) & Velamine tecta, quæ poſt forent plenius intelligenda.

Non negem tamen, quin, quibus is animus eſt, poſſint effugia captare, quibus hæc Veteris Teſtamenti loca eludere poſſint vel declinare, ne ſe illis conſtrictos ſentiant: Ut Sadducæi olim, contra illa Veteris Teſtamenti loca, quibus inſinuaretur Reſurrectio Mortuorum.

Neqne illi tantum, ſed ex noſtris aliqui, qni docere ſatagunt, Veteribus ante Chriſtum Patribus non alias fuiſſe factas Promiſſiones quam de rebus *Terreſtribus* & *Temporaneis* (non item de *Cæleſtibus* & *Æternis*:) Cum tamen S. *Paulus* (cum fuerit *de Spe & Reſurrectione Mortuorum in jus vocatus*,) aperte doceat, *ſe ſic ſervire Deo Patrio, ut qui ea credat omnia quæ in Lege & Prophetis ſcripta ſunt, ſpemque habeat in Deo* (*quam & ipſi exſpectant*) *Reſurrectionem fore mortuorum, tum Juſtorum tum Injuſtorum*; Quodque fuerit *Promiſſio à Deo facta Patribus ſuis, ad quam Duodecim eorum Tribus*, (*inſtanter ſervientes Deo nocte dieque*,) *pervenire ſperaverint*; *Neque hoc eſſe aliud quicquam, quam quæ Moſes & Prophetæ futura prædixerant*, Act. 23. 6. Act. 24. 14, 15. Act. 26. 2, 3, 6, 7, 8, 22. (ut certum ſit, Reſurrectionem à Mortuis, fuiſſe Patribus ante Chriſtum non incognitam.) Et Hebr. 11. 13, 14, 16. *Hi omnes in fide mortui ſunt, nondum adepti promiſſa*, (hoc eſt, per fidem ſperantes meliora quam quæ hactenus acceperant;) *ſed eminus ea conſpicati, deque ipſis perſuaſi, eaque amplexi*; *Confitentes ſe Alienos hic eſſe, & Peregrinos in Terra*; *Quique hæc dicunt, palam oſtendunt ſe Patriam quærere*; (aliam ſcilicet ab ea quam hic habuerint,) *meliorem patriam, hoc eſt Cæleſtem*. Et Chriſtus ipſe, (Mat. 22. 32.) contra *Sadducæos* diſputans, Reſurrectionem arguit ex loco Veteris Teſtamenti; tali Argumento, quale ſi à nobis fuiſſet primitus productum, contemptui forte habituri forent qui contra ſentiunt: Nempe quod *Moſi* dixerit Deus, *Ego ſum Deus Abrahami, Deus Iſaaci, & Deus Jacobi*; *Atqui Deus nequaquam eſt Deus Mortuorum ſed Viventium*. Quod ipſum argumentum proſequitur Apoſtolus, loco citato; *Peregrinati ſunt in terra Promiſſionis ut aliena terra, commorantes in Tabernaculis*, (de loco in locum mobilibus, non fixis ſedibus,) *exſpectantes Civitatem quæ habeat Fundamenta* (non mobilem ut erant ea Tabernacula) *cujus artifex & conditor eſt Deus*: *Palam oſtendentes, ſe Patriam quærere*; *Non qualis erat unde exierant, ſed meliorem, hoc eſt Cæleſtem*: *Quare & Deus non dedignatur dici, Eorum Deus*; *nam paraverat ipſis Civitatem*: Hebr. 11. 9, 10, 14, 15, 16. Ubi directe arguitur, Promiſſum illud, *ſe eſſe Eorum Deum*; Promiſſionem eſſe *Cæleſtis Patriæ*, non rerum tantum Terreſtrium.

Nec dubium eſt qnin Prophetæ, aliique Dei miniſtri, Judæos docuerant ſenſum *Spiritualem* earum quæ videbantur *Temporalium* Promiſſiones: (Quamvis huic non conſenſerint *Sadducæi*, ſed ſubterfugia quæſiverint:) Idque eatenus, ut non modo *Phariſæi* & *Doctores legis*, ſed & *Mulieres* hanc amplexæ ſint doctrinam; (etiam ante Chriſti Reſurrectionem.) *Scio, inquit Martha* (de mortuo fratre Lazaro,) *Reſurrecturum eum eſſe, in Reſurrectione, in illo die ultimo*, Joh. 11. 24. Horumque *Senſuum Spiritualium* magna copia habetur in Epiſtola ad *Hebræos*; & paſſim alibi.

Atque, ut prompte amplexi ſunt, abſque ulla Renitentia, doctrinam de *Reſurrectione*, cum ea fuerit ab Apoſtolis clarius explicata, (ut rem ipſis non plane *novam*:) ſic nullam videmus Reluctantiam, in ea de *Trinitate*, (de qua, probabile eſt, eos fuiſſe quadantenus *ante* inſtitutos;) quin prompte admiſerint eam *Baptiſmi* formulam, *In Nomen* (non Nomina) *Patris & Filii & Spiritus Sancti*, Mat. 28. 19. & ſolennem illam *Benedictionis* formulam, 2 Cor. 13. 14. *Gratia Domini Jeſu Chriſti, Charitas Dei, & Communicatio Spiritus Sancti ſit vobiſcum omnibus, Amen*. Ubi habentur Tres Perſonæ, junctim memoratæ. Ut & in celebri illo loco 1 Joh. 5. 7. *Pater, Sermo, & Spiritus Sanctus*; *Hi Tres ſunt Unum*. Atque ut ante fuerant ab ipſo Chriſto junctim recenſiti, Joh. 14. 26. *Paracletus*

cletus ille, id eſt Spiritus Sanctus, quem Pater mittet in nomine Meo, ille vos docebit omnia; Et Joh. 15. 26. *Cum advenerit Paracletus ille, quem Ego mittam vobis à Patre, Spiritus ille veritatis qui à Patre procedit, Ille teſtabitur de Me*; Et (ne plura loca nominem) Mat. 3. 16, 17. *Et Jeſus, cum Baptizatus fuit, aſcendit ex aqua*; *& ecce aperti ſunt cœli & vidit* (Baptiſta) *Spiritum Dei deſcendentem, velut columbam, & venientem ſuper Ipſum* (Jeſum;) *Et ecce vox de cœlo dicens, Hic eſt Filius Meus, dilectus ille, in quo acquieſco.*

4. Alia adhuc ſuppetit conſideratio quæ confirmet hanc ſententiam de doctrina *Trinitatis*, non plane incognitam Eccleſiæ Judaicæ ante adventum Chriſti: Nempe à Veſtigiis illis quæ adhuc extant apud Ethnicos ſcriptores.

Bene notum eſt (eis qui in hujuſmodi ſtudiis verſantur) multum Eruditionis Ethnicæ (puta, Philoſophiæ, Theologiæ, & Mythologiæ) à Judæis deſumptum eſſe; quamvis deformatum, & riſui forte aliquando expoſitum. Quæ quidem res, quamvis Fabulis immiſſæ, & habitu Romantico expoſitæ; ſunt tamen non contemnenda indicia *Veritatis Hiſtoricæ*, quæ *Fabulis* hiſce dederint occaſionem.

Non dubium eſt quin *Ovidii* de *Chao* Fabula (unde facta fuerint omnia) ortum habuerit à *Moſis* Hiſtoria de *Creatione*: Eaque de *Deucalionis* Diluvio, ab illo *Noachi*: Eaque de *Gigantomachia*, *Titanum* adverſus Deos, à Conditoribus *Turris Babilonicæ*: Eaque de *Bifronte Jano*, à *Noacho* utrumque mundum (ante & poſt Diluvium) ſpectante. Aliaque ejuſmodi multa; quæ habent *Natalis Comes*, *Bochartus*, aliique. Quorum amplam habet collectionem *Theophilus Gale*, in ſua *Curia Gentilium*; & *Duportus* in ſua *Gnomologia Homerica*; ubi multa collegit *Dicta Homerica*, quæ ad totidem in Sacris Literis reſpicere videantur; indeque videntur mutuata. Cum tamen *Homerus* fuerit unus ex antiquiſſimis & celeberrimis ſcriptorum Ethnicorum.

Plato item, ſuæ Philoſophiæ, Hiſtoriæ, & Theologiæ, à Judæorum Eruditione, multa mutuatus videtur; unde dictus Μωσῆς Ἀττικίζων, quaſi *Moſes Græca forma traductus*. Cum autem *Judæorum* nomen odio habitum eſt, potius quam celebratum, eos citaſſe videtur ſub nomine quorundam *Barbarorum*, *Syrorum*, *Phœnicum*, aut *Ægyptiorum*.

Ille quidem à Dei Nomine *Ehjeh* (*Sum*) Exod. 3. 14. ſeu ὁ ὤν, (vel nominibus *Jah*, aut *Jehovah*, pariter innuentibus Abſolutum *Eſſe* Dei,) mutuatus videtur ſuum τὸ ὄν, αὐτὸ ὄν, ὄντως ὄν, quibus denotet, quaſi *ipſum Ens* (ſeu id quod *Eſt*,) *ipſiſſimum Ens*, *vere Ens*; ipſius hinc innuens *Eſſe ſimpliciter*, ſeu αὐτοούσιον. Item, pro *Immortalitate Animæ Humanæ*, præcipuum ipſi Argumentum eſt (Θεῖος λόγος) *Divina quædam Revelatio*, quam Traditione acceperat à quibuſdam *Veteribus*, qui vixerant (ut ille loquitur) *propius ad Deos*, (quaſi & hoc mutuatus fuerit ex eo quod habetur Deut. 4. 7. *Dicent populi, cum audiverint, —Quæ Gens tam magna eſt, cui Dii* (Elohim) *tam ſunt Propinqui* (kerobim) *ſicut Jehovah Deus noſter?*) Aliaque ſimilia.

Et quidem tantum abeſt ut putem ego (quod volunt *Sociniani*) quod S. *Johannes Platonizet*, ſitque illius ὁ λόγος à *Platonis* Trinitate deſumptus; quod putaverim potius *Platonem*, à Judæorum doctrina ſuam fuiſſe mutuatum Trinitatem, ſed à ſe quadantenus deformatam: Atque indicium eſſe non contemnendum, quod ipſis non incognita fuerit doctrina *Trinitatis*.

Ariſtoteles, in poſtremo Capite Libri *De Mundo*; quod eſt *de Dei Nominibus*; dicit, quod *Deus*, *Quamvis Unicus ſit, multa habet Nomina*. Atque (inter ea multa) Unum, inquit, eſt *Tres Parcæ* (τρεῖς μοῖραι,) *Atropos*, *Clotho* & *Lacheſis*. Quas ille applicat ad tres *Durationis* diverſitates; *Præteritæ* (quæ revocari non poteſt;) *Præſentis* (quæ jam agitur;) *Futuræ* (quæ adhuc eſt incerta;) quaſi hoc idem reſpiceret, quod ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος. Vultque has *Tres* eſſe, *Unum* horum Nominum. Quæ quamvis ſint numero *Tres*, ſunt tamen *Deus Unus*. Ταῦτα δὲ πάντα ἐστὶν οὐκ ἄλλο τι πλὴν ὁ Θεός (*Platonem* citans huic conſentientem,) καθάπερ καὶ ὁ γενναῖος Πλάτων φησί. Ut tum *Platonem* tum *Ariſtotelem* conſentientes habeamus, quod *Tres quidam*, poſſint eſſe *Unus Deus*. Et veriſimile eſt, id ipſum hauſiſſe ambos ex *Judæorum* Doctrina.

His addamus licet, quod habent de *Tribus Judicibus* in altero mundo; qui nominantur *Minos*, *Radamanthus* & *Æacus*. Quod, quamvis Fabuloſum ſit; hoc ſaltem hinc innuitur, Quod etiam *tunc* habuerint Notionem non tantum de *Immortalitate Animæ*; ſed & de *Trinitate Perſonarum*, quæ, in illo altero mundo, rationem exigerent Humanarum Actionum in hoc mundo. Nec dubium videtur, quin utramque Notionem à Judæis acceperint, unde reliquas habuerunt notiones maxime ſublimes.

Nec contemnendum eſt quod de *Triformi Chimæra* finxerint Poetæ, quæ ſit Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα, ut apud *Homerum* extat, Poetarum eorum antiquiſſimum. Quodque, de *Tricipite Cerbero*, quaſi alterius mundi Janitore. Quæ quidem Poetarum figmenta quamvis primitus forte excogitata fuerint, ut rem ridendam exponerent; at hoc ſaltem ſatis innuunt, quod *jam tum* Notitiam habuerint, de *Quibuſdam Tribus* quæ tamen ſint *Unum*. Nam ſi nullam habuiſſent hujuſmodi Notionem, non potuiſſent illam riſui exponere.

Applaudent ſibi, forte, Adverſarii; quod *Chimæra* & *Cerberus* inducuntur ad Probandam *Trinitatem*.

Sed fruſtra ſunt. Non enim id jam agitur, ut *Probemus* Trinitatem: (id enim jam factum eſt, meliori Fundamine:) ſed jam quæritur, Num *hæc* Doctrina fuerit *tum* cognita.

Et quidem, ut recte poſſit argui, *Chriſtianam Religionem* fuiſſe *Luciani* ætate cognitam, (atque *ipſi* cognitam,) quod eam ille ludibrio habeat, (quod non feciſſet ſi plane neſciiſſet:) Sic argumento eſt, *Trinitatis* doctrinam jam *tum* fuiſſe cognitam, cum illuderetur.

Sed & hoc inde porro arguitur, Jam *tum* fuiſſe poſſe *Profanos Irriſores*, prout *nunc* ſunt Sanniones qui *Blaſphemare* ſatagunt *Sacram Trinitatem*, ut aliquod *Triceps monſtrum*; quin & illud ſuum (quicquid ſit) Sarcaſticum ingenium, non ſuum eſſe; ſed ab argutioribus Ethnicis ſurreptum.

Sed ſive hoc fuerit, ſive non fuerit, Eccleſiæ Judaicæ notum, jam ante adventum Chriſti, (quod tum de *Trinitate* tum de *Reſurrectione Mortuorum* præſumendum videtur:) ſatis eſt, ad rem præſentem, quod *Nos* jam illud doceamur. Et ſiquis adhuc velit tam obſtinato eſſe animo, ut vel *Reſurrectionem*, vel *Sacram Trinitatem* nolit credere; ſub prætextu quod horum neutrum Eccleſiæ Judaicæ innotuerit, (ſaltem non tam dilucide, quin poſſint cavilla quædam comminiſci contra Veteris Teſtamenti loca, quæ hæc probatum afferuntur;) nos eos Sapienti Juſtoque Dei judicio permittimus, donec eos ipſe velit efficacius edocere.

Jamque Deo Patri, Deo Filio, Deoque Spiritui Sancto; Tribus Perſonis, ſed Uni Æterno, & in æternum Benedicto Deo; ſit Laus, Honor, & Gloria; Nunc & in ſecula ſeculorum. Amen.

DEFENSIO
SABBATI CHRISTIANI;
DIE
DOMINICO
Celebrati.

Contra *Sabbatarios* pro Die *Saturni* diſputantes.

Annis 1692, 1693, *(duabus partibus) Anglice Edita*;
Nunc Latine reddita; &, *alio ordine.*

Index Capitum.

Cap. I. Suſcepti occaſio. *Tractatus T. B. pro Sabbato Judaico diei Septimi. Non tanti res eſt ut propterea turbare debeat Pacem & receptam Praxin Eccleſiæ Chriſtianæ. Non poteſt nunc ſciri, Quis eſt dies continue Septimus à prima Creatione. Nec (niſi continua Traditione) à Morte Chriſti. Sabbatum rite celebrari, majoris momenti res eſt, quam Quo die. Adverſarii iniquæ de me ſuſpicioni reſpondetur. Circumſtantiæ cedere debent Subſtantiæ cultûs. Id multis exemplis oſtenditur. Circumciſione. Paſchatis Circumſtantiis. Rechabitarum obſervantia. Temporis incertitudine maxima pro obſervandis Feſtis Noviluniorum. Et pro Feſto Paſchatis Judaici. Et Chriſtiani pariter. Septimus dies Quarti Præcepti, eſt, qui ſequitur Sex dies laboris ordinarii.*

II. *Quem ego diem eligendum puto; & quomodo terminatum. Quam ego velim Eccleſiam non turbandam.*

III. *Status rei inter nos controverſæ. Quænam ego ipſi concedo; Et in quibus diſſentio. Non conſtat, ullam Gentem, exceptis Judæis, ante Chriſtianiſmi tempora; nec Judæos ipſos, ante exitum ex Ægypto; tempora ſua per Hebdomadas diſtribuiſſe.* Clemens Alexandrinus & Macrobius, *nil tale memorant, aliive veteres Scriptores Sacri aut Prophani.*

IV. *Quæſtio diſcutienda, eſt Bimembris; De Die Dominico, De Sabbato Judaico. De Die Dominico obſervando, nullum videtur fuiſſe dubium, tempore Apoſtolorum. De Sabbato Judaico, ea moderatio adhibenda quæ de Circumciſione & Ritibus Moſaicis. Diverſa ratio Judæorum & Gentium hac in re.*

V. *De Die Dominico celebrando, juſta nobis ſuppetit Authoritas. Expreſſum Mandatum, Sacris literis memoratum, non eſt Neceſſarium. Nullum tale de Primo Sabbato Gen. 2. Nec ætate prima de Sacrificiis: Aut de rebus Oleo conſecrandis: Igneve ad ſuffitum ab Altari ſumendo: Aut de animalibus mundis & immundis: De fœminis ad Sacram cœnam admittendis: Et Infantibus baptizandis: Nec mandata Chriſti Apoſtolis facta de inſtituenda Eccleſia Chriſtiana.*

VI. *Aliunde ſuppetit ſufficiens auctoramentum. Reſurrectio Chriſti memoratu digna. Chriſti Praxis, & Apoſtolorum, & Eccleſiæ Primitivæ. Exemplum Primum, ipſo Reſurrectionis die. Objectis reſpondetur.*

VII. *Exemplum ſecundum, Poſt Octo dies. Omiſſo quod interveniebat Sabbato Judaico. Objectis reſpondetur. Octiduum, intelligendum Incluſive. Mos ſic numerandi perpetuus in Sacris literis, Plurimis exemplis oſtenditur. Atque ſic apud pleraſque gentes, exceptis Anglis. Conſiderantur* Mat. 26. 2. & Apoc. 11. 11. *Tertia comparitio ad mare Tiberiadis, an fuerit die Dominico, incertum.*

VIII. *Exemplum Tertium, in die Pentecoſtes. Objectis reſpondetur. Hunc fuiſſe diem Dominicum evincitur. Non ex Romanenſium traditione, ſed ex Levit. 23. Nomen Pentecoſtes, habetur, non à Romanenſibus, ſed ex Sacris literis. Feſta Primitiarum & Pentecoſtes (poſtridie Sabbati Judaici) quaſi Prodroma Diei Dominici. Unde numerandi ſint illi dies Quinquaginta. Non à die Paſchatis, nec Feſti Azymorum; ſed à Craſtino Hebdomadalis Sabbati; (qui Prodromus erat diei Dominici.) De hoc & de menſe Niſan, Lapſus Adverſarii. Et, de Aſcenſionis die. De itinere Sabbatico. Et die Judicii.*

IX. *Exemplum Quartum; Pauli Troade. Objectis reſpondetur. Exemplum unum, ſed quo Mos conſuetus innuitur.* Διελέγετο, *quomodo reddendum. Paulus haud recte inſimulatur Nonconformitatis. Praxis ejus, Doctrinæ congrua. Judæorum & Gentium, diverſa ratio. Judæis indulta, non erant Gentibus imponenda.*

X. *Fractio Panis, de Euchariſtia hic intelligenda. Objectis reſpondetur.*

XI. Μία σαββάτων, *hic intelligenda de Hebdomadis die Primo. Objectis reſpondetur. Eſt Elliptica locutio, pro* μία ἡμέρα ἀπὸ σαββάτων. Σάββατον *& (in Plurali)* σάββατα, *promiſcue dicuntur de Uno die.*

XII. *Veſpera diei Primi, non intelligenda de Solis Occaſu diei ſeptimi. Objectis reſpondetur. De diei Principio, diſſertatio. Non, ab Occaſu Solis, ſed à Media Nocte. Veſpera reputatur pars diei præcedentis, non ſubſequentis. Id evincitur, ex hiſtoria Reſurrectionis Chriſti. Ex hiſtoria Crucifixionis. Ex* Act. 23. 32. *Ex* Macrobio, *de Romanorum Computo. Quod admittit hic Scriptor, & de Computo Noſtro. Lapſus eorum qui putaverint Judæorum dies inchoandos ab Occaſu Solis. Id oſtenditur ex hiſtoria Paſchatis Judaici. Inter duas Veſperas, quid ſit. A veſpera ad veſperam, eſt, à fine Unius veſperæ, ad finem alterius. Pariter ex Nehemia.*

XIII. *Expenditur Gen. 1. 5.* Fuit Veſpera & Mane dies primus. *Non inde conſtat, quod dies Primus inceperit (quod vult hic Scriptor) ab Occaſu Solis. Nedum dies Septimus. Erant Tenebræ Luce priores. Sed, quot horis, non dicitur. Non hinc conſtat, Quota hora*

hora inceperit Sabbatum ; aut; quota hora Deus ſanctificavit diem Septimum, erve benedixit. Adverſarii Schema conſideratur. Oſtenditur, ipſi adverſari. Ab Ordine Verborum, infirmum Argumentum : Ipſique contrarium.

XIV. *Exemplum Quintum*, 1 Cor. 16. *De Collecta quoque die Primo facienda. Objectis reſpondetur. Primi Diei ſolita obſervatio, præſumitur. Non Annualis, ſed Hebdomadalis Collectio.* κατὰ μίαν σαββάτων, *diſtributiva locutio Collecta pro indigentibus, non incongrua diei Sancto. Recapitulatio Quinque Exemplorum.*

XV. *Exemplum Sextum, Diei Dominici*, Apoc. 1. 10. *Qui idem eſt cum Noſtro Die Dominico. Objectis reſpondetur. Dies Dominicus, non erat Sabbatum Judaicum, quod vult hic Scriptor. Id fuſe arguitur. Id teſtantur Græci Patres ; Latinis antiquiores.*

XVI. *Continua Traditio, jam inde ab Apoſtolorum temporibus. Omnimuque temporum hiſtoria. Non rejicienda. De die continue ſeptimo à prima Creatione, nihil certi conſtat. Nec de Hebdomadum antiquo uſu: Nedum de dierum nominibus. Aut, quomodo noſtra tempora cum antiquis temporibus connectamus. In Recordis noſtris, tum dies Saturni dicitur dies Sabbati ; tum dies Solis, Dies Dominicus.*

XVII. *Qua conſideratione dicendus eſt, Chriſtus, Mundum Creaſſe, Requieviſſe die ſeptimo, &c. Nempe, ut Deus, una cum Patre & Spiritu Sancto. Non ut* Θεάνθρωπος, *& Redemptor noſter. Multaque ab illo Scriptore incaute dicta notantur. Non eo derogatum itur Divinitati Chriſti. Quo ſenſu Deus dicitur Amor, Veritas, Lux, &c.* Ὁ κύριος *in N.T. paſſim dicitur ſpeciatim de Domino Jeſu Chriſto, ut Mediatore noſtro, & Religionis Chriſtianæ Fundatore. Eique (ut tali) tribuitur* δεῖπνον κυριακὸν, *Cœna dominica, Poculum Domini, Menſa Domini, &c. pariterque* ἡμέρα κυριακή, *Dies Dominicus. Non ſic, Sabbatum Judaicum.*

XVIII. *Conſiderantur Adverſarii Collectanea, in derogationem Diei Dominici. Ipſi adverſantur. Nihil mihi comparet, quin, ubicunque Sabbatum ullum celebrarunt Chriſtiani, diem Dominicum obſervabant. Controverſia de celebrando Paſchate, Die Dominico, an Decima-quarta Luna, in ipſa prima Centuria. Dies Dominicus tum cenſebatur, Hebdomadis Primus, non Septimus. Habebantur conventus publici, aliis item diebus (prout nunc fit,) ſed non in præjudicium Diei Dominici Sabbato jejunabant & laborabant ; non die Dominico. Dicebatur Sabbatum Chriſtianum. Leges in Anglia, de obſervando die Dominico, multo antiquiores quam ille perhibet Non Dies Sabbati (in Recordis memoratus) ſed Dominicus, erat Hebdomadalis Requietis dies. Parliamenta, ad diem Dominicum aliquando indicta. Negotia civilia diſtulerunt in craſtinum. Habiſſini, præter diem Dominicum, obſervant etiam Sabbatum Judaicum. Sed & Circumciſionem, Sabbatarii quidam Romæ* 1555 ; *quid docuerint non liquet. Item Anno* 603, *qui Sabbatum Judaicum obſervatum vellent, una cum die Dominico. Socrates Scholaſticus citatur, de Eucharistia alibi celebrata, alibi non celebrata, die Sabbati. Perperam præſumit, Scotos non admiſiſſe diem Dominicum, ante Annum* 1203. *Non à Romanenſibus introducta Diei Dominici obſervatio.*

XIX. *Recapitulatio Probationum pro Obſervando Die Dominico.* Pſal. 118. 22, 23, 24 *cum* Act. 4. 11. *conſiderantur. Item* Hebr. *capp.* 3 & 4.

XX. *Quod Dies Dominicus jure dicatur Sabbatum. Sic videtur dici* Mat. 24. 20 Ne fuga veſtra ſit hyeme vel Sabbato. *Et* Act. 13. 42. τὸ μεταξὺ σάββατον. *Sabbata, in Plurali, nomen unius diei ; tum in Novo Teſtamento, tum apud Septuaginta Interpretes paſſim. Item in Quarto Præcepto. Mutatio diei, facit Caſus mutationem, manente Præcepto non mutato. Ignorantia diei continue ſeptimi à Prima Creatione, nobis non officit.*

XXI. *Quæſtionis pars poſterior, De Sabbato Judaico Non contemptim dicitur Sabbatum Judaicum. Diſtinguendum inter id quod tunc erat Indultum, & quod Nobis nunc incumbit officium Non prohibemus, aliis diebus (quam Sabbato Quarti præcepti) Divino Cultui vacare.*

XXII. *Eccleſia Judaica, non cenſenda, tota Dei Eccleſia viſibilis. Circumciſio & Sabbatum Judaicum, Characteres diſtinctivi, non totius Eccleſiæ Viſibilis, ſed Eccleſiæ Judaicæ, ut ab aliis Gentibus contradiſtinctæ.* Per generationes veſtras, *ſunt verba innuentia. Parum candide de reliquis Chriſtianis cenſet hic Scriptor.*

XXIII. *Judæorum Privilegia, nunc ſunt Gentium Communia. Ceſſant ſigna diſcriminativa. Sabbatum Judaicum, foret Gentibus res nova. Non ex eorum numero quæ erant, ut neceſſaria, Gentibus imponenda,* Act. 15. & Act. 21. *De die Dominico, aliiſve Inſtitutis Chriſtianis, non illic agitur: Sed de eis quæ erant, ex Lege Moſis, inducenda. Non hæc dicta ſunt contra Sabbatum Quarti Præcepti ; ſed Sabbatum Judaicum, à deſcenſu Mannæ. Quod non tam Aboleri cenſendum eſt quam Expiraſſe. Hoc Apoſtoli non tam Imperant, quam Arguunt.*

XXIV. *Arguitur ex* Rom. 14 *De Judaico Sabbato ſpeciatim intelligendum. Alia Feſta (non extra Terram Sanctam celebranda) non forent Romæ controverſa. Non intelligendum de Solis cultu die Solis. Sabbati Judaici qualis obſervatio poſt Chriſti mortem.*

XXV. *Arguitur ex* Gal. 4. Egena Elementa. *Sabbatum Judaicum potiſſimum intenditur. Non, Elementa mundi Ethnici. Nedum dies Dominicus.*

XXVI. *Arguitur ex* Col. 2. *Hic Sabbati fit diſerta mentio. Philoſophia non Platonica hic intelligitur, ſed Judaica. Philoſophiæ nomen, Doctrinæ Judaicæ tributum. Clementi Alexandrino, dicitur,* Philoſophia Barbarorum, (*Græcis contradiſtincta una.*) *Sabbatum Judaicum hic intelligitur ut Diei Dominico contradiſtinctum. Hic famoſior vocis ſenſus. Hoc alibi acriter contendit hic Scriptor. Alia feſta in N. T. non dicuntur Sabbata. Non erant extra terram Sanctam obſervanda.* Sabbata *non ſignificat* Hebdomadas. *Male id urgetur ex phraſi* μιᾳ σαββάτων, *pro Primo die Hebdomadis. Eſt hæc, ſenſu vera, non literalis redditio. Male urgetur,* σάββατα *(in Plurali) non dici de Sabbati die. Id ſæpiſſime occurrit in N. T. & in V. T. fere ſemper, apud LXX. Et in ipſo Quarto Præcepto. Sic ſumendum hoc loco, pro Judaico Sabbato. Feſtum, Novilunium & Sabbatum, paſſim alibi cenſentur, ut ejuſdem conditionis.*
XXVII. *Arguitur ex aliis locis, quæ ſublatum indicant diſcrimen Judæorum & Gentium.*
XXVIII. *Allegatis reſpondetur. Multa præſumit gratis. Probationes inſufficientes de Prioritate, Inſtitutione, Celebratione (ab Homine,) Repetitione, & Continuatione, Septimi diei continue à prima Creatione.* Haſhebigni *non ſemper ſignificat Septimum à prima creatione. Sabbatum Judaicum, à primo deſcenſu Mannæ.*
XXIX. *De inchoando Sabbato ab Occaſu Solis. Contemplatio operum Dei, die ſexto.* Shabath *ſignificat* Ceſſavit, *non* Sabbatizavit.
XXX. *Incertitudo de die Septimo continue obſervato. Ejus ſex Evidentiæ conſiderantur.*
XXXI. *Celebritas numeri Septenarii. Incertitudo porro arguitur. Nova Epocha* Exod. 16. *Initium Anni mutatur,* Exod. 12.
XXXII. *Hebdomadum obſervatio (præterquam à Judæis) poſt Chriſtianiſmum introducta. Romani, per Ogdoades dividebant tempora. Saxonum in Angliam adventus, non ante Annum Chriſti* 449.
XXXIII. *Nomina dierum Hebdomadalium. Chriſtianiſmo recentiora. Non à diis Ethnicis deſumpta; ſed, à Septem Planetis. Cur hoc ordine. Ab horis Planetariis: Aut Conſonantia Dia-teſſaron. Nomina Propria, pro arbitrio impoſita. Non incommode retinentur. Non reputanda Idololatrica. Idolorum nomina non memoranda.*
XXXIV. *Nimia ſcrupuloſitas cavenda. Irreligioſis gratificatur. Veſtes nigræ. Plures conventus eodem die. Hora qua Sabbatum inchoandum. Cæremoniarum multitudo. Circumſtantiæ cultus. Oratio Dominica.*
XXXV. *Expedimenta duo. Inchoetur Hebdomas à die Lunæ. Navigatio (Occidentem verſus) circa mundum. Defectus unius diei. Quomodo & Ubi rectificandus. Computus Scriptoris itinerantibus Occidentem verſus. Meridianus primus, ipſi ſtatuitur Hieroſolymæ. Computus itinerantibus Orientem verſus. Expedimentum tertium. Indifferenter ipſi dicendus eſt dies Saturni aut dies Solis, prout ab Hieroſolyma computatur Occidentem aut Orientem verſus.*
XXXVI. *Prudentiâ judicanda ſunt in Hypotheſi, quæ Divina Lege ſtatuuntur in Theſi. Variis Exemplis oſtenditur. Hoc præſenti caſui accommodatur. Primus Meridianus, pro arbitrio ſtatuendus. Dierum Nomenclatura, ubi inchoanda. Rerum commodis hac in [illegible] proſpiciendum. America conſideratur potius tanquam ad Occidentem ab Europa, quam ad Orientem ab Aſia. Quamobrem id fiat.*
XXXVII *Epilogus.*

DEFEN-

DEFENSIO
SABBATI CHRISTIANI,
DIE
DOMINICO
Celebrati.

Contra *Sabbatarios* pro Die *Saturni* diſputantes.
Annis 1692, 1693. *Anglice edita.*

CAP. I.

Suſcepti occaſio. Tractatus T. B. pro Sabbato Judaico Diei Septimi. Non tanti res eſt ut propterea turbare debeat Pacem & receptam Praxin Eccleſiæ Chriſtianæ. Non poteſt nunc ſciri, Quis eſt dies continue Septimus à prima Creatione. Nec (niſi continua Traditione) à Morte Chriſti. Sabbatum rite celebrari, majoris momenti res eſt, quam Quo die. Adverſarii iniquæ de me ſuſpicioni reſpondetur. Circumſtantiæ cedere debent Subſtantiæ cultûs. Id multis exemplis oſtenditur. Circumciſione. Paſchatis Circumſtantiis, Rechabitarum obſervantia. Temporis incertitudine maxima pro obſervandis Feſtis Noviluniorum. Et pro Feſto Paſchatis Judaici. Et Chriſtiani pariter. Septimus dies Quarti Præcepti, eſt, qui ſequitur Sex dies laboris ordinarii.

ALLATUS mihi fuerat, jam Anno 1692, per Tabellarium, ſeu Vectorem publicum, *De Sabbato* tractatus, tum nuperrime editus; à D. *Thoma Bampfield* (Logiſperito) Viro pio & erudito ſcriptus. Cui Titulus *Inquiſitio, An Dominus noſter Jeſus Chriſtus mundum fecerit, ſitque Jehova qui dedit Legem Moralem; & An Quartum Præceptum ſit vel Abolitum vel Mutatum.* Quo contendit, celebrandum eſſe Sabbatum eo die quem *Saturni* dicimus; non eo qui nobis dicitur *Dominicus*. Quem ille diem Septimum exiſtimat, Hebdomadum continua ſerie recurrentium, ab Orbe condito.

Huic ego Reſponſum edidi, eodem anno 1692; cui Titulus, *Defenſio Sabbati Chriſtiani, ſive de Sabbato Diſcurſus.* Cui ille *Replicationem* edidit Anno ſequente, 1693. Egoque repoſui, (eodem anno exeunte 1693, mox ineunte 1694,) *Defenſionis meæ Partem Secundam*; in Partis prioris *Vindicationem*. Atque hæc, Anglico Sermone, omnia.

Libet nunc, in Exterorum gratiam, utriuſque Partis ſummam (Latine redditam) in unum compingere: Reſciſſis quæ erant *Ad Hominem* dicta, (cui ego nil male volui,) & Argumentorum vim, utrinque allatorum, fideliter exhibendo; quo rei diſceptatæ ſtatus rectius perſpiciatur.

Dixeram Ego in limine, (*Diſcurſus* pag. 1, 2.) quod Nollem, eo nomine, turbare pacem & receptam praxin iſtius Eccleſiæ, ubi me vivere contingat: modo rite celebretur Sabbatum; licet non eodem die quem ego forte elegerim.

Quippe quod non ſciam ego, nec (credo) quiſquam alius, Num, qui nobis dicitur *Dies Dominicus*, ſit Primus, Secundus, Tertius, an Septimus, ſic recurrentium Hebdomadum ab Orbe condito. Et, quod impoſſibile eſt me ſcire; non mihi Crimini imputandum iri ſentio, quod neſciam.

Nec quidem huic Scriptori ullum ſuppetit Medium, præter *Communem Traditionem*, (quam ille paſſim depretiat,) quo judicare poſſit, (aut conjectari,) Quis Primus ſit aut quis Septimus dies, ſic recurrentis Hebdomadis, ſive ab Orbe condito, ſive etiam à Chriſti tempore. Non aliud, inquam, medium; quam *Communem Traditionem*.

Satis mihi perſuaſum eſt, debere nos (vi Quarti Præcepti) Sabbatum celebrare; hoc eſt, Sanctæ Requietis diem, poſt ordinarios Sex dierum labores; idque in Hebdomadum continua circulatione. Sed, quis ſit ille dies, in continua ſerie ab Orbe condito, nec certus ſum, nec eſſe poſſum.

Eoque propterea die contentus ſum, quem ibi loci continue obſervatum video ubi ego moror. In *Anglia noſtra*, illum obſervo quem hic obſervatum reperio: Atque, ſi in *Novo-Anglia* me vivere contingeret, illum ibi obſervaturus forem, quem illic invenero obſervatum: Quamvis dubium eſſe poſſit, num idem dies dicendus ſit, quem nos & illi obſervamus; cum nos & illos intercedat, (qui dicitur) *Primus Meridianus*. Nec tamen author eſſe velim, ut receptum morem, aut hic aut illic, immutemus.

Hæc ego cum in limine dixeram, (aliaque quæ huc tendunt,) ſubdubitare vult hic Scriptor, aut aperte potius inſinuare, (*Repl.* p. 1, 2,) me juxta cum eo ſentire; nempe, Debere nos (neglecto Dominico) *Saturni* diem celebrare; (quaſi, neſcius quem ego *diem electurus* forem, aut quam ego velim *Eccleſiam*;) adeoque me, tum contra illum, tum contra ſenſa mea (mala fide) diſputare.

Has ego iniquas ſuſpiciones, quo amolirer; repeto (*Vindicationis*, p. 2. &c. & *Diſcurſus* mei, p. 1, 2, 10, 11, 12, 13, 14.) quas ego cauſas aſſignaveram, cur nollem ego Eccleſiæ pacem & receptam praxin turbare, prætextu tali: ſimulque, Quem ego *diem* electurus eſſem; & Quam velim *Eccleſiam*.

Quod, ſub prætextu, *diei ſeptimi* (continua ſerie recurrentis) *ab Orbe condito*, nollem res ita turbare: dixeram, Tum quod ſcitu jam ſit impoſſibile, quis ſit ille dies; Tum quod *Subſtantialia* (quæ dicuntur) cultus Divini, majoris ſint momenti res, quam *Circumſtantialia*: Atque hæc illis, prout res tulerit, cedere debere.

Haud facile crediderim (in re quæ tanti momenti ſit ad cultum publicum) tantum onus imponendum eſſe tali (temporis) Circumſtantiæ, de qua nec certi eſſe poſſumus, & quam poſſimus (modeſte) ignorare.

Putaverim potius, quod de *Loco* dicit Chriſtus, *Joh.* 4. 21, 23 *Tempus venit, quum neque in hoc monte, neque Hieroſolymis adorabitis Patrem; ſed quum veri adoratores adorabunt Patrem, Spiritu & Veritate*; etiam, magna ex parte, de *Tempore* pariter intelligendum eſſe. Quæ junctim memorata legimus, Levit. 19. 30. & alibi; quaſi in eodem cenſu reponenda; *Sabbata mea obſervatote & Sanctuarium meum reveremini: Ego ſum Jehova.* Et, prout non tanti momenti foret *quo loco*, quam ut *recte colatur* Deus; ita nec tanti eſt, *quo die*, quam ut *rite celebretur* Sabbatum, ſeu Sanctæ Requietis dies.

Cultus Dei publicus (in Eccleſia Judaica) erat, magna ex parte, reſtrictus ad Templum Hieroſolymitanum; Non *ubivis indifferenter in eorum portis*, ſed *in loco quem elegerit Deus ad collocandum ibi nomen ſuum*, Deut. 16. 6, 11, 15, 16. At, *nunc* dierum, ubivis locorum, non minus quam Hieroſolymis, rite celebrabitur cultus divinus; ut *quovis loco Deum precemur, puras attollentes manus*, 1 Tim. 2. 8. (Privatim, in privatis ædibus; & publice, locis ad cultum publicum deſtinatis.) Nec ſcio, quod ad *Sabbatum Judaicum* nunc magis adſtricti ſimus, quam ad *Judaicum Templum*.

Multaſque ibidem produxi Inſtantias, de neglectis Circumſtantiis, dum ſumma rei ſalva erat.

Celebranda erat Circumciſio, ex Inſtituto Divino, *Octavo die*, (non octavo Hebdomadis die; ſed Ætatis die Octavo; adeoque eodem Hebdomadis die quo natus fuerat infans) Verum ſi, caſu aliquo, aut etiam culpa, non fuerit eo die celebrata; non dubium eſt quin, alio poſt die quovis, celebranda potius erat, quam non omnino. Circumciſus eſt *Abrahamus*, annos natus 99; & *Iſhmael*, annos 13. (&, qua ætate circumciſi fuerint mares reliqui in *Abrahami* familia, non liquet.) Et Proſelyti, quacunque ætate, circumcidendi erant, (utut non forte tum conſtiterit, Quoto Hebdomadis die fuerant nati.) Quique in Deſerto naſcerentur, per annos quadraginta, ſimul circumciſos legimus, Joſh. 5. 2, 3, 4, 5, 9. (quamvis non omnes eodem die fuerint nati.) Nec dubium eſt quin fuerit *Timotheus* pluſquam *Octo dierum*, quum eum circumciderit *Paulus*, *quia Matre Judæa natus erat*. Act. 16, 1.

Paſcha jubentur comedere *Stantes, ſuccinctis lumbis, calceamentis ad pedes poſitis, baculoque in manu, & feſtinanter*, ut in procinctu abituri; Exod. 12. 11. At Chriſtum legimus, cum Diſcipulis ſuis, comediſſe Sedentes, ſeu potius Diſcumbentes. Nec debuit eorum quiſquam, *ea nocte, exire foras*, Exod. 12. 22. At Chriſtus, cum Diſcipulis, eſt, ea nocte, *ad montem Olivarum profectus*; atque inde *ad Gethſemanen*, Mat. 26. 20, 30, 36.

Panes propoſitionis, erant à ſolis Sacerdotibus comedendi: At notat Chriſtus, eos à *Davide* (certa occaſione) comeſtos, quem interim non inſimulat culpæ.

Rechabitæ laudantur, Jer. 35. quod *præceptis Jonadabi Patris obedierint; prohibentis, ne Vinum biberent, nec ſibi domos ædificarent, ſed in tentoriis habitarent: Cum tamen Nebuchadnezar in terram eam aſcenderit*; (relictis tentoriis,) *in Hieroſolymam ſe receperunt*, (*metu copiarum Chaldæorum & Aſſyriorum*,) *ibique conſederunt*: Nec tamen inde perhibentur ut Inobedientes, (cum id ob juſtam cauſam factum ſit,) ſed ob Obedientiam laudantur.

Feſtum

Feſtum Paſchatis, celebrandum erat (ex inſtituto) *Menſe Primo*: Sed *Hezechias*, (cum id non poſſet commode fieri menſe primo,) *Secundo menſe celebravit* (poſtquam à longo tempore fuiſſet intermiſſum.) Quod Laudi (non Vituperio) ipſi datum eſt; etiamſi diſerte notatum ſit, id factum eſſe, *ſecus quam præſcriptum erat*, 2 Chron. 30. 2, 3, 13, 15, 18. Ubi temporis *Circumſtantia* cedit Subſtantiæ, (ſubſtituto ſecundo menſe pro primo,) cum utrumque non poſſet Commode adhiberi. Quod & alias, ſæpe factum eſſe mox videbimus.

Porrò; habuerunt Judæi ſua *Noviluniorum* feſta. Sed magna erat incertitudo, quo die cenſeretur Novilunium. Quippe non habebant (prout nunc moris eſt) Ephemerides ſeu Calendaria, quibus ante monerentur quo die foret Novilunium, (cum Solis Lunæque motus nondum erant ita perſpecti ut nunc ſunt;) Sed (ſi Judæis ſcriptoribus hac in re fidendum ſit) quo tempore Novilunium expectabatur, ſpeculatum mittebantur aliqui ad Montis cacumen aliquod, locumve aliquem ex eminentioribus, unde Novæ Lunæ prima phaſis obſervari poſſet. Quique primi conſpexerint novam Lunam, id Sacerdotibus referebant: qui (ſi de re ſatis conſtaret) Tuba Clangerent, quo indicio ſignificabant, tunc eſſe Novilunium. Quodſi, (ob Cœlum nubilum, aliave de cauſa) ne tertio quidem die (ex quo primum expectabatur) quiſquam conſpexit Lunam, aut Sacerdotibus id non conſtabat, (quorum judicio res ea permiſſa erat,) clanxerunt tuba (etiam non conſpecta Luna) ſed non citius. (Qua de re videatur *Seldeni* Tractatus, *De Anno Civili Veterum Judæorum.*) Adeoque, per biduum triduumve, in ambiguo res erat, quo die celebranda erant Novilunia. Nec tamen negligendus erat cultus, Noviluniis debitus, ſob prætextu incertitudinis de Die; ſed præſtandus erat, ſi non ipſo die, ſaltem die Putatitio, qui pro die Novilunii reputabatur. Nec ſcio, quod ullus inde ſcrupulus exortus ſit, aut exoriri debeat; aut cultus divinus inde vitiatus; quod non ſit verus Novilunii dies, qui ſic cenſebatur.

Non nego tamen quin poſteriores Judæi, ſaltem poſt *Claudii Ptolemæi* tempora, ſuas habuerint Tabulas Aſtronomicas, indeque derivata Calendaria; unde Novilunia Calculo computabant, (ut aliæ gentes,) antequam contingerent. Quales apud Rabbinos ſuos conſpiciantur, à Ptolemaicis mutuatæ. Sed jam agitur de temporibus Moſaicis, indeque ad Chriſti tempora. Quando quod talia habuerint Calendaria, nec ſcio; nec credo.

Habuerunt, non dubito, pro Anno Solari Computum, (quam accuratum, non liquet;) quo, de Æſtate & Hyeme, de Semente & Meſſe judicabant: Sed eorum Feſta, non tam à Solari, quam ab Anno Lunari regebantur; qui nunc Duodecim, nunc Tredecim menſes continebat; quorum initia incerta erant; & ex obſervata (ut diximus) novæ Lunæ phaſi dependebant, & Sacerdotum de hac judicio. Et quidem, ſi tardior fuerit ſpes Meſſis, ſolere dicuntur Sacerdotes, protelare Paſcha in menſem ſequentem.

Atque hæc de die Novilunii incertitudo, pariter afficiebat diem Paſchatis. Mactandus erat (ex inſtituto) Agnus Paſchalis, *decimo quarto die Menſis primi*, & poſtridie inſecuturum Paſchatis feſtum. Cum vero in ambiguo eſt dies primus, pariter in ambiguo erit dies decimus quartus. Et quidem alibi citius, alibi ſerius, obſervandus, (uno aut altero die,) prout hic aut illic obſervata fuerat Lunæ prima phaſis. Chriſtumque novimus cum diſcipulis ſuis, ultimum ſuum paſcha uno die citius celebraſſe, quam Judæos; (ut nullus alteriuſve diei differentia, non tanti habita tunc fuerit, ut cultum vitiaret.) Non poſſet autem, uterque dies, eſſe revera decimus quartus; ſed uterque ſic reputatus, alter à Chriſto, alter à Judæis.

Unde hæc orta ſit differentia (quam alii aliter conciliare ſatagunt) non libet hic diſquirere; ſive quod Chriſtus uno die citius conſpexerat novilunium; ſive quod ille ab ipſo coitu Lunæ, illi à prima phaſi, numeraverint diem decimum quartum; ſive alia quavis de cauſa id factum ſit. Sed, undecunque fuerit, ſatis liquet (mihi ſaltem) non eundem diem ab utriſque celebratum: neutros tamen eo nomine culpatos video. Chriſtum (credo) ne dixerit hic Scriptor culpandum eſſe. Et quidem ego Judæos haud culpandos dixerim; quoniam Divina Providentia rem ſic ordinatam video, ut eo die Chriſtus (Anti-typus, & verus Agnus Paſchalis) crucifigeretur, quo ipſi comederint Paſcha; non eo die quo ipſe comederit. Ego potius ab utroque concluſerim, unius diei differentiam non tanti tunc fuiſſe habitam, ut cultum vitiare cenſeretur.

Quin & hæc de die incertitudo, ſic evenire poſſit, ut etiam de Menſe ſint incerti. Nam ſi Plenilunium contigerit prope ad Æquinoctium (quod ipſum forte non erat tam præcise cognitum quin uno aut altero die erraverint,) ex Sacerdotum arbitrio multum penderet, an menſis decimi tertii præcedentis anni, an primi ſequentis, haberetur illud Plenilunium.

Nec mirum eſt, (etiamſi habuerint Calendaria & Tabulas Aſtronomicas,) quod uno aut altero die, (ſive de Noviluniis, ſive de Æquinoctio Verno,) errare poſſint: cum etiam in noſtris temporibus, (cum Solis Lunæque motus ſint magis comperti,) errari certum eſt.

Nam de *Paſchate noſtro*, eadem fere Regula eſt, quæ de Paſchate Judæorum. Quippe Regula noſtra, ab origine ſumpta, hæc eſt; *Dies Dominicus, qui proxime ſequitur Quartam decimam primi menſis, eſt Dominicus Paſchalis.* Verum cum res ad praxin redigenda eſt; plurimum erramus, tum judicando, Quis ſit Menſis primus, ejuſque dies decimusquartus;

 tum,

tum, Quis ſit dies Plenilunii. Et *Tabulæ* quas habemus *Paſchales*, quibus hac in re dirigeremur, longius à ſcopo nos deducunt, quam ſi nullas haberemus.

Cum enim Civilis Anni longitudinem ſumamus aliquanto longiorem quam oportuit, (quaſi per undecim minuta horaria in quoque anno;) Æquinoctium vernum, quod (eo tempore quo condebantur illæ Tabulæ) contingere cenſebatur vigeſimo primo die Martii; contingere jam comperimus die Decimo. Novilunia item & Plenilunia, quæ ſupponunt illi Canones Eccleſiaſtici, tardiora ſunt, diebus quatuor aut quinque quam quæ in Cœlis comperimus. Unde de Menſe non raro erremus; & de Hebdomade ſæpius. Ut non tantum una aut altera, ſed quandoque tribus, quatuor, aut quinque hebdomadibus erremus. Quodque nobis contingere certum eſt, quidni & illis ſæpe contigiſſe putemus? ut non tantum uno aut altero die, ſed toto menſe (& quod excurrit) errent.

Et quamvis Gregorius VIII Pontifex, jam ante plus quam Centum annos, quadantenus Calendarium rectificavit: Multi tamen, etiam ex Pontificiis, veteri utuntur Calendario; contenti Diem Putatitium (ſecundum Canones) celebrare, pro die vero. Nec minus interim celebratur Reſurgentis Chriſti memoria; quam ſi nullus contigeris error Calculi.

Pariter de Natalitiorum die dicendum; quem nos celebramus Vigeſimo quinto Decembris noſtri; alii, Vigeſimo quinto Decembris ſui; hoc eſt, Decembris noſtri decimo quinto. Cum interim non convenit inter Chronologos, quoto menſis Die, aut quo Menſe natus ſit Chriſtus. Sed neque de Anno convenit; cum alii, uno, duobus, tribus, aut etiam quinque annis prius eſſe natum ſentiunt quam nos reputamus. Et quidem tam in tenebris ſumus, ut annum (verbi gratia) 1692 à Chriſti Circumciſione nos inchoemus à Calendis Januariis; ſed annum 1692 à Conceptione, inchoamus à ſequentis Martii die Vigeſimo quinto: quaſi tribus menſibus citius naſceretur quam fuerit conceptus. At interim Naſcentis Chriſti memoria, pari religione celebratur, acſi de die vero certoque conſtaret.

Et quidem, ſi in minori periodo tanta ſit incertitudo; Ecquis ſpondebit, in tot mille annis ab Orbe condito non unum unquam excidiſſe diem in hebdomadibus computandis; aut ſeriem illam nunquam fuiſſe interruptam?

Quodſi unquam contigerit, quocunque caſu, interruptam fuiſſe hebdomadum ſeriem, certumque diem oblivioni datum; non poſſet (abſque miraculo) poſt reſtitui. Adeoque vel nullum in poſterum foret celebrandum Sabbatum, (eo quod de die non conſtet,) vel (quod ego potius faciendum putaverim, ut quarto Præcepto magis congruum,) à novo principio ordiendum.

Ad quæ omnia (aliaque ejuſmodi) de unius diei (aliter atque aliter reputati) incertitudine; nihil, in *Replicatione* ſua, reſponſum eſt.

Sed & in aliis Inſtitutionibus Divinis, merito judicemus, Circumſtantias nonnullas, quæ ſint Narrationis pars, non item & Inſtitutionis partem eſſe. Sic, verbi gratia, in inſtitutione Cœnæ Dominicæ; quod celebrata fuerit *in ſuperiori camera*, & veſperi *poſt cœnam*, & *à ſolis maribus*, eiſque non magno numero; aliaque ejuſmodi.

Quin & quæ (in prima inſtitutione) Circumſtantialia, fuerint (ut loquuntur) Occaſionalia, (pro temporis locique conſideratione injuncta,) non porro cenſeantur obligatoria, cum temporis locique circumſtantiæ fuerint mutatæ. Quod de *Rechabitis* ſupra monuimus; qui, ingruente hoſte, tentoria ſua reliquerunt, & Hieroſolymam ſe receperunt. Quippe non putandum erat, *Jonadabum* patrem ſuum voluiſſe, ut eo caſu ſe periculo exponerent. Et, in re Paſchatis, quod *ſtantes* comederent, *ſuccinctis lumbis*, *baculoſque habentes in manu*, & *feſtinanter*, ut in procinctu abituri, nec ea veſpera *foras abituri*, Exod. 12. 11, 22. Quæ omnia videmus à Chriſto ſuiſque Diſcipulis, in poſtremo ſuo Paſchate, poſthabita.

Quæ omnia non eo animo dicta ſunt, quod velim cuiquam author eſſe præcepta Dei, etiam in minutis, violandi; (nam & in talibus Deum novimus aliquando ſatis ſeverum; ut in caſu *Uzzæ, tangentis Arcam*; atque *Nadabi & Abihu, efferentium ignem alienum*; ob rationes forte nobis non ſatis compertas:) Sed, quod diſtinguendum cenſeam inter Subſtantialia cultus, & Circumſtantialia; & hæc illis (prout res tulerit) cedere debere. Quo caſu ſiqua culpa ſit (quam emendare nos penes non eſt, aut non ſine majori malo;) locum habebit ea *Hezekiæ* precatio, 2 Chron. 30. 18, 19. *Dominus miſericors, ei ſit propitius, qui animum comparaverit ad quærendum Deum, quamvis non ſit per omnia mundus ſecundum purificationem ſanctuarii.*

Et quidem, (in caſu qui jam agitur,) ſi neſciamus (ut certe neſcimus) quis ſit aut Primus aut Septimus dies hebdomadum continua ſerie ab Orbe condito recurrentium; multo ſatius eſt, quocunque ſeptimanæ die Sabbatum celebrare, quam non omnino; ſcopoque quarti præcepti magis congruum.

Quæ dicta ſunt; partim Cautionis loco, ne ſimus nimis propenſi, levi de cauſa, turbare pacem & receptam praxin totius Eccleſiæ Chriſtianæ.

Partim ut tollam, quod præſumit ille (ſed quod probatu eſt impoſſibile) Septimum diem, in continua ſerie hebdomadum à prima creatione recurrentium, per omnia ſecula abſque interruptione aliqua fuiſſe celebratum; ab Orbe condito ad *Diluvium*, indeque ad *Abrahamum*,

nium, atque inde ad Iſraelitarum ab *Ægypto* exitum, indeque ad *Chriſti* tempora & Apoſtolorum, Quod ego non putaverim cuiquam eſſe cognitum, aut cognoſci poſſe.

Partim ut eis obviam eam quæ ex Quarto Præcepto objicit. *Requies* requiritur, *die ſeptimo poſt ſex dies laboris*; ſed de ſeptimo, in continua ſerie à prima Creatione, jam obſervando, nihil dicitur.

Atque hæc ſunt quæ in lamine diſputabam. Atque ob has cauſas, aliaſque conſimiles, diei differentiam, non tanti momenti rem mihi videri dixeram, ut propterea turbatum irem, pacem & praxin totius Eccleſiæ; etiamſi receptus dies non ille foret quem ego elegiſſem.

CAP. II.

Quem ego diem eligendum puto; & quomodo terminatum. Quam ego velim Eccleſiam non turbandam.

AB hac mea, quam indicaveram moderatione, anſam ſubſumit hic Scriptor dubitandi, Quem ego diem electurus forem, ſecundum ſenſa mea; dicitque, *ſperare ſe, & credere, & judicare, (poſt optimum quod de ſcripto meo judicium ferre poſſit,)* me juxta cum eo ſentire, de ſuo die ſeptimo. *Repl.* p. 2. Et *aperte ſatis inſinuat, pag.* 62. & alibi; *ſuſcepiſſe me defendendam cauſam* (contra mea ſenſa propria) *ob beneficium aliquod mihimet acquirendum, aut retinendum; anſamque cavillandi prehendere, tum contra ipſum, tum contra expreſſam dei voluntatem, Verbumque ſuum; Ingeniumque meum* (ſiquod eſt) *huc intendere, contra meos ipſius in contrarium ſcrupulos dubiaque*, (quæ fervide magis, quam candide dicta ſunt.) Ego contra, quamvis eum errare non dubitem, non dubito tamen quin ille bona fide agat, & ex animo diſputet; nolimque ſiniſtrum tale quicquam inſinuare Nec ſcio, cur ille de me tale quid inſinuaret (de quo ſolitus eſt alias, aliter ſentire,) quam propter illud, *Quod valde volumus, facile credimus.*

Cui ſiniſtræ ſuſpicioni, reponebam (abſque *haſitantia, ſcrupulo, dubiove*) mea ſenſa hæc eſſe;

Electurum me (ſi res optioni meæ permiſſa foret) eum diem, quem credo Apoſtolos obſervaſſe, & Chriſtianam Eccleſiam, ipſorum tempore, atque deinde huc uſque; quem (in contradiſtinctione à Sabbato Judaico) appellare ſoliti ſunt *Diem Dominicum*, & *primum diem Hebdomadis*, aut *primum diem poſt* (Judæorum) *Sabbatum*. Mediamque partem hujus diei, negotiis & rebus agendis potiſſimum deſtinatam, (puta, à Solis ortu ad occaſum,) mediam ego Sabbati partem exiſtimem; aſſumendo, tantundem retro à media nocte proxime præterita, & tantundem prorſum verſus mediam noctem proxime ſequentem, quantum accenſeri ſolet negotiis ſeu rebus agendis, (quem dixerim *Diem Practicum*;) totumque id tempus à præterita media nocte, ad noctem mediam ſequentem, quatenus negotiis impendendum ſit, putaverim (eo die) *negotiis Religioſis* impendendum eſſe, (prout aliis diebus impendi ſolet rebus *Civilibus*;) quodque proxime poſt præteritam mediam noctem, & proxime ante ſequentem noctem mediam, Somno & *Requieti naturali* deſtinari conveniat, ſimili *Relaxationi à negotiis Religioſis* concedendum; & interim *Refectioni Corporis* conſulendum eſſe ut in aliis diebus. Hic eſt quem ego (pro Sabbato) diem elegerim, & ſic terminatum.

Verum, ſi forem ego in *Nova-Anglia*, ubi dicuntur Sabbatum ſuum inchoare ab Occaſu Solis, diei præcedentis, indeque ad diei Dominici veſperam continuare: vellem ego me, tunc ibidem, illorum praxi accommodare, potius quam Offenſam illis aut Turbationem exhiberem. Non enim id exiſtimo Præcepti Quarti negotium eſſe, ad hujuſmodi minutias deſcendere; ſed potius, ut dies Sabbato deſtinatus, ſic reputetur, & ſic limitetur, ut alii dies.

Dum quærit autem, *Quam* velim ego *Eccleſiam* (cujus pacem hac in re turbatum ire nolim) cum *hac ætate plures eſſe dicit Eccleſias diverſa ſentientes*: Non eſt ut ſperet me ad ea litigia diverti velle quæ rem præſentem non ſpectant; nedum ut velim omnes diverſa ſentientium ſententias diſceptare. Ego illam *Eccleſiam* hic intelligo, quam complent Chriſtiani homines plerique omnes; qui, quaſcunque inter ſe alias habent controverſias, in hoc conſentiunt, (paucis admodum exceptis; non tot, ſpero, ut *ipſa Eccleſia* dici mereantur;) *Diem Dominicum* celebrare; non, *Judæorum Sabbatum*. Sed & ipſum pariter interrogare poſſem, *Quaſnam* velit ille *veras Chriſti Eccleſias*, quarum *veram pacem* ſe dicit *nolle turbare*. Spero eum non abjudicaturum omnes quæ Diem Dominicum celebrare ſatagunt.

CAP.

CAP. III.

Status rei inter nos controverſæ. Quænam ego ipſi concedo; Et in quibus diſſentio. Non conſtat, ullam Gentem, exceptis Judæis, ante Chriſtianiſmi tempora; nec Judæos ipſos, ante exitum ex Ægypto; tempora ſua per Hebdomadas diſtribuiſſe. Clemens Alexandrinus & Macrobius, *nil tale memorant; aliive veteres Scriptores Sacri aut Prophani.*

HIS præmiſſis; Ego multa eorum quæ contendit ille, facile conceſſerim.

Aſſentior ipſi (& juxta cum eo aſſero) quod *Dominus noſter Jeſus Chriſtus* (ſecundum Divinam ſuam naturam) *fuerit* (& etiamnum eſt) *Deus*; *Verus* Deus; Deus ille qui *fecit Cœlum & Terram*; qui *Legem dedit in Monte Sinai*. Quamvis enim, in Deitate, dicimus *Tres Perſonas* eſſe, Patrem Filium & Spiritum Sanctum; (ex quibus *Chriſtum* dicimus *Perſonam Secundam, Filium Dei*, vel *Deum Filium*;) dicimus tamen has *tres Perſonas*, eſſe *Unum Deum*. Neque enim alium agnoſco *Verum Deum*, quam hunc *Unicum*; Nempe Deum illum qui *Creavit Cœlum & Terram*; qui eſt *Dominus Jehova*; *Deus Abrahami, Iſaaci & Jacobi*; *Dominus Deus Iſraelis*; *Jehova Dominus eorum, qui ipſos eduxit è terra Ægypti, & Domo ſervitutis, & præter quem non habendus eſt Deus alius*; Deus ille qui *Legem dedit in Monte Sinai*.

Aſſentior item, Quod *Dominus noſter Jeſus Chriſtus*, eſt *hic ipſe Deus, Deus Verus, Unicus Deus Verus*; Quodque ſic fuerit *ante Incarnationem ſuam*. Quatenus autem harum Actionum ſingulæ, ſint huic illive Perſonæ Trinitatis aſcribendæ; non eſt ut nos ſimus admodum ſolliciti. Quod enim, in Novo Teſtamento, huic illive Perſonarum ſpeciatim aſcribitur; id, in Veteri Teſtamento, aſcribi ſolet *Deo* indefinite, abſque tali Specificatione; (cum doctrina *Trinitatis* non fuerit tum temporis tam diſtinctè patefacta prout nunc eſt.)

Sed non concedo *Chriſtum* θεάνθρωπον (*deum & hominem*, prout Patri Spirituique Sancto contradiſtinguitur) feciſſe hæc omnia; quippe qui *tunc* non fuerit *Homo*.

Aſſentior item, Quod, qui *in Sex diebus Mundum condidit*, idem *die Septimo requievit Deus*, Gen. 2. 2, 3. Exod. 20 11. quodque *Diei Sabbati Benedixit*, eumque *Sanctificavit*; quodque (poſt datam legem in Monte *Sinai*) voluerit, ut, poſt *Sex* dies Laboris ordinarii, diem *Septimum*, ut Sanctæ *Requietis* diem obſervaret *Homo*; & quidem in continua ſerie ſucceſſive.

Verum ego malim ſic potius loqui, Quod *Dominus noſter Jeſus Chriſtus, eſt* (ſecundum Divinam naturam) *Deus ille qui diei ſeptimo benedixit*, Gen. 2. Quam, Quod, *Deus qui benedixit Sabbato, eſt Dominus Jeſus Chriſtus*, (ut ille loquitur *Inquiſ.* p. 68. & paſſim alibi; quaſi vim huic locutioni non levem ineſſe ratus:) Quippe tunc non erat *Dominus Chriſtus* (θεάνθρωπος;) neque ut *Chriſtus*, ſed ut *Deus*, benedixit Sabbato; junctim cum Patre & Spiritu Sancto, non ut ipſis contradiſtinctus.

Aſſentior item, *Legem de Sabbato*, unum eſſe ex *Decalogi* Præceptis decem, Iſraeli *in Monte Sinai traditis*, Exod. 20.

Verum ego lubens crediderim, eandem tum ante fuiſſe Legem, quam in Monte *Sinai* traderetur. Tum quia Sabbatum videmus obſervatum Exod. 16. ante datam Legem Exod. 20. Tum maxime, propter id Gen. 2. *Deus benedixit diei ſeptimo, illumque ſanctificavit; quod in eo quieviſſet ab omni opere ſuo quod fecerat.* Quique maxime averſi ſunt a *Moralitate* (ut loquuntur) ſeu *Perpetuitate* Sabbati, ſeu *Diei ſanctæ Requietis*, ſed pro *Sanctitate Locorum* valde ſolliciti; ſibi gratulaturi forent maxime, ſi tam clarum tamque antiquum teſtimonium indicare poſſent pro *Sanctitate Locorum*, quale hoc eſt pro *Sanctitate Temporis*.

Aſſentior item, quod *Lege Decalogi*, (quamvis *Iſraeli* tum ſpeciatim tradita,) Nos etiam obſtrictos eſſe. Quamvis enim nonnullæ ibidem Clauſulæ Iſraelitas directe ſpectent, (utpote illa, *qui eduxi te è terra Ægypti, & domo ſervitutis*; atque illa, *ut prolongentur dies tui in terra quam tibi dat Jehova Deus tuus*, quod de terra *Chanaan* dictum puto, quam dedit *Illis* Deus, non *Nobis*;) ſummam tamen Legis illius, ejuſque partem Præceptivam, alios item ſpectare non dubito; & Nos ſpeciatim inter alios. Quippe Legem Decalogi, exiſtimo, *Declarativam* fuiſſe ejus quæ ante Lex fuerat, (utcunque fuiſſet neglecta aut oblivione impedita;) atque ut talis à Chriſto ejuſque Apoſtolis ſæpius eſt citata, ad Gentiles pariter atque Judæos.

Sed neque cum eo contenderim, an obſervatum fuerit Sabbatum, jam inde à *Creatione* ad Diluvium uſque. Putaverim utique vel tunc fuiſſe obſervatum, vel obſervari ſaltem debuiſſe: Quamvis, in brevicula *Moſis* Hiſtoria illius temporis, vix quicquam occurrat de hujus obſervatione. At vero ſuſpicor, id aut non fuiſſe obſervatum, aut non *Univerſaliter*. Quippe cum *corruperat omnis caro viam ſuam*, Gen. 6. 12. metuo ne Sabbatum ipſum,

ejuſque diei cultus, non magni haberentur. Nec video quidem Gen. 2. 3. *expreſſum Mandatum* (quale poſtulat hic Scriptor pro *die Dominico*) quod foret obſervandum *ſingulis diebus ſeptimis* cujuſque ſeptimanæ *in perpetuum*. Quouſque extendendum ſit quod dicitur, *Benedixit ei Deus, eumque ſanctificavit*, non libet diſputare. Id ibidem *inſinuari* poſſe, non negaverim; ſed non *expreſſe dicitur*, quod *Humanum genus omne, deinceps in perpetuum, celebrare debeat quemque diem Septimum, cujuſque Septimanæ, inde à prima Creatione continue numerandæ*. Sed neque neceſſarium exiſtimo, ut id, à Moſe, *diſerte dicatur*, ſuæque inſeratur Hiſtoriæ, (non magis, inquam, quam quod ſpectat Legem de *Sacrificiis* offerendis,) ſi aliunde conſtet id Deum Voluiſſe. Adeoque nollem hunc Scriptorem, tam preſſe huic inſiſtere, quod *non exiſtat Expreſſum Mandatum, in Novo Teſtamento recitatum, pro obſervando Die Primo*. Sufficit, ſi talis ſit ejuſdem Inſinuatio, ut inde rite judicemus, velle Deum ut obſervetur.

Idem dixerim de tempore deinceps à *Diluvio* ad *Abrahamum*; indeque ad *Exitum Iſraelis ex Ægypto*. Quippe nihil memoratum reperio, de Sabbato ſic obſervato, (vel in Scriptis *Moſis*, vel in libro *Jobi*,) antiquius quam quod habetur Exod. 16. poſt eorum Exitum ex Ægypto, poſtque tempus illud quo dicitur eis *impoſuiſſe ſtatutum & ordinationem in Marah*. Quodnam autem fuerit illud ſtatutum, neſcimus. Scriptores Judæi (ſaltem eorum aliqui) exiſtimare videntur, hoc fuiſſe ſtatutum de Sabbato; vel hoc ſaltem fuiſſe ejuſdem partem aliquam. Fierique poteſt ut tum forte facta fuerit Renovatio Legis de Sabbato, quod tunc abierat in deſuetudinem. Nec quidem videtur veriſimile, quod eorum in Ægypto Exactores voluerint permittere ut otioſi eſſent, operis negligentes, Septimo quoque die.

Nec quidem (in Hiſtoria ſacra aut profana,) ulla video veſtigia, quod Gens ulla, præter ipſos Judæos, (per multa ſecula poſt id tempus de quo jam agitur,) tempus per Septimanas menſuraverint; nedum Sabbatum obſervaverint.

Scio quidem non paucos Eruditos, eoſque Pios Viros, id ſedulo egiſſe, ut ſiquid poſſent deprehendere quod huc ſpectare videatur, id avide captarent. Nec mihi foret ingratum ſi poſſet id liquido conſtare. Sed nihil hactenus vidi, quo id mihi certo conſtet.

Conſului *Clementem Alexandrinum*, quæque habet ille in *Stromatum* libro quinto; qui (quantum ſcio) omnium diligentiſſime ſcrutatus eſt Ethnicorum ſcripta in hunc finem. Qui hoc ſibi in eo opere propoſitum habuit, ut oſtenderet, Scriptores Ethnicos Philoſophiæ ſuæ magnam partem hauſiſſe ab ea quam vocat *Philoſophiam Barbarorum*, quo nomine deſignat *Eruditionem Hebræorum*; (nam Græci, præter ſeipſos, vocabant alios omnes *Barbaros*:) atque, inter alia, notat numerum *Septenarium* etiam ab Ethnicis cum aliquali veneratione memoratum: quod accidiſſe putat propter hunc numerum à Sacris Scriptoribus ſæpe memoratum; & ſpeciatim propter eorum Sabbatum, tempuſque per *Septimanas* diſtributum. Sed nullatenus innuit exiſtimaſſe ſe, quod ſic tempus ſuum diſtribuerint Ethnici, aut Sabbatum obſervaverint; (quod certe dicturus foret ſi id ſciverit;) id tantum hinc inſinuans, Quod Eruditionis Judaicæ non fuerint ignari, ſed inde hauſerint ſuorum multa.

Id quod inde mihi ſpem maximam fecerit, (quodque à pluribus hanc in rem allegatum viderim,) eſt illud *Heſiodi*, καὶ ἑβδόμη, ἱερὸν ἦμαρ, (*Septimuſque dies Sacer*.) Cum vero *Heſiodi* locum conſulerem, qui eſt in opere cui titulus ἔργα καὶ ἡμέραι, (in cujus poſteriori parte *de Diebus* agitur;) Nihil quicquam occurrit inibi de *Septimanis*, ſeu *Dierum Hebdomadibus*, aut *Diebus Septimanæ*; ſed de *Triginta Menſis diebus*: Nempe, quinam dierum Menſis, ſint dies *Fauſti*, quinam *Infauſti*, ſeu *Inauſpicati*; &, quibus rebus, tales ſint. Sic utique orditur;

Ἤματα δ' ἐκ Διόθεν πεφυλαγμένος, εὖ κατὰ μοῖραν
Πεφραδέμεν δμώεσσι, τριηκάδα μηνὸς ἀρίστην
Ἔργά τ' ἐποπτεύειν, ἠδ' ἁρμαλιὴν δατέασθαι.

Dies qui ex Jove ſunt obſervans, ſecundum decorum, præcipe ſervis; Trigeſimam Menſis (nempe exeuntis, quæ & ineuntis prima eſt, ἔνη καὶ νέα) *optimam eſſe operibus inſpiciendis, & demenſis dividendis*. Et (poſt aliquot verſiculos)

Πρῶτον ἔνη, τετράς τε, καὶ ἑβδόμη, ἱερὸν ἦμαρ,
Τῇ γὰρ Ἀπόλλωνα χρυσάορα γείνατο Λητώ.

Principio; prima, quarta, ſeptima ſacra dies, hac enim Apollinem, qui enſem habet aureum, peperit Latona. Ut videatur *Diem Septimum* fuiſſe *Diem Solis*. (Nam, *Apollo enſem habens aureum*, idem eſt qui alio nomine *Sol* dicitur.) Sed eſt, *dies Menſis Septimus*, non *Septimus Hebdomadis*: (Nam *Hebdomadum* ibi nulla mentio.) Indeque procedit ad *Menſis* diem *Octavum*, & *Nonum*; indeque ad *Undecimum*, *Duodecimum*, *Decimum-tertium*; & ſequentes aliquot *Menſis* dies; oſtendens, quinam cenſeantur *dies Fauſti* (& quibus negotiis) & quinam *Infauſti*. Ut nihil hinc concludi poſſit de *Hebdomadis* die ſeptimo, aut de obſervatis dierum *Hebdomadibus*, temporiſque per *Hebdomadas* diſtributione.

Quidquod *Heſiodus* ipſe, quamvis ſit unus ex antiquiſſimis quos habemus Scriptoribus Ethnicis, eſt tamen multo poſterior ea ætate de qua jam agitur; ut qui vixiſſe putatur circiter *Uzziæ* tempora, ſeptingentis ſaltem annis poſt Iſraelis ex Ægypto exitum.

Sed & *Clemens Alexandrinus*, cum numeri *Septenarii* mentionem facit, non ullam hujus

ortam venerationem innuit, quaſi ab Antiqua aliqua *Traditione*, (ſive ab *Adamo*, ſive à *Noacho*;) ſed à communicatis Judæorum libris, ætate poſt ſequente, multa poſt ſecula ſcriptis.

Neque aliud quicquam reperio, in eis quæ citat *Clemens Alexandrinus*, quod ad hanc rem ſit magis appoſitum, quam eſt illud *Heſiodi*. Quin ſicubi reperiſſet ille quicquam, inter ſcriptores Ethnicos, de ipſorum *diſtributione temporis per Hebdomadas*; non dubium eſt quin illud memoraſſet ut ab Hebræorum doctrina derivatum; quam ille rem tunc inveſtigare ſatagebat: Cumque ipſe nil tale ſuggerit; putandum eſt nec tale quid ab eo repertum eſſe.

Et quidem *Macrobius*, hujuſmodi rerum diligentiſſimus inveſtigator; cum de Annis, Menſibus, Diebus, Feſtis, Dierum diſcriminibus, faſtis, nefaſtis, intercisis, Calendis, Nonis, Idibus, Nundinis, aliiſque, ſedulus inquirit (in Saturnaliorum libro primo, per plura Capita;) de Hebdomadibus (ſeu Temporis per dierum Hebdomadas diſtributione) nil habet, (nedum de dierum hebdomadis Nominibus;) quod nullatenus omiſſurus fuiſſet, ſi talis fuerit apud Veteres Romanos temporis diſtributio. De Nundinis quidem, hoc eſt Novendinis, (Nono quoque die continue recurrentibus) agit; ſed, de Hebdomadibus, altum eſt ſilentium.

Nec uſquam reperio quicquam de hujuſmodi Hebdomadibus ab ulla Gente (ante Chriſtianiſmi tempora) obſervatis, niſi à ſolis Judæis; ſed neque ab illis, niſi poſt exitum ex Ægypto.

Non negem quidem quin poſterioribus Ethnicis (puta *Luciano*, *Juvenali*, aliiſque,) nota fuerint Judæorum Sabbata, & *riſui* expoſita, (*recutitaque Sabbata pallent*;) ſed ab ipſis fuiſſe obſervata, aut ipſos ſua tempora per hebdomadas diſtribuiſſe, non eſt quod exiſtimemus.

Et quidem ſi demus; à Patriarchis ipſis, (in quorum familiis poſt orbem conditum perſeveraverit veri Dei cultus,) fuerit olim aliquando *Sabbatum* aliquod per aliquot ſecula obſervatum, (de quo tamen non conſtat;) hoc eſt, *Poſt Sex laboris ordinarii dies, Septimus Requieti Sacræ datus*; dubitari tamen poſſit, an fuerit ille, ſemper & ubique, ipſiſſimus ille Septimus in continua ſerie ab Orbe primum condito recurrens; nulla unquam vel omiſſione vel interruptione habita jam inde ad hunc diem.

Cumque (graſſante alibi impietate) verus veri Dei cultus aliquando ad unam aliquam familiam redactus fuerit; (quod *Noachi* tempore contigiſſe certum eſt, neſcio an & alias aliquoties;) ſintque in piis familiis non raro neglectus nimii: Ecquis ſpondere poſſit nunquam irrepſiſſe neglectum Sabbati?

Circumciſionem interruptam fuiſſe conſtat, in Deſerto, per annos quadraginta, Joſh. 5. 5. Et Feſtum *Paſchatis* magna ex parte neglectum, à diebus *Samuelis* ad *Joſiam* uſque, 2 Chron. 35. 18. Saltem à diebus *Salomonis* ad *Hezekiam* uſque; 2 Chron. 30. 26. Et Feſtum *Tabernaculorum*, à *Joſhuæ* temporibus ad *Nehemiam*, Neh. 8. 17. Cumque hæc ita fuerint neglecta dum liberi erant; quanto magis putemus negligi potuiſſe Sabbatum, ſi non alias, in Ægyptiaca ſaltem Servitute? Quin & hic Scriptor, *Inquiſ.* p. 63. neglectum fuiſſe dicit Sabbatum, *tum ante, tum ſub captivitate Babylonica, longo tempore, factumque diem Mercatus, ut erant dies alii*; (pariter ac *Templum* fuiſſe factum *locum mercimonii*, notat Chriſtus, Math. 21. 12, 13. Joh. 2. 14, 16.)

Quodſi aliquando fuerit, quocunque caſu, interrupta Sabbati obſervatio, ita ut diei inceſſerit oblivio, (quod nunquam fuiſſe factum, conſtare non poteſt;) non poſſet (abſque Miraculo, aut nova Revelatione) poſt reſtitui, quantum ad ipſiſſimum diem qui Septimus foret in hebdomadum continua circulatione ab Orbe primum condito. Poſſet quidem Feſtum Paſchatis aut Tabernaculorum, poſt multorum annorum interruptionem, reſtitui; ope Solis & Lunæ, quibus Anni Menſiſque initia ſatis determinantur; ſed non item initia Hebdomadum; præſertim ea ætate qua Solis Lunæque motus minus fuerint accurate cogniti, nec haberentur Ephemerides quales nunc habentur.; & ne quidem Scribendi mos (quantum ſcimus) erat antiquior Moſe; nec ſubſidio eſſe poſſent vicinæ gentes (quæ non per Septimanas diſtribuebant tempora, quod nunc fit,) ſiquando juſti diei fuerit oblivio. Adeoque, quo caſu hoc contigerit, neceſſe eſt ut, deinceps, vel nullum foret obſervandum Sabbatum, (quod quarto præcepto non congruit,) vel à novo principio, ſeu Epocha, ſumenda foret Hebdomadum circulatio. Quod fuiſſe factum videtur Exod. 16. cadente *Manna*.

Quæ non ideo dicta ſunt omnia, quod elevare velim authoritatem quarti præcepti, aut primariæ Sabbati inſtitutionis, aut obligationis de Sabbato à nobis obſervando, (cui ego non minus faveo, quam Scriptor hic, qui de Judæorum die Septimo tam eſt ſolicitus:) Sed ut oſtendam quam omnino nulla poſſit eſſe certitudo (& vix conjectura quidem) quis primus ſit, aut quis ſeptimus dies, in continua circulatione Hebdomadum ab Orbe primum condito ad hunc ipſum diem; quo cardine verſatur tota Scriptoris hujus controverſia de recepto die jam mutando. Adeoque non putaverim, Quarti Præcepti vim in eo ſitam eſſe, ut ipſiſſimus dies ſeptimus à prima creatione continue recurrens obſervetur (quem ego cognitu impoſſibilem exiſtimo;) ſed potius, ut, poſt Sex dies laboris ordinarii, ſuccedat

Septimus

Septimus Sacræ Requietis; idque in continua circulatione. Et propterea nollem (quod dixi) eo nomine, turbare pacem & receptam conſuetudinem iſtius (ubi ego vixerim) Eccleſiæ. Qua de re jam ante dicta ſunt nonnulla, & poſt dicenda plura.

CAP. IV.

Quæſtio diſcutienda, eſt Bimembris; De Die Dominico, De Sabbato Judaico. De Die Dominico obſervando, nullum videtur fuiſſe dubium, tempore Apoſtolorum. De Sabbato Judaico, ea moderatio adhibenda quæ de Circumciſione & Ritibus Moſaicis. Diverſa ratio Judæorum & Gentium hac in re.

SED, miſſis hiſce Velitationibus, aggrediamur id quod diſcutiendum proponit hic Scriptor. Ubi duplex occurrit Quæſitum; (quamvis ille pro ſimplici habeat:)

Primo, An nobis ſufficiens ſuppetat authoramentum, pro *Die Dominico*, ſeu Hebdomadis die *Primo* obſervando; prout apud Judæos tum temporis, aut apud nos nunc dierum, numerantur dies.

Secundo, An teneamur etiamnum, *Judaicum Sabbatum*, ſeu *Diem Septimum*, item obſervare.

Horum primum, nullatenus fuiſſe controverſum credo, temporibus Apoſtolorum; ſed univerſaliter admiſſum à Chriſtianis omnibus. Quippe cum admiſſum fuerit, Apoſtolós à Chriſto authoritatem accepiſse, de conſtituenda & ordinanda Eccleſia Chriſtiana; atque ab eo edoctos (per illos quadraginta dies, quibus, poſt Reſurrectionem ejus, cum illis manſerit,) quomodo id factum vellet: Nulla videtur ratio, cur, de obſervando *Die Dominico* magis hæſitarent, quam de introducendo *Baptiſmo*, & *Cœna Dominica*, & inſtituendis *Presbyteris*, *Diaconis*, *Epiſcopis*, aliiſve in Eccleſia *Officiariis*, totoque *cultu Chriſtiano*. Adeoque nullam hac de re Controverſiam aut Diſputationem ortam videmus, ſed ſilenti tacitaque praxi conformes Chriſtianos, ut in illis alteris articulis. Si dubitet hic Scriptor, An *Sabbati* nomine dignandus ſit hic dies; hæc mera eſt Logomachia. Permittam ego, modo id nominis ei minus placeat, ut vocetur *Dies Dominicus*. Ego quidem *Sabbatum* eſſe non dubito, ſub intuitu *Quarti Præcepti*, (utpote Sacræ Requieti deſtinatum poſt Sex dies laboris ordinarii.) Ipſumque hunc Scriptorem video aliquoties, *Sabbati* nomen indulgere (præter diem Septimum) aliis diebus, quam qui in Sacris Literis ſic vocantur.

De altero Quæſito; eodem plane ſtatu rem fuiſſe judico, quo fuerit de *Circumciſione*; de Judæorum *Paſchate*, aliiſque illorum *Feſtis*; de *Purificationis* Ritibus; atque à *Cibis Abſtinentia*; aliiſque rebus, de quibus agit *Lex Ceremonialis* Judæorum. Quorum quidem tenaces erant, qui de lege Moſaica fuerint Zelotæ. Quique ſe obſtrictos putaverint, una cum *Baptiſmo*, *Circumciſionem* retinere, (*Circumciſos* pariter & *Baptizatos* eſſe;) non dubium eſt, quin, cum *Die Dominico*, putaverint etiam *Sabbatum Judaicum* obſervandum eſſe. Hunc utique tum fuiſſe *Statum Quæſtionis* arbitror; quem & nunc renovatum ire videtur hic Scriptor.

De hac poſteriori Quæſtione; ſuadet Apoſtolus, mutuam Ἀνοχὴν & moderationem obſervandam; ut quiſque ſic ſua ſenſa ſequatur, ut non ſit interim de aliis iniquus cenſor; uſque dum, per tempus & otium, de Libertate Chriſtiana plenius edocti forent. Neque hoc tantum *Judæis* indulget aliis, ut rituum ſuorum obſervantes eſſent; ſed & ipſe (ne ſcandalo eſſet) quadantenus obſervat; ut *res licitas*, non ut *neceſſarias*.

Judæis, inquam, hoc indulget; utpote quibus hæc olim *Lex* fuerat. Sed non item *Gentilibus*; quibus novum hoc induci Jugum non patitur, cui ne olim ſubjugati fuerant. Quam quidem diſcriminationem (Gentilium à Judæis) oppido notandam, à me alibi dictum eſt.

CAP. V.

De Die Dominico celebrando, juſta nobis ſuppetit Authoritas. Expreſſum Mandatum, Sacris literis memoratum, non eſt Neceſſarium. Nullum tale de Primo Sabbato, Gen. 2. Nec, ætate prima, de Sacrificiis: Aut de rebus Oleo conſecrandis: Igneve ad ſuffitum ab Altari ſumendo: Aut de animalibus mundis & immundis: De fœminis ad Sacram cœnam admittendis: Et Infantibus baptizandis. Nec mandata Chriſti. Apoſtolis facta de inſtituenda Eccleſia Chriſtiana.

DE duobus hiſce Quæſitis ſeparatim dicturus ſum. Et primo quidem; Quod *Sufficiens nobis ſuppetit fundamentum, pro Die Dominico celebrando.*

Quod in contrarium ſuggerit hic Scriptor potiſſimum, hoc eſt; Quod non habetur *Expreſſum aliquod Mandatum, in Sacris Scripturis conſcriptum, de Die Dominico obſervando.* Cui ego hæc duo repono. 1. Quod non eſt neceſſarium, ut habeatur *Expreſſum Mandatum ſic conſcriptum*: Sufficit ſi alias innoteſcat, id Deum voluiſſe. 2. Quod alias ſuppetit *competens Indicium Divinæ Voluntatis* hac in re.

De Priori; Objicitur, Quod *non, in Scripturis, diſerte dicitur, Apoſtolos tranſtuliſſe Sabbatum, de die Septimo in diem Primum.* Nec exſtat, in Scripturis, *Expreſſum Mandatum* hac de re.

Sed id non eſt de quo jam agitur. Quippe hoc *Complexum* eſſe Quæſitum jam diximus; cujus nos membra ſeparatim inquirimus. Qui *utrumque* diem putantur aliquandiu obſervaſſe; non putandi ſunt exiſtimaſſe, (ſaltem non acriter contendiſſe,) *Tranſlatum* fuiſſe Sabbatum de die in diem; ſed ſaltem, *obſervandum eſſe diem Primum*; quicquid ſit de *Septimo*; quod eſt Quæſiti membrum alterum.

Quod *non, in Scripturis, diſerte dicitur, Apoſtolos tranſtuliſſe Sabbatum, de die Septimo in diem Primum,* (ut ait ille;) omnino verum eſt. Sed *nec diſerte dicitur,* (*in Scripturis,*) diem *Dominicum* non eſſe Diem *Septimum.* Ego quidem me fateor exiſtimare, noſtrum diem *Dominicum*, alium eſſe diem à Judæorum *Sabbato*, die ſuo *Septimo*; Nempe, quoniam exiſtimo diem vel à Chriſto, vel ab Apoſtolis ſuis, (ipſo monente,) fuiſſe mutatum; (quod ſi fecerint, non dubitandum eſt quin authoritate juſta id fecerint; nobiſque pariter faciendum erit.) Quodſi non fecerint, (egoque erraverim ſic exiſtimando;) necdum mutatum eſſe putaverim. Nam, poſt Apoſtolorum tempora, primitus mutatum fuiſſe Sabbatum non exiſtimo. Nos (quantum ſcimus) eundem diem pro Sabbato celebramus, quam celebraverint illi: Sive ſit ille dies Primus, ſive Septimus. Adeoque ſive mutaverint illi, ſive non mutaverint, nos utcunque in tuto ſumus, dummodo eundem cum illis diem celebramus. Nec poteſt quiſquam certo dicere, num Primus ſit an Septimus; niſi quatenus *communi traditione* cenſetur, Eccleſiam Chriſtianam idem continue celebrare voluiſſe Sabbatum, quod obſervaverint Apoſtoli, totaque (eorum tempore) Eccleſia Chriſtiana. Quippe *communi traditione* nititur utrumque.

Quin & multa poſſunt, ex Sacris Scripturis, *recte concludi*; quæ non inibi *diſerte dicuntur*; multaque fuiſſe facta, etiam in rebus divinum cultum ſpectantibus, quæ non, *diſerte dictum*, fuiſſe facta: multaque hominibus fuiſſe à Deo injuncta, de quibus *Expreſſum Mandatum* non exſtat. Ut *expreſſum mandatum*, non ſit ſemper neceſſarium.

Nuſquam *diſerte dicitur*, in *Sacris Literis*, quod (poſt Primum Sabbatum, à Deo obſervatum, *Gen.* 2. 2.) aliud fuerit Sabbatum à quoquam hominum obſervatum ante illud Exod. 16. (Quod non niſi poſt *Bis-mille & Quingentos annos* contigit.) Vult tamen hic Author (& acriter contendit) ut putemus, Sabbatum fuiſſe (per totum id temporis) *continue obſervatum*, & quidem *imperatum*; quamvis nec id *diſerte dictum*, nec tale exſtat *expreſſum mandatum*. Sed illi ſufficit *levis inſinuatio*, aut etiam *præſumptio*, dum à nobis poſtulat *Expreſſum Mandatum*.

Dicitur quidem *Deus, quieviſſe die Septimo ab omni opere ſuo quod fecerat,* (hoc eſt, à creando ceſſaſſe;) ſed non dicitur, quod, *ab opere ſuo, quievit Homo*; nec, quod ei *injunctum* erat ut quieſceret. Dicitur *Deus, benedixiſſe diei ſeptimo, eumque ſanctificaſſe*; (quid hiſce vocibus inſinuetur, non diſputo; nec velim earum vim extenuare;) ſed non dicitur *Homo*, vel *benedixiſſe* vel *ſanctificaſſe*, neque quod ei *injunctum* erat id facere. Dicitur *Deus, illo die Septimo ab opere ſuo quieviſſe*; ſed non dicitur, *repetiiſſe* diei Septimi *Quietem*, magis quam repetiiſſe Sex dierum Opera. Et quidem, ſi *Homo* diem illum Septimum ut ſacrum celebraverit; non tamen dicitur ille, diem *quemque* Septimum, continue recurrentem, obſervaſſe; nedum obſervandum eum eſſe ad finem uſque mundi; & quidem *eum ipſum diem* (in continua hebdomadum circulatione) *non alium quemvis*; quodque inchoandus ſit ille dies (in perpetuum) eo ipſo labentis diei tempore, quo creditur Deus ſuum opus inchoaſſe (quod contendit hic Scriptor,) aut eo momento quo in Paradiſo ceſſaverit Deus

ab

ab opere ſuo, (quamvis eo momento, alicubi terrarum, agebatur quotacunque hora diei.) Et quidem ſi velit ille nos putare (quoniam ille ſic putat) hæc omnia (ſaltem implicite) ibidem contineri ; hoc tamen longe abeſt ab *Expreſſo Mandato*, (quod Humanum genus omne, per omnia deinceps tempora, teneatur, celebrare quemque diem Septimum, in quaque dierum hebdomade continue recurrentem, à primo creationis momento numeranda.) Hæc autem omnia (ſecundum illum) oſtendenda forent *expreſſe mandata* ; aut concedendum erit, aliquid *minus quam expreſſum mandatum*, ſufficere poſſe juſtificandæ noſtræ diei Primi celebrationi ; Deique voluntati ſignificandæ.

Certum eſt ; quod *Cultus Dei per Sacrificia*, jam inde à Mundi primordiis inolevit, (ſaltem à diebus *Caini* & *Abelis* ;) eaque Deo fuiſſe accepta & approbata, (ſaltem *Abelis* illud :) Sed nullum exſtat (illis antiquius) *expreſſum mandatum, in Scripturis conſcriptum*, quo tale quid imperatum eſt. Nec tamen puto, Scriptorem hunc exiſtimare, hanc fuiſſe puram putam ἐθελοθρησκείαν, ſponte ſuſceptam, abſque ulla vel inſtitutione vel inſinuatione divinæ voluntatis ; ſed id potius inſinuatum fuiſſe colligendum, (quod approbatum videamus,) quamvis id non ſit diſerte dictum.

Idem dicendum de *Statua*, affuſo *Oleo*, à *Jacobo* conſecrata, Gen. 28. 18. Quamvis, de Rebus vel Perſonis *Oleo* conſecrandis, nullum exſtat (ante ea tempora) mandatum, in Sacris Literis conſcriptum.

Putandum item eſt, mandatum aliquod exſtitiſſe, (aut quod mandati inſtar eſſet,) quod *Ignis ab Altari ſumendus erat*, ad Suffitum adolendum ; (eo quod *Nadab* & *Abihu* plecterentur, propter *oblatum alienum ignem* ;) nec tamen *diſerte dicitur*, tale prius exſtitiſſe *mandatum*.

Erat item, jam ante Diluvium, *Animalium Mundorum & Immundorum diſcrimen* ; Gen. 7.2 Gen. 8. 20. Et quidem à Deo approbatum ; (quod ex eo liquet, quod ex illis *Septena*, ex his *Bina*, in Arcam miſerit.) Et putandum eſt, Authore Deo, id factum eſſe diſcrimen. Nullum tamen (quod ſcio) *præcedens Mandatum* exſtat de hoc diſcrimine faciendo.

Nec dubium eſt quin Apoſtoli fuerint, à Chriſto, ſufficiente poteſtate muniti, & monitis edocti, de conſtituenda Eccleſia Chriſtiana, eaque ordinanda, (dum *ipſis mandata dedit, de rebus ad regnum Dei ſpectantibus*, Act. 1. 2, 3.) Quamvis ea *mandata* non ſint in Sacris Literis conſcripta. Nullum exſtat ad eos Mandatum Chriſti, de conſtituendis *ſeptem Diaconis*, Act. 6. Aut de *Ordinandis Presbyteris in ſingulis Eccleſiis*, Act. 14. 23. Aut de *mandatis Timotheo dandis*; de ordinandis *Epiſcopis & Diaconis*, in *Epheſina* Eccleſia, 1 Tim. 3. Similibuſque *Tito* datis, de *ordinandis* (in *Creta*) *Presbyteris*, *pro quaque civitate*, Tit. 1. Sed, cum hæc ab illis facta fuerint, præſumendum eſt, eos hac poteſtate inſtructos eſſe ; niſi velimus Eccleſiæ Chriſtianæ totam Oeconomiam convellere. Et ſpeciatim, de obſervando *die Dominico* ; cum conſtet eum fuiſſe obſervatum, (ut poſt oſtendetur,) non dubium eſt, quin ad id fuerint ſufficiente authoritate inſtructi.

Nullum eſt (quod ſciam) *peculiare Mandatum*, de *Baptizandis Infantibus*, neque etiam *diſerte dicitur*, Infantes tum fuiſſe Baptizatos. Non autem hinc concluſurum credo hunc Scriptorem, Infantes aut non fuiſſe Baptizatos, aut non debuiſſe Baptizari.

Neque ullum exſtat mandatum ſpeciale, de *Fœminis ad Sacram Cœnam admittendis* ; nec eas ſic admiſſas fuiſſe *diſerte dicitur*, (non magis quam ad Circumciſionem olim :) Nemini tamen dubium eſſe credo quin recte admittantur ; hoc non obſtante ſilentio.

Novimus utique *Infantes*, ut *Eccleſiæ Dei membra* reputari, ante adventum Chriſti ; (eoque nomine circumciſos & fœderatos, Gen. 17. 7, 9, 10. Deut. 29. 10, 11, 12.) nec putandum eſt, voluiſſe Chriſtum eos inde ejectum ire ; eorumque ſortem ipſius adventu deteriorem facere, quam ante fuerit ; ſed potius eorum ampliatum ire privilegia. Atque Infantes, ut tales, complectitur Chriſtus, *Mar.* 10. 13, 14, 16. Unde colligitur, eoſdem nunc, per *Baptiſmum*, initiandos eſſe in Eccleſiam *Chriſtianam*, ut ante fuerant, per *Circumciſionem*, in Eccleſiam *Judaicam*. Cumque *integras Familias* baptizatas legimus aliquoties, (nulla mentione facta de Infantibus excluſis,) merito cenſeamus, in familiarum earum ſaltem aliquibus, fuiſſe Infantes, eoſque cum reliquis Baptizatos. Quippe hoc videtur vero ſimilius, quam non fuiſſe. Nobiſque, in talibus caſibus, faciendum eſt, prout merito judicemus fuiſſe factum.

Cumque eadem videatur ratio, de admittendis *Fœminis*, pariter ac *Maribus*, ad *Sacram Cœnam*, (ut ante fuerant admiſſæ ad Feſtum *Paſchatis*,) nihilque occurrat in Sacris Literis cur cenſeamus fuiſſe excluſas : merito & has admittimus, (ut quod videatur voluntati Divinæ magis conſonum, ſecundum ea quæ nobis hac in re innoteſcunt ;) quamvis in Sacris Scripturis neque habemus *Expreſſum Mandatum* ; neque id factum fuiſſe *diſerte dicitur*.

Pari jure ; non concludendum erit, Chriſtum, ejuſve Apoſtolos, non transtuliſſe Sabbatum de die *Septimo* in diem *Primum*, (ſaltem, non inſtituiſſe *diem Dominicum*,) eo quod non exſtet *Expreſſum Mandatum*, neque id *diſerte dicatur* ; ſi aliunde merito judicemus, id fuiſſe factum : Saltem, ſi merito putemus magis eſſe veriſimile, quod factum fuerit, quam

quod non fuerit. Sufficiat nobis, ſi quomodocunque nobis innoteſcat Dei Voluntas, ſive *expreſſo mandato* id fiat, ſive alias inſinuando. Neque enim magis tenetur Deus, ut, quo nos velimus modo, id ſignificet; quam ut Phariſæis indulgeret Chriſtus, ut, quo ipſi vellent ſigno, teſtatam faceret illius authoritatem. Mat. 16. 1, 2, 3, 4.

CAP. VI.

Aliunde ſuppetit ſufficiens auctoramentum. Reſurrectio Chriſti, memoratu digna. Chriſti Praxis, & Apoſtolorum, & Eccleſiæ Primitivæ. Exemplum Primum, ipſo Reſurrectionis die. Objectis reſpondetur.

JAM vero (quod ſecundo loco ſuſcepimus oſtendendum) multa ſunt unde judicemus, ab ipſo Chriſto, ſuiſque Apoſtolis, inſtitutam fuiſſe *Diei Dominici* obſervationem: (Quicquid ſit de die Septimo; de quo poſtea conſiderandum erit.)

Reſurrectio Chriſti, nobis perhibetur, ut id quo completur opus integrum *Redemptionis* noſtræ. Rom. 8. 34. *Chriſtus qui Mortuus, imo potius qui eſt à Mortuis Suſcitatus* Et Rom. 4. 25. *Morti traditus eſt propter Peccata noſtra, & Suſcitatus propter Juſtificationem noſtram.* Atque ad eundem ſenſum alibi. Quod quidem eſt *Beneficium, Memoratu dignum.* Adeoque non incongruum ut *ſolenni Commemoratione* celebremus; ſaltem ſi, ab ipſius *Chriſti* ejuſve *Apoſtolorum* praxi, occurrat quicquam, quod huic faveat. Quippe cum magna pars *Conſtitutionis Chriſtianæ*, nitatur *Apoſtolorum praxi, Eccleſiæque Primitivæ* (dum ipſi vixerint) & continue ſequentis. Hujuſque Diei obſervati, multa nobis ſuppetant Exempla.

Exemplum primum eſto illud Chriſti; qui ipſo *Reſurrectionis* die, *Hebdomadis die Primo*, ſeu *Primo die poſt* (*Judæorum*) *Sabbatum*, apparuit primum *Piis Mulieribus*, ipſum ad Sepulcrum quærentibus; Eiſque *Declaravit Reſurrectionem* ſuam, Marc. 16. Luc. 24. Joh. 20. (hoc eſt, *Prædicavit* ipſis novam *Doctrinam*, cujus non ante fuerant ſatis gnaræ,) Juſſitque, ut eam *Diſcipulis ſuis* indicarent. Quod cum ipſæ ſtatim feciſſent; *Petrus* & *Johannes* (à reliquis) *Sepulcrum protinus adierunt*, & *rem ita eſſe* compererunt, cæteriſque renunciarunt. Quod procul omni dubio ſerias ipſis piaſque induxit cogitationes, expectantibus, quis foret hujus rei exitus, & quo tenderet.

Deinde ſe ſocium dedit duobus diſcipulis, *Emaunta* proficiſcentibus, *Luc.* 24. (num duobus ex ipſis duodecim, non liquet; nec multum refert, an fuerint necne;) quos invenit *piis ſermonibus* occupatos. His *Prædicavit* (*ex Moſe & Prophetis omnibus*) *de Morte ſua & Reſurrectione* doctrinam, *ver.* 25, 26, 27. *Exponens ipſis, in omnibus Scripturis, res ad ipſum ſpectantes*, *ver.* 27. (Quam ego *Prædicationem* eſſe judico.) *Adaperiens ipſis Scripturas*, ver. 32. Cum ipſis aliquandiu *Emaunte* manſit. Celebravit cum ipſis *Cœnam Dominicam*, (prima forſan vice poſt ejus inſtitutionem.) Sic utique dicitur, *ver.* 30. *Et factum eſt cum accubuiſſet cum eis; cum panem ſumpſiſſet, benedixit; &, cum fregiſſet, tradidit eis*; & ver. 35. *innotuit ipſis fractione panis*: (quo nomine tunc ſolebat *Euchariſtiæ* celebratio inſinuari.) Quæ omnia ſunt *Exercitia Sabbatica*, quamvis id ipſi fortè tum non animadverterint. Atque ſi Scriptor hic oſtendiſſe poſſet tale quid, per primos illos annos (poſt primum Dei Sabbatum) bis mille & quingentos, ſaltem ſemel fuiſſe præſtitum, *die Septimo*; foret illud uberius teſtimonium, de *Sabbato diei Septimi* tunc obſervari ſolito, quam ea omnia quæ ad hoc probandum inducit ille. Hujuſque *Prædicationis* hic effectus erat, ut *adaperti fuerint eorum oculi, dixerintque alter ad alterum; Nonne cor noſtrum ardebat in nobis dum loqueretur nobis in via, & adaperiret nobis Scripturas.* ver. 31, 32 *Et ſurgentes* (*eadem hora*) *reverſi ſint Hieroſolymam; ipſiſque Undecim* (*ibidem congregatis*) *expoſuerint quæ geſta erant in via, & quomodo ipſis agnitus fuerit in Fractione panis.* Quæque inde facta ſunt, poſt dicentur.

Suggerit ille, Iter hoc, ab *Hieroſolyma*, *Emaunta*, (ſtadiorum circiter Sexaginta, milliarium noſtratium fore Octo,) eundo & redeundo, *itinere Sabbatico* plus eſſe. Et quidem fateor id eſſe, (niſi urgente aliqua occaſione,) ſi tum noviſſent hoc eſſe Sabbatum, cum *iter illud ſuſceperint*: Sed id illi tum neſciebant; neque erat, ea occaſione, violatio Sabbati.

Si dicat, *Chriſtum id noviſſe* (utut ipſi neſciverint) ſi tum fuerit Sabbatum: Hoc itidem verum eſt. At ego putaverim, Chriſtum eo quo tunc fuerit ſtatu (poſt Reſurrectionem) poſſe, *abſque Labore*, iter facere: adeoque abſque Violatione Sabbati. Aut etiam, ſi Laborioſum eſſet; ait ipſe *Mat.* 12. 5. *Sacerdotes in templo Sabbatum profanare, ſed inculpabiles eſſe*: hoc eſt, tantum laboris ſuſtinent, occidendo, præparando, & offerendo Sacrificia, quantum aliis alibi foret profanatio Sabbati; (puta, Lanio alicui in arte ſua occupato;) ſed non item Sacerdotibus, quoniam eorum eſt *Religioſus Labor*. Neque dixerit hic Author, Concionatorem, *Prædicando*, (quamvis hic *Labor* ſit,) violare Sabbatum. Talis abſque fuit hic Chriſti Labor (ſi Labor fuerit) Prædicando: Et quidem, ſive Stando, ſive Sedendo, ſive Ambulando, prædicaverit; perinde eſt.

At

At inquit, *Non ſcriptum eſt*, ambulaſſe Chriſtum *abſque labore.* Recte quidem; ſed *nec ſcriptum eſt, fuiſſe Laborioſum.* Sed, ſive fuerit, ſive non fuerit, res eodem redit, dum fuerit *Prædicando* occupatus. At ego potius putaverim, Chriſtum, poſt Reſurrectionem ſuam, non eſſe *Corporeæ Laſſitudini* obnoxium.

At inquit, *non culpavit Chriſtus Diſcipulos* hoſce ſic *itinerantes*. Recte quidem, quatenus nos ſcimus; (ſed *neque ſcriptum eſt* quod eos ipſe non culpaverit.) Nec video cur culpandi forent. Neſciebant utique, cum iter ſuſceperint, vel tunc eſſe Sabbatum, vel quid forte facturus foret Chriſtus antequam dies ille deſineret. Utcunque, ſic erant toto itinere occupati, ut non dedeceret Sabbatum. Et quam leves hæ ſint Objectiunculæ, nemo non videt. Sed procedamus.

Cum Hieroſolymam venerunt illi, *Diſcipulis* (ibidem *congregatis*) renunciarunt quæ acciderant.

At inqoit; Cum hoc neſciverint Diſcipuli, *Hieroſolymæ congregati*; non putandi ſunt, *Sabbatico* intuitu, ſic conveniſſe; ſed Caſu potius, ſeu Divina Providentia ipſis ignota; non eo animo ut Sabbatum celebrarent.

Concedo quidem *Providentialem* eſſe poſſe, (aut etiam fuiſſe,) hunc eorum conventum (quod malim dicere quam *Caſualem*:) ſicut erat ille alter occurſus Chriſti duobus itinerantibus. Sed fieri omnino poteſt, ut (Divina Providentia ſic ordinante ut convenirent,) plus ipſis innoteſceret, antequam diſcederent (ſicut illis alteris) quam cum primum convenerint. Chriſtuſque qui ſciverit quid ipſe facturus erat, ſic ſua Providentia ordinaverit, ut ita forent congregati, ob finem ſibi notum, quamvis ignotum ipſis. Nec inde ſequitur, eos non fuiſſe tum temporis *Religioſe occupatos*, ut Sabbatum deceret.

At inquit, *Neſcimus* (*quia non eſt Scriptum*) *quomodo fuerint occupati, niſi luctu & fletibus*, *Mar.* 16. 10. Eſto quidem; ſed nec ſcit ille, quomodo fuerit occupatus *Adam*, toto illo *die Septimo* à prima Creatione. Nam neque hoc magis *Scriptum* eſt quam illud. Erantque *Luctus & Fletus*, in ea qua erant Luctuoſa conditione, ſatis opportuni, nec dici ſacro incongrui. Et quidni putemus, *Luctui & Fletibus*, ipſos conjunxiſſe *Preces* in Deum; quodque fuerint ſobrie ſolliciti quid facto opus eſſet hac occaſione; deque ea ſerias inverint Conſultationes? Cumque jam primo mane acceperint, à mulieribus de Sepulcro redeuntibus, quid ipſæ nunciaverant de *Chriſto Reſuſcitato*; idque à *Petro & Johanne* confirmatum; ſeriis ſaltem negotiis occupatos eſſe putandum eſt; exſpectantes quid à Deo Chriſtove ſibi porro injungeretur faciendum. Certe non *ſcit* ille (neque *ſcriptum* eſt) vel rebus *ludicris*, vel *ſervili* aliquo negotio, fuiſſe occupatos; aut ad tale quidpiam fuiſſe *congregatos*. Partem diei rebus *religioſis* impenſam eſſe, certum eſt; nec quicquam patet in contrarium, quin & reliquum diei ſic fuerit. Suggerit ille, *Rep.* p. 33. quod, (cum dicitur *Paulus, in Synagoga prædicaſſe*;) *Supponendum eſt, hanc ejus in Synagoga prædicationem, includere, ipſius religioſam obſervationem totius Sabbati*; (quamvis id non Scriptum ſit:) poſſumuſque Nos pariter *Supponere*, Diſcipulos hos fuiſſe *pie* occupatos *toto die.*

At inquit, *Apparuit ipſis undecim Sedentibus*, ſeu *Diſcumbentibus* (puta *ad victum*) *Marc.* 16. 14. Eſto. At vero, num putat hic, non licere, die Sacro, *Comedere*? aut violatum eſſe Sabbatum, ſiquid *Comederint*? Nec tamen certum eſt, quum ipſis apparuerit ἀνακειμένοις, *conſidentibus*, quod fuerant *ad victum* conſidentes; forte conſederant *conſulentes, conſilium ineuntes, aut diſceptantes* (prout habetur *Luc.* 24. 38.) Sed quicquid ſit, nihil hic comparet quod indecorum foret, ſi vel maxime noviſſent tunc eſſe *Sabbatum*, ſeu *diem Sacrum.*

Quin deſpiciamus quid porro factum ſit hoc conventu, cum ipſis ſe aſſociavit Chriſtus. Cum illi Duo cæteris nunciaverant quid ipſis contigiſſet; *Ipſis adhuc loquentibus, ſtetit ipſe Jeſus in medio eorum, dixitque, Pax Vobis*, Luc. 24. 36. ſolennem ipſis impertiens benedictionem; *dixitque ipſis, Quid turbati eſtis? quid diſceptatis?* ver. 38. (non, quid Comeditis?) & mox interrogavit, *numquid haberint eduli?* ver. 41. (quod non interrogaſſet, ſi jam eſſent Comedentes.) *Exprobravit eis eorum incredulitatem & cordis duritiem* (ut illis alteris, *ô tardi corde, credendo difficiles*,) *quod teſtantibus eum jam ſuſcitatum, eiſque conſpectum, non credidiſſent*, Marc. 16. 14. *Fidem* eorum confirmavit, ſeu fidem fecit; eandem ipſis doctrinam Prædicans, quam ante prædicaverat Duobus illis; *aperuit eorum mentem ut intelligerent ſcripturas; Scriptumque eſſe oſtendit, ex Moſe, Prophetis & Pſalmis, Oportere Chriſtum pati, dieque tertio ſuſcitari; ipſoſque hos ſermones eſſe quos illis ipſe antea locutus fuerat; ejuſque nomine prædicandam reſipiſcentiam, & remiſſionem peccatorum apud omnes gentes; quorum ipſi teſtes forent.* Et *Promiſſum* ſuum renovavit, de *mittendo Spiritu Sancto.* Luc. 24. 44, 45, 46, 47, 48, 49. *Oſtendit eis manus ſuas; & Contrectandas expoſuit*; ut certi eſſent, *non Spiritum aliquem ipſis apparuiſſe, ſed eum ipſum; cum ſpiritus carnem & oſſa non habeat, quod ipſum habere conſpexerint*, ver. 37, 38, 39. *cibumque ipſis ſpectantibus Comedit*, ver. 43. ut nullus ſupereſſet ſcrupulus quin revera fuerit à morte ſuſcitatus.

Atque hæc omnia fuiſſe facta, non negat Scriptor hicce; neque, hæc eſſe *pia munia.* Sed, inquit, *Pax vobis* eſt *communis ſalutatio, apud homines frequens.*

Recte quidem; *Pax Vobis*, cum *homo homines* alloquitur, eſt *Salutatio*; hoc eſt, *Salutis*

comprecatio: ſed, cum *Deus* loquitur, eſt authoritativa *Benedictio*; id ipſum reapſe Exhibens, qnod homines comprecantur.

Neque ſemel hoc ait, ſed ſecunda vice; *Stetit Jeſus in medio eorum, dixitque, Pax vobis*; Joh.20.19. *Dixitque eis iterum, Pax vobis; Sicut miſit me Pater ſic ego mitto vos; & afflavit eis, dixitque, Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiſeritis peccata, remiſſa ſunt; & quorum retinueritis, retenta ſunt*, ver. 21, 22, 23. Num hæc item eſt *communis ſalutatio*? Non quidem, ſed *Authoritativa Miſſio*, ſeu Ordinatio, ad munus Apoſtolatus, & plantandam Eccleſiam Chriſtianam.

Quæ quidem omnia, ſimul ſumpta, tália mihi videntur, ut hanc putaverim diei ſaltem ſacri *Celebrationem*, ſi non & *Conſecrationem*. Cum Chriſtus ipſe, (quem, contendit hic Scriptor, *Benedixiſſe*, & *Sanctificaſſe*, adeoque *Inſtituiße*, diem Septimum, *Gen.* 2. 2, 3.) hunc diem itidem Primum *Sanctificaverit*, (Sacra peragens munia, eaque non pauca,) & *Benedixerit*. Neque grandius quid producit ille de Die Septimo.

Si autem id alicujus momenti videatur, quod, exeunte tandem die, hæc dicta ſint Apoſtolis: Dicimus, Sicut toto die Septimo, putandus eſt Deus, *ab opere ſuo quod fecerat Quieviſſe*, hoc eſt, à creando ceſſaſſe; ſed quota diei hora *Benedixerit* non conſtat; niſi forte dixerit hic Scriptor exeunte die præcepiſse Deum, ut deinceps quiſque dies *ſeptimus* pro ſacro habeatur; eo quod *hoc die ceſſaverit ab omni opere ſuo quod fecerat*: Sic, cum totum hunc *Sanctificaverit* Chriſtus (primo mane *Reſurgendo*, & deinceps *Prædicando*, primum *Mulieribus*, ipſique forſan *Simoni Petro*, Luc. 24. 34; tum, *Duobus Diſcipulis*, Emaunta proficiſcentibus, & tandem ipſis *Undecim*;) exeunte die putandus ſit in mandatis dediſse Diſcipulis Apoſtoliſve ſuis, (tum *Congregatis aliiſque cum ipſis*, Luc. 24. 33; & quidem *jam à primo mane congregatis*, quando ipſis advenerant *Mulieres*,) eundem continue recurrentem diem Primum, hoc eſt Dominicum, ut Sacrum celebrarent, eo quod *hoc die à mortuis Reſurrexerit, & compleverit Redemptionis opus*. Quem poſtea celebratum fuiſse conſtat: Et merito putandum eſt, id *Chriſto* ſic jubente factum eſse; quamvis id non expreſse dicitur. Mandatum hoc non eſse diſerte memoratum, non eſt quod miremur; cum nec illud *diſerte memoratum* ſit de die Septimo; *Gen.* 2. 2, 3. quod tamen mandatum fuiſse, præſumit hic Scriptor.

Quod ait; *Non hinc conſtare, quod ſic mutaverit Chriſtus Sabbatum diei Septimi*, (quod & ſæpe repetit.) Id non hic agitur (ſed poſt agetur) quid de Die Septimo dicendum eſt. Id jam quæritur, Numnon hic appareat evidens Exemplum (à praxi Chriſti ſuorumque Apoſtolorum) de obſervato Die Dominico. Et quidem, quod ille ſubinſinuare ſatagit, quod *non certo conſtet*, nihil quicquam ordinarii laboris ab Apoſtolis eo die peractum fuiſse, (de quo nulla mihi videtur ſuſpicio, cum fuerint ipſi à primo mane, cum aliis, Congregati; totumque quod de eis dicitur Religioſum ſit;) Hoc, inquam, ſi forte contigiſset, (quod non eſt cur ſuſpicemur,) non tamen inde culpandi eſsent, ſi *nondum ſciverint* quid conſtituturus foret Chriſtus eo die. Certe nihil apparet, poſtquam acceſserit ad eos Chriſtus, quod non ſit ſumme Religioſum. Nec præjudicio id eſse poſset, (ſi quod fuerit,) cur non *de cætero* obſervetur, cum id reſciverint.

Eſtque hoc primum Exemplum, ſatis luculentum, obſervati Diei Dominici. Et quidem aliquanto clarius quam de die Septimo habetur, *Gen.* 2. 2, 3. Ubi, Quieviſse *Deum*, diſerte dicitur. Sed de *Hominis* quiete, nihil. Id Conjectura ſupplet hic Scriptor, dum à nobis poſtulat *diſerte Scriptum*.

CAP. VII.

Exemplum ſecundum, Poſt Octo dies. Omiſſo quod interveniebat Sabbato Judaico. Objectis reſpondetur. Octiduum, intelligendum Incluſive. Mos ſic numerandi perpetuus in Sacris literis, Plurimis exemplis oſtenditur. Atque ſic apud pleraſque gentes, exceptis Anglis. Conſiderantur Mat. 26. 2. & Apoc. 11. 11. *Tertia comparitio ad mare Tiberiadis, an fuerit die Dominico, incertum.*

SEcundum Exemplum contigit, die Dominico proxime ſequente; hoc eſt, die Primo Secundæ ſeptimanæ. Deum *ſemel* quieviſse legimus die Septimo; Sed *Repetiiſſe Requiem* ſuam diei Septimi, non magis legimus quam quod repetierit *Opera ſua Sex dierum*. Sed Dominus noſter Jeſus Chriſtus, *ſecunda vice*, Die Dominico conveniebat cum Diſcipulis ſuis tum Congregatis, & pariter Occupatis. *Poſt octo dies* (ſeu, *octo poſt diebus*) *Diſcipuli rurſus intus erant, & Thomas cum illis*, (qui, cum prius abfuerit, de Chriſti Reſurrectione dubitavit.) Hoc eſt, recurrente Octavo die (incluſive ſumpto,) convenerunt iterum Diſcipuli, ut prius; foribus quidem clauſis ob metum (ut videtur) Judæorum. *Venitque Jeſus, & ſtetit in medio eorum; dixitque ipſis, Pax vobis*, Joh. 20. 26. (omnino ut in Conventu præcedente.) Cumque dicuntur, *rurſus*, (poſt octo dies,) conveniſse; veriſimile videatur, quod intra hoc

Octiduum non convenerint. Saltem, quod Chriſtus interim cum eis non convenerit, certum eſt. Ut videatur ipſorum *ſtatos conventus*, haberi ſolitos diebus Dominicis. Hoc ſecundo conventu, ſatisfacit Chriſtus *Thomæ*, prius dubitanti: miſſis ſcilicet *Thomæ* digitis in Manuum Chriſti vulnera, Manuque ejus in Chriſti latus. Quo facto, ſic *Thomæ* ſatisfactum eſt, ut exclamaverit, *Dominus meus, & Deus meus.* Binis itaque Dominicis, continue ſequentibus, (eiſque à Reſurrectione Primoribus,) Chriſtum cum ſuis ſtato conventu conveniſſe vidimus. Quot poſtea Dominicis ſic convenerint, non conſtat. Quod pluries cum ſuis convenerit Chriſtus, durante ſua per quadraginta dies mora in terris, à Reſurrectione ad Aſcenſionem ſuam in cœlos, minime dubitandum eſt: idque aliquoties contigiſſe diebus Dominicis, non eſt improbabile; ſed neque certum eſt.

Quod autem intra illud Octiduum non cum illis convenerit, ſatis patet: Adeoque non in interveniente Judæorum Sabbato diei ſeptimi. Dicitur enim *Joh.* 21. 1. *Poſtea*, μετὰ ταῦτα, (hoc eſt, poſt binas eas appariciones, præcedente capite memoratas,) *ſe rurſus exhibuit Jeſus diſcipulis ſuis, ad mare Tiberiadis.* Atque diſerte notatur, *ver.* 14. *Jam tertia vice ſeſe exhibuit Jeſus diſcipulis ſuis poſtquam ſuſcitatus fuerat ex mortuis.* Ergo non niſi bis anteà. Nempe, prima vice, in ipſo Reſurrectionis die; &, ſecunda vice, poſt octo dies. Adeoque non in Judæorum Sabbato interveniente. (Nec, quantum nobis videtur, ullo deinceps Sabbato Judæorum.) Sed, eo intermiſſo, ſequente die Dominico. Quod oppido notandum puto. Quippe ſi voluiſſet Chriſtus Sabbatum Judaicum *diei Septimi* de cætero continuandum; probabile eſt quod vellet *eo die* cum Diſcipulis ſuis conveniſſe, diem illum celebraturus ut olim: Quod cum non fecerit, ſed (eo prætermiſſo) diem *Primum* ſelegerit; omnino putemus id conſulto factum eſſe, ut Exemplo ſuo (ſi non & Mandato) Sabbati (de cætero) celebrationem transferret in alium diem; quem deinceps ſæpius celebratum legimus.

Hae autem ſecunda vice, habitum fuiſſe, Chriſti cum ſuis, *Religioſum conventum*, non negat hic Scriptor. Sed non admittit, *poſt octo dies*, intelligendum eſſe de *die octavo* incluſive ſumpto. *Poteſt*, inquit, *eſſe die Nono vel Decimo.* Recte quidem; *vel Viceſimo*, vel *Quadrageſimo*; quippe omnes hi ſunt *poſt dies octo.*

Diſputandum igitur eſt, cum hoc adverſario, de ſingulis apicibus; cui ſtat animus, (niſi coacto,) nihil quicquam admittere, (utcunque veriſimile,) quod nobis faveat. Agamus igitur quod agendum eſt.

Dico igitur, 1°. Manifeſtum eſt, Evangeliſtam hic loci velle certum aliquem deſignare diem. Quorſum enim alias *dierum octo* mentionem faceret?

2°. Quis ille dies ſit quem vult inſinuare, judicandum erit ex forma alibi uſitata in diebus numerandis, præſertim in ſacris Literis.

3°. Perpetuus numerandi mos ubique eſt (quantum ego quidem aſſequi poſſum) incluſive numerare; hoc eſt, extremos ambos includendo. Neque id apud Græcos Latinoſque tantum, ſed alias item gentes (quas ſcio) pleraſque omnes; ſi ſaltem Anglos excipiamus. Exempla quædam ex Sacris Literis oſtendam; ex quibus de reliquis fiat judicium.

Math. 27. 62, 63, 64. *Poſtero autem die, poſt Paraſceven, coacti ſunt Primarii Sacerdotes & Phariſæi ad Pilatum, dicentes, Meminimus planum illum dixiſſe quum adhuc viveret,* μετὰ τρεῖς ἡμέρας, *poſt tres dies ſuſcitabor. Jube igitur muniri ſepulcrum,* ἕως τῆς τρίτης ἡμέρας, *uſque in diem tertium; nequando veniant Diſcipuli ejus nocte & furentur eum, dicantque populo, Suſcitatus eſt ex mortuis; Eritque ultimus error pejor priore.* Ubi certum eſt, quod *poſt tres dies* intelligendum eſt de *tertio poſt die* incluſive ſumpto. Quorſum enim muniretur Sepulcrum *uſque in diem tertium*, ſi non niſi *poſt tres integros dies* metuenda erat impoſtura? Dixiſſent potius (ſecundum hujus ſenſum) *die quarto & ſic deinceps.* Atque hoc quidem loco ſatetur (coactus) hicce Scriptor, *Repl.* p. 23. per *poſt tres dies*, intelligendum eſſe *uſque dum tertius dies advenerit*, non *uſque dum præterierit*; atque *quod ſic eum intellexerint inimici ſui.*

Marc. 8. 31. dicit de ſe Chriſtus, *Oportere filium hominis multa pati, trucidari,* καὶ μετὰ τρεῖς ἡμέρας, *& poſt tres dies ſuſcitari.* Hoc eſt, *tertio poſt die.* Eodem ſenſu quo dicitur, *Joh.* 2. 19. *Deſtruite templum hoc* (innuendo corpus ſuum) *&* ἐν τρισὶν ἡμέραις, *in tribus diebus, ſeu intra triduum ædificabo illud*; hoc eſt, *die tertio, incluſive ſumpto.* Sic de ſe loquitur Chriſtus, *Math.* 12. 40. *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tres dies & tres noctes, ita erit filius hominis in corde terræ tres dies & tres noctes.* Non quidem *tres dies integros* & *tres integras noctes*, ſed uſque dum advenerit *dies tertius.* Nam per *diem & noctem*, hic intelligitur νυχθήμερον. (ut loquuntur, ἓν διὰ δυοῖν,) manſitque in ſepulcro Chriſtus, uſque dum advenerat *tertium* νυχθήμερον. Alias enim, in ſepulcro fuit *tribus* quidem *diebus* (ſaltem trium partibus) ſed *noctibus duabus.*

Atque hic etiam ſatetur idem *Repl.* p. 23. *ſic intelligendum eſſe. Nam erat*, inquit, *Crucifixio die ſexto; & Reſurrectio, die primo ſequentis ſeptimanæ: Adeoque, per* [*poſt tres dies*] *intelligitur* [*poſt partem diei ſexti, totum diem ſeptimum, & partem diei primi.*] Cum igitur, in locis illis, per *poſt tres dies*, intelligendum ſit (ipſo judice) *tertio poſt die*; Quidni & hic, per *poſt octo dies* intelligendum ſit *octavo poſt die*?

At inquit, *Nuſquam Explicatur hoc* [*Poſt octo dies*] *eſſe*, [*octavo die.*] Quid ſubtilitatis ſit in iſto *nuſquam explicatur*, non aſſequor. An vero dicet ille, ſic *nuſquam ſignificare*? Conſulat ille *Luc.* 2. 21. ὅτε ἐπλήσθησαν ἡμέραι ὀκτὼ, *cum complerentur dies octo, pro circumcidendo puero, vocatum eſt nomen ejus Jeſus.* Hoc eſt, *ipſo octavo die* (incluſive ſumpto.) Computato ſcilicet, die Nativitatis, pro die Primo; & die Circumciſionis, pro octo dierum Ultimo; qui, cum ſex interjectis diebus integris, ſunt Octo dies. Tantundem autem eſt, *cum complerentur dies octo*, atque *poſtquam octo dies advenerant*, ſeu *poſt octo dies*. Quippe ſenſus idem eſt, cum eo quod dicitur de *Joanne Baptiſta*, Luc. 1. 59. *Octavo die venerunt ad circumcidendum puerulum.* Si vero intelligendum foret, ut vellet intellectum hic Scriptor, (puta, poſtquam completi dies octo intervenerant,) circumciſus foret *die Decimo*.

Atque hic itidem fatetur ille, *Repl.* p. 24. ſic intelligendum eſſe.

Jam vero, ſi *poſt tres dies*, hoc tantum ſignificet *poſtquam advenerit dies tertius*; Et, *cum complerentur octo dies*, idem ſit atque *cum advenerit dies octavus* (incluſive ſumptus.) Quidni & hic (niſi quod litigare malit quam diſputare), *poſt octo dies*, idem ſit atque *octavo poſt die*; redeunte ſcilicet eodem die ſequentis ſeptimanæ? Certum eſt, non fuiſſe in ſequente *Sabbato Judæorum*; id utique non erat niſi *poſt Septem dies*, ſeu *die ſequente Septimo.* Ut certum ſit Servatorem noſtrum alium elegiſſe diem, à Sabbato Judaico, ad opera hæc Sabbatica perficienda; & quidem, quatenus nos judicemus, ipſum *diem Dominicum*, hac ipſa occaſione ſic dictum.

Eodem ſenſu dicitur *Luc.* 2. 22. ὅτε ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τοῦ καθαρισμοῦ, *cum complerentur dies purificationis, ſecundum legem Moſis*; hoc eſt, currente die quadrageſimo (incluſive ſumpto) à partus die. Et ſic paſſim.

Sic *Act.* 2. 1. *Cum compleretur dies Pentecoſtes*; hoc eſt, *cum adveniſſet*, non *cum fuerit præteritus*: Nam, quæ ibi ſequuntur, facta erant eo ipſo die.

Libet aliud, de hujuſmodi computo, exemplum exhibere; quamvis aliquanto perplexior ſit computatio. *Act.* 24. 1. μετὰ πέντε ἡμέρας, *Poſt quinque dies, deſcendit Princeps Sacerdotum Ananias, cum Senioribus, & Tertullo quodam Oratore, qui comparuerunt coram [illegible] ſide contra Paulum. Poſt quinque dies*, hoc eſt, *ipſo die quinto* (ex quo prehenſus erat *Paulus*.) Dicat forte, Quomodo hoc conſtat; cum *nuſquam explicatum ſit*, quod *poſt quinque dies* hic ſignificet *ipſum diem quintum*? Hac, inquam, computatione conſtabit. *Acceſſit Paulus Hieroſolymam*, Act. 21. 17. (Hic eſt dies unus.) *Die proxime ſequente*, τῇ ἐπιούσῃ, *intravit Paulus nobiſcum* (dicitur) *ad Jacobum, & præſentes erant Seniores omnes*, ver. 18. qui ſic conſulunt, *Sunt nobis*, inquiunt, *viri quatuor voto obſtricti*; *his ſumptis, purificare cum illis* &c. ver. 23, 24. (Hic eſt dies ſecundus.) Tum Paulus, viris his aſſumptis, τῇ ἐχομένῃ ἡμέρᾳ *die ſequente*, (Hic eſt dies tertius,) *cum illis purificatus, ingreſſus eſt in templum, denuncians expletionem dierum purificationis*, (quod comperimus *Num.* 6. 13. eſſe ſpatium *ſeptem* dierum, numerandorum incluſive ab illo *tertio* die; qui itaque complendi forent die *Nono*.) *Cum autem ſepteni illi dies eſſent explendi*, ὡς ἔμελλον αἱ ἑπτὰ ἡμέραι συντελεῖσθαι, hoc eſt, *cum jam inſtaret tempus quo complerentur illi ſeptem dies*; hoc eſt, cum inſtaret eorum dies ſeptimus (qui cum adeſſet, complerentur illi ſepteni dies, prout modo oſtenſum eſt ex *Luc.* 2. 21, 22.) Non quidem, cum dies ſeptimus erat prope finitus, (quippe non tot ſuppetunt dies;) ſed, cum inſtaret dies ſeptimus, nempe ipſo die ſexto; qui eſt, à Pauli adventu Hieroſolymam, *dies octavus*. Hoc *octavo die, manus in ipſum injecerunt Judæi*, ver. 27. *Cumque ipſum occiſuri erant*; *accedens Chiliarchus eripuit illum, juſſitque in caſtra duci*, ver. 31, 32, 33, 34. *Poſtridie* τῇ ἐπαύριον (qui eſt dies Nonus) *deductus eſt in Conſilium*, Cap. 22. 30. *Ubi defenſionem ſuam ornavit*, Cap. 23. 1. indeque *reductus eſt in caſtra*, ver. 10. *Ea nocte, adſtitit ei Dominus, dicens, Confide Paule*; *ut enim teſtificatus es Hieroſolymis de me, ſic te oportet etiam Romæ teſtari*, ver. 11. *Orto autem die* (qui eſt dies Decimus) *Viri plures quam quadraginta, coitione facta, anathemate ſe devoverunt, dicentes, ſe nec eſuros nec bibituros uſque quo trucidaſſent Paulum*, ver. 12, 13. Nempe, impetrato, quod *precaturi erant Sacerdotes, ut poſtridie deduceretur in Conſilium, paraverant, inſidiis poſitis, venientem trucidare*, ver. 14, 15. Quod, cum *Cognatus Pauli Chiliarcho indicaverat*, ver. 16, 20, 21. curavit *Chiliarchus, mittendum Paulum Cæſaream*, (*cum præſidio militum, equitum peditumque*,) *ſub hora tertia ipſius noctis* (noctis diei Decimi;) ver. 23, 24. *denuncians accuſatoribus, ut quæ haberent adverſus Paulum, apud Felicem dicerent*, ver. 30. *Militeſque, ut erat imperatum*, διὰ τῆς νυκτὸς *ea ipſa nocte, duxerunt Paulum Antipatrida*, ver. 31. *Poſtero autem die*, τῇ ἐπαύριον, qui eſt Undecimus; (eſtque alius dies, nempe craſtinus, à præcedentis noctis hora tertia; ut certum ſit hunc diem undecimum non incepiſſe à Solis occaſu præcedente, ſed potius à media nocte,) *reverſi ſunt pedites ad caſtra, relictis equitibus, qui ipſum* (*Cæſaream deductum*) *ſtiterunt coram Felice*, ver. 32, 33, (nempe ipſo die Undecimo;) *Qui ipſum cuſtodiæ commiſit donec advenerint accuſatores*, ver. 35. Quos Poſtridie veniſſe (hoc eſt, die duodecimo à Pauli acceſſu ad Hieroſolymam) patet ex ſequentibus. Nam μετὰ πέντε ἡμέρας *poſt quinque dies* (non, ab ejus adventu ad Cæſaream; ſed ex quo prehenſus erat Hieroſolymis in templo, qui fuerat Octavus ab ejus acceſſu ad Hieroſolymam;) *deſcendit Pontifex maximus, Ananias, cum Senioribus,*

nioribus, & Oratore Tertullo, accuſaturi Paulum, Cap. 24. 1. Jam vero, ſi *poſt quinque dies* intelligatur de *die quinto, incluſive ſumpto,* ab illo Octavo quo prehenſus erat *Paulus* Hieroſolymis; (ut Octavus ille dies ſit quinorum primus;) continget hoc die *Duodecimo* ab ejus adventu Hieroſolymam: Si, *excluſive diei octavi,* erit die *Decimotertio*: Si, excluſis utriſque extremis, intelligatur de interjectis quinque diebus; continget die *Decimoquarto* ab ejus ad Hieroſolymam adventu. Quoto autem die fuerat, diſerte dicit *Paulus,* ver. 11. *Poſſis,* inquit, *intelligere, quod non plures ſint quam dies Duodecim, ex quo aſcendi Hieroſolymam adoraturus.* Neceſſe igitur eſt ut *poſt dies quinque* intelligatur de *currente die quinto, incluſive ſumpto*; ſecus enim, vel *tredecim* vel *quatuordecim* fuiſſent dies ex quo aſcenderat Hieroſolymam.

Cum igitur *Lucas,* dicendo *cum complerentur octo dies,* intellexerit currentem diem Octavum, incluſive ſumptum, *Luc.* 2. 21. Idemque *Lucas, poſt quinque dies* dixerit de *currente Quinto,* Act. 24. 1. Et *Matheus,* Cap. 27. 63. *Marcuſque* Cap. 8. 31. *poſt tres dies* intelligendus ſit, de *currente die tertio* incluſive: Quidni putemus *Johannem,* Cap. 20. 26. *poſt octo dies,* intellexiſſe, *currentem diem octavum, incluſive ſumptum*? præſertim cum nihil in contrarium appareat quicquam, niſi quod hujus Scriptoris imaginationi non faveat, velitque ille de ſingulis minutiis litigare.

Et quidem ægre mihi perſuadere poſſum, ut credam, hunc ipſum Scriptorem (utcunque libeat litigare) revera ſentire (ſi velit candide agere) non hic intelligendum eſſe *diem octavum incluſive ſumptum*; hoc eſt, ſequentis Septimanæ *diem Primum.*

Similis occurrit computatio, *Levit* 23. 15, 16. *Numerate vobis, à poſtridie iſtius Sabbati, ex quo attuleritis manipulum illum frugum agitationis; ſeptem Sabbata integra ſunto, uſque ad poſtridie Sabbati ſeptimi, numerate dies quinquaginta.* Quin fieri non poteſt, ut à *poſtridie Sabbati ad poſtridie Sabbati deinceps ſeptimi,* ſint dies *quinquaginta*, niſi connumeratis utriſque extremis.

Similiſque occurrit, de *Cornelio* computatio, *Act.* 10. *Viſum conſpexit Cornelius diei hora nona,* ver. 3. (hic unus dies eſt.) *Finita viſione, ſtatim miſit Joppam duos ex famulis ſuis, cum milite pio, accerſitum Petrum,* verſ. 7, 8. *Poſtridie* (qui eſt dies ſecundus) *ipſis urbi Joppæ appropinquantibus, aſcendit Petrus precatum, circa horam ſextam, & viſum item conſpexit ille,* ver. 9. &c. *Quo finito, jam aderant, præ foribus, viri à Cornelio miſſi, quærentes Petrum,* ver. 17, 18. *Quos hoſpitio accepit, & Poſtridie* (qui eſt dies tertius) *cum illis abiit,* ver. 21, 23. *Poſtridie vero* (qui eſt dies quartus) *Cæſaream acceſſit, ubi ipſi occurrit Cornelius,* ver. 24, 25. Qui, cauſam exponens cur ipſum accerſerit, ait, *Quarto abhinc die jejunus eram uſque ad hanc horam,* &c. ver. 30. Quo ſenſu autem ille erat *dies quartus à retro,* erit hic *poſt quatuor dies.*

Atqui, inquit, Non ſolere nos dicere *poſt octo dies,* pro eo quod dicitur Anglice *that day Se'nnight*; hoc eſt, pro eodem die ſequentis Septimanæ.

Recte quidem *nos Angli* non ſolemus (vulgo) ſic loqui. (Atque hoc ipſi forte fraudi fuit.) Sed & quandocunque ſic loquimur. Ut, cum dicimus Feſtum *Aſcenſionis* Dominicæ, eſſe, *quadraginta dies* poſt Feſtum *Paſchatis*; & Feſtum *Pentecoſtes, dies quinquaginta,* (incluſive.) (De calculo Scripturali, loquentes, ſtilo Scripturæ.) Cum tamen, excluſo die Paſchatis, illud ſit (poſt Paſcha) dies *triginta novem*; & hoc *quadraginta novem.* Atque, in calculo Eccleſiaſtico, *Octabis Hillarii, Octabis Martini,* (ſimileſque,) ſunt iidem dies ſequentis ſeptimanæ: Et quidem apud *Juriſtas* noſtros, ſic intelliguntur *Octabis Hillarii, Octabis Martini*; niſi quod, ubi dies iſti incidunt in Dominicum (qui non eſt dies Juridicus) proceſſus Juridici, iſtis diebus debiti, differantur in craſtinum;) quod noſtrarum Legum peritus non debuit ignorare. Atque intervalla Muſica *Dia-teſſaron, Dia-pente, Diapaſon* (hoc eſt, intervalla chordarum *quatuor, quinque, octo,* &c.) nos item dicimus *Fourth's, Fifth's, Eighth's,* &c. connumeratis utriſque extremis.

Et quamvis Nos non vulgo ſic loquimur, (ſed excluſive alterius termini;) aliæ tamen Gentes (quas ſcio) pleræque omnes ſic loqui ſolent, (& Sacræ Scripturæ, ni fallor, ſemper.) Quod nos dicimus *a ſennight* (hoc eſt, *ſeptinoctium,*) dicunt Galli *huict jours* (*octo dies*:) quod nos *a Fortnight* (*quatuordecinoctium,*) dicunt illi *quinze jours* (*quindecim dies.*) Quod nos dicimus *two days ago* (duobus abhinc diebus) dicunt Latini *nudius tertius*: quod nos *three days ago,* dicunt illi *nudius quartus.* Quod nobis eſt *a third-day ague,* eſt illis *febris quartana*: quod nobis *every other day,* eſt illis *febris tertiana.* Et ſimiliter in aliis computationibus, quæ nos *excluſive* numeramus, ſolent alii numerare *incluſive* (connumeratis utriſque extremis:) Sic *tertio Calendas, quarto Calendas,* ſeu *Calendarum* (hoc eſt *tertio, quarto die ante Calendas,* ſeu *ante diem Calendarum*) dicunt Latini, quod pro more noſtro diceretur *two days, three days, before the Calends.* Et conſiderandum erat Scriptori noſtro, quod S. *Johannes* hic, reliquique Scriptores Sacri, non locuti fuerint Anglice; nec intelligendi ſunt ſecundum ſtilum Anglicanum.

Non ſcio autem, an poſſit ille ullum in Sacris Literis aſſignare locum, in quo hujuſmodi Phraſis *poſt octo dies,* aut quæ hujus inſtar eſt, intelligenda ſit ſenſu *excluſivo.*

Duo tantum ſuggerit loca (*Repl.* p. 22.) non quæ *ſic eſſe intelligenda* dicit; ſed, quæ

fieri forte poſſit, ut ſic intelligantur. Sed quæ ego potius putaverim intelligenda eſſe (ut alia) *incluſive*. Certe nihil eſt quod ſuadeat in contrarium, cur putemus hic à recepto loquendi more diſceſſum eſſe.

Locus prior eſt *Math.* 26. 2. *Scitis quod poſt duos dies eſt Paſcha, & filius hominis prodetur ut crucifigatur. Hoc*, inquit, *intelligendum videtur, poſt duos dies excluſive ; hoc eſt, excluſo die quo hoc dictum erat.* Mihi vero videtur intelligendum *incluſive*, ut alibi ſunt intelligendæ ſimiles locutiones. *Scitis quod poſt duos dies eſt Paſcha*, οἴδατε ὅτι μετὰ δύο ἡμέρας γίνεται πάσχα, (hoc eſt, poſtquam advenerint duo dies, hodiernus & craſtinus, ſeu dies abhinc ſecundus, veſperi eſurus ſum Paſcha,) *atque tum prodetur filius hominis ut crucifigatur.* Certe nihil prohibet quin ſic intelligatur. Atque, cur ſic putem intelligendum eſſe, ſuadet, tum communis alibi loquendi forma, tum hiſtoriæ ratio. *Tunc* utique (dum hæc dicta ſunt) diſerte dicitur,quod *congregati fuerunt primarii Sacerdotes,& Scribæ, & Seniores populi, in aula ſummi Pontificis, dicti Caiaphæ ; & conſultarunt, ut Jeſum dolo prebenderent & trucidarent*, ver. 3, 4, 5. *Cumque jam eſſet Jeſus in Bethania, in domo Simonis leproſi*, ver. 6. *venit quædam mulier* (nempe *Maria ſoror Lazari*, Joh. 11. 2.) *habens alabaſtrum unguenti pretioſi, & effudit in caput ejus ſedentis*, ver. 7. *Quod cum viderent diſcipuli, indignati ſunt, dicentes*, (hoc eſt, Synecdochice, *eorum unus dicens*, nempe *Judas Iſcariotes*, Joh. 12. 4, 5.) *Quorſum perditio hæc? potuit unguentum hoc vendi magno, & dari pauperibus*, ver. 8, 9. (*non quod pauperum ipſi cura eſſet, ſed quia fur erat, & marſupium habebat*, Joh. 12. 6.) Cui cum Jeſus reſponſum dederat ipſi minus gratum, *Pauperes habetis ſemper vobiſcum*, &c. ver. 10, 11, 12, 13. *Tunc egreſſus Judas* (eo ipſo die, duorum *priore*,) *ad primores Sacerdotes* (jam tum, ut dictum eſt, congregatos) *dixit ipſis, Quid mihi dabitis, & tradam eum vobis? Ipſique appenderunt ei triginta nummos argenteos, & ex eo tempore quærebat opportunitatem eum prodendi*, ver. 14, 15, 16. *Primo autem die azymorum* (puta poſtridie ; duorum illorum dierum *poſteriore* ;) *acceſſerunt ad Jeſum diſcipuli, dicentes, Ubi vis paremus tibi ad edendum Paſcha?* &c. ver. 17, 18, 19. *Cumque ſerum diei eſſet, diſcubuit cum duodecim*, &c. ver. 20. &c. Et, peracta cœna, tradidit eum *Judas*, (ut patet verſibus ſequentibus,) eadem nocte ; hoc eſt, *poſteriore* dierum ante memoratorum ; ſumptis verbis *Poſt duos dies* incluſive.

Ubi autem dicitur *Primo die azymorum*, intelligendum forte erit *Pridie azymorum*, ſeu die qui præcedit Feſtum Azymorum ; (nam, Feſtum Azymorum, incipit *Poſtridie Paſchatis* :) quo ſenſu intellectum volunt, Criticorum nonnulli, illud *Luc.* 2. 2. αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου, *hæc deſcriptio prima facta eſt Præſidente Syriæ Cyrenio*, ubi per πρώτη intelligunt πρότερον, ut ſenſus ſit, *hanc deſcriptionem priorem fuiſſe ea quæ fuit quum Quirinus ſeu Quirinus fuit Syriæ Præſes*, (quod ex hiſtoria temporum confirmatum eunt.) Quod ſi ſit, etiam hic *primus dies Azymorum*, poterit eſſe *die qui prior erat feſto Azymorum*, ſeu *Pridie feſti Azymorum*, (quod feſtum incepit *Poſtridie Paſchatis.*) Sed, quicquid id ſit, ſatis conſtat diem hic deſignatum, eum eſſe quo Chriſtus comedit Paſcha ; cur autem (aut quo ſenſu) hic dicatur *Primo die Azymorum*, non libet anxie diſquirere ; cum non ſit ad rem præſentem neceſſarium.

Locus quem ſuggerit poſterior, eſt,de *duobus Teſtibus*, Apoc. 11. 11. Cui idem ſufficit reſponſum, *Poſt dies tres & dimidium, ſpiritus vitæ à Deo ingredietur in eos, ſtabuntque in pedes ſuos* ; hoc eſt, *cum advenerint tres dies & dimidium* ; (ut alibi ;) non, *poſtquam præterierint*. Cumque nihil aliud habeat quod oggerat ; non eſt, quod dubitemus, quin illud *poſt octo dies* Joh. 20. 26. intelligendum ſit de eodem die ſequentis Septimanæ, hoc eſt, die Dominico.

Et quidem, poſt leviculas eas velitationes, non videtur ipſe fidenter negare quin ſic fuerit. Hoc ſaltem contendit, *Repl.* p. 22. (non, quod revera fuerit, ſed) quod *nondum ipſi perſpectum ſit*, quin *poſſit eſſe, ſecundus aut tertius dies ſequentis ſeptimanæ.*

Habemus igitur, jam ſecunda vice, Chriſtum cum ſuis celebrantem *diem Dominicum*, omiſſo quod interceſſerat Judæorum Sabbato.

Comparuit item Chriſtus Diſcipulis ſuis, *tertia vice, ad mare Tiberiadis*, Joh. 21. 1, 14. Sed an hoc contigerit die Dominico, non liquet. Dicat forte quiſpiam, certum eſſe, hoc non contigiſſe die Dominico ; (ſaltem, ſi dies Dominicus eſſet pro Sabbato celebrandus ;) Quia ſcilicet diſerte dicitur, eos *iviſſe Piſcatum* (ſed incaſſum) quod non videtur Sabbatico diei congruum. Quod tamen, inquam, non inde certo concluditur. Nam Piſcatio illa fuit nocte præcedente, qua nihil ceperunt ; atque jam primo mane (relicta Piſcatione) ad littus redierant. Nox autem qua piſcati ſunt (nondum orto mane) nulla pars erat inſtantis diei, ſed veſpera præcedentis. Cum autem (orto mane) conſpexerint adſtantem Chriſtum in littore, eoque jubente (quod non alias facturi eſſent) iterum conjecerunt rete; *miraculoſa* quæ ſequebatur captura piſcium, celebratio potius erat quam profanatio diei Dominici : totaque quæ ſequitur Chriſti cum illis Communicatio, reſiduo illius capitis commemorata, non alia eſt quam quæ diei Sacro optime conveniret.

Sin dicatur, veſperam præcedentem, ſi non fuerit pars ulla ineuntis Dominici, fuiſſe ſaltem exeuntis Sabbati Judaici pars? Nihil hinc aliud concluditur, quam, quod jam intellexerint, Sabbati Judaici minorem nunc habendam eſſe rationem.

Nec

Nec quidem videtur improbabile, tres haſce primas, quas ſuo ordine recenſet S. *Johannes*, Chriſti poſt Reſurrectionem ſuam comparitiones (cum Diſcipulis ſuis congregatis) contigiſſe tribus continue ſequentibus Dominicis. Sed cum, de hac tertia, non certo conſtet; non urgeo. Sufficit quod de duabus primis jam dictum eſt.

CAP. VIII.

Exemplum Tertium, in die Pentecoſtes. Objectis reſpondetur. Hunc fuiſſe diem Dominicum evincitur. Non ex Romanenſium traditione, ſed ex Levit. 23. Nomen Pentecoſtes, habetur, non à Romanenſibus, ſed ex Sacris literis. Feſta Primitiarum & Pentecoſtes (poſtridie Sabbati Judaici) quaſi Prodroma Diei Dominici. Unde numerandi ſint illi dies Quinquaginta. Non à die Paſchatis, nec Feſti Azymorum; ſed à Craſtino Hebdomadalis Sabbati; (qui Prodromus erat diei Dominici.) De hoc & de menſe Niſan, Lapſus Adverſarii. Et, de Aſcenſionis die. De itinere Sabbatico. Et die Judicii.

TErtium itaque cui inſiſtam Exemplum, eſt illud de die *Pentecoſtes*, Act. 2. Chriſtus, ipſo Reſurrectionis die, (qui fuit hebdomadis primus,) *Renovaverat* Diſcipulis ſuis *Promiſſum*, *de mittendo Spiritu Sancto*, Luc. 24. 49. Quod Promiſſum itidem complevit (Primo die Hebdomadis) in Feſto Pentecoſtes, *Act.* 2. *Cum adveniſſet dies Pentecoſtes*, (dies à Reſurrectione quinquageſimus,) *erant omnes concorditer eodem loci*, ver. 1. (plenus quippe erat atque unanimis conventus, tanquam ſolenni occaſione congregatus;) *Extitit repente ſonitus à cœlo tanquam ruentis flatus violenti, qui replevit totam domum ubi erant conſidentes; & viſæ ſunt eis diſpertitæ linguæ inſtar ignis, qui ſedit ſuper unumquemque eorum*, (ſaltem unumquemque Apoſtolorum;) *Repleti ſunt autem omnes Spiritu Sancto, cœperuntque loqui aliis linguis, prout Spiritus ille dabat eis effari*, ver. 3, 4, 5.

Hoc ego eximium reputo Exemplum, (ſi nolit hic Author permittere ut *Sabbati* dicam,) ſaltem *Conventus Religioſi* pro cultu Divino. (Et quidem, ſi contigiſſet *die Septimo*, quam foret hæc inſignis comprobatio, Authori huic, de celebrato *Septimi diei* Sabbato!) Hæc mihi quidem eſt comprobatio *Sabbati Chriſtiani*, ſub intuitu *Præcepti Quarti*. Et quamvis non *diſerte dicatur* Sabbatum, (ob vitandam confuſionem, cum nomen illud, communi tunc ſermone, adſcriberetur *Sabbato Judaico*,) erat tamen reapſe *Sabbatum*, cultui divino deſtinatum. Huic amplo Conventui (ex *Parthis*, *Medis*, *Elamitis*, cæteriſque, ver. 7, 8, 9, 10, 11, 12) *Concionem prolixam habuit Petrus*, ver. 14. &c. hac occaſione; idque tali ſucceſſu, ut *eo die additi fuerint Eccleſiæ quaſi ter mille homines*, ver. 41.

Quod fuerit hic *Conventus Religioſus* & *valde Celebris*, non negat hic Scriptor. Sed, quod fuerit *Primo die Hebdomadis*, non admittit: nullo, inquit, *Verbo Scripto* hoc conſtat; ſed *meris conjecturis*, & *traditionibus Romanenſibus*, Repl. p. 36.

Verum ego hoc probaveram ſatis luculenter, ex *Levit.* cap. 23. non ex *Traditionibus Romanenſibus*, (ſed quod ille in Replicatione ſua videtur non animadvertiſſe.) Quippe, ſi dubitet, an Feſtum *Pentecoſtes* incideret in Primum diem hebdomadis, prout inciderat *Reſurrectionis* dies, id conſtare dixeram ex *Levit.* 23. 15. ubi Feſtum illud erat primitus inſtitutum. Nempe *ver.* 5. & ſequentibus, memoratur Paſchatis inſtitutio, *Decimoquarto die menſis primi, eſt Paſcha Jehovæ; & decimoquinto, feſtum Azymorum*, &c. Tum tranſitur ad *Manipulum agitationis*, ver. 10, 11. *Cum ingreſſi in terram illam quam daturus ſum vobis meſſueritis meſſem ejus, tunc afferte manipulum frugum, primitias meſſis veſtræ, ad ſacerdotem; qui agitabit manipulum illum frugum coram Jehova ad acceptationem veſtri: Poſtridie Sabbati agitabit eum Sacerdos.* Poſtridie vero Sabbati, non negabit (credo) hic Author, eſſe *primum diem hebdomadis Judaicæ*.

Si ſcrupulum hic objiciat, num per *Sabbatum* hic loci intelligatur *Sabbatum* illud ſingulis *ſeptimanis* recurrens; an *primus dies azymorum* qui erat inſtar Sabbati celebrandus, *ver.* 7. Id hac in re nihili eſt; (adeoque non opus eſt ut de eo diſputemus; de quo tamen mox dicetur,) quoniam eo anno de quo jam agitur, coincidebat uterque dies; nam primus dies azymorum, erat eo anno dies Sabbati, (ut ex hiſtoria Crucifixionis liquet,) & poſtridie iſtius diei erat primus dies hebdomadis, ipſeque Reſurrectionis Chriſti dies. Nam Crucifixus erat Chriſtus die Sexto, & die proximo (hoc eſt Septimo) erat Feſtum Paſchatis ſeu Azymorum; & poſtridie hujus diei, dies *Agitationis*, idemque dies *Reſurrectionis* Chriſti, primuſque ſeptimanæ.

Tum proceditur ad Feſtum *Hebdomadum*, ſeu *Pentecoſtes*, ver. 15, 16. *Numerate vobis à poſtridie Sabbati, ex quo attuleritis manipulum illum frugum agitationis: Septem Sabbata integra ſunto; uſque ad poſtridie Sabbati ſeptimi, numerate vobis Quinquaginta dies.* Atque ex his *quinquaginta diebus* dicitur Feſtum *Pentecoſtes*, *Act.* 2. 1. 1 *Cor.* 16. 8. Et ex *ſeptem ſeptimanis*, dicitur Feſtum *Hebdomadum* ſeu *Septimanarum*, *Deut.* 16. 9, 10. Cumque à *Poſtridie Sabbati* ad *Poſtridie Sabbati* numerantur (incluſive) quinquaginta dies; certum

eſt, cum *Reſurrectionis* dies fuerit *primus Hebdomadis*, etiam dies *Pentecoſtes* erit *Hebdomadis Primus*. Quod cum tam manifeſtum ſit, mirum eſt hunc Authorem ad *Traditiones Romanenſes* rem referre. Sin nomen *Pentecoſtes* ipſi diſpliceat; non id ex *Traditionibus Romanenſibus* acceperam, ſed ex *Act.* 2. 1. *Act.* 20. 16. & 1 *Cor.* 16. 8.

Quod autem *Sabbatum* hic memoratum (tum in Feſto *Primitiarum*, tum in Feſto *Pentecoſtes*,) intelligendum ſit de *Hebdomadali Sabbato*, (non, de *Primo die Azymorum*,) mihi quidem ſatis conſtat. Quamvis enim tum Primus, tum Ultimus Azymorum dies, tum ipſe Pentecoſtes dies, erat *inſtar Sabbati* celebrandus (*nullum ſervile opus tunc faciendum*;) non tamen *Sabbati nomine* vel hic deſignatur, vel (ſi recte memini) uſpiam alibi in Vetere Teſtamento. Et quidem ſiquis vellet diem *Agitationis*, ſeu Feſtum *Primitiarum*, de *tali Sabbato* exponendum; non tamen *talia ſeptem Sabbata* inde numeranda, ad uſque *Septimi Sabbati craſtinum*, pro diebus illis *quinquaginta* complendis, (non enim *ſepties repetendus* erat primus dies Azymorum, ut forent *talia ſeptem ſabbata*:) de eo igitur Sabbato intelligendum eſt quod erat intra illos quinquaginta dies ſepties repetendum; adeoque de *Hebdomadali Sabbato*. Quod etiam patet ex *Num.* 28. 26. & *Deut.* 16. 9. ubi deſignatur ille *Agitationis dies*, hoc charactere, quod ſit dies ille quo *cœperint falcem in ſegetem immittere*, ſeu meſſem inchoare, *Septem ſeptimanas numerato tibi*; *ex quo cœperit falx immitti in ſegetem, incipito numerare ſeptem ſeptimanas*. Adeoque jubetur ut fiat *poſtridie ſabbati*: Non, ipſo *die ſabbati* hebdomadalis. Quippe hoc diſerte prohibetur, *Exod.* 34. 21. ne fiat Sabbato diei ſeptimi; *Sex diebus operaberis, die autem ſeptimo ceſſato*; *in ipſa aratione & meſſe ceſſato*. Poſſet autem *Craſtinus diei primi azymorum* incidere (ut ſæpe incidebat) in diem *hebdomadalis Sabbati*, (nempe, quoties dies decimus ſextus primi menſis foret hebdomadale Sabbatum,) quo itaque non erat inchoanda meſſis. Adeoque cautum eſt, ne in hebdomadale Sabbatum contingeret (ſed poſtridie Sabbati,) tum *Agitatio manipuli Primitiarum*, pro inchoanda meſſe; tum *Agitatio panum*, in die Pentecoſtes, quaſi pro meſſe jam completa; *Levit.* 23. 10, 15, 17. Adeoque abunde conſtat, diem Pentecoſtes, in Craſtino Sabbati, hoc eſt, die Dominico, (hebdomadis primo) incidiſſe. Siqui, *Sabbatum* hic memoratum, (non de *hebdomadali ſabbato*, ſed) de *Primo die Azymorum* intelligendum ſenſerint, (eorum pace dixero) erraſſe credo; ſed hoc rem præſentem non turbat, cum, eo anno de quo agitur, idem erat uterque dies.

Jamque ſi tam intentus eſſem ſtatuminandis *Inſtitutionibus*, ut quandoque videtur hic Scriptor, opportunus hic locus eſſet arguendi, pro *Inſtitutione* diei Dominici, ſaltem ut in Typo præfigurati, ab hoc Feſto Pentecoſtes. Nimirum, quod, præter *Sabbatum Hebdomadale* diei Septimi, præceperat Deus *Pentecoſtes* Feſtum, *Poſtridie iſtius Sabbati*, adeoque *primo die Hebdomadis*. Quod quidem *Pentecoſtes* Feſtum, pro *Sabbato* cenſendum erat; *nullum ſervile opus* tunc præſtandum erat, *Levit.* 23. 1. (atque ab hoc ipſo Scriptore diſerte nuncupatur *Sabbatum*, Repl. p.48.) quaſi *Typus* foret ſeu *Anteceſſor* diei *Dominici*, ſeu *Sabbati Chriſtiani*, quod ſucceſſurum foret *Poſtridie Sabbati Judaici*.

Idem dixerim de Oblatione *Manipuli Agitationis*, ver. 10, 11. quæ facienda erat *poſtridie Sabbati*, ver. 11. & vocatur *Feſtum Primitiarum*; (*Afferte manipulum frugum, primitias meſſis veſtræ*, ver. 10.) Nec, ante hanc oblationem factam, licebat comedere, vel *Panem*, vel *ariſtas toſtas*, vel *ſpicas virentes*, ver. 14. Atque, alluſione facta ad hoc *Feſtum Primitiarum* (Poſtridie Sabbati) *Chriſtus ipſe* (qui à morte ſuſcitatus eſt Primo die hebdomadis) dicitur *ex mortuis ſuſcitatus, Primitiæ factus eorum qui obdormierunt*, 1 Cor. 15. 20. Iterumque ver. 23. *Unuſquiſque ſuo ordine; Primitiæ Chriſtus, poſtea qui ſunt Chriſti, in adventu ipſius*. Quæ quidem *Primitiarum* exhibitio, tum in *Typo*, tum in *Anti typo*, fuit *Poſtridie Sabbati*. Ipſaque Feſta tum *Primitiarum*, tum *Pentecoſtes*, erant *quaſi-Sabbata*, (*convocationes Sanctæ*, quibus *nullum ſervile opus faciendum*;) tanquam *anteceſſoria* novi *Sabbati*, ſucceſſuri, *Poſtridie* Sabbati diei *Septimi*.

Nec multo aliter arguendum ex *Pſal.* 118. (ut ſuo loco poſt videbitur,) ubi parilis inſinuatio videtur Novi aliquando Sabbati inſtituendi. Prout etiam ex *Pſal.* 95. arguit Apoſtolus ad Hebræos, Capp. 3. & 4.

Sed probaturum ſe ſperat ex Verbo, Repl. p. 36. *incidiſſe Pentecoſten in ipſo Sabbato diei Septimi, non die primo*. Mirum hoc; cum diſerte dicatur eſſe, *poſtridie Sabbati ſeptimi*, Levit. 23. 11. *Chriſtus*, inquit, *Paſcha celebravit uno die, alio vero Judæi*. Eſto. Sed, quocunque die Chriſtus celebraverit Paſcha, hoc non facit quin *Poſtridie Sabbati* fuerit *Primus dies Septimanæ*. *Non certus*, inquit, *eſt, quis fuerit dies quinquageſimus à vero die quo Chriſtus cum diſcipulis ſuis celebravit Paſcha*. Et quidem, ſi certus eſſet, id ad rem præſentem nihil faceret. Errat enim (tum hic, tum iterum *p.* 48.) cum putat *quinquaginta dies* numerandos eſſe à *die Paſchatis*. Numerandi ſunt à die *Oblationis Manipuli Agitationis*, qui eſt *poſtridie Sabbati*; & dies inde *quinquageſimus*, diſerte dicitur *poſtridie ſeptimi Sabbati*: Sed hæc *ſperata probatio*, tandem dilata eſt (*p.* 37.) in tempus aliud; quod tempus nondum contigit.

Simili errore labitur, cum putat *Menſem Niſan*, Inquiſ. p. 121. eum eſſe *cujus Novilunium ſit primum poſt Æquinoctium Vernum*; Et p. 122. quod *Menſis Niſan inceperit*

poſt

poſt Æquinoctium Vernum. Nam Menſis *Niſan* ſeu *Abib*, ille erat cujus *Plenilunium* (non Novilunium) erat primum poſt vernum Æquinoctium, (ſaltem, quod ſic à Sacerdotibus reputatum erat;) quamvis *Novilunium* ſit *ante Æquinoctium*; poteratque eo prius eſſe per *dies quatuordecim*. *Decima quarta Lunæ* poſſet eſſe *ante Æquinoctium*, modo *Decima quinta Lunæ*, (quod eſt *Plenilunium*, & *primus dies Feſti*,) ſit vel in ipſo Æquinoctio; vel eo Poſterior; vel ſaltem à Sacerdote ſic reputaretur. Quod autem ſuggerit ut dubium, *p.* 122. annon *decima quarta Lunæ numeranda fuerit ab ipſo Æquinoctii die*; ſunt meræ nugæ. Quomodo enim potuerit *Lunæ Decima quarta*, eſſe, *decima quarta ab Æquinoctio*, niſi putemus *Æquinoctium* ſemper incidiſſe in *Novilunio*? Sed hæc ad præſentem controverſiam nihil ſpectant.

Pari confidentia cum hac (de probando Pentecoſten incidiſſe in ipſum *diem Sabbati*, non *poſtridie Sabbati*,) contendit (*Inquiſ.* p. 43. iterumque *Repl.* p. 35, 36.) *Aſcenſionem* Chriſti fuiſſe *die Sabbati*, (& ſic futurum, ejuſdem Adventum ad *Judicium*.) Cum tamen eodem Capite (unde ſic diſputat) diſerte dicitur (*Act.* 1. 3.) moram ejus in terris, poſt Reſurrectionem, fuiſſe *dierum quadraginta*: Quorum Primus fuit ipſe Reſurrectionis dies, Ultimuſque dies Aſcenſionis. Quod ſi primus illorum quadraginta fuerit (ut in confeſſo eſt) Primus dies Hebdomadis; impoſſibile eſt ut eorum Ultimus fuerit hebdomadis dies Septimus.

Sed quoniam id iterum contendit *Repl.* p. 35, 36. videamus quid id ſit, quo nititur. Duplici argumento contendit Aſcenſionis diem fuiſſe diem Sabbati. Primum eſt, quia dicitur *Mons Oliveti* (unde aſcenderit) *ab Hieroſolyma diſtare itinere Sabbati*; adeoque cenſendum eſt die Sabbati contigiſſe. Alterum, quod *Chriſtus cum diſcipulis ſuis congregati erant, ipſeque illis Prædicavit.*

Dicitur *Act.* 1. 12. *Tunc reverſi ſunt Hieroſolymam à Monte qui dicitur Oliveti, qui eſt prope Hieroſolymam, diſtans itinere Sabbati.* Eſto. Quid inde? *Non poteſt*, inquit, *ille videre, cur expreſſe diceretur, diſtare ab Hieroſolyma itinere Sabbati, niſi quod tum fuerit dies Sabbati.*

Forte ego ipſi alteram oſtendero rationem non minus probabilem. Si vox τότε *tunc*, non hic ſignificet *eodem die* (ſed tantum laxe, *poſt aſcenſionem*,) nihil eſt quod huc ſpectet. Sed, dato quod ſignificet *eodem die*; connexio hæc eſt, *Poſt Reſurrectionem, reverſi ſunt Hieroſolymam, eodem die, quoniam erat* ἐγγὺς Ἱερουσαλὴμ, *prope Hieroſolymam, inde diſtans itinere Sabbati.* Quæ mihi videtur apta connexio; nempe quia non procul aberat Hieruſalem. Præſertim cum aliunde ſciamus, *non* fuiſſe in die Sabbati.

Porro; ſi illud, de *itinere Sabbati*, inſinuaſſe cenſeatur, *Sabbato contigiſſe*; cur *Sabbato Judaico* (diei Septimi) potius quam *Sabbato Chriſtiano* (diei Primi,) ſi dies *Primus* (ut nos cenſemus) jam fuerit *Sabbatum*. Sed *nulla*, inquit, *ratione inferre poteſt ille, Aſcenſionis diem fuiſſe Primum diem Septimanæ.* Recte quidem. (Nec poſſum ego.) Sed argumentum ab *itinere Sabbati*, pariter utrumvis ſpectat. Nam *Sabbatum Chriſtianum* non magis decent *longa itinera*, quam *Sabbatum Judaicum*. Nihilo igitur promotior eſt ad Sabbatum *diei Septimi*, quam *diei Primi*. Utrivis utique pariter ſubſervit hoc Argumentum. Sed, revera, Neutri.

Sed quid hoc ad *diem Judicii*? Nempe, quia dicitur, ver. 11, *Hic Jeſus qui ſurſum receptus eſt à vobis in Cœlum, ita veniet,* ὃν τρόπον, *quemadmodum conſpexiſtis eum proficiſcentem in Cœlum.* Et, quia dicitur, ὃν τρόπον, *eodem modo*, concludit hic Author, etiam *eodem die*; hoc eſt (ut ille putare videatur) *Sabbato diei ſeptimi.*

Piget quidem talibus recitandis detineri. Sed, cum hoc velit, videamus quid porro habet, *Repl.* p. 35, 36. de Itinere Sabbati. *Iter*, inquit, *Sabbati olim reputatum erat, duorum milliarium*; (quam olim, non dicit.) Annon hoc eſt Argumentum à *Traditione*, quam ille toties repudiat? Nuſquam enim, quod ſciam, in ſacris literis determinatur longitudo itineris Sabbatici. *Convenit*, inquit, *ut ipſi videtur inter Geographos, Montem Oliveti ab Hieroſolyma diſtare quaſi duobus Milliaribus.* Eſto. Quid inde? *Civitates*, inquit, *Levitarum extendendæ erant ab exteriore parte civitatis quaqua verſum bis mille cubitos*, Num. 35. 5. Verum hic, ni fallor, erratum eſt. Nam dicitur, ver. 4. *Suburbia illarum civitatum, quæ daturi eſtis Levitis, ſunto à muro civitatis extrinſecus mille cubitorum* (non, bis mille) *circumquaque.* Adeo ut *ab exteriore parte civitatis*, ſive *à civitate extrorſum*, non erant niſi *unum mille Cubitorum*, quaquaverſum; ſed, à *medio* civitatis, *bis mille*; ut ver. 5. *Metimini ab extremo civitatis* (hoc eſt, ab extremis limitibus ad civitatis medium; ſic enim ſe habent verba, *michuts laghir*, ab extra ad civitatem;) *à parte Orientali, bis mille cubitos*; *à parte Auſtrali, bis mille cubitos*; *à parte Occidentali, bis mille cubitos*; *& à parte Aquilonari, bis mille cubitos*; *eritque civitas in medio*; *hæc eſto illis ſuburbia civitatis*: hoc eſt, extremus ambitus ſuburbiorum, in quorum medio ſit civitas. Sed in ver. 4. Civitas ipſa non menſuratur, ſed ſuburbia extra murum civitatis: Sic enim ſe habent verba (*mikkir haguir vachutſa*) *à muro civitatis ad extra.* (Quæ eſt ipſorum verſuum apta conciliatio.) Adeo ut, ab extremis ſuburbiorum limitibus, ad murum civitatis, ſint *mille cubiti*; indeque ad medium civitatis, *aliud mille*; ſitque longitudo ſeu latitudo civitatis (à muro ad murum) *bis mille*

Cubiti,

Cubiti, (non, *bis mille paſſus*, ſeu *duo milliaria*;) atque, ab extremis ſuburbiorum limitibus, ad civitatis medium, *bis mille Cubiti*. Atque, ſi ille ſic intellectum velit, ego non repugno. Sed, quid hoc ad *iter Sabbati*?

Dicit porro; *Quando Arca fœderis ferenda erat verſus Jordanem*, (Joſh. 3. 3, 4.) *ſecuturus erat populus, ita tamen ut intereſſet ſpatium quaſi bis mille cubitorum, non erant illi propius acceſſuri.* Eſto & hoc. Num autem hic, aut alibi in Scripturis, dicitur, quod *Bis mille Cubiti* ſint *iter Sabbati*?

Sed pergit; *Quouſque extendant hi Cubiti, nobis optime dixerint Judæi.* (Melius forte quam vel hic, vel ego. Sed quid inde?) *Qui putant*, inquit, *eſſe quaſi duo milliaria.* Quod ſi ſit, ecquid hoc aliud eſt quam *Judaica Traditio*? non ſic *Scriptum* legitur in Sacro Codice; quod ille toties objicit contra *Traditiones* omnes alias.

Sed quis, quæſo, Rabbinorum omnium ipſi dixerit *bis mille cubitos* eſſe *duo milliaria*? *Ainſworthus* noſter, in Annotationibus ſuis ad *Exod.* 16. 29. (unde horum pleraque mutuatum credo hunc Scriptorem,) cui melius innotuerint Judæi Scriptores, & Menſuræ Judaicæ; eſſe putat non plus *Uno* milliari: *Milliare*, inquit, *Italicum ſeu Anglicanum* (eſtque revera eo minus.) Quorſum igitur velit hic eſſe *duo milliaria*? *Unum Milliare* eſt *Mille paſſus*; & *duo Milliaria, bis mille paſſus*. Num putat ille, *mille cubitos* tantundem eſſe ac *mille paſſus*? Imo vero, ne quidem *dimidium* tanti. Eſt quidem *Cubitus*, quaſi *Seſqui-pes*, ſeu pedis *unciæ octodecim*; ſed *Paſſus* eſt *Pedes quinque*. Non congruunt igitur ipſius vel *Menſuræ* vel *Numeri*.

Aptius dixiſſet, & minori circuitu, (ſi ipſi animus fuerit indicandi, quantum eſſe putaverit iter Sabbati,) *Convenit inter Geographos, Montem Oliveti, ab Hieroſolyma diſtare, quaſi duobus milliaribus; quod hic eſſe dicitur, Iter Sabbati; eſt igitur Iter Sabbati, quaſi duorum Milliarium.* Quod obvium foret & facile. Neque ſe vel nos turbaret (ut ipſe loqui ſolet) *obſcuris conjecturis & incertis quibuſdam* (non Romanenſium, ſed Judæorum) *Traditionibus*; quas conciliare non poteſt. Rabbinorum illi qui putant *Iter Sabbati* fuiſſe *bis mille cubitos*, non putant eſſe *duo milliaria*; & ſiqui putant eſſe *duo milliaria*, putant plus multo eſſe quam *bis mille Cubitos*. Quippe hæc inter ſe conſiſtere non poſſunt. Nec novi ego quemquam (illo priorem) qui *Cubitum* putaverit eſſe *quinque pedes*.

Sed quantumcunque fuerit (plus minuſve) *Iter Sabbati*, id nihil refert ad rem præſentem. Dicit Textus, *Tunc illi* (poſt Aſcenſionem Domini) *reverſi ſunt* (Diſcipuli) *Hieroſolymam, à monte qui dicitur Oliveti*, ὅ ἐστιν ἐγγὺς Ἱερουσαλὴμ, *qui eſt prope Hieroſolymam*, (adeoque non longo itinere diſtans:) ſed quam prope? σαββάτου ἔχον ὁδόν, *diſtans itinere Sabbat.* Sin *Iter Sabbati* tum fuerit apud Judæos nota menſura; annon tantundem eſſet *die quinto* (qui *Jovis* dicitur) & *die ſeptimo* (qui dicitur *Saturni*?) Dicit quidem *prope* eſſe, & *quam prope*; ſed *quoto die* fuerit, non dicit. Sed nec dictu opus erat. Quippe cum ante dixerit, *Quadrageſimum* eſſe à die Reſurrectionis (qui Dominicus erat, ſeu hebdomadis *primus*,) ſatis conſtet (etiam non monitis) quadrageſimum illum diem, eſſe, hebdomadis *Quintum*, non *Septimum*. Sed, quoniam hæc *diſtantia* per longitudinem *Itineris Sabbatici* (receptæ apud Judæos menſuræ) deſignatur; ſuſpicatur hic Scriptor, contigiſſe *die Sabbati*, cum tamen certo conſtet, non die *Septimo*, ſed hebdomadis *Quinto* contigiſſe.

Mihi quidem potius id dictum videtur, ut *Poſteris ſatisfiat*; qui inquiſituri forent, *Quando* contigerit res tam notabilis, qualis erat Dominica in Cœlum Aſcenſio; & Ubinam locorum. Dicit igitur id contigiſſe, die *Quadrageſimo* à Reſurrectionis die (qui fuerat hebdomadis *Primus*;) & in Monte *Oliveti* dicto, qui eſt *prope Hieroſolymam*, (locum celebrem & ſatis notum;) non longius inde diſtans quam quod *die Sabbatico* ambulari ſoleat. Atque de Itinere Sabbati hactenus.

Argumentum aliud quo cenſeri vellet hunc eſſe *Sabbati* diem, eſt, quod *Chriſtus cum Diſcipulis ſuis tum conveniſſet, Chriſtuſque ipſis prædicaverit*, Inquiſ. p. 43.

Verum, ſiquid huic argumento virium ineſt, id nobis potius favet, qui *diem Dominicum* cenſemus eſſe *Sabbatum*. Certum enim eſt, ipſo Reſurrectionis die (hebdomadis *Primo*) *Chriſtum cum Diſcipulis ſuis conveniſſe, Emaunte* prius, & poſt *Hieroſolymis*, ipſiſque *prædicaſſe* utrobique, aliaque peregiſſe quæ Sabbato convenirent vel maxime, (quod interveniente Sabbato Judaico non fecerat.) Iterumque *poſt octo dies*, hebdomadis item Primo.

At unde conſtat eum ipſis *Prædicaſſe*, Aſcenſionis die? Eſt quidem ſatis *probabile*, quocunque die contigerit, valedictorium ipſis Sermonem habuiſſe; ſed non id hæc ita *dicitur*. Dicitur quidem, quod *durantibus illis diebus quadraginta*, quibus ab eis conſpectus eſt, *mandata dediſſe Apoſtolis ſuis, quibus poſtquam paſſus fuit exhibuit ſe vivum multis certiſſimiſque ſignis dicens ea quæ ad regnum Dei ſpectant; ipſiſque (ubi cum illis conveniret) denunciaſſet, ne Hieroſolymis abſcederent, ſed ut exſpectarent promiſſionem Patris, de mittendo Spiritu Sancto, quam ipſis fecerat*, (Act. 1. 2, 3, 4, 5.) quam ego *Prædicationem* eſſe non diffiteor. Sed *quoto eorum quadraginta die* hic prædicaverat, non hic docemur, (ſed tantum, id factum eſſe *durantibus illis diebus quadraginta*.) Sed *Luc.* 24. *ver.* 36. & ſequentibus, (lociſque apud reliquos Evangeliſtas parallelis,) docemur, *quo die* hæc facta ſunt; nempe ipſo Reſurrectionis die. Adeoque, ſi hæc *Prædicatio*, ipſis ſic *congregatis*, probet fuiſſe

Sabbatum,

Sabbatum; probat hebdomadis diem *Primum* fuiſſe Sabbatum. Nihil hic *novum* invenimus, ipſo *Aſcenſionis* die, (*Act.* 1. 6, 7, 8.) præter iſtius Quæſtionis ſolutionem, *Num vellet hoc tempore regnum reſtituere Iſraeli.* Cui reſponſum eſt, *Non eorum eſſe, noſſe tempora ſeu opportunitates quas Pater in ſua ipſius poteſtate poſuit*, &c. Atque, ob hanc tam perſpicuam meam reſponſionem, factum eſſe puto, quod in Replicatione ſua, *p.* 35, 36. de ſecundo hoc ſuo argumento plane ſilet. Oranda autem hic eſt Lectoris venia, quod eum tam diu detinuerim his duobus Argumentis reſpondendo (de Chriſti Aſcenſu die Sabbati,) quæ tam parum id meruerint, aut indigerent. Quibus non obſtantibus, certum eſt Pentecoſten contigiſſe hebdomadis die Primo.

CAP. IX.

Exemplum Quartum; Pauli, Troade. Objectis reſpondetur. Exemplum unum, ſed quo Mos conſuetus innuitur. Διελέγετο, quomodo reddendum. Paulus haud recte inſimulatur Non-conformitatis. Praxis ejus, Doctrinæ congrua. Judæorum & Gentium, diverſa ratio. Judæis indulta, non erant Gentibus imponenda.

QUartum quod urgeo Exemplum, eſt, *Act.* 20. 7. Quod quamvis ſit *Exemplum ſingulare*, ſatis tamen innuit *Communem Praxin*, ſeu *conſuetudinem* ſic faciendi, in imitationem conventuum Chriſti & diſcipulorum ſuorum, ſupra memoratorum. *Primo die Hebdomadis, cum convenerant Diſcipuli, ad frangendum panem, Paulus Prædicavit eis, diſceſſurus poſtridie; & continuavit ſermonem ſuum uſque ad mediam noctem.*

Primo autem die hebdomadis (ſeu, *uno die a die ſabbatorum*, τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων) *coactis diſcipulis* (ſeu *congregatis ipſis Diſcipulis*, συνηγμένων τῶν μαθητῶν,) *ad frangendum panem* (τοῦ κλάσαι ἄρτον,) *Paulus* (διελέγετο αὐτοῖς) *diſſerebat eis* (ſeu, *coram ipſis*,) *abiturus Poſtridie; & protraxit ſermonem* (παρέτεινέ τε τὸν λόγον μέχρι μεσονυκτίου) *uſque ad mediam noctem.*

Quod hic fuerit *Conventus Religioſus*, manifeſtum eſt, per ea quæ peracta ſunt exercitia; Quodque fuerit *Chriſtianus Conventus*, nempe *Diſcipulorum* conventus; atque *ad frangendum panem*, hoc eſt, ad celebrandam *Cœnam Dominicam*, (qui *Chriſtianorum* cultus eſt, non *Judæorum*;) eratque *frequens* conventus, ſeu *numeroſus*, ut ex circumſtantiis liquet; erat utique *ipſorum Diſcipulorum*, τῶν μαθητῶν, (non τινῶν, *quorundam* ex illis;) quales eſſe ſolent ſtati conventus ſolennes, Congregatis omnibus, vel pleriſque omnibus, quatenus id commode poteſt; tanto quidem numero, ut *ad tertiam contignationem* aſcenderint, *ver.* 9. unde cum ceciderit *Eutychus*, de vita fere deſperabatur; quibus *Prædicavit Paulus*, ſeu *Concionem* habuit *bene longam*; *Continuato ſermone ad mediam noctem*; atque hoc τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων, *poſtridie ſabbatorum*, (ut dici ſolet) *primo die hebdomadis*. Qui quidem ſi non habendus ſit ſufficiens *character Conventus ſacri*, pro cultu divino, *Sabbato* convenientis, ſeu *diei ſacræ requietis*, & hebdomadis *primo die* habiti; æqui Lectoris eſto judicium.

Sed multa ſuggerit in contrarium, (ut numero ſuppleatur quod deeſt ponderis.)

Suggerit *Inquiſ.* p. 55. *hoc Exemplum non niſi Unum eſſe, & factum ſingulare, Semel factum.* Atque hoc *Unum*, & *Semel*, repetitum habemus, non *ſemel*, *bis* aut *ter*, ſed ſaltem *decies*, minori ſpatio quam duarum paginarum, *pag.* 55, 56. Sed *unicum* tale Exemplum, de celebrato Sabbato Septimi diei, (ſicubi occurriſſet,) poſt Dei Ceſſationem ab opere Creationis, *Gen.* 2. 2, 3. ante illud *Exod.* 16. quum deſcenderat *Manna*; foret ipſi, ſummo uſui, ad probandum hoc Sabbatum *tunc* fuiſſe obſervatum. Eſt autem, hoc *Unum* Exemplum, ita deſcriptum, ut evidenter inſinuet, id ex *more conſueto* factum. *Primo die Hebdomadis, quum convenerant Diſcipuli ad frangendum panem, Paulus prædicavit*, &c. ſatis inſinuaret, candido Lectori, quod *tunc* convenerant ad frangendum panem, eo *quod fuerit primus dies hebdomadis*, utpote quo ſolitum erat ad hunc finem convenire. Propoſueram ipſi *Diſc.* p. 38. caſum hunc conſiderandum (cui, viſum ipſi eſt, nil reſpondere;) Nempe, ſicubi inveniſſet ipſe, in libro *Jobi* ſcriptum; quod, *quum hebdomadis die Septimo, Jobus ejuſque Amici conveniſſent ad celebrandum cultum Divinum, ſic locutus eſt Bildad*, &c. annon ipſe hoc putaret evidentem eſſe probationem, quod tunc *ſolebant* ſic convenire die Septimo? adeoque *Sabbatum diei Septimi* tunc temporis fuiſſe obſervatum? Id rurſus propono, ſerio conſiderandum.

Diſplicet deinde quod διελέγετο hic reddatur *Preached*, (hoc eſt, *Prædicavit* ſeu *Concionem habuit*;) cum alibi reddatur *Ratiocinatus eſt*, vel *Diſſeruit*. Eſto quidem, quod ſic alibi reddatur. Nolim ego de *Verbo* contendere. Si vox alia magis placeat, dicatur (per me licet) *ratiocinatus eſt*, *diſſeruit*, *tractavit*, *propoſuit*, *Exhibuit*, *locutus eſt*, aliave voce conſimili, & *protraxit*, ſeu *continuavit*, τὸν λόγον, *ſermonem* ſeu *orationem* ſuam, *uſque ad mediam noctem*. Quocunque enim nomine vocetur hæc Pauli *ſermocinatio*; erat certe *Religionis Exercitium*, *Chriſtiano Conventui* congruum, &, hebdomadis *primo die*.

Verum ego non video, (ſi, poſito fervore, rem tandem liceat ſedate agere,) cur diſpli-

cean, vocis διελέγετο, redditio per vocem *Prædicavit*, ſeu *Concionem habuit*. Sic reddi poſſe vocem illam, non ipſe negaverit; nam (*Inquiſ.* p. 45, 55. & *Repl.* p. 32.) ſic reddi vellet vocem illam *Act.* 17. 2. & *Act.* 18. 4. Cur autem ipſi placeat his in locis ſic reddendam eſſe, non autem *Act.* 20. 7. non aliam video cauſam, quam vel contradicendi libidinem (cum Interpretes noſtri aliter reddiderint) quod ſuſpicari nollem; vel potius, quod illic de *Sabbato Judaico* agebatur (ubi vocem *celebratiorem* adhibendam cenſuit;) hic autem, de *die Primo*, (ubi *prædicandi* vocem exiſtimet nimis *ſublimem*.) Cum vero vox διελέγετο reddi poſſit utrovis vocabulo, *prædicavit*, aut *ratiocinatus eſt*, (etiam ipſo fatente, aut potius contendente,) prout ſuaſerint locorum circumſtantiæ: mihi videtur, Interpretes noſtros, ſummo cum judicio, utrobique reddidiſſe vocem illam. Nam illa *Pauli* diſſertatio *Theſſalonicæ*, Act. 17. 2. & *Aquilæ* illa *Corinthi*, Act. 18. 4. non fuiſſe videtur *continua Oratio* (qualem nos *Prædicationem* vulgo dicimus;) ſed *interrupta collocutio* (varios inter collocutores) per modum *Dialogi*; Diſputando *convincens Judæos & Græcos*, puta *Arguendo*, *Reſpondendo*, & *Replicando*, (ut in *Dialogis* & *Diſputationibus* fieri ſolet.) Cumque ita fuerint διαλέξεις, aptius dicuntur *Ratiocinari*, *Arguere* vel *Diſputare*, (ut *Act.* 17. 17. *Act.* 18. 19. *Act.* 19. 9.) quam *Prædicare*; Adeoque, his in locis, Interpretes noſtri recte dixerint *Ratiocinari*. Sed hic loci, *Act.* 20. 7. videtur fuiſſe *oratio continua*, vel *Sermo continuus*, (qualis eſſe ſolet *Concio ad Populum habita*,) non *Interruptus Dialogus*, ut eſt *Diſputantium*. Adeoque dicitur παρέτεινε τὸν λόγον, non διάλογον Et διελέγετο αὐτοῖς *differuit illis*, non σὺν αὐτοῖς *cum illis*. Ideoque aptius redditur hic loci per *Prædicari*, illic aptius per *Ratiocinari*. Sed ſive ſermone *continuo*, ſive *interrupto*, diſſeruerit *Paulus*, perinde eſt ad rem noſtram; nam & *Catechizatio* eſt *Diſcurſus Religioſus* (Sabbato congruus) pariter ac *Concio* ſeu *Prædicatio*.

Sed graviter excandeſcit hic Author, *Repl.* p. 31. quod, ſi hic loci diſpliceat vox *Prædicavit*, dixerim, per me licere, ut ejus loco dicatur *Ratiocinatus eſt*, *diſſeruit*, *tractavit*, vel *exhibuit*; Quippe cum, apud (quos vocant) *Non-conformiſtas* noſtros, jam aliquandiu recepta fuerat (& nimis Affectata) vox *Exhibitio*, quaſi mollior vox quam *Prædicatio*; adeoque cum durum putaverint dicere *Fratres* (quos vocant) *donis instructos* (ſed nullo Eccleſiaſtico munere donatos) *Prædicare* debere, ſeu habere Conciones; mollius dicendum putarunt *Exhibere*. Hoc ut Opprobrium à me objectum putat Non-Conformiſtis (quorum erat vox *Exhibere*, pro qua jam *Loqui* potius dicunt;) & debere me ſaltem abſtinere, id opprobrium inferendo in Paulum, *qui fuit tum temporis* (ut loquitur) *Non-conformiſta Prædicator*.

Verum ego non *Paulum* dixeram *Exhibere*, ſed *Prædicare*; Sin hæc vox ei diſplicuerit, permittebam *ipſi* ſuis uti vocibus, aliiſve quarum ego aliquot enumeravi. Neque ego *Paulum* dixerim eſſe *Non-Conformiſtam*, ſed ipſe eſt qui hoc dicit: & (quantum ego quidem video) immerito.

Dixiſſet potius fuiſſe *Conformiſtam*; ut qui nec Judæorum Conventibus abſtinuit, nec eorum Ritus averſatus eſt, ſed illis ſe *Conformem* exhibuit, ut rebus *licitis*, quamvis non *neceſſariis*. Dicit hic author, *Ad eorum Synagogas acceſſiſſe Paulum, ibique prædicaſſe ſingulis Sabbatis; quo comprehendi & includi putat hic Author reliquum id omne quod ad Sabbatum celebrandum requiritur; ſecus enim, id ipſi objectum fuiſſe legeremus; quod non legimus*, Repl. p. 33. Addo; *Caput ejus totondit Cenchreæ, quia Voto obſtrictus erat*, Act. 18. 18. *Timotheum curavit circumcidendum, quia natus erat matre Judæa*, Act. 16. 1. *Volebat omnimodo Feſtum Celebrare Hieroſolymis*, Act. 18. 21. (hoc eſt, ut ille non male conjicit, *Inquiſ.* p. 122. *Feſtum Paſchatis Judaici*,) atque, in eum finem, *ab Epheſo Hieroſolymam ire*, quamvis mox rediturus. Pariterque *Feſtum Pentecoſtes, ſi foret poſſibile*, *Act.* 20. 16. Et *Act.* 21. 20, 21, 23, 24, 26. in *Ritibus Purificationum*, ſe aſſociavit *quatuor viris qui erant Voto obſtricti*. Atque hoc eo animo, ut ſe vindicaret ab opprobrio illo quod ipſi impingere ſatagebant adverſarii (atque Author hic) quaſi fuerit *Non-conformiſta*; Nempe, *quod Judæos omnes qui ſunt inter Gentes docuerat defectionem à Moſe, quodque non debuerint ipſorum filios circumcidere, nec ſecundum ritus ambulare*, ver. 21. Quam Calumniam ut amoveret, & *Conformem* ſe oſtenderet, (non obſtante quod *ex aliorum ſermone de eo audiverant* adverſarii,) accommodavit ſe ritibus hiſce Purificationis; *ut norint omnes nihil eorum eſſe quæ de ipſo fama acceperant* (quaſi Non-conformi,) *ſed eum ita incedere ut obſervet legem*, ver. 24. nempe, Judæorum legem Cæremonialem; de qua dictum erat ver. 20. *credentes Judæos eſſe zelo accenſos*. Et cum eadem de re accuſatus erat, innocentiam defendit ſuam, *Cap.* 24. 11, 12, 13, 17, 18, 19, 20; & *Cap.* 26. 7, 8, 10, 11. quod *neque contra legem Judæorum, neque contra templum, neque contra Cæſarem, in quoquam offenderat, neque poſſent illi ea probare quorum eum accuſabant*. Et quidem videmus *Lyſiam*, *Felicem*, *Feſtum*, & *Regem Agrippam*, (coram quibus fuerat variis vicibus accuſatus,) in hoc conſentientes, quod *nihil fecerat aut nece aut vinculis dignum*, *Cap.* 23. 23. *Cap.* 24. 22, 23. *Cap.* 25. 18, 19. *Cap.* 26. 31. Juxta quod de ſe profitetur ipſe, quod *Judæis ſe præſtitit ut Judæum*; eratque, *quantum ad eorum legem, irreprehenſus*, 1 *Cor.* 9. 20. *Phil.* 3. 5, 6. Atque hoc quidem, quamvis (etiam hoc Authore profitente, *Inquiſ.* p. 123.) *non fuerit ille, poſt Chriſti mortem, ullatenus obligatus, ad Paſcha celebrandum; ſed fuerit, Chriſti morte, tam*

ab

ab hoc, quam ab aliis Cæremoniis omnibus liberatus ; *ut quæ erant cruci Chriſti affixæ*. Cumque fuerit *Paulus* tam horum obſervans, ad quod tamen minime obſtrictus erat, non video cur debeat illum hic Author ut *Non-conformem Prædicatorem* inſimulare.

Verum quidem eſt, *Prædicaſſe* Paulum Dogmata quædam, quæ, Judæis ad Chriſtianiſmum nondum converſis, non fuerint grata: ſed hoc non facit ut *Non-conformiſta* habeatur, dummodo in *Praxi* ſua ſe conformem præſtitit eis omnibus quæ poſtulat *Lex Moſaica*. Nam, & apud nos, ſunt forte aliqui aliter docentes quam ſecundum *Doctrinam in Eccleſia Anglicana ſtabilitam*, qui tamen nollent propterea pro *Non-conformiſtis* haberi.

Jam vero, ſive *Opprobrio*, ſive *Laudi*, id eſſe *Paulo* velit, quod fuerit *Non-conformiſta Prædicator* : cum tamen ille ſe purgare ſatagit hac accuſatione, cauſaturque *non poſſe Judæos hoc probare* (nec poteſt hic Author) quin *decenter inceſſerit, obſervans Legem* ; fueritque *quantum ad Juſtitiam quæ eſt ex Lege, inculpabilis* ; non debuit hic Author hanc ei notam inurere *Non-conformitatis*.

Nec tamen *ita* Conformem dixerim *Paulum*, quaſi vellet *omnia indiſcriminatim approbare quæ* (ſive recte ſive ſecus) *apud eos reperit quibuſcum vixerit, omniaque deglutire ſine maſticatione*, (prout hic de aliis loquitur, *Repl.* 59, 60:) Sed, quatenus id fieri *abſque peccato* poſſet, *Quamvis ab omnibus liber eſſet, factus eſt omnium ſervus, Judæis ut Judæus, eis qui ſub lege ſunt ut ſub lege, factuſque omnibus omnia ut omnino aliquos ſervaret*, 1 Cor. 9. 20, 21, 22. velletque, in Evangelii commodum, aliis obtemperare, in rebus *licitis*, utut non *neceſſariis* ; Quod agnoſcit hic Author *Inquiſ.* p. 122, 123. in ipſius *celebratione Paſchatis*, quamvis ad id *non fuerit obligatus*. Idemque dixerim de ipſius acceſſu ad *Synagogam Judæorum*, in *eorum Sabbato* ; de *Circumciſione Timothei* ; de ipſius *Purificatione* in Templo ; de *Capitis tonſione, Cenchreæ* ; & horum ſimilibus: & (quantum nobis videtur) in obſervanda tota lege Moſaica.

Nec tamen hinc inſimulandus eſt (ob hanc ejus *συγκατάβασιν* ſeu condeſcenſionem) quaſi *alia docuerit, alia fecerit*, (quod ſubinſinuare videtur hic Author, *Inquiſ.* p. 73.) Nam *docuit* quidem, non adigendos eſſe *Gentiles*, ut ſe ſubjicerent *jugo Cæremonialis Legis*, (cui ſubjecti ne quidem antea fuerant:) Sed *non docuit* (quantum ego ſcio) quod, *Judæis qui erant inter Gentiles*, non licuerit Legem illam obſervare, ſi modo ſe illa ſenſerint obſtrictos. Jubet quidem *Gentiles*, ut *in ea ſe libertate conſervarent, qua Chriſtus eos liberos conſtituerat*, Gal. 5. 1. Phil. 4. 1. Sed *non prohibet Judæis*, quin poſſent *Privilegium* hoc omittere ſeu declinare, ſi ſic perſuaſi fuerint, juſtaque ſe offerebat occaſio, quamvis ipſi pariter ac Gentiles jam eſſent inde liberati. Et, huic *Doctrinæ* ſuæ, *Praxis* erat conformis, dum circumciderit *Timotheum* (ut qui *matre Judæa* natus fuerat;) ſed non *Titum*, qui fuerat à *Gentilibus* ad fidem converſus. Atque hoc huic Authori fuiſſe fraudi puto, quod non ſatis animadverterit diſcriminationem hanc *Gentilium, &, Judæorum inter Gentes* ; quorum erat longe diverſa ratio. Quod ſi ſatis animadvertiſset, vidiſset *Pauli Praxin, Doctrinæ* ſuæ, plane conformem eſse. Sed Pauli Apollogia hactenus.

CAP. X.

Fractio Panis, de Euchariſtia hic intelligenda. Objectis reſpondetur.

ALius qui urgetur ſcrupulus, eſt, de *Fractione Panis* ; num ſcilicet intelligenda ſit de *Cœna Dominica*, an de *communi manducatione*. Sed nec hinc ullatenus promovetur quæ agitur cauſa ſua: ſive enim celebraverint, ſive non celebraverint, Cœnam Dominicam; erat ſaltem *Conventus Religioſus*, (quod agnoſcit ipſe, *Repl.* 33.) fuitque *primo die hebdomadis*. Sed ait, *Inquiſ.* p. 56, 57. (quo itidem reſpicit *Repl.* p. 32.) *Hæc Fractio, poſſet quidem eſſe celebratio Cœnæ Dominicæ* ; (& minime dubium eſt quin fuerit.) *Vel poſſet*, inquit, *eſſe communis manducatio cœnæ ordinariæ* ; *convenientibus amicis, cum poſtridie diſceſſurus eſt verbi Miniſter aliquis, (ſeu ſpecialis amicus alius,) ut una cum eo cœnent præcedente nocte*.

Atqui non dicturum credo, hunc Anthorem, quod putet ipſe, rem hic ita eſse. Quodſi non id ipſe putet, quorſum eſt hæc frivola objectio? Erat hic *Conventus Diſcipulorum τῶν μαθητῶν*, (quaſi totius gregis ut in aliis ſtatis conventibus,) non, *τινῶν quorundam ex illis* : & quidem tanto numero ut ad *tertiam Contignationem, τὸ τρίστεγον*, evecti fuerint: Habitaque eſt *Concio bene longa*. Numquis hoc omne ad *communem cœnam* fuiſse putet? At inquit, *Diſceſſurus erat Paulus poſtero mane*. Eſto. Sed non dicitur eos conveniſse *ut Paulo valedicerent*, ſed *τοῦ κλάσαι ἄρτον ad frangendum panem*. Diſceſſus Pauli eſse potuit (& credo fuit) cauſa cur tamdiu Continuatus fuerit conventus ille; ſed cauſa cur Convenerint, erat, *ad frangendum panem* : Et *occaſio* cur *tum* convenerint, quod fuerit *primus dies Septimanæ*, quo, ut videtur, *ſolebant* ſic convenire. Atque, ſi velit hic candide agere, non video quin ipſi ſic videatur. *Venit Paulus Troada Quinque diebus. Et manſit ibi Septem dies. Primo*

autem hebdomadis die, cum convenirent Diſcipuli ad Frangendum Panem, Paulus ipſis Prædicavit. Annon hæc verborum connexio plane videatur hoc innuere, quod *tum* convenerint *ad frangendum panem*, utpote tum exiſtente *die primo hebdomadis*? Quorſum alias fit mentio *quoto die Septimanæ* hoc contigerat? Alias utique aptior hæc videretur tranſitio, *Manſit ibi ſeptem dies; dieque Septimo* (*ſeu ſeptenorum ultimo*) *convenerunt Diſcipuli, Paulo valedicturi, & cum ipſo cœnaturi, qui erat poſtero mane abiturus.* Si vero ſic dictum fuiſſet, nimirum *die ſeptimo*, (innuendo *ultimum illorum ſeptem*;) non dubium eſt quin hic Author ſtrenue arguiſſet, *Septimi diei Sabbatum*, à Paulo fuiſſe celebratum; idque in Conventu *Chriſtianorum*; nempe *ad frangendum panem.* Quippe tum non dubium ipſi foret, quin *Fractio Panis* hic (ut alibi) innueret *Sacram Cœnam.* Sed quoniam dictum eſt, *primo die hebdomadis*; nunc habebitur pro *Cœna Communi*; tantuſque *Cœtus* conveniſſe putandus erit, ut Paulo poſtridie abituro valedicerent, & cum eo Cœnarent, quod quandoque fit (abiturients amico quodam ſpeciali) convenientibus amicorum aliquot. At vero, ſi hoc id totum eſſe pateat quod hic inſinuatur, cum dicitur, *Conveniſſe Diſcipulos, primo die Septimanæ, ad frangendum panem*; excuſatum me habeat ſi ipſi non aſſenſero.

Quod *Fractio panis* alibi ſit intelligenda de *Cœna Dominica*, non negat; nec videtur dubitare. Et quidni cenſeatur hic idem ſignificare? Ego quidem non ſcio quod uſpiam id aliter ſignificet in toto Novo Teſtamento.

At dicit ille, vocem κλάσας, uſurpatam *Math.* 14. 19. ubi dicitur Chriſtus *fregiſſe* quinque panes & duos piſces in miraculoſo paſtu Virorum quinquies millium; & ſimiliter ἔκλασε *Mat.* 15. 36. ubi dicitur *fregiſſe* panes ſeptem & piſciculos aliquot in paſtu Virorum quater millium; quod itidem repetitur *Mar.* 8. 6, 19. Nec dubium eſt quin vox ea de aliis *fractionibus* paſſim habeatur. Sed quid hoc ad phraſin illam de *Fractione Panis* ſimpliciter dicta? quam Interpretes unanimi conſenſu de *Sacra Cœna* ſolent intelligere: atque hic Author *non negat*, ſed tantum *dubitat* an ſic intelligenda ſit.

Dicit item quod *Act.* 27. 35. de *Paulo* dicitur, *cum accepiſſet panem, gratias egit Deo in conſpectu omnium, &, cum fregiſſet, cœpit edere.* Quod de communi manducatione intellectum vult hic Author. Ego autem non video, cur hoc de *Sacra Cœna* non intelligatur. Sunt fere ipſiſſima verba quæ de Chriſto habentur in ipſa Inſtitutione *Mat.* 26.26. *Jeſus cum accepiſſet panem, & benedixiſſet, fregit deditque diſcipulis, & ait, Accipite, Comedite*; Similiterque *Marc.* 14. 22. *Cum accepiſſet Jeſus Panem, & benedixiſſet, fregit, deditque eis, & ait, Accipite, Edite.* Et *Luc.* 22. 19. *Accepto pane, cum gratias egiſſet, fregit, & dedit eis.* Dicitque *Paulus* 1 Cor. 11. 23, 24. *Dominum Jeſum, ea nocte qua proditus eſt, accepiſſe panem, & gratiis actis, fregiſſe, & dixiſſe, Accipite, Edite.* Et cur hæc omnia non pariter intelligantur de *Sacra cœna* dici, ego nihil video. Non quidem exiſtimo, quod, qui cum *Paulo* in navigio erant, fuerint omnes Chriſtiani: ſed hoc non impedit, quin, qui fuerint Chriſtiani, celebraverint cum *Paulo* Cœnam Dominicam. Non enim puduit *Paulum*, ſe profiteri Chriſtianum, etiam in eo cœtu.

Sed &, pro communi manducatione, intelligendum putat, quod eodem Capite *Act.* 20. habetur, *ver.* 11. Mihi vero contrarium videtur, eandemque plane *fractionem panis* intelligendam eſſe *ver.* 7. & *ver.* 11. Nempe *convenerant ad frangendum panem* ver. 7. & antequam diſcederent *fregerunt panem* ver. 11. non obſtante, quæ intervenerat, interruptione, à Caſu *Eutychi.* Hoc eſt, *convenerunt ad Celebrandam Cœnam Dominicam* ver. 7. *eamque celebrarunt* ver. 11. Quippe ſic ſe habet contextus, *Die primo hebdomadis, cum conveniſſent Diſcipuli ad frangendum panem, Prædicavit eis Paulus, &c.——quumque fregiſſet panem, ——profectus eſt.*

Atque tandem, poſt velitationem hanc, video etiam hunc Authorem haud multum refragari, *Repl.* p. 32, 33, 34. quin hæc *fractio panis* fuerit *Cœna Domini.*

CAP. XI.

Μία σαββάτων, hic intelligenda de Hebdomadis die Primo. Objectis reſpondetur. Eſt Elliptica locutio, pro μία ἡμέρα ἀπὸ σαββάτων. Σάββατον & (in Plurali) σάββατα, promiſcue dicuntur de Uno die.

SED, hoc admiſſo, porro quæritur, an μία σαββάτων, ſit *primus dies hebdomadis*; tum hic loci *Act.* 20. 7. tum 1 *Cor.* 16. 2. *Recordandum eſt*, inquit, *Inquiſ.* p. 57. *quod Græcum μία ſignificat Unum; & εἷς μία ἕν, in noſtra verſione Novi Teſtamenti, centies redditur* (One) *Unam*, (non, Primum.) Et *p.* 58. μία σαββάτων ab ipſo redditur (*one of the Sabbaths*) Unum Sabbatorum. Atque ad eundem ſenſum, *Repl.* p. 34.

Eſtque omnino verum, (& quis neſcit?) quod Græcum μία ſignificat *Unum* ſeu *Unam*; poteſtque forte toties ſic reddi, ſive in noſtra, ſive in alia quavis verſione Novi Teſtamenti, Si autem fuerit ille tam Critice doctus, ut Verſionem (hic loci) meruerit emendare; ſcire

debuerat,

debuerat, quod μία σαββάτων non reddendum erat *one of the Sabbaths*, (*unum Sabbatorum* ;) quippe, ſi hoc dicendum eſſet, foret ἓν σαββάτων, (non μία σαββάτων,) quia σάββατα eſt Nomen Neutrius Generis. Nec magis congrue diceretur Græce (eo ſenſu) μία σαββάτων, quam Latine *Una Sabbatorum*. Nec multo melius id alibi reddit *one of the Week* (unam hebdomadis,) innuendo *unam diem hebdomadis*, hoc eſt *unam aliquam diem*. Quippe, ſi hoc dicendum eſſet, foret τὶς ἡμέρα, non ἡ μία ἡμέρα. Ut certum ſit, quod ἡ μία σαββάτων aliud aliquod innuat quam vel *unam Sabbatorum*, vel *unam aliquam hebdomadis diem* (indefinite ſumptam.) Et ubi dicitur *Math.* 28. 1. *cum luceſceret* εἰς τὴν μίαν σαββάτων, non intelligendum eſt de *una quadam* indefinite, ſed de determinata certaque die, quæ hoc nomine μία σαββάτων deſignaretur. Sic in loco hoc de quo agitur ἐν δὲ τῇ μιᾷ, *in ipſa* μιᾷ σαββάτων. Atque ſic alibi ſæpe. Ubi Articulus demonſtrativus (ἡ, τῇ, τὴν) non eſt otioſus, ſed certam deſignat diem. Et quænam ea ſit, ſatis determinatur, *Marc.* 16. ubi quod dicitur *ver.* 2. μία σαββάτων, *eſt* ver. 9. πρώτῃ σαββάτου. Sed & ex hiſtoriæ circumſtantiis (tum hujus, tum reliquorum Evangeliſtarum,) ſat innoteſcit, ut nec ignorare nec dubitare poſſit hic Author, quæ dies ſit quæ hic dicitur ἡ μία σαββάτων. Cumque non ignorare poſſit quis dies ſit, qui tum in Sacris Literis, tum apud alios Scriptores omnes, dicitur ἡ μία σαββάτων, captioſum eſt objicere, quod μία ſignificat *Unum*. Quicquid enim eſt de voce μία alibi uſurpata, at ſaltem in hac conſtructione, μία σαββάτων nuſquam aliter ſignificat quam *primum diem ſeptimanæ*. Neque enim hic diſquiritur, an congrue dicatur Græce μία σαββάτων, aut quæ ſit ratio hujus conſtructionis, (de quo mox dicetur,) ſed, quis ſit perpetuus ſenſus horum verborum.

Atque in illo Geneſeos loco, (quem ille toties repetit, eique preſſius inſiſtit) *Gen.* 1. 5. *Fuitque veſpera & mane* (jom echad) *Primus dies*: vox *echad* in Hebræo textu, & μία in Septuaginta Interpretum verſione Græca, ſignificat *Unum*; hic tamen Author (etiam poſtquam ei hoc indicaverim) abſque omni ſcrupulo, reddit perpetuo, *Primus dies*. Numerumque Cardinalem pro Ordinali, (tum alibi tum in lingua noſtra Anglicana,) ſæpius poſitum eſſe, ego plurimis exemplis indicaveram. Et ſiquis diceret, quid factum eſſe *una hora poſt meridiem*, nemo non intelligeret de *hora prima*; & ridendus eſſet ſiquis (ſerio) argueret id forte fieri *hora ſexta*, quoniam hora ſexta eſt *una hora*.

Vox *Pridie*, eſt Derivativa (niſi Compoſitam malis dicere) à *præ*, *prior*; & *poſtridie*, à *poſt*, *poſterior*; adeoque *Pridie Calendas* & *Poſtridie Calendas*, tantundem ſignificant, ac *dies Prior*, *dies Poſterior*, quam *Dies Calendarum*. Nemo tamen (ſobrius) id intelliget de *die quovis* ante aut poſt Calendas; ſed de *die proximo* ante vel poſt Calendas; quia certum eſt has voces, Communi uſu, ſic intelligi.

Et ſiquis dixerit Chriſtum fuiſſe Crucifixum *uno die ante Sabbatum*, & ſuſcitatum *uno die poſt Sabbatum*; nemo prudens intelligeret de *die quovis*, ſed de *die proximo*, ante & poſt Sabbatum. Atque hic ſimiliter μία σαββάτων, *una dies poſt Sabbatum*, eſt *dies Proxime poſt Sabbatum*. Cumque noverit ille (nec enim poteſt ignorare) τὴν μίαν σαββάτων, eſſe *proprium nomen* illius diei qui proximus eſt poſt Judæorum Sabbatum; non debuit cavillandi anſam captare, quod μία ſit *unum*. Cumque ſeipſum appellaverim judicem, nuncubi, in ullo Authore, hoc nomen ulli alii diei noverit attributum; in Replicatione ſua nihil dicit.

Quodſi illum male habeat, quod putet μίαν σαββάτων minus accurate dici Græce, pro *die primo*: Id me non omnino movet. Novimus enim in Linguis omnibus, (ſive id neglectu fiat, ſive corrupta loquendi conſuetudine,) multas occurrere locutiones duriuſculas, ſi ad ſtrictam Linguæ analogiam exigantur; quas defendit receptus Uſus; ſuntque ſatis intellectæ.

Duriuſculum forte videatur, quod Græce diceretur τρισκαιδέκατον, τεσσαρεσκαιδέκατον, (hoc eſt, Latine, *tres & decimum*, *quatuor & decimum*,) pro eo quod dicimus *decimum tertium*, *decimum quartum*: Sed ſic dicitur. Et duriuſcule dicitur, ὁ νικῶν δώσω αὐτῷ, *Apoc.* 2.26. *Apoc.* 3. 21. & ὁ νικῶν ποιήσω αὐτὸν, *Apoc.* 3. 12. pro τῷ νικῶντι δώσω, τὸν νικῶντα ποιήσω. Et, ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος. *Apoc.* 1. 4, 8.

Sic Latine dicuntur *idcirco*, *quocirca*, *poſthac*, *quapropter*, *controvertor*, *Pater-familias*, *omne genus homines*, *Æthiops albus dentes*, *pridie calendas*, aliaque multa; quæ Archaiſmum redolent, & ægre reducantur ad analogiam purioris Latiniſmi: ſed, quia ſic dici ſolet, ferenda ſunt.

Similiaque oſtenderam in lingua noſtra Anglicana, quæ non opus eſt ut hic repetam.

Verum ſi curioſius inquirere liceat in conſtructionem hujus formulæ μία σαββάτων, (ut ipſius Criticiſmo, ſeu *paracriticiſmo*, ſubveniam,) dicendum eſt, Genitivum σαββάτων, non regi (ut loquuntur Grammatici) à præcedente μία, quippe tum foret ἓν σαββάτων (adeoque fallitur ille, cum reddit *Inquiſ.* p.58 *unum Sabbatorum*:) Sed, à ſubintellecta Præpoſitione ἀπὸ, aliave ſimili: Ut cum dicitur *pridie Calendas*, hoc eſt, *prior dies ante Calendas*, (& quidem proxime prior;) Sic μία σαββάτων, eſt μία ἀπὸ σαββάτων. Ut ſit plena locutio μία ἡμέρα ἀπὸ σαββάτων. (Subintellecta voce Subſtantiva ἡμέρα in Adjectiva μία, & Præpoſitione ἀπὸ ante Genitivum σαββάτων.) Hoc eſt *una dies* (ſeu *dies proxima*) *poſt Sabbatum*.

Nec quemquam moretur quod σαββάτων dicatur forma Plurali; nam σάββατα (forma *plurali*) eſt nomen unius *ſingularis* diei; ut ſunt *Calendæ*, *Nonæ*, *Idus*, &c. Ut fuſius dicetur in ſequentibus.

Eſt itaque μία σαββάτων Elliptica locutio, ſeu Curta loquendi formula, qualis in omnibus linguis uſu venire ſolet, in formulis frequentioris uſus; ubi aliquid Supplendum eſt, ad Implendum ſenſum. Sic *Ventum erat ad Veſtæ*, (*ſubaudi Templum.*) *Hujus video Byrrhiam*, (*ſubaudi ſervum.*) *Hectoris Andromache*, (*ſubaudi Uxor.*) Aliaque innumera. Sic diceremus Anglice, *Acceſſi ad S. Mariæ*, (*ſubaudi Templum.*) *Veni à Trinitatis*, (*ſubaudi Collegio.*) *Concionatus eſt in S. Michaelis Cornhill*, (*hoc eſt, in Templo S. Michaelis in vico Cornhill.*) *Vivit in Margaretæ Weſtmonaſterii*, (*hoc eſt, in Parochia S. Margaretæ in Urbe Weſtmonaſterii.*) Et vix legas Inſcriptionem Epiſtolæ in Tabellarii manibus, quin talem notes Ellipſin. Atque habet hic ipſe *Inquiſ.* p. 118. *Sabbati* pro *Die Sabbati* ſeu *In die Sabbati*. Atque ut Latine dicitur *Tertio Calendas*, ſeu *Calendarum*, pro *tertio* (*die ante*) *Calendas*, ſeu *diem Calendarum*; Sic Græce μία σαββάτων, pro μία (ἡμέρα ἀπὸ) σαββάτων, hoc eſt *una* (*dies poſt*) *Sabbatum* ſeu *diem Sabbatorum*. Et prout dicimus *una hora, duabus horis, tribus horis, à meridie*; pro *prima, ſecunda, tertia hora poſt meridiem*: ſic *unus, duo, tres dies à Sabbato*, ſunt *prima, ſecunda, tertia dies poſt Sabbatum*; ſeu *prima, ſecunda, tertia dies Septimanæ*. Et μία σαββάτων, hoc eſt *prima dies poſt Sabbatum*, non male redditur à noſtris (ut ab aliis) *the firſt day of the Week* (*prima dies hebdomadis*;) non quod hæc ſit *literalis redditio* illarum vocum; ſed quod hic ſit dies eis vocibus deſignatus, atque hæc notiſſima & maxime familiaris iſtius diei deſignatio. Sic *Rom.* 3. 4, 6. *Rom.* 6. 2. *Rom.* 9. 14. μὴ γένοιτο, (*abſit*) à noſtris non male redditur *God forbid* (*Deus prohibeat*;) non quod hæc ſit literalis redditio, (quaſi μὴ ſignificet *God*, & γένοιτο *forbid*;) ſed quod hæc ſit apud nos *abhorrentis* formula, cui reſpondent Græcorum μὴ γένοιτο. Et 2 *Joh.* ver. 14. χαίρειν αὐτῷ μὴ λέγετε, non male reddimus, *bid him not God ſpeed*, quia *God ſpeed* eſt apud nos recepta formula, quo ſenſu Græci dicunt χαίρειν.

Tandem agnoſcit hic Author *Repl.* p. 34. quod μία σαββάτων *Act.* 20. 7. *putat poſſe intelligi de primo die ſeptimanæ*, (dixiſſet potius, quod *putet, ſic intelligendum eſſe*, certe non putat *non ſic* intelligendum eſſe;) ſed etiamnum ſuggerit, quod μία ſignificat *unum*. Recte quidem; ſed ἡ μία, non ſignificat τις, ſed *certam* diem hic dictum. Et *dies illa quæ dicitur una poſt Sabbatum*, non idem valet quod *una quædam dies ſeptimanæ*; ſicut *una hora à meridie*, non idem eſt ac *una hora diei*.

Et quidem cum tandem fateatur, *Repl.* p. 28, 34. *Inquiſ.* p. 58. quod μία σαββάτων *communiter* intelligitur de primo die hebdomadis; & quibuſdam in locis ſic *certo* intelligitur; & *poſſit* ſic intelligi hoc in loco; & *probabiliter* ſic intelligendum ſit; (addidiſſet etiam, nec uſquam alibi aliter intelligitur; nec ullam ipſe prætendit cauſam quo minus hic loci ſic intelligatur;) non ſuccenſere nobis debet, quod *Paulum* putemus *die primo* hebdomadis ſic *prædicaſſe*, & *cœnam dominicam* celebraſſe, in *magno hoc Conventu, Troade*; atque hanc vitilitigationem nihili eſſe, quod μία ſignificet *unum*.

CAP. XII.

Veſpera diei Primi, non intelligenda de Solis Occaſu diei ſeptimi. Objectis reſpondetur. De diei Principio, diſſertatio. Non, ab Occaſu Solis, ſed à Media Nocte. Veſpera reputatur pars diei præcedentis, non ſubſequentis. Id evincitur, ex hiſtoria Reſurrectionis Chriſti. Ex hiſtoria Crucifixionis. Ex Act. 23. 32. *Ex* Macrobio, *de Romanorum Computo. Quod admittit hic Scriptor, & de Computo Noſtro. Lapſus eorum qui putaverint Judæorum dies inchoandos ab Occaſu Solis. Id oſtenditur ex hiſtoria Paſchatis Judaici. Inter duas Veſperas, quid ſit. A veſpera ad veſperam, eſt, à fine Unius veſperæ, ad finem alterius. Pariter ex Nehemia.*

SED alia reſtat Impetitio qua locum hunc ſatagit eludere, *Inquiſ.* p. 55, 56, 57. *Repl.* 33, 34. Contentus erit ut cenſeatur μία σαββάτων *primus dies hebdomadis*, ſi admittemus *diem primum* incepiſſe à *ſolis occaſu* diei Septimi; (nempe, ſi ſibi ſubſervire poſſit, patietur ut ſit *dies primus*; ſi ſecus, non erit.) *Sibi videri dicit* (fortaſſe quidem) *ipſiſque*, inquit, *qui hunc locum urgent*, (ſed cave hoc dicat, nam ſecus eſt,) *quod hæc Pauli prædicatio* (primo die hebdomadis, ad mediam noctem continuata,) *fuit in ipſa veſpera poſt diem ſeptimum*, (quam nos diceremus veſperam diei *Saturni*,) *quum abiturus fuerit Paulus poſtridie, hoc eſt, die Solis, mane.* Nempe, *poſt Cœnam diei Saturni prædicavit Paulus, &, collocutus inde ad diluculum, tunc diſceſſit, quod videtur* (huic ſcriptori) *fuiſſe, mane diei Solis.* Ipſique diſplicet (*Repl.* p. 33.) quod ego hoc putaverim *lepidum commentum*, quod ille putat *ipſiſſimum eſſe factum*.

Sed, quicquid *ipſi* videatur, nolim porro *putet, id ſic videri urgentibus hunc locum.* Quippe ipſe *primus* eſt, (& credo *ſolus*,) qui putet eos, qui hunc locum urgent pro *Sabbato diei Dominici*, ſic intelligere locum hunc, quaſi *Paulus* cum prædicaverat in veſpera diei *Saturni*, diſceſſerit primo mane *diei Dominici*.

Verum

Verum hoc altius ſpectat ; Nempe ut introducatur nova diſquiſitio, non tam *quoto die* Sabbatum ſit celebrandum, quam *quota hora* inchoandum ſit. Quippe hoc contendit ; tum celebrandum eſſe Sabbatum hebdomadis *die Septimo* ; tum inchoandum eſſe hunc diem ab *occaſu Solis* diei *Sexti*. Atque hinc contendit, veſperam *diei primi*, (qui *Solis* dicitur,) qua Prædicavit *Paulus*, eam fuiſſe quam nos vocamus Veſperam diei *Saturni*, exeunte die Septimo : quæ, cum fuerit initium diei primi, vocatur dies primus. Atque ſic locutos contendit, tum *Lucam* hic loci, tum omnes ſcriptores ſacro ; eo quod dicatur *Gen.* 1.5. *Fuitque veſpera & mane dies primus.*

Oſtenderam autem ego, *Diſcurſ.* p. 22, 23, 24, 25, 26, 27, 28, 31, 32. (ſatis luculenter ut mihi videtur,) quod, tum in Novo, tum in Veteri Teſtamento, reputaretur *Veſpera*, ad diem *præcedentem* pertinere, (ejuſque partem eſſe,) non, ad ſequentem.

Hoc oſtenderam primo ex hiſtoria Reſurrectionis Chriſti ; die nimirum quo Reſurrexit à mortuis, qui inceperat multo mane, ante ortum Solis, dum adhuc erant tenebræ ; & nondum finitus erat niſi ſero veſperi.

Dicitur de *Maria Magdalena reliquiſque Mulieribus*, Luc. 23. 55, 56. *Spectarunt Monumentum & quomodo poſitum erat corpus ejus ; reverſæ vero paraverunt aromata & unguenta* : (nempe die ſexto quo crucifigeretur,) *& Sabbato quidem quieverunt ſecundum mandatum* : Et, proximos verbis, Luc. 24. 1. *Primo autem die hebdomadis, profundo diluculo, venerunt ad monumentum, ferentes quæ paraverant aromata ; & nonnullæ cum ipſis.* Mat. 28. 1. *Extremo autem Sabbato, cum luceſceret in primum diem hebdomadis, venit Maria Magdalena, & altera Maria, ut ſpectarent Sepulcrum.* Marc. 16. 1, 2. *Exacto interveniente Sabbato, Maria Magdalena, & Maria Jacobi mater, & Salome, emerant aromata, ut venientes ungerent eum : & valde mane, primo die hebdomadis venerunt ad monumentum, exorto ſole,* ſeu *exoriente ſole.* (Forte non omnes mulieres eodem momento venerant, ſed ſaltem omnes aderant exoriente Sole ; quarum Maria Magdalena videtur advenîſſe omnium prima.) *Joh.* 20. 1. *Primo die hebdomadis Maria Magdalena venit mane, cum adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum.* Sed jam antequam venerant, reſurrexiſſe Jeſum, Corpuſque jam abiiſſe, conſentiunt omnes Evangeliſtæ.

Ubi liquet, Sabbatum (juxta illorum computum) non finitum fuiſſe, uſque ad Mane diei craſtini. *Extremum Sabbati,* ſeu *cum finitum eſt Sabbatum,* erat *multo mane, ante Solis ortum, cum luceſcere inceperat, in diem primum, & erant adhuc tenebræ.* Multo mane quidem, ſed non niſi *Mane*, (non, ineunte veſpera præcedente.) Et (quotocunque tempore cenſeretur incepiſſe Sabbatum diebus *Moſis*) manifeſtum eſt, hoc tempore, cenſebant illi Sabbatum, alioſque dies, non à principio Veſperæ ad principium veſperæ ; ſed (ut cenſebant Romani) à Media nocte ad mediam noctem.

Et quidem, ſi finitum fuiſſet Sabbatum ineunte Veſpera Septimi diei, potuiſſent Mulieres ea nocte accedere ad Sepulcrum, non expectato, Mane poſtero. Quippe cum Sol occideret, hac anni tempeſtate (circa Vernum Æquinoctium) circiter horam ſextam poſtmeridianam, ſufficeret tempus (poſt occaſum Solis) *ferendis & adhibendis unguentis & aromatibus* ea nocte, (præſertim cum tum fuerit plenilunium,) ſi finitum eſſet Sabbatum. Nihil impediebat, niſi quod *nondum finitum fuerit Sabbatum ; fueritque quieſcendum ſecundum mandatum.* Sed, quamprimum finitum fuerat Sabbatum, venerunt poſtridie *multo mane*, dum adhuc fuerint *tenebræ* ; quod feciſſent veſpera præcedente ſi finitum fuiſſet Sabbatum occaſu Solis.

Addo ; ſi tum finitum fuiſset Sabbatum (occidente Sole) dieſque Primus Septimanæ tum inceperit (quod vult hic Scriptor,) potuiſſet Chriſtus ſurrexiſſe ea veſpera (quippe tum fuiſſet *dies tertius* ;) non expectato poſtero mane, ut haberetur tertius dies ; quod non feciſſe conſtat.

Manifeſtum igitur eſt, incepiſſe diem Primum hebdomadis, à Media nocte ; non ab occaſu Solis diei Septimi : & Surrexiſſe Chriſtum *multo mane* diei Primi, dum adhuc erant *tenebræ*. Quærendum proxime, quamdiu *duraverit* ille Primus dies.

Cum ſurrexerat Chriſtus *multo mane*, dum adhuc erant *tenebræ* ; (quam *cito*, non conſtat ; ſed erat *mane*, non veſpera præcedente :) Apparuit primum *Mariæ Magdalenæ* & reliquis *Mulieribus* quæ ad Sepulcrum venerant. Illæ, ut juſſum erat, rem *renunciarunt Diſcipulis. His euntibus,* (Math. 28. 11.) *quidam ex cuſtodia venerunt in urbem* (*exterriti,*) *& renunciarunt primariis ſacerdotibus quæ acciderant omnia ; Qui, habito prius conſilio cum Senioribus congregatis, multos nummos dederunt militibus, ut dicerent, Ipſis dormientibus, veniſſe Diſcipulos ejus, eumque ſuffuratos eſſe* : Et ſuſceperunt ſe *ſecuros præſtituros milites, ſi Præſes hoc reſciverit.*

Cum diſcipuli à Mulieribus rem hanc reſciverant ; eorum *Duo* (à reliquis) ſepulcrum adierunt ; &, reverſi, retulerunt rem ita eſſe : fueruntque omnes Attoniti. Atque hæc omnia acciderant, jam ante quam illi Duo qui *Emaunta* proficiſcerentur, id iter inchoaverant : Nam de his in itinere collocuti ſunt ; Chriſtoque, qui ipſis obvenerat, nunciarunt, *Luc.* 24. 19, 20, 21, 22, 23, 24.

Erat autem eorum iter, (*Hieroſolymis Emaunta,*) *ſtadiorum quaſi Sexaginta,* (quod recte

computat

computat hic Author, eſſe ex noſtris *Milliaribus*, quaſi *ſeptem cum ſemiſſe.* Et pedibus incedebant, (non equis vecti;) nam *ambulaſſe* dicuntur *Marc.* 16. 12. *Luc.* 24. 17. Et *Jeſus* (itinerantibus ſe aſſocians) expoſuit eis, longo ſermone, (*ex Moſe & Prophetis,*) quæ *Mortem* ejus & *Reſurrectionem* ſpectabant.

Cumque jam (confecto itinere pedeſtri Milliarium quaſi *ſeptem cum ſemiſſe*) ſuaſerunt ipſi (qui videbatur porro profecturus) ſecum *Emaunte* manere, eo quod jam *adveſperaſceret & inclinaret dies*; quaſi jam incommodum eſſet (niſi rebus urgentibus) ultra proficiſci. Manſit itaque cum illis aliquandiu, paria docens ut prius; & tandem eis *agnitus* eſt *Fractione panis*, ver. 30. 35.

Poſtea *Hieroſolymam* redierunt, (ſuſcepto, ſecunda vice, itinere *Milliarium ſeptem cum ſemiſſe,*) atque hæc renunciarunt *Diſcipulis tum Hieroſolymæ congregatis*, ver. 33.

Atque jam merito putemus, (cum jam, poſtquam *adveſperaſceret*, peregerant, ſecunda vice, iter milliarium *ſeptem cum ſemiſſe,*) adveniſſe noctem, (occidente Sole quaſi hora ſexta,) quippe cum *adveſperaſceret* jam antequam acceſſerant *Emaunta*.

Attamen, poſt hæc omnia, *comparuit ipſis Jeſus, benedixit* ipſis, *exprobravit* ipſis *incredulitatem* ſuam, *fidem confirmavit* (expoſitis *manuum laterisque* vulneribus, *contrectandis*, eſuque *victûs*;) enarravit (ex *Moſe, Prophetis,* & *Pſalmis,*) quæ ipſius *Mortem* & *Reſurrectionem* ſpectarent (ut illis ante proficiſcentibus *Emaunta*;) *mandata* dedit, & *poteſtatem* fecit, *Prædicandi Evangelium,* & *Plantandi Eccleſiam Chriſtianam*; *afflavit* eis *Spiritum Sanctum*; aliaque peregit quæ ibi narrantur.

Quibus peractis omnibus, etiamnum erat *idem dies veſperi, hebdomadis dies Primus,* Joh. 20. 19. quo ex mortuis Reſurrexerat. Sed jam, ſera nocte, *concluſis foribus*, ut fieri ſolet decubituris. Non quod Chriſtus per ſeræ foramen ſe inſinuaverit, aut fores penetraverit (quod volunt Pontificii ut earum *Tranſubſtantiationi* faveatur,) magis quam illi *Duo* qui *Emaunte* venerunt. Nam non ita clauſæ erant fores quin ut occaſione juſta recludi poſſent; ut jam modo pro intromittendis Duobus illis, & alibi pro intromittendo *Petro*, (ſero noctis) *Act.* 12.16.

Adeoque à *primo mane*, (cum jam erant *tenebræ,*) ad *ſerum noctis*, (prope *noctem mediam,*) erat *unus idemque dies, Hebdomadis Primus.* Mihique videtur *ſignanter dici* Joh. 20. 19. hoc contigiſſe *eodem ipſo die hebdomadis primo*, ut certo conſtet (quicunque fuerit dierum computus apud veteres Judæos) Chriſtianum ſaltem dierum computum, eſſe, à media nocte ad mediam noctem, atque ſic reputandum eſſe *diem Dominicum* ſeu *diem Primum* hebdomadis Chriſtianæ.

Manifeſtum igitur eſt, quod, circa Chriſti tempora, tum *Judæi*, tum quatuor *Evangeliſtæ*, (ſecundum computationem Novi Teſtamenti,) dies cenſebant ſuos, non, ab ineunte veſpera ad ineuntem veſperam; ſed, à media nocte ad mediam noctem. Quod ni fecerint, non dicendus eſſet Chriſtus (*Mat.* 12. 40.) fuiſſe *tres dies & tres noctes* (hoc eſt, tria νυχθήμερα.) *in corde terræ*, hoc eſt, in ſepulcro. Nam advenerat *Veſpera* diei ſexti priuſquam ſepultus fuerit; ut oſtenſuri ſumus.

Quodque jam oſtendimus à die *Reſurrectionis*, oſtenſurus item ſum à die *Crucifixionis*. Quæ geſta fuerant in principio iſtius diei, non opus eſt ut repetam. Puta, Quid primum factum eſt in Aula *Caiaphæ*, & coram *Synedrio*; Quid coram *Pilato* prima vice; Quid coram *Herode*; Quid item coram *Pilato* ſecunda vice. Sed inde ordiamur. *Poſt ſextam horam* (hoc eſt, poſt *meridiem*) *tradidit eum Pilatus, Judæis, ut crucifigeretur*; *qui abduxerunt eum*, Joh. 19. 14, 16. Poſtea paranda *Crux* erat, quam ipſe *ferret* ad *Montem Calvariæ* (qui quaſi tantundem ab *Hieroſolyma* diſtabat ab una parte, quantum ex altera parte *Mons Oliveti*; quod eſſe putat hic Author, *Repl.* p. 35, 36. quaſi *duo milliaria.*) Nec putandum eſt admodum citato gradu inceſſiſſe, cum ille *ferret Crucem* ſuam, vel (ipſo fatiſcente) *Simon Cyrenæus*. Cum eo pervenerant, *Erigenda* Crux erat; & ipſe *figendus cruci*. Atque jam adveniſſe putemus *horam tertiam* poſtmeridianam, quæ eſt eorum *hora nona*. *Poſt horam nonam* (hoc eſt, *poſt teriam poſtmeridianam*) clamavit *Eli, Eli, lama ſabacthani*; atque adſtantes ludificabant eum quaſi *vocaſſet Eliam*; & *latrones*, vel *ſaltem eorum alter*, convitiatus eſt eum. Tunc abierunt, *allatum Spongiam*, (e quam longe, non liquet,) atque *fel & acetum ei bibendum porrexerunt*. Poſteaque (quam multo poſt, neſcimus,) *Clamavit Iterum voce magna, & emiſit ſpiritum*, Marc. 15. 34, 37. Quantum temporis (poſt horam nonam) hæc abſumpſerint, non certo ſcimus. Sed non eſt improbabile (quamvis non diſerte dicatur) vel adeſſe, vel inſtare *Solis occaſum*, cum ipſe *ſpiritum efflavit*; ut non tantum eodem *die*, ſed & eadem *hora*, mactaretur verus *Agnus Paſchalis*, qua mactandus erat *Typus*; hoc eſt, *ad occaſum Solis*, Deut. 16. 6. Eratque circa *Solis occaſum*, cum *venerunt milites, ut frangerent crura duorum latronum*, quia *nondum erant mortui* cum tempus fuerit *tollendi eos de cruce*, (hoc eſt, ut innuit hic Scriptor, *Repl.* p. 30. ex *Joſh.* 10. 26, 27. *ad occaſum Solis*, juxta illud *Joſh.* 8. 29. & *Deut.* 21. 23.) Ejus autem *crura* non fregerunt, ſed *latus* penetrarunt, *quia jam mortuus* erat, *Joh.* 19. 31, 32, 33, 34. Atque tum quidem (ut obiter id moneam) ſi Latro ille adhuc viveret, quomodo intelligendum erit

illud

illud Chriſti, *Hoc die mecum eris in Paradiſo*, niſi extenderit *hic dies*, ultra occaſum Solis.

Sed poſt hæc omnia, multo adhuc ſerius erat, quum *Joſephus Arimathæenſis petiit à Pilato corpus Jeſu*; nam diſerte dicitur, ὀψίας γενομένης, *cum ſerum diei eſſet; venit homo dives Arimathæenſis, Joſephus, & petiit corpus ejus*; hoc eſt, *poſt occaſum Solis*, (nam pluribus contendit hic Author, *Repl.* p. 30. quod *Veſpera*, vel *Serum diei, incipit ab occaſu Solis*:) Quod non ſtatim conceſſum eſt; quia dubitavit *Pilatus, an jamjam mortuus fuerit*; & rem diſtulit donec id reſciverit; quod eſſe non potuit, donec aliquis, qui à *monte Calvariæ* venerat (quaſi per duo milliaria) poſtquam fuerit ille mortuus, *Pilatum* de hoc certiorem faceret. Et poſtquam conceſſum erat, aliquid temporis impendendum erat, *redeundo ad Montem Calvariæ, tollendo de cruce Corpus, emendo puram Syndonem, eaque involvendo corpus, illud ſepeliendo in novo monumento ſuo*, *Mat.* 27. 57, 58, 59, 60. *Marc.* 15. 42, 43, 44, 45, 46. *Luc.* 23. 51, 52, 53.

Sed quamvis *ſerum dies* jamdudum eſſet, nondum tamen aderat Sabbatum. Nam, poſt hæc omnia diſerte dicitur, *erat autem dies Paraſceves, & Sabbatum inſtabat*, ἐπέφωσκε. *Luc.* 23. 54.

Verum adhuc plura ſuperſunt geſta, priuſquam inceperit Sabbatum. Quippe *Mulieres* (*Maria Magdalena* aliæque) *ſpectarunt monumentum, & quomodo poſitum erat corpus ejus* (jam ſepultum;) *reverſæ vero paraverunt aromata & unguenta*; atque tum tandem *Sabbato quieverunt ſecundum mandatum*, ver. 55, 56. Ut neceſſe ſit, jam *ſeram noctem* adveniſſe, antequam hæc omnia peragerentur; necdum inceperat Sabbatum.

Sed inquit, *poterant hæc omnia peragi ante occaſum Solis*. At quomodo? cum *incipiat Veſpera ab Occaſu Solis*, Repl. p. 30. fueritque jam *facta Veſpera* (ὀψίας γενομένης) *quando Joſephus à Pilato petiit Corpus ejus*, Mat. 27. Mar. 15. Luc. 23. fuerintque poſtea tot peracta? Mirum potius videatur, quod potuerint hæc omnia peragi (eundo & redeundo) ante mediam noctem. Non igitur incepit Sabbatum ab Occaſu Solis diei Sexti.

Sed nec finitum erat Sabbatum Occaſu Solis diei Septimi. Nam, ſi id eſſet, *Mulieres*, quæ jam ante *paraverant Aromata & Unguenta*, potuerant eadem adhibere, ea ipſa Veſpera, poſt *occaſum ſolis*, (hoc eſt, poſt horam ſextam poſtmeridianam, quia proxime poſt Æquinoctium Vernum;) *ſplendente item Luna* (quippe vixdum præterierat, ſi præterierat, dies Plenilunii;) nec impedirent nocturnæ *tenebræ*, (nam poſtero mane veniebant, *dum adhuc eſſent tenebræ*;) id ſolum obſtabat, quod *nondum peractum erat Sabbatum*, & *requieſcendum erat Sabbato ſecundum mandatum*. Adeoque expectarunt, donec ἐπιφωσκούσῃ *ingruebat* mane diei Primi. Atque (niſi hoc eſſet) potuiſſet Chriſtus ea Veſpera ſurrexiſſe, cum jam inceperit *dies tertius*. Sed & necdum fuiſſet *tribus diebus, in corde terræ*, (hoc eſt, in ſepulcro,) niſi *Veſpera diei Sexti* fuerit *pars iſtius diei*, cum, niſi *poſt occaſum ſolis*, non fuerit ſepultus; ut jam ante dictum eſt.

Idem patet ex *Act.* 23. 32. Cum *Pauli nepos* (ſororis filius) *indicaverat Chiliarcho* coitionem factam *Paulum* ex inſidiis interimendi, ver. 19, 20, 21. *Præcepit* Chiliarchus *duobus Centurionibus, ut pararent ducentos milites, equites ſeptuaginta, & ſtipatores ducentos, hora tertia noctis* (quæ certe eſt, poſt occaſum Solis,) *qui Paulum, jumentis impoſitum, ſalvum perducerent ad Felicem Præſidem*, ver. 23, 24. *Milites, ſicut ipſis præceptum erat*, (adeoque hora noctis tertia,) *aſſumptum Paulum duxerunt, nocte, Antipatrida*, (διὰ τῆς νυκτὸς, *ea nocte*,) ver. 31. *Poſtero vero die* (τῇ ἐπαύριον) *reverſi ſunt ad caſtra, relictis equitibus, qui cum eo proficiſcerentur*. Ubi *ſequens mane*, non eſt, *idem dies*, ſed *poſtridie* ſeu *dies poſterus*, poſt *horam tertiam noctis* præcedentis. Non igitur incepit ille dies, ab occaſu Solis diei præcedentis, (quippe tum fuiſſet idem dies;) ſed ſaltem *poſt horam tertiam noctis*.

Romanos ſic reputaſſe dies ſuos (*à media nocte ad mediam noctem*) oſtendit fuſe (ex *Varrone*) *Macrobius*, Saturnaliorum l. 1. cap. 3. per totum. (Quod non repeto quia longum eſt.) Quin & agnoſcit hic Scriptor Romanos ſic locutos, *Repl.* p. 29. (Et nos item in Anglia ſic dies agnoſcit reputare; quod & notiſſimum eſt.) Quodſi S. *Lucas* ſecundum Romanorum morem locutus ſit *Act.* 23. quidni eum eodem more locutum putemus *Act.* 20. (adeoque *Veſperam diei primi*, non eam eſſe quæ incepit *ab occaſu ſolis diei ſeptimi*?) Sed & ſic tum ipſe, tum Evangeliſtæ reliqui, locuti ſunt, in hiſtoria Mortis & Reſurrectionis Chriſti; ut oſtenſum eſt modo.

Non ignoro, quod nonnulli (neſcio quo ducti præjudicio) putaverint Judæos (ſaltem ſub *Moſis* tempora) reputaſſe dies ſuos, ab occaſu Solis ad occaſum Solis, prout vult hic Scriptor. Quod ſi fuerit; id noſtra minus refert, qui jam agimus de tempore poſt Reſurrectionem Chriſti; & quis fuerit loquendi modus, (tum apud Scriptores Sacros Novi Teſtamenti, tunc alios,) tum temporis.

Verum erratum eſſe non dubito, etiam in *Moſis* tempore dies ſic fuiſſe computatos. Quem quidem Errorem cum aliqui, levi forſan de cauſa, aliquando admiſerint; alii deinceps (etiam

Viri Docti,) re non ſatis examinata, imbiberunt, ſeu (ut alicubi loquitur hic Scriptor) *deglutiverunt ſine maſticatione*; Quin, pace tantorum virorum, hoc dictum eſto.

Quod autem, etiam in Vetere Teſtamento, computarunt dies (non ab occaſu Solis ad occaſum Solis, ſed) à media nocte potius ad mediam noctem, mihi videtur manifeſtum.

Mactandus erat Agnus Paſchalis, Menſe primo, *die decima quarta, veſpere. Exod.* 12. 6, 18. *Levit.* 23. 5. *Num.* 28. 16. *Deut.* 16. 6. Quod credo conſentiunt omnes intelligendum eſſe de veſpera ad finem diei decimi quarti. Numquis putet illa, eam hic *Veſperam* intelligendam, quæ inchoata eſt *ab occaſu Solis diei Decimi tertii*; quaſi ea ſit *veſpera diei decimi quarti*? Nequaquam, ſed eam quæ incepit *exeunte die decima quarta. Comedendus erat Totus, ea nocte; nihil ejus reliquum foret uſque mane*, Exod. 12. 8, 10. Hoc eſt, non poſt mediam noctem; nam quum præterit *media nox*, fit *mane*. Numquid nihil relinquendum ad *mane diei decimi quarti*? Non ſic certe intelligendnm eſt; ſed, non ad *mane diei decimi quinti. Nam tranſiturus ſum*, inquit Deus, *hac nocte* (nocte hujus diei; non, nocte craſtina; quaſi ſequens veſpera, foret alterius diei nox,) *& percuſſurus ſum omne primogenitum in terra Ægypti*, ver. 12. *Factumque eſt ut media nocte cæderet Jehova omne primogenitum in terra Ægypti*, ver. 29. (ut prædictum erat *Cap.* 11. 4, 5.) Adeoque uſque ad *mediam noctem, fuit, Veſpera diei decimi quarti*, non *decimi quinti*.

Sed notatur ad marginem Bibliorum noſtrorum, *Exod.* 12. 6. quod in Hebræo ſit *inter duas veſperas*. (Et ſic alibi ſæpe.) Quæretur forte, quænam ſint illæ *duæ veſperæ* inter quas mactandus erat Agnus Paſchalis.

Dicam quid mihi videtur hac in re. Per *Veſperam* intelligi ſolet, *finis diei*. Jam duplici ſenſu occurrit vox *Dies*; aliquando pro *die Naturali* quatenus contradiſtinguitur *Nocti*; (de quo Chriſtus, *ſunt duodecim horæ in die*.) Aliquando pro *die Civili*, ſeu νυχθήμερον, horarum viginti quatuor, (quem etiam *diem Naturalem* vocant aliqui, illum nocti contradiſtinctum vocantes *Artificialem*; nam alii aliter his vocibus utuntur.) Adeoque, *inter duas veſperas*, intelligendum putaverim, inter diei *naturalis* & *artificialis* fines; quorum alter eſt *occidente ſole*, alter *media nocte*. Atque intra hos terminos, (poſt occaſum Solis & ante mediam noctem,) id eſt quod dicere nos ſolemus *Veſperam*. Atque, intra hoc tempus, erat Paſcha, *Mactandum, Torrendum*, & *Comedendum*, (nihil foret reliquum uſque ad mane; hoc eſt, non poſt mediam noctem.) Atque, intra hoc tempus, amovendum erat *Fermentum* omne; hoc eſt, ante mediam noctem diei decimi quarti.

Verum hoc ei non placet; ſed Veſperarum priorem vult eſſe vel *horam tertiam poſtmeridianam*; vel etiam *ſtatim à meridie*, quia jam inde declinat Sol. *Indeque*, dicit, *ad occaſum Solis, ſuppetit tempus, id omne peragendi, ut non ſit opus, ad mediam noctem, prorogare veſperam*.

Atqui videtur jam oblitus iſtius quod multis contendit *Repl.* p. 29, 30. quod *incipit veſpera ab occaſu Solis*; *Quando advenit veſpera*, eſt, inquit, *quando Sol occubuit*. Et putaverim ego, *principium veſperæ*, eſſe, potius *veſperam primam*, quam *veſperam ultimam*. At vero, ſi conſulat *Deut.* 16. 6. inveniet non mactandum eſſe Paſcha, *ad horam tertiam poſtmeridianam*, nedum *ſtatim poſt meridiem*, ſed *veſpere cum occidit Sol, tempore quo veniſtis ex Ægypto*. Quod ſi Paſcha mactandum ſit *occidente Sole*, undenam ſuppetet tempus, *occidendi, præparandi, torrendi*, & *comedendi*; non *protracto tempore ultra occaſum Solis*? Num, *ad mediam noctem*, non eſt neceſſe ut hic dicatur; nam ſi *tantillum temporis* protrahatur *ultra Solis occaſum*, tranſibitur (ſecundum illum) in diem *decimum quintum*; cum tamen hæc omnia peragenda ſunt ipſo die *decimo quarto*; eſtque dies decimus quintus, *Poſtridie poſt Paſcha*. Et *quouſque* protrahi poſſit poſt occaſum Solis, proxima verba docent, nempe *quo tempore veniſtis ex Ægypto*; quod erat circiter *mediam noctem*. Adeoque res mihi videtur manifeſta, quod *inter duas veſperas* ſit *poſt occaſum Solis & ante mediam noctem*. Quippe *non* mactandum erat *ante occaſum ſolis*, totumque erat comedendum *ante mediam noctem*, nt *nihil* ejus *reliquum foret uſque mane*. Ut non inceperit dies *decimus quintus* niſi poſt mediam noctem.

Quid quod *inter duas veſperas*, poſſit eſſe purus Hebraiſmus, pro ipſa *Veſpera*, qua dies à nocte dividitur, ſitque quaſi inter utrumque media; ſicut apud Latinos *Crepuſculum* quaſi lux *crepera* ſeu dubia, & *diluculum*, non *lux dupla*, ſed *dubia* potius inter lucem & tenebras, utrumque participans. Non enim, in Hebræo, duabus vocibus dicitur *duas veſperas*, ſed una voce dualis numeri *hagnarbaim*, nt ſunt *ſhamaim* (*cæli*) & *Jeruſhalaim*, aliæque voces; quæ quamvis ſint in forma *duali*, rem tamen *unam* ſignificent. Et Septuaginta Interpretes reddunt *πρὸς ἑσπέραν*, aliique *ad veſperam*, neglecta forma duali.

Sed, qnicquid ſit de voce illa, *Mactandus* erat agnus *die decimo quarto veſpere, Exod.* 12. 6. ejuſque caro *comedenda, ea ipſa nocte*, (ſed ante mediam noctem,) *ver.* 8. Ut tam *Veſpera*, quam *Nox etiam* (ſaltem ad mediam noctem) erat *pars diei decimi quarti*, non, *dies decimus quintus*. Eratque, *veſpera diei decimi quarti*, comedenda caro ejus cum *panibus azymis*, omneque *fermentum* jam inde amovendum à domibus eorum, nullumque deinceps fermentum reperiendum, durante feſto azymorum *ver.* 8, 18, 19, 20. Num putemus igitur

quod hæc *veſpera diei decimi quarti*, illa eſt quæ erat ad finem diei decimi tertii? ut *toto die decimo quarto* nullum apud eos reperiatur fermentum? Certe non. Nam *primus dies* Feſti *azymorum*, erat dies *decimus quintus. Septem dies edetis panes azymos; die primo* (illorum ſeptem) *amoveritis* (ſeu ceſſare feceritis,) *à primo die ad ſeptimum*; quorum primus erat decimus quintus, *ver.* 15. *Quarto decimo die, Veſpere,* (non, toto die,) *comedetis azymos, uſque ad vigeſimum primum diem veſpere, ſeptem dies, non reperietur fermentum in domibus veſtris,* ver. 18, 19. nempe, à fine veſperæ diei decimi quarti, ad finem veſperæ diei vigeſimi primi, ſeptem dies. Sic *Lev.* 23. 32. *A veſpera ad veſperam*, nempe, à fine unius veſperæ, ad finem ſequentis veſperæ; hoc eſt, à media nocte ad mediam noctem.

Et bene novit hic Author, (legum noſtrarum peritus,) ſi fiat elocatio Prædii *à primo die Maii in annos viginti*, id ſemper intelligendum eſt *à Fine* illius diei *ad Finem* viginti annorum inde computandorum. Secus autem ſi ſit *à Principio menſis Maii*, quoniam *primus ille dies* eſt *poſt principium*, utpote quod eſt primum momentum iſtius diei.

Notat hic Author, *Inquiſ.* p. 127. decretum *de celebrando Chriſtianorum Paſchate, à Decima quarta Luna ad Vigeſimam primam*; quod metuo ne ille non ſatis intellexerit. Non enim id agitur, ut toto hoc tempore celebretur Paſcha (quod ille videtur intellexiſſe;) ſed quod hi ſint *termini Paſchales*, intra quos limites celebrandum erat Paſcha; quorum dies decimus quartus, eſt, *ultimus quo non*; & dies vigeſimus primus, *ultimus quo ſic*. Nempe, *non tam cito*, ut die decimo quarto, (ſed poſt hunc diem;) at *non ſerius* quam die vigeſimo primo. Sed illo *die Dominico* qui eſt intra hos terminos, (qui unus ſemper eſt, & unicus;) hoc eſt, illo die Dominico qui proximus eſt poſt diem decimum quartum. Adeoque *à decima quarta Luna ad vigeſimam primam*, idem eſt ac *à Fine illius ad Finem hujus*. Quippe, non celebrandum eſt die decimo quarto, (ſed poſt hunc;) ſed *poteſt* die Vigeſimo primo, ſi is ſit Dominicus. Sic, *à veſpera ad veſperam*, idem eſt ac *à Fine illius ad Finem hujus*.

At inquit, (multiſque probare ſatagit,) *Rep.* p. 29, 30. quod *incipit veſpera ab occaſu Solis*. Eſto quidem. Sed non tum *deſinit*. Continuatur *veſpera*, ad *mediam noctem*; atque tum incipit *Mane*: Atque à fine unius veſperæ ad finem alterius, eſt, à media nocte ad mediam noctem.

Sic *Levit.* 23. 5, 6. *Menſe quoque primo, decimo quarto die ipſius menſis inter duas veſperas, eſt Paſcha* (ſeu *Tranſitus*) *Jehovæ*, (quo tranſiit domos Iſraelitarum dum percuſſit Ægyptios, paulo ante mediam noctem,) *& Quintodecimo die ejuſdem menſis* (poſtridie Paſchatis) *eſt feſtum azymorum Jehovæ: ſeptem diebus comedetis azymos.*

Et *Num.* 28. 16, 17. *Menſe primo, decimo quarto die iſtius menſis, eſt Paſcha Jehovæ; & quintodecimo die iſtius menſis, eſt Feſtum; ſeptem diebus azyma comedentur.* Ut manifeſtum ſit, diem *decimum quartum*, quod erat *Jehovæ Paſcha*, *alium* eſſe diem à *decimo quinto*, qui erat *Primus dies Feſti*.

Item *Num.* 33. 3. *Proficiſcentes à Rameſeſo, menſe primo, decimo quinto die ipſius menſis primi, ipſo Poſtridie Paſchatis, egreſſi ſunt Iſraelitæ, ſublata manu, ante oculos Ægyptiorum omnium.*

Eratque *mactandum Paſcha* (ut modo dictum eſt ex *Deut.* 16. 6.) *ad occaſum Solis* (cæteraque peragenda quæ ibi memorantur) *ſecundum tempus quo veneritis ex Ægypto.*

Erat autem *Paſcha* (ſeu *Tranſitus*) *Jehovæ* (quo, quum percuſſit Ægyptios, *Tranſivit* intactos Iſraelitas,) die *decimo quarto, veſpere*, prope *mediam noctem*. Et propediem (jam ante lucem matutinam) exierunt Iſraelitæ ineunte die decimo quinto. *Fuit autem nocte media* (ſeu circa mediam noctem) *ut cæderet Jehova primogenitos,——& ſurrexit Pharaoh, Nocte;——& inclamabat Moſem & Aaronem, Nocte, dicens, Surgite, exite;——Etiam Ægyptii vehementer inſtabant apud populum, feſtinanter dimittendo eos è terra ſua, ——& profecti ſunt Iſraelitæ Rameſeſo Succothas*, &c. Exod. 12. 29, 30, 31, 33, 37. Secundum quod ante per *Moſen* minatus erat Dominus, *Sic ait Jehova, hac nocte media, egreſſurus ſum per medium Ægypti, & morietur omnis primogenitus in terra Ægyptiorum, à primogenito Pharaonis, &c. ut cognoſcatis quod diſcrimen ponat Jehova inter Ægyptios & Iſraelitas.* Exod. 11. 4, 5, 6, 7.

Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, *mactandum, torrendum*, & *comedendum Paſcha, die decimo quarto, veſpere; poſt occaſum Solis, ante mediam noctem; indeque incepiſſe diem decimum quintum primo mane, & propediem Iſraelitas Ægypto exiiſſe ipſo die decimo quinto, poſtridie Paſchatis*: Et, illud quod *immediate ſecutum eſt mediam noctem*, alium eſſe diem ab *eo quod immediate præceſſit*. Erat hic, *decimus quartus*; ille, *decimus quintus* menſis primi. Qui itaque non incepit ab *Occaſu Solis*, ſed à *Media Nocte*.

Pariter intelligendum eſt quod habet *Nehemiah*, (de Sabbato ſpeciatim;) Quippe cum vellet ille reſtituere *Sabbatum*; quod fuerat (ut narrat hic Author, *Inquiſ.* p. 34. & 63.) *jam à longo tempore intermiſſum; diu ante Captivitate Babilonica, & diu Aute*; non computabat ille *initium* Sabbati, ab Occaſu Solis; ſed multo ſerius. *Neh.* 13. 19. *Cum obumbratæ* (vel obſcuratæ) *eſſent Portæ Hieroſolymæ*, (hoc eſt, cum ingruerent tenebræ,) *ante Sabbatum; juſſit ut clauderentur fores, nec eas aperirent uſque poſt Sabbatum; ſervoſque*

ſuos ad portas conſtituit, ne ingrederetur Onus die Sabbati. Hoc eſt, ſi ego recte intelligo, quum ingruerent tenebræ, (quod non fit niſi aliquanto poſt occaſum ſolis,) necdum incepe-rat Sabbatum (erat utique *ante Sabbatum,*) claudi fores juſſit; non ita tamen ut nemo intraret; ſed, *ne ingrederetur onus,* puta rerum venalium quæ in Sabbato venum exponerentur; nec aperiendæ erant fores (nempe, non ad talia importanda onera,) donec præterierit Sabbatum; adeoque *ſervos ſuos* conſtituit ad fores (non ut nemo ingrederetur aut egrederetur die Sabbati; ſed) *ne ingrederetur Onus.* Quod anticipationis cauſa factum eſt, antequam ingrueret Sabbatum, ne talia importarentur onera. Neque enim putandum eſt ita claudendas eſſe fores, ut nemo quacunque cauſa ingrederetur aut egrederetur; quod per oſtiolum fieri poſſet, dum latæ portæ non paterent inducendis oneribus rerum Sabbato venalium. Quod præcautionis cauſa factum eſt, *ante Sabbatum,* quod mane ſecuturum erat.

Quibus omnibus, hoc unum reponit hic Scriptor, decretorium; nempe, quod *Veſpera & Mane eſt dies primus,* Gen. 1. 5.

CAP. XIII.

Expenditur Gen. 1. 5. Fuit Veſpera & Mane dies primus. *Non inde conſtat, quod dies Primus inceperit (quod vult hic Scriptor) ab Occaſu Solis. Nedum dies Septimus. Erant Tenebræ Luce priores. Sed, quot horis, non dicitur. Non hinc conſtat, Quota hora inceperit Sabbatum; aut, quota hora Deus ſanctificaverit diem Septimum, ei ve benedixit. Adverſarii Schema conſideratur. Oſtenditur, ipſi adverſari. Ab Ordine Verborum, infirmum Argumentum: Ipſique contrarium.*

CUM itaque hoc uno cardine verſetur, omne illud, quod vel hic vel alii proferunt de inchoando die *ab Occaſu Solis*; nempe, quod *Veſpera & Mane eſt primus dies,* Gen. 1. 5. Perpendamus aliquantiſper locum hunc.

Nolim ei litem movere, quod ab illo citatur perpetuo, *dies primus.* Etiam poſtquam ei oſtenderim, quod tum *Echad* in textu Hebræo, tum μία in Græca verſione, ſit *una* (non *prima*) dies. Prout ille toties urget, de μία σαββάτων. Quamvis enim *Unum* (dum *ſolum* eſt, atque ut ſic conſideratur) non magis *Primum* eſt quam *Ultimum,* (nam *Primum* eſt vox Relativa; non poteſt autem *Relatum* eſſe ubi non eſt *Correlatum*:) Si tamen quod *tum* erat *Unum,* conſideratur cum reſpectu ad id quod tunc *futurum* erat, & poſt *fuit,* non male *Primum* dicatur.

Nec litem moverem, ſi pro *Primo* dixiſſet *Unum* diem, (prout tum in Hebræo tum in Græco dicitur;) modo per *unum* intelligat *hunc unum* determinate; non indefinite diem *aliquem,* (quaſi pro μία diceretur τις, prout ille aliquoties per μίαν intelligendum vult.) Nempe *hunc unum,* qui foret (cum alius advenerit) *Primus.* Perinde enim mihi eſt ſive dicatur dies *Unus,* ut tunc erat; ſive dies *Primus,* ut mox foret. Sed *certum* diem deſignari certum eſt; illum nempe quo fieret *Lux.*

Neque etiam litem moveo, quod reddiderit, (ut noſtri item reddunt,) *Veſpera & mane erant dies primus.* Id tantum moneo, in Hebræo hoc tantum dici, *& fuit Veſpera, & fuit Mane, die primo,* vel *dies primus,* aut etiam *dies unus,* ſeu *uno die.*

Si autem jam arguerem, (prout hic ſolet,) Quamvis dicatur, *fuit veſpera & fuit Mane die Primo*; item *fuit veſpera & fuit mane die Sexto*: non tamen dicitur *fuit veſpera & fuit mane die Septimo.* Non ſic *legimus,* non ſic *ſcriptum* eſt, (quod ille toties ogge[illegible]) Sin ille regerat (quod nobis non permittit) *merito ſupponamus* ſeu *cum ratione judic[illegible]mus,* pariter ſic fuiſſe die Septimo ut in aliis diebus; egoque replicarem (ut ille *Repl.* p. 2[illegible].) *hæc tantum eſt Suppoſitio; non eſt in Verbo, quod Verbum eſt Sapientia Dei, & ſumma Ratio*; aut (ut *Repl.* p. 36.) *Nihil Verbi de hoc video, nec aliud quam Conjecturam, aut Romanenſium Traditionem*; (atque ſic alibi paſſim.) Si, inquam, ſic Arguerem & ſic Replicarem, (adeoque nihil hinc conſtare, quota hora inceperit Sabb[illegible]um,) ſuo jure ſecum agerem; qui nihil nobis permittit arguendum niſi quod [illegible] dicatur.

Verum ego frivolis hujuſmodi argutiis abſtinere ſoleo (quibus ille multus eſt;) Quippe non dubito, quin *admittenda* multa ſint, quæ *non diſerte dicuntur*; atque ex *eis quæ ſcripta ſunt,* juſta ratione colligenda multa eorum *quæ Scripta non ſunt.* Quam ſibi libertatem perpetuo facit ille, ſed nobis non concedit; levibus conjecturis plurima præſumens, quæ doctrinæ ſuæ Fundamenta facit.

Atqui *Ainſwortbus* noſter (Vir pius & eruditus, quamvis *Non-conformis,* cujus authoritas apud hunc Scriptorem, certis de cauſis, plurimum valere debet,) in Verſione ſua & Annotationibus ad Quinque libros Moſis, diſerte notandum monet, *[illegible] eſſe diſcrimen [illegible] Septimi, à reliquis Sex,* (quaſi non arguendum ſit ad *hunc* ab [illegible] dicti [illegible] tis ad *Gen.* 2. 3.) *Benedixit ei, ut dici delectationis & feſtivitatis, adeoque [illegible]) hic dies non deſcribitur per Veſperam & Mane, ut reliqui ſex, ex Luc. & T[illegible] conſiſt[illegible]*

res; ſed hic eſt totus Dies, (tota Lux,) perpetua nobis præfigurans gaudia. Quantum apud eum authoritas hujus *inſigniter Pii & Eruditi non-Conformiſtæ*, (ut ſuis verbis utar,) valitura ſit, neſcio: At, quocunque diei tempore inceperint dies reliqui, videtur ipſe ſentire, inchoandum ſeptimum à *Luce*; non, ab *Occaſu Solis*, cum imminent Nocturnæ *Tenebræ*; ſed à *Mane* potius, unde ingruit diurna *Lux*.

Verum ego illi facile conceſſerim (quamvis id *ſcriptum* non ſit) quod *die Septimo* (ut aliis diebus) *fuit Veſpera & fuit Mane*. Sed, quod hinc ſequatur, Neceſſario inchoandum eſſe Sabbatum ab Occaſu Solis, non concedo.

Quum dicitur Deus *Requieviſſe* die Septimo, ſeu (ut hic loquitur) *Sabbatizaſſe*: id (credo) non intellectum vult hic Scriptor, de Quiete ſolummodo *Negativa*, ſeu *Non-creando*; nam ſic non magis Requievit, vel Sabbatizavit, die Septimo; quam Octavo, Nono, cæteriſque inde ſequentibus: Sed includi putet *Poſitivum* aliquid (quicquid id ſit) hoc die præſtitum. Adeoque à nobis ſimiliter eſſe celebrandum Sabbatum. Alioqui *dormiendo* vel *otiando* ſatis à nobis ſanctificari Sabbatum putari poſſet; quod, credo, ne hic quidem conceſſerit.

Sed, *qua hora* Septimi diei, Deus ſic *Benedixerit* & *Sanctificaverit* diem Septimum, *Poſitiva* Sanctificatione; nos non magis ſcimus, quam *qua hora* diei Primi dixerit, *Eſto Lux*; aut *qua hora* diei Quarti, fecerit *Solem*. Adeoque adhuc incerti ſumus (ſecundum hujus regulam) qua hora hæc *Sacra Quies* inceperit, ſi inchoandum ſit noſtrum Sabbatum (prout ille vult) ab ea diei parte qua ſuum inchoaverit Deus.

Dixerim porro, quod *non Scriptum eſt* (*neque nos ſic legimus*) *in Verbo*, quod vel *dies Septimus*, (aut alius quidem dies ullus,) *inceperit ab Occaſu Solis*. Certus ſum, quod dies Primus non ſic incepit, neque Secundus, neque Tertius; (quia nondum Sol erat;) nec (credo) dies Quartus; haud enim putaverim creatum fuiſſe Solem in ipſo Occaſu (jam ingruente nocte) ſed in Meridie potius. Nec oſtendi poſſe puto, in Sacris literis, quod ſic inceperit ullus dies. De Paſchate, jam ſupra oſtenſum eſt, quod dies *Decimus quartus* Deſinebat in ipſa *Media nocte*, (ſaltem huic proxime;) atque *tunc* Incipiebat dies *Decimus quintus*; non *ab Occaſu Solis*. Quodque dies *Sextus*, quo paſſus eſt Chriſtus, non deſinebat ab *Occaſu Solis*, ſed multo ſerius, ſub *media nocte*. Quodque *Primus* dies, quo Reſurrexit Chriſtus, nec Incipiebat, nec Deſinebat, ad *Occaſum Solis*. Et, quando tanta cum evidentia oſtendi poteſt quod dies ullus in Sacris Literis memoratus, aut incipiebat aut deſinebat, ad Occaſum Solis, (νυχθήμερον intelligo, non Diem horarum duodecim, qui Nocti contradiſtinguitur,) tum demum ulteriori reſponſo videbitur opus.

Quum vero dicit *Repl.* p. 69. quod *Veſpera & Mane conſtituunt & complent unumquemque diem Septimanæ*; Ecquid ille putat de *Meridie*? Nullamque hunc eſſe putat partem diei? Aut, permanſiſſe *Mane* uſque ad *Occaſum Solis*? Eccubi *in Verbo* hoc *Scriptum* eſt, aut nos *Legimus*? an ipſi, hoc *dictanti*, credendum? Quod *inchoatur Mane* dum ſunt adhuc *Tenebræ*, jam ante novi; ſed, quod *Mane* perſeverat ad *Occaſum Solis*, non noveram.

Si per *Veſperam & Mane*, intelligat *Tenebras & Lucem*, (prout ille jam videtur hoc exponere, *Repl.* p. 25. & 26.) ego hoc facile admiſero (quamvis non ita *ſcriptum* ſit,) & concedo, fuiſſe *primo* die (& ſic de cæteris) *Tenebras & Lucem*: Sed non concedo, incepiſſe *primum* diem, ab *Occaſu Solis*.

Dicat forte, Tenebras fuiſſe Luce priores. Recte quidem; (*Fuerant tenebræ ſuper faciem abyſſi*, antequam dixerit Deus, *Fiat Lux*, Gen. 1. 2, 3.) Quin ſic foret etiamſi inceperit Dies quaſi à media Nocte. Num poteſt ille nobis indicare, *Quot horis* fuerint illæ Tenebræ, antequam *Lux* effulſerit? Num *horis duodecim* præciſe, (neque plus neque minus,) prout eſſe debuerit in Æquinoctio Verno (pro quo dirigit ille Schema ſuum, *Repl.* p. 72, 73.) ſi inceperit dies ille ab Occaſu Solis? Oſtendat mihi quæſo ubi hoc legam. Sed oſtendendum hoc erat antequam concludat inde, diem primum incepiſſe ab Occaſu Solis; hoc eſt, horis præciſe *duodecim* antequam illuceſceret. Poſſet eſſe *Sex horis*: (aut eo minus) quatenus hic aut ego novimus. Dicit ille, (*Repl.* p. 67.) *Neſcire ſe, quo tempore diei Quarti creaverit Deus Solem.* Et nos pariter neſcimus, *quo tempore diei Primi* dixerit Deus *Fiat Lux*.

Mihique videtur non incredibile, ſed potius veriſimile, ſic computandum eſſe; Si enim putemus Paradiſum præcipuam agendi ſcenam: merito putemus (ſaltem non incommode) Solem creatum eſſe, in medio diei Quarti, *Gen.* 1. 16. in ipſo Meridiano iſtius loci (ut in ſplendore ſuo maximo;) vel, ſi non in Meridiano iſtius loci, erit ſaltem in alicujus loci Meridiano: Et, ubicunque id contingat, cum dies (horarum 24) dimidium jam præterierit; neceſſe eſt ut Inceperit à Media nocte. Egoque nihil dubito, quin, qui naſceretur Infans hora decima poſtmeridiana diei ſexti, circumcidendus foret ſequentis ſeptimanæ die ſexto, non die ſeptimo.

Sed non video cur ſimus de his minutiis admodum ſoliciti, ſed ut ſic incipere cenſeatur Sabbatum & ſic deſinere, ut cenſentur dies cæteri; neque ad has minutias reſpexiſſe puto Præceptum quartum.

Quin ſi hoc ponatur, (fuiſſe Tenebras horis præciſe duodecim antequam illuceſceret,) quid inde? *Ergo*, inquit, *dies Septimus, in Creatione, incepit, ſicut tres primores, cæterique dies hebdomadis, hoc eſt in Veſpera, in vel ſub Occaſu Solis; & permanſit horas Viginti quatuor, a veſpera ad veſperam*, Repl. p. 68. (Sed, incepiſſe dies primores tres in vel ſub Occaſu Solis, cum nondum eſſet Sol, mihi videtur dictu durum.) Et *Repl.* p. 73. *Videtur*, inquit, *ſibi Demonſtrabile, quod inceperit unuſquiſque dies hebdomadis, ipſa Veſpera, ubicunque terrarum, in toto mundi circuitu, prout Sol occiderit.*

Feſtina lente. Annon erat *Momentum aliquod*, quo inceperit Dei Requies, *Gen.* 2. 2? Et, ſi Dei Requies ſit Homini Regula, annon tunc erat inchoandum Sabbatum? Atqui, quodcunque fuerit id momentum, ſi tum fuerit, uno in loco, *Solis Occaſus*; eſſet alio in loco *Solis Ortus*; alibi, *Meridies*; alibi, *Nox Media*. (Certe non eſſet, eodem momento, Solis Occaſus per univerſum Orbis ambitum.) Quid ad hoc ille?

Si inceperit, inquit *Repl.* p. 67. *Sabbatum noſtrum eo inſtanti quo Deus primum requievit; foret hæc objectio dura.* At quidni? Cur non Hominis Requies tum inciperet cum incepit Requies Dei, ſi Dei Requies ſit noſtra Regula? *Hoc*, inquit *p.* 69. *quæſtionem conſtringeret, ſeu perplexam redderet; Adeoque, non vult ut omnes Orbis partes teneantur ad illud præciſe momentum quo Requievit Deus.* Et p. 67. *Nullum ſcit ille in Verbo locum, quo dicitur, omne deinceps Sabbatum inchoandum eſſe eo momento quo inceperit in Paradiſo.* Recte quidem. Nec ſcio Ego. Sed neque ſcio, ubi dicitur, inchoandum eſſe *ab Occaſu Solis.* At vero, Annon Dei prima Requies, *ubique terrarum* incepit eo momento quo incepit *in Paradiſo*? Si vero non ſic, quid igitur dicendum? *Sabbatum*, inquit, *& tunc & deinceps, inchoandum erat Veſperi, ubique.* At oſtendat, quæſo, *illum Verbi locum, ubi hoc dicitur.*

Dicit quidem, *Repl.* p. 67, 68. Replicando ad id quod ego propoſueram. *Supponamus licet*, (non, ſic Scriptum eſt,) *Solem* (*cum fuerit in Firmamento fixus*, Gen. 1 17.) *proceſſiſſe* (*prout nunc procedit*) *Occidentem verſus*; (Eſto.) *Poſteroſque Adami* (*& Noachi pariter*) *iter feciſſe Orientem, Occidentem, Aquilonem & Auſtrum verſus*, (non ſolum igitur verſus Occidentem,) *& gradatim in univerſum Orbem diſperſos eſſe.* (Eſto & hoc.) *Atque, in quamcunque regionem pervenerint, prout ibi Sol occidebat, ſic incepiſſe quemlibet hebdomadis diem.* (Hoc utique nobis ille dicit,) *atque ſic ad hunc uſque diem; Atque* (ut p. 73.) *ubicunque terrarum, prout Sol ibivis occidit, ſic ubique Sabbatum* (*ut cæteri dies hebdomadis*) *ibi incipit deſinitque; non obſtante differentia horarum & minutorum, ab Occaſu Solis Hieroſolymis.*

Atqui hoc non ſolvit quod ego propoſueram, ſed confirmat Argumentum. Quippe (ſecundum hoc ſchema ſuum, *p.* 72, 73.) *cum* (die puta ſeptimo) *iter orſus ſit* (imaginatione ſua) *ab Hieroſolyma* (Occidentem verſus) *computando; Soliſque curſum conſequitur ut Sol terram circumeundo ad Hieroſolymam rurſus accedit*, (pari paſſu, imaginatione ſua, Solem concomitans, vel ſic computans acſi comitaretur,) *dies idem* (inquit) *incipit Romæ, duabus horis ſerius quam Hieroſolymæ; &, Londini, tribus horis cum duodecim minutis; &, in Nova-Anglia, horis Octo; atque* (*Solem continue conſequendo ab Hieroſolyma uſque ad Japanam inſulam*) *occidet Sol, in Japana, horis ſeptemdecim ſerius quam Hieroſolymæ; atque, horis porro ſeptem, à Japana pertinget iterum ad Hieroſolymam; nam 17 & 7 ſunt* 24. (Num autem, quum Hieroſolymam redierit, dicendus ipſi ſit *dies ſeptimus* ut hactenus, an *dies primus*, non dicit.) Hoc eſt, inquam, cum ad Hieroſolymam ſic accedit, erit adhuc *idem dies*, ſed *horis* 24 *ſerius* quam cum inde orſus eſt iter. Hoc eſt, ipſius dies hebdomadis *ſeptimus* (cui Sol nondum occidit) adhuc perſeverat, quando eis qui manſerunt Hieroſolymæ, eſt hebdomadis *primus*; quippe illis interim Sol occiderat, quamvis non illi qui Solem comitatus eſt: ut dies ejus *Septimus* deinceps coincidat cum eorum *Primo*.

Atque hoc ipſum eſt *Expedimentum* quod ei, ab initio, propoſuerim, pro con[illegible]iando ſuo Sabbato cum noſtro, ſi vellet (ut noſter *Franciſcus Dracus* olim, atque ex eo tempore plures alii) ſic mundum circuire. Hoc ſolo differens, quod *Dracus* diem *particulatim* perdiderit, hic (imaginatione ſua) una vice; dum pari paſſu cum Sole procedat hæc Imaginatio, quod non potuerit *Draci* navigium.

Cum autem dies hic (ſic imaginando) ſit horis viginti quatuor longior quam dies alii, id tamen nihil impedit, ipſo judice; dicit enim, *Inquiſ.* p. 39. *Dies unus prolixior, tempore Joſhuæ; aliuſque tempore Hezekiæ; aut varietas temporum quibus Sol occidit in diverſis Climatibus; rem nequaquam turbat: Nam dies qui ſit aliquot horis longior breviorve quam dies alius, eſt adhuc dies unus, & tantum unus.* Iterumque *Repl.* p. 69. *Duo dies longiores, temporibus Joſhuæ & Hezekiæ, nullam inferunt alterationem.*

Eodemque res recidit, ſi particulatim ſit amiſſus dies, (ut Naviganti *Draco*:) nam, qui ſic navigat, habiturus eſt Solis occaſus uno pauciores, quam qui domi manſerint; ejuſque dies *Septimus* cum ſic redierit, coincidet cum eorum *primo* qui domi manſerint. Et ſic deinceps.

Quodque ille metuit, *Repl.* p. 66. quod *Chriſtiani inter Turcas celebraturi ſint Sabbatum*

die

die Veneris: id neceſſario conſequetur, ſecundum hanc doctrinam, eis qui Orientem verſus navigant ad *Japanam*, aut *Orientalem Indiam*, & (continuata navigatione) redeunt per *Fretum Magellanicum*. Nam ut iſti alteri diem *perdunt*, hi *lucrantur* diem: Quique dies exeuntibus erat dies *Saturni*, erit redeuntibus dies *Veneris*. Cumque ille permiſerit *Adami* & *Noachi* poſteris, eadem lege, ſive *Occidentem* verſus; ſive *Orientem*, itinerari; id erit inevitabile ſecundum Schema ſuum.

Cumque hoc fieri poſſit iterum iterumque ſic itinerantibus ſeu navigantibus; fiat tandem, ut ſuus dies ſeptimus, ſic computatus, nulli non diei hebdomadis permanentium coincidat.

Interea vero; *Dies primus*, certo certius, eodem momento incepit ubique terrarum; (nimirum eo momento quo primum cœpit Deus creare.) Quodque eodem momento ubique incepit, eodem momento (poſt exactas horas viginti quatuor, per hujus doctrinam *Repl.* p. 68.) ubique terrarum terminabitur. Et ſimiliter Secundus, Tertius, Sextus. Jam vero, ſi Sextus dies eodem momento deſiverit ubique terrarum; non autem Septimus tum inceperit (ſed aliquot poſt horis, puta 10, 12, 23, ſecundum Schema ſuum, *Repl.* p. 72, 73.) tum (ut ille arguit p. 68.) *tot horas perdidimus, quæ cum nulla pars ſint diei Sexti, neque* (*ad hos*) *ulla pars Septimi, non erunt* (*ad hos*) *ulla pars Septimanæ.* Quomodo hoc ſolvat ſuum ipſius argumentum, ego neſcio. Videtur mihi difficile.

Si, quo hanc evitet difficultatem, dicat, (quod forte dicturus ſit, eſtque fortaſſe verum;) Quod, quum Deus dixit *Fiat Lux*, non protinus fuerit Lux *per univerſum Orbem*; ſed potius, quod *Corpus Lucidum* creaverit Deus, quod terrarum Orbem ſucceſſive circuiret (ut nunc Sol,) eratque ſucceſſive conſpiciendum diverſis in locis, una, duabus, decem, duodecim, viginti horis, poſtquam inceperant Tenebræ: Hoc, inquam, forte verum eſt; ſed plane deſtruit ſuam hypotheſin, quod dies Primus ubique inceperit horis præciſe duodecim antequam ibidem inceperit Lux: ſive (ut ille loqui amat) *ab Occaſu Solis*. Neque enim alio ſenſu dici poſſe puto, *diem primum incepiſſe ab occaſu Solis* (cum Sol non eſſet,) niſi, quod tanto tempore ante factam Lucem inceperit dies, quanto (ſi fuiſſet Sol) præceſſiſſent nocturnæ Tenebræ Solis ortum; hoc eſt (ſub *Æquatore*, aut etiam alibi in *Æquinoctio*) horis duodecim.

Velim autem ut ſerio perpendat Vir pius hic & eruditus, quam ſit minime tutum, Notionem captare phantaſia ſua conceptam, nullo fundamine firmo nixam; eamque tum proſequi (quia ſic imaginatur ipſe) tanto fervore, ut omnia loca alia (utcunque contraria & contra-nitentia) vi adigat ſenſum coactum ferre ſuæ phantaſiæ congruum.

Nihil utique quo nitatur habet hoc in loco (ex quo dependent omnia) niſi quod *primo die fuerint Veſpera & Mane*; hoc eſt, quod fuerint eo die *Tenebræ & Lux*; quodque *Tenebræ præceſſerint Lucem.* Unde concludit, *incepiſſe diem primum ab Occaſu Solis.* Annon hæc omnia pariter forent ſi cenſeatur incepiſſe quaſi à *Media Nocte* (aut alia hora tenebroſa) non minus quam ab *Occaſu Solis*? Vel (ut benigna interpretatione faveam dictis ſuis, ut ſenſum aliquem commodum ferre videantur) *horis præciſe duodecim* (ubique terrarum) antequam (ibidem) Lux inceperit?

Putaverim ego, non minus valide concluſum iri (ex his præmiſſis) ab ipſo *Meridie* incepiſſe. Quippe, *quod Mane ad Meridiem* pertingat, non incommode dicatur; Ipſeque concedit (modo ſibi ſit uſui) *Repl.* p. 29. dici poſſe *Veſperam incipere ſtatim à Meridie*, potius quam non ſuppetat tempus *mactando, præparando, torrendo, & comedendo Paſchati* ante Occaſum Solis. Atque tum quidem (ſic computando) *à principio Veſperæ ad Finem ſequentis Mane*, erit, *à Meridie ad Meridiem.*

Addo etiam, quod ab ordine Verborum, (quod Veſpera prius hic dicatur quam Mane, puta Nox quam Dies,) nil firmi concludi poteſt de Dierum Initio. Nam hæc, in Sacris Literis, promiſcue uſurpantur: Nox & Dies, vel Dies & Nox. Sic *Pſal.* 1. 1, 2. *Beatus ille, —cujus oblectatio eſt in lege Jehovæ, deque ea meditatur Die & Nocte.* Pariterque alibi paſſim; & quidem ſæpius (ni ego male conjicio) Dies præponitur Nocti, quam Nox Diei. Atque in hoc Capite, *Gen.* 1. ſi ad diem Quartum reſpiciat, *Dixit Deus, Sunto Luminaria in Expanſo Cœli, ad diſtinguendum inter Diem & Noctem*, ver. 14. *Fecitque Deus duo magna Luminaria; Luminare majus, ad dominium Diei; & Luminare minus, ad dominium Noctis*, ver. 16. —*ad dominandum Diei & Nocti, & diſtinguendum inter Lucem & Tenebras*, ver. 18. (Ubi Dies præponitur Nocti, & Lux Tenebris.) Sic *Exod.* 29. 38, 39. *Offeres in altari duos agnos quoque die; unum agnum Mane, alterum Veſperi.* Pariterque *Num.* 28. 3, 4. *Duos agnos quoque die in holocauſtum; unum agnum Mane, alterum Veſperi.* (Quod die Sabbati duplicandum erat, *ver.* 9, 10.) In quibus utriſque locis *Matutinum* præponitur *Veſpertino*: Quamvis ille utriuſque loci (neſcio quam ob cauſam) invertat ordinem, *Inquiſ.* p. 84. *Præciſa* (inquit) *eorum tempora quotidiana, Veſpertini & Matutini cultus, ego neſcio; ſed quod fuerit Veſpertinus* & *Matutinus*, *Exod.* 29. 39, 41, 42, 43. *Num.* 28. 4, 8. (ubi voces *Veſpertinus* & *Matutinus* diverſo charactere pinguntur, ut præcipue notandæ.) Et *p.* 83. *Cultus Veſpertinus & Matutinus, —qui cultus Veſpertinus & Matutinus, non intermittendus erat die Sabbati; de quo vide*, *Num.* 28. 3, 4, 8, 9.

Ubi

Ubi oppido notandum eſt, quod (etiam in ipſo *Sabbato*) Sacrificium *Veſpertinum*, erat in *Fine* diei (poſt Sacrificium *Matutinum*) non, *Veſpera præcedente*. Ut (quicquid ſit de cæteris diebus) manifeſtum ſit, *Sabbati Mane* prius fuiſſe quam *Sabbati Veſperam*; adeoque, non à *Veſpera* incepiſſe Sabbatum, quod contendit hic Scriptor.

Pluribus locis (ubi Dies præponitur Nocti) citandis abſtineo, (quæ plurima ſunt ;) ſed hæc duo viſum eſt non omittere ; ut reſtituam, quem ille invertit ordinem verborum, cum *Veſpertinum & Matutinum* dixerit, ubi dicendum erat *Matutinum & Veſpertinum*.

Et quantilla vis in verborum ordine ponenda ſit, videat *Gen.* 2. 4. *Hæ ſunt generationes Cœli & Terræ, quo tempore Jehova Deus fecit Terram & Cœlum.* Utrum horum ex ordine verborum, prius putemus factum, Cœlum an Terram?

Atque jam abſolvi Digreſſionem hanc, (de tempore quo incepiſſe cenſendum ſit Sabbatum aliumve diem,) quo nos deduxit hic Scriptor, ſperans inde Prædicationem Pauli *Act.* 20. 7. à Veſpera diei Dominici ad Veſperam diei Saturni dimovere. Manet ergo ſarta tecta hæc Inſtautia, de *Die Dominico* tum celebrato, *Act.* 20. 7. & quidem celebrari ſolito. Quippe ſiquis apud nos diceret, *circa horam ſextam veſpertinam*, (*cum, in Collegii Refectorio, ad cœnandum convenerant Studioſi,*) *tale quid factum eſt*; nemo (qui non ſit præjudicio abreptus) dubitaret, quin hic ſatis inſinuatum ſit, quod, *Cœnatum convenire ſolebant, circa horam ſextam* : & ſicubi reperire poſset hic Scriptor, in libro *Jobi*, quod *Hebdomadis die Septimo* (à prima creatione continue numerando) *quando Jobus cum amicis ſuis convenerunt, ad ſolennem Dei cultum junctim exhibendum, Bildad locutus eſt*, &c. non dubium eſt, quin hoc, ut palmarium Argumentum reputaret, de *Sabbato diei Septimi* tum obſervari *ſolito*. Foret utique multo fortius quam ea omnia quæ ad hanc rem producit ille. Quod ante monui.

CAP. XIV.

Exemplum Quintum, 1 Cor. 16. *De Collecta quoque die Primo facienda. Objectis reſpondetur. Primi Diei ſolita obſervatio præſumitur. Non Annualis, ſed Hebdomadalis Collectio.* κατὰ μίαν σαββάτων, *diſtributiva locutio. Collecta pro indigentibus, non incongrua diei Sancto. Recapitulatio Quinque Exemplorum.*

LOcum *alium huic ſimilem*, dixeram *Diſcurſ.* p. 38. *illum eſſe*, 1 *Cor.* 16. 1, 2. Petit ille, *Repl.* p. 37. *Quænam ea ſit horum locorum Similitudo.* Hæc, inquam, eſt Similitudo ; Dixeram, *quibuſdam in locis, ubi exhibentur exempla Singularia, inſinuari tamen Conſuetam praxin, ut Act.* 20. 7. *Locumque huic ſimilem eſſe dixi*, 1 *Cor.* 16. Hæc, inquam, eſt horum locorum Similitudo.

Talem illic inſinuatam conſuetudinem, tum ante oſtenderam. Talemque hic inſinuatam eſſe liquet ; *De Collecta in Sanctos, quemadmodum ordinavi Eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite ; Primo quoque die hebdomadis, unuſquiſque veſtrum reponat recondens, quod pro Dei benignitate licuerit ; ne, cum venero, tunc collectæ fiant.* Περὶ δὲ τῆς λογίας τῆς εἰς τοὺς ἁγίους, ὥσπερ διέταξα ταῖς ἐκκλησίαις τῆς Γαλατίας, οὕτω καὶ ὑμεῖς ποιήσατε. Κατὰ μίαν σαββάτων ἕκαστος ὑμῶν παρ' ἑαυτῷ τιθέτω θησαυρίζων ὅ, τι ἂν εὐοδῶται, ἵνα μὴ ὅταν ἔλθω τότε λογίαι γίνωνται. *Quod Eccleſiis Galaticis præceperat, vult ut ipſi faciant Corinthii* ; quodque id fuerit, proximis verbis docet ; nempe, ut *primo quoque hebdomadis die, ſeponeret quiſque aliquid (prout eum proſperaverit Deus) in ſubſidium Sanctorum indigentium colligendum.* Quodſi tale quid *Noacho*, *Abrahamo*, aut *Jobo* dictum fuiſset de *die Septimo* ; quam ſtrenuum hoc putaret hic Scriptor Argumentum, de *Die Septimo* tunc obſervari *ſolito* !

Hinc manifeſto liquet, quod *Primus dies* hebdomadis obſervari *ſolebat*, tum in Eccleſiis *Galaticis*, tum *Corinthi*. Hoc *præſumit* Apoſtolus, dum præcipit, quid his diebus factum vellet ; nempe *Charitatis* opus his diebus congruum.

Verum hic iterum ipſi negotium faceſſit μία σαββάτων, num de hebdomadis die *primo*, an de *uno aliquo*, (quaſi idem foret ac τὶς ἡμέρα,) de quo jam ante dictum eſt abunde. Atque jam fatetur, *Repl.* p. 28. quod *generaliter* intelligenda eſt de die *primo* ; & quibuſdam in locis ſic *certo* intelligenda eſt ; nec potis eſt oſtendere quod uſpiam (ſive in Novo Teſtamento ſive alibi) ſit aliter intelligenda ; neque cur non ita hic intelligenda ſit, ut alibi ſemper.

Sed porro ſuggerit, *Inquiſ.* p. 38. iterumque *Repl.* p. 37. annon intelligendum ſit hoc præceptum de Collectione *Annuali*, non *Hebdomadali* ; nempe, quia dictum eſt in Epiſtola poſteriori, 2 *Cor.* 8. 10. quod *prompti eſſe cœperint & facere & velle jam ab anno ſuperiori* (quaſi id ab hoc monito factum fuerit ;) iterumque *Cap.* 9. 1, 2. quod *de eorum promptitudine jactaverit ille apud Macedonas, quod Achaia* (ubi ſita erat Corinthus) *parata fuerit ab anno ſuperiori.* Sed hinc nihil concluditur, de *Collectione Annuali* ; cum pariter prompti eſſe poſſent (jam ab anno ſuperiori) ad *Hebdomadalem* Collectionem. Et fatetur

ipſe

ipſe *Inquiſ.* p. 58. quod *nihil hic expreſſum videat de Annuali Collectione.* Sed, ſive Hebdomadalis fuerit, ſive Annualis, ſi facienda fuerit Hebdomadis *die primo*, conſtat utcunque, quod Obſervatus fuerit ille *Primus Dies.*

Verum, quo magis liquido conſtet, non Annualem hanc, ſed Hebdomadalem fuiſſe collectionem; notanda eſt ea Diſtributiva locutio, κατὰ μίαν σαββάτων (Quod recte redditur, *primo quoque die hebdomadis*, hoc eſt, *ſingulis dominicis.*) Eadem forma qua dicitur *Act.* 2. 46. *Quotidie* καθ' ἡμέραν *perdurantes concorditer in templo, & frangentes panem* κατ' οἶκον *domatim.* Et ver. 47. *Dominus addebat Eccleſiæ* καθ' ἡμέραν *quotidie, qui ſalvi fierent.* Atque ad eundem ſenſum *Act.* 5. 42. πᾶσάν τε ἡμέραν ἐν τῷ ἱερῷ *quotidie in templo,* καὶ κατ' οἶκον *& domatim, non ceſſabant docere & evangelizare Jeſum Chriſtum.* Ubi καθ' ἡμέραν tantundem eſt atque πᾶσαν ἡμέραν. Atque hinc καθημερινὸς *quotidianus,* Act. 6. 1. *Ortum eſt murmur Græcorum adverſus Hebræos, quod eorum viduæ deſpicerentur* ἐν τῇ διακονίᾳ τῇ καθημερινῇ *in miniſterio quotidiano.* Et in Oratione Dominica, *Luc.* 11. 3. *panem noſtrum quotidianum da nobis in diem,* τὸ καθ' ἡμέραν, *dietim*, ſeu *de die in diem.* Et *Luc.* 19. 47. *docebat quotidie in templo,* τὸ καθ' ἡμέραν ἐν τῷ ἱερῷ. Et *Joh.* 8. 9. *exierunt* εἷς καθ' εἷς, *ſingulatim, unus poſt alium.* Sic *Rom.* 12. 5. *unum corpus ſumus in Chriſto,* ὁ δὲ καθ' εἷς ἀλλήλων μέλη *ſingulatim vero alii aliorum membra.* Et 1 *Cor.* 14. 31. *Poteſtis enim* καθ' ἕνα πάντες *ſingulatim omnes prophetare.* Sic *Act.* 13. 27. *voces Prophetarum quæ* κατὰ πᾶν σάββατον *per omne Sabbatum leguntur.* Et *Act.* 14. *crearunt Presbyteros* κατ' ἐκκλησίαν *per ſingulas Eccleſias.* Et *Act.* 15. 21. *Moſes habet ab ætatibus antiquis* κατὰ πόλιν *oppidatim qui ipſum prædicant, quum in ſynagogis legatur* κατὰ πᾶν σάββατον *per ſingula Sabbata.* Et *Act.* 17. 17. κατὰ πᾶσαν ἡμέραν, *quotidie*, ſeu *quoque die. Act.* 18. 4. κατὰ πᾶν σάββατον, *omnibus Sabbatis.* Et *Act.* 19. 9. *diſſerens quotidie* καθ' ἡμέραν *in Schola Tyranni*, (idem quod κατὰ πᾶσαν ἡμέραν *Act.* 17. 17.) Et *Tit.* 1. 5. *ut conſtituas presbyteros* κατὰ πόλιν, *oppidatim*, ſeu *in quoque oppido*, aut *civitate.* Et pari modo, κατὰ μίαν σαββάτων, hic loci, eſt *primo quoque die hebdomadis.* Atque ſic etiam redditur ab *Henrico Stephano*, (in Concordantia ſua,) ubi notat κατὰ *diſtributive* ſumendum. (Idem oſtendi poſſet de vocibus καθ', καθεκάστης, καθεῖς, καθότι, καθ' ἕκαστον, aliiſque, ubi κατὰ ſignificat diſtributive.) Nollet credo hic Scriptor reddendum eſſe *uno quoque die hebdomadis*, (eo quod μία ſignificet *unum.*) Quodſi *hebdomadatim* hoc faciendum erat, eo die; hoc eſt, *cujuſque hebdomadis die primo*; manifeſtum eſt, hoc eſſe non tantum *exemplum ſingulare*, ſed *conſuetam praxin*, (tum in Eccleſia *Corinthi*, tum in *Galaticis* Eccleſiis,) de obſervando Hebdomadis die *Primo.* Neque enim *præcipit*, ſed *ſupponit Paulus*, & *præſumit*, hanc hujus diei *obſervationem*, quum præcipit quid tum factum vellet. Quodque in his Eccleſiis ſupponit *Paulus*, nos merito præſumamus in aliis item Eccleſiis obſervatum fuiſſe *diem Dominicum.*

Sed objicit hic Author, *Repl.* p. 37. Si fuerit *hebdomadatim* obſervatus, & *obſervari ſolitus*; non tamen dicitur, quod obſervandus ſit ut *Sabbatum*, ſeu *Sanctæ requietis dies.* At inquam, ſi hinc conſtet quod ſit *obſervari ſolitus*; aliunde ſatis conſtabit *quomodo* ſit obſervandus; nempe Religioſis præſtitus exercitiis, & hiſce congruis. Inter quæ, *collatio in ſubſidium Sanctorum indigentium*, merito locum habeat.

At, inquit, *Inquiſ.* p. 59. & *Repl.* p. 37. *Res plane contraria eſt; quippe tum oporteret, his diebus, computum inſtituere, numerare pecunias, expenſas computare, & quid rerum ſuppetit, &c.* (*quæ non ſunt opera Sabbatica,*) *abſque quo non poſſint prudenter ſeponere, prout ipſos proſperavit Deus.*

Quanti ſit hæc Objectio, Lectoris eſto judicium. Quin hæc omnia (quantum ego video) poſſent (quatenus id opus eſt) ante fieri; atque tum demum, die Dominico, in pauperum ciſtam inferri, aut Diaconis ſeu Collectoribus conferri, quod æquum cenſebitur; prout nunc dierum fieri conſuevit, quando tales inſtituendæ ſunt Collectiones.

Verum quidni idem objiciat ille de Feſto *Pentecoſtes*, quod inſtar *Sabbati* celebrandum erat, (atque ab hoc Scriptore alicubi vocatur *Sabbatum*,) quod offerendum erat Deo, *tributum voluntariæ oblationis, quam dabis* (inquit) *prout benedixerit tibi Jehova Deus tuus?* Num putet ille oportere, eodem die, *Computationem inſtituere, numerare pecunias, computare expenſas*, &c. eo quod offerendum erat *prout eis benedixerit Deus?* Non credo, nam erat dies ille inſtar *Sabbati* celebrandus; *Habenda erat Sancta Convocatio, nullumque opus ſervile peragendum eo die,* Levit. 23. 21. Eſtque hæc generalis Regula de *Feſtis omnibus* ibi numeratis, *ver.* 2 & 4. inter quæ eſt hebdomadale *Sabbatum*, ver. 3. & *Feſtum Pentecoſtes*, ver. 15, 16, 21. Quodſi non tunc fuerit cum (Sabbatico) Feſto *Pentecoſtes* inconſiſtens, offerre Deo *prout Dominus ipſis benedixerit*; cur putaretur inconſiſtens cum celebratione *diei Dominici* (*Corinthi* & in *Galatia*) reponere *prout Deus ipſos proſperaverit*, abſque inſtituenda *Computatione*, numerandis *pecuniis*, computandis *expenſis*, &c. quæ omnia (prout opus fuerit) poſſent ante fieri, pariter in hoc & in illo caſu?

Quod addit, *poſſe eos hoc domi ſeponere, ſeparatim, abſque collectione publica.* Eſto. Sed ſi id faciendum fuerit (ſive publice, ſive privatim,) *die dominico*; erat ſaltem hic dies *obſervatus* & obſervari *ſolitus* (tum *Corinthi* tum in *Galatia*;) quod & *præſumitur* ſic fuiſſe. At vero, vox θησαυρίζων intelligenda potius videtur (non de privata ſepoſitione, ſed) de *collatione in communem theſaurum.* Quod ſuadet Apoſtolus, *ver.* 2. *ne, cum ipſe venerit,*

 tunc

tunc facienda eſſent Collectiones. Ut manifeſtum ſit, non tam ſeparatas *repoſitiones*, quam in unum *Collectiones* faciendas eſſe antequam ipſe venerit.

Atque jam oſtendimus, ſaltem *Quinque Exempla*, eaque ſatis *Inſignia*, de Obſervato hebdomadis die *Primo*, in ipſis Eccleſiæ Chriſtianæ *Primordiis: Primum eſt, ipſius Chriſti, dignantis & decorantis hunc diem *Reſurrectione* ſua; apparentis deinde *Mariæ Magdalenæ* aliiſque mulieribus, docentis & conſolantis eas; deinde *duobus Diſcipulis, Emaunta* proficiſcentibus, religioſo modo cum illis converſantis, longo ſermone edocentis, cumque ipſis ſacram Cœnam celebrantis; deinde ipſis *Undecim Diſcipulis*, Hieroſolymæ *congregatis*, res ſerias agentibus & religioſe occupatis, eos conſolantis, increpantis, edocentis (ex *Moſe, Pſalmis, Prophetis, reliquiſque Scripturis*) quæ ipſius Mortem & Reſurrectionem ſpectarent; præcipientis & poteſtatem ipſis facientis de prædicando Evangelium, & Eccleſiam Chriſtianam inſtituendo per mundum univerſum, aliaque ſeria peragentis; nihilque in his congreſſibus omnibus peragentis quod non ſit ſumme Religioſum, ſanctoque diei congruum; & (quod merito putemus) jubentis (quippe quod poſt factum vidimus) ut dies ille deinceps hebdomadatim celebretur. Secundum eſt ejuſdem ipſius *Chriſti*, (prætermiſſo quod interim inciderat *Sabbato Judaico*,) *Die primo* ſequentis Septimanæ, cum *ipſius Diſcipulis*, pariter *congregatis*, & pariter occupatis, convenientis; pariaque ut prius peragentis. Forſan & tertia vice (eo die tertiæ ſeptimanæ ad mare *Tiberiadis*;) quod quamvis non diſerte dicatur, quo die fuerit, non tamen improbabile videtur fuiſſe die Dominico. Tertium, de quo non dubitemus, eſt illud in die *Pentecoſtes*, hebdomadis item *die Primo*; quod inſignitum eſt miraculoſa Effuſione *Spiritus Sancti*; longoque Sermone *Petri*, ad numeroſum illum conventum (Judæorum pariter & Gentilium) Prædicantis, eoque ad fidem Chriſtianam convertentis *tria millia*. Quartum, eſt illud *Pauli*, hebdomadis *die primo*, prædicantis *Troade*, ad *Diſcipulorum* conventum numeroſum; cumque ipſis *Cœnam Dominicam* celebrantis; quod *conſueti moris* videtur apud ipſos fuiſſe. Quintum eſt illud *Pauli* ad *Corinthios*, (ſupponentis ſeu præſumentis id moris eſſe *Corinthi*, & in *Galatia*, ut in Eccleſiis aliis, primo die Hebdomadis convenire;) monentis, ut, in his conventibus, *primo quoque die hebdomadis*, collectiones fierent in ſubſidium Sanctorum tum indigentium *Hieroſolymis*. Eaque omnia ab Exceptionibus Adverſarii (quales quales fuerint) vindicavimus.

Si vero Lectorem tædeat *minutis* hiſce diſcutiendis tam diu detineri; veniam ab eo impetrandam ſpero, quoniam hæc *minuta* videntur huic Scriptori ſatis *magna*.

Si vero poſt hæc omnia, *non poſſit* ille aut *nolit* credere, hebdomadis *diem primum* fuiſſe tum temporis aut *generaliter obſervatum*, aut *obſervari ſolitum*, aut *omnino* fuiſſe obſervatum, (prout ait ille *Repl.* p. 38.) id mea culpa non fit. Certe ſi exigua pars horum oſtendi poſſet, (poſt illam *Dei Requietem* Gen. 2.) de *Sabbato diei Septimi*, ab *Homine* celebrato, ante illud *Exod.* 16. (poſt Iſraelitarum exitum ex Ægypto,) per annos plus *bis mille & quingentos*; putaret ille *rem facti* ſatis ab eo probatam eſſe.

Ego ſaltem, cum videam ab ipſo *Chriſto* ſolennizatum, (idque non ſemel, ſed aliquoties,) & ab *Apoſtolis* ſuis, (aliiſque Chriſtianis, ipſis *Apoſtolis* adhuc viventibus,) *Hieroſolymis, Troade, Corinthi*, in Eccleſiis *Galatiæ*, (&, quod merito putemus, Eccleſiis aliis;) & peculiari nomine *diei Dominici* (de quo mox dicemus) inſignitum, ut Judæorum Sabbato contradiſtinctum; atque per omnia deinceps ſecula Eccleſiæ Chriſtianæ, ſub *eo nomine*, celebratum. Cumque certum ſit, Chriſtum Apoſtolis ſuis *mandata dediſſe* de inſtruenda Eccleſia Chriſtiana; quæ quænam fuerint particulatim nos neſcimus, ſed præſumendum eſt ea, quæ poſt fecerunt, fuiſſe his mandatis conſona; atque hunc, inter alia, de *die Dominico* celebrando. Non dubito quin id ſit nobis juſtum argumentum de eodem continuando, ut Chriſti menti conſentaneo.

CAP. XV.

Exemplum Sextum, *Diei Dominici*, Apoc. 1. 10. *Qui idem eſt cum Noſtro Die Dominico. Objectis reſpondetur. Dies Dominicus, non erat Sabbatum Judaicum, quod vult hic Scriptor. Id fuſe arguitur. Id teſtantur Græci Patres; Latinis antiquiores.*

SExtum ſupereſt Exemplum; de S. *Johanne*, cum ei facta eſt Apocalypſis, *Apoc.* 1. 10. *Fui*, inquit, *in Spiritu* (vel ſpiritu correptus) *ipſo die Dominico*; ἐγενόμην ἐν πνεύματι ἐν τῇ κυριακῇ ἡμέρᾳ. Ubi, ſub alio nomine, rem eandem habemus. Quippe *dies Dominicus* idem eſt atque *Primus dies Hebdomadis*; atque ſic ſemper reputatus.

Atque hoc fatetur ille Exemplum eſſe bonæ notæ; ſi modo *Dies Dominicus* ſit *Septimanæ primus*. Quo conceſſo, rem totam mihi conceſſam puto; cum nemo ſit (ſaltem pauciſſimi) qui dubitet eundem eſſe *diem Dominicum*, atque *primum diem ſeptimanæ*; & per omnia huc uſque ſecula ſic habitum.

Sunt, inquit, qui putant *diem dominicum* hic memoratum, fuiſſe anniverſarium *Nativitatis Chriſti*; Alii, *diem Paſchatis*; Alii, *diem Judicii*. Quæ quidem objicit, non quod ille putet horum aliquod; (nam contra hos omnes diſputat ipſe;) ſed ut, quocunque modo, turbare poſſit argumentum, ſive vera ſint, ſive non vera, quæ objiciuntur. Quinam illi ſint qui ita ſentiunt, ego neſcio; neque ſum ſolicitus. Ego minime dubito, quin *Dies Dominicus* ibi memoratus, idem ipſe ſit quem *Diem Dominicum* jam dicimus; Hebdomadis *diem primum*.

At, inquit, hoc non aliunde conſtat quam ex *Romanenſium Traditione*, eorumque authoritate *uſurpata*; Quin, ſi *Traditioni fidem adhibeamus, ubi tandem conſiſtemus*?

Ego quidem non ſum admodum pronus ut eis omnibus adhibeam fidem quæ *Traditionis* prætextu nobis obtruduntur. Judicio opus eſt ut Traditorum Certa ab Incertis diſtinguamus; dubiiſque dubiam adhibeamus fidem.

At inquam ego, Quomodo ipſi conſtabit (aliter quam per *continuam Traditionem*) noſtrum *Saturni* diem eundem eſſe eum die Septimo continuè recurrente, ab orbe primum condito? aut etiam (ſi id ſit quæſitu duriuſculum) eundem eſſe eum *Sabbato Judaico* continue recurrente? Certe nemo mortalium, nunc in vivis, poterit hoc atteſtari. Nec uſquam dicitur, in Sacris literis, præſentis ſeculi diem Saturni, ipſiſſimum eſſe *Veterum Judæorum* Sabbatum: nedum continue recurrentem, ab Orbe primum condito, diem Septimum.

Hoc, inquit, liquet ex Judæis ipſis, qui ad hunc uſque diem, Sabbatum ſuum celebrant Saturni die, qui eſt noſtræ Septimanæ ſeptimus; atque hoc continua ſerie (ut ipſi putant) à majoribus ſuis obſervarunt.

At, inquam, Ecquid hoc aliud eſt quam *Traditio Judaica*? Cui non eſt cur nos majorem fidem adhibeamus quam *Traditioni Chriſtianæ*; qua docemur, noſtrum diem Dominicum eundem eſſe (à majoribus noſtris continue obſervatum) cum Die Dominico in Sacris Literis memorato. Cui fidem faciunt omnium jam inde ſeculorum hucuſque Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ.

Quod ſi noſter *Dies Dominicus* idem ſit qui Apoſtolorum tempore fuit obſervatus; ſat tuti ſumus; ſive ſit ille dies *primus*, ſive dies *ſeptimus*, hebdomadis Judaicæ; & quotuſquiſque ſit hebdomadis ab Orbe primum condito continue recurrentis. Ego quidem hunc eſſe exiſtimo, hebdomadis veterum Judæorum *diem primum*, quoniam ſic fuiſſe puto *eorum* diem Dominicum; & continuæ Traditioni eatenus fidem habeo; (ſin ſecus ſit, non video unde poſſimus eſſe certiores facti:) Quotus autem dies ſit hebdomadis ab Orbe primum condito continue recurrentis; ego me neſcire fateor; nec ſum ſolicitus.

Ego ipſi facile conceſſero (quod & contendit ipſe) *Diem Dominicum*, (à S. *Johanne* memoratum) nec eſſe Anniverſarium *Nativitatis Chriſti*; nec eſſe diem *Paſchatis Chriſtiani*; nec diem *Pentecoſtes*; neque diem ſupremi *Judicii*; (nec ſcio numquis ſobrius ſerio contenderit, horum ullum fuiſſe:) ſed alium ab his omnibus, alio notum nomine; & quidem quem *jam* dicimus diem Dominicum; hebdomadis Judaicæ *diem Primum*.

At fieri poſſe, contendit ille, (& quidem primus omnium, quantum ſcio,) ut intelligatur de ipſo Sabbato Judaicô, diei *Septimi*; ſed fatetur interim, *nihil eſſe ex circumſtantiis loci, quod ad hunc diem determinet*; ut ſua tantum conjectura nitendum ſit. Sed neque oſtendere prætendit, Sabbatum Judaicum, *appellatum unquam fuiſſe*, Diem Dominicum; Sed, quod *ſic appellari potuiſſet*. Nam *Dominus*, inquit, *benedixit & ſanctificavit diem ſeptimum*, adeoque *potuiſſet* dici non incommode *dies Domini*: Recte quidem, atque ſic dici poſſit *Sabbatum Chriſtianum*, non minus quam *Judaicum*. Dicitur, inquit, *Filius Hominis eſt Dominus Diei Sabbati*. Omnino quidem; & cujuſque alterius Diei; & quidem *Sabbati Chriſtiani* (cum hoc fuerit Sabbatum) non minus quam *Judaici*. At vero non erat ille (quando benedixit Sabbato) *Filius hominis*: Neque etiam, (quum illic dicitur *Filium hominis*,

 eſſe,

eſſe, *Dominum Sabbati,*) id dicitur in *Confirmationem* Judaici Sabbati; ſed potius in *Derogationem*; nempe, quod penes eum eſſet *Interpretari, Mutare,* aut etiam *Abrogare* Sabbatum Judaicum; quod & paulo poſt ſecuturum erat. At dicitur (inquit) *Exod.* 20. & *Deut.* 5. *Dies Septimus* (nempe, poſt Sex dies ordinarii laboris) *eſt Sabbatum Domini Dei tui*; (quin *Sabbatum Domini*, eſt *Dies Domini*, ſeu *Dies Dominicus*.) Quod, inquam, Sabbato Chriſtiano non minus convenit, qui eſt dies ſeptimus, poſt Sex dies laboris. Dicitur etiam, inquit, *Iſai.* 58. 13. *Si vocaveris Sabbatum delicias, Sanctumque Jehovæ honoratum*: quod ſi Sabbatum ſit *Jehovæ dies Sanctus*, eſt ſaltem *Jehovæ dies*, hoc eſt, *dies Dominicus*. Vult itaque (*Inquiſ.* p. 69.) nomen *Diei Dominici, ſurreptum eſſe à Judaico Sabbato* (cui deberi ſentit hic Author) *Primoque Septimanæ* perperam attributum.

Verum ſi demus, *Sabbatum Judaicum* (dum fuerit Dei Sabbatum) *dici potuiſſe* (ut nomine Appellativo) Domini diem, ſeu Diem Dominicum,(quod de quovis die dici poſſet qui ſit Deo conſecratus, aut inſigni aliquo Dei opere notabilis;) Sic autem *appellatum nunquam fuiſſe* Sabbatum Judaicum, non inde conſtat; multo minus, quod Dies Dominicus *hic inſinuatus* Apoc. 1. 10. fuerit *Judaicum Sabbatum*.

Ego facile conceſſerim, Sabbatum Domini (quocunque die Septimanæ contigerit) dici poſſe *Sanctum Dei diem*; aut etiam alium quemvis diem cultui Dei deſtinatum, *Sanctum Dei diem eſſe*. Verbi gratia, dicitur *Exod.* 12. 16. Feſti azymorum *die primo*, itemque *die ſeptimo*, eſto vobis *ſancta convocatio*, (nullum opus ſervile fiat in eis;) Adeoque *ſanctus Dei dies* fuerit eorum uterque, (quocunque die ſeptimanæ contigerint.) Similiterque illi omnes memorati *Levit.* 23. 2, 4, 7, 8, 21, 24, 27, 28, 30, 32, 35, 36, 39. Item *Num.* 28. 18, 25, 26. & *Num.* 29. 1, 7, 12, 35. *Domini dies ſancti* fuerunt omnes. Non tamen horum ullum fuiſſe puto τὴν κυριακὴν ἡμέραν, aut eo nunquam nomine innotuiſſe. Sed neque Sabbatum Judaicum, etiamſi ſic *dici potuiſſe* contendat hic Author (ut nomine Communi,) non tamen ſic unquam *dictum fuiſſe* oſtendit, eove (ut nomine Proprio) innotuiſſe.

Velim itaque ut hic Author, aut ſiquis alius juxta cum eo ſentiat, (modo poſſit aliquantiſper præjudicium ſeponere,) ſerio perpendat.

1°. Quod *Dies Dominicus* erat alicujus diei *nomen Proprium*, quo tum potuerit ab aliis diebus diſtingui, (quod & fatetur ipſe, *Repl.* p. 39.) ſecus enim, Quorſum diceretur, *Fui Spiritu correptus* τῇ κυριακῇ ἡμέρᾳ, *ipſo die Dominico*, ſi nullus eo nomine dies innoteſceret? Sed, Sabbati Judaici, Nomen proprium, (hujuſque ſolius, ut contendit hic Author, *Repl.* p. 64.) atque omnibus notiſſimum, erat *Sabbatum*, ſeu *dies Sabbati*: Neque ulla comparet vel probabilis ratio, cur (ſi de Sabbato foret intelligendum) non diceretur, *Fui in Spiritu* (aut Spiritu correptus) τῷ σαββάτῳ, *aut ipſo die Sabbati*. Quod cum non dicatur; merito putandum eſt, id alio die contigiſſe, qui nomine *diei Dominici* tum innotuerit.

2°. Perpendat velim, quod *Jehova*, ſeu *Dominus*, in Veteri Teſtamento, eſt *Dei* nomen, indiſcriminatim ſumpti; abſque reſpectu particulari habito ad hunc aut illum ex Tribus Perſonis, Patre, Filio & Spiritu Sancto; Nomenque illud *Sabbatum Jehovæ Dei tui*, non magis hoc appropriat *Perſonæ Secundæ*, quam *Primæ* aut *Tertiæ*. Et quamvis non negaverim, *Dominum Chriſtum* fuiſſe (& eſſe) *Deum illum* qui Decem Præcepta dederit, (ſunt utique, omnes illæ Perſonæ, idem Deus;) Non tamen hoc intelligendum putaverim de *ſolo Chriſto*, ut reliquis Perſonis contradiſtincto. Cumque dicitur, *Ego ſum Jehova Deus tuus; non erit tibi Deus alius præter me*: Non ſic intelligendum erit, quaſi diceretur *Ego Secunda Perſona* ſum ita Jehova Deus tuus, ut non aliam Sanctæ Trinitatis *Perſonam* pro Deo tuo agnoſcas præter *Me, Secundam Perſonam*. Nec, credo, ſic intellectum vellet hic Scriptor; ſed de Deo abſolute ſumpto; prout Sanctæ Trinitatis Perſonas omnes includit indifferenter.

3°. Quod nomen κύριος, vel ὁ κύριος, in novo Teſtamento, attribui ſolet ſpeciatim *Domino Chriſto* (Διαλλάκτῃ) Servatori noſtro, & quidem Servatoris munus exſequenti, & Eccleſiam Chriſtianam inſtituenti & ordinanti. Non, quod *Deus* abſolute ſumptus, aut etiam *Pater, Spiritusve Sanctus*, non ſit κύριος *Dominus*; ſed de Chriſto dici ſolet κατ' ἐξοχὴν, ὁ κύριος, (ſicut de eodem alias dici ſolet κατ' ἐξοχὴν, *Filius Hominis*;) atque ſic paſſim intelligendum eſt. Adeoque ἡμέρα κυριακὴ, intelligenda erit de die peculiariter appropriata (τῷ κυρίῳ) *Domino Chriſto*; quod neque Judæorum Sabbato congruit, neque Sabbato Quarti præcepti; ut quod eſt Sabbatum *Jehovæ Dei tui*; hoc eſt, *Dei* indefinite ſumpti: Nam ſub hac conſideratione loquitur in Decalogo Deus; non, ut unius Perſonæ, à duabus reliquis diſtinctæ.

Dicitur utique ἡμέρα κυριακὴ (*dies Dominicus*) pari ſenſu quo δεῖπνον κυριακὸν (*cœna Dominica*) 1 Cor. 11. 20. & ποτήριον κυρίου, τράπεζα κυρίου, (*poculum Domini, menſa Domini*,) 1 Cor. 10. 21, 22. 1 Cor. 11. 27. In quibus omnibus, ὁ κύριος *Dominus*, intelligitur de *Domino Chriſto* Διαλλάκτῃ. Cumque fuerit, tum temporis, duplex Sabbatum in uſu receptum, (Sabbatum Judaicum & Sabbatum Chriſtianum,) fueritque vox *Sabbatum* (indefinite ſumptum) jam à longo tempore Sabbato Judaico attributum, adeoque aptum de hoc intelligi; ergo (Diſtinctionis cauſa) Sabbatum *Chriſtianum* (quamvis non minus *Sabbatum* fuerit, in ſenſu Quarti præcepti,) dicebatur *Dies Dominicus*; ut Dies Sabbaticus Domino noſtro Jeſu

Chriſto

Chriſto peculiariter appropriatus, atque ab ipſo inſtitutus; ut eſt *Cœna Dominica*, ea quam inſtituit Dominus Chriſtus; & *Oratio Dominica*, ea quam Chriſtus docuit.

Ubi autem ille toties ſuggerit, *fuiſſe Mundum conditum à Domino noſtro Jeſu Chriſto*; *Legemque in monte Sinai datam à Domino noſtro Jeſu Chriſto*; aliaque ejuſmodi, in quibus ille multus eſt: Erraſſe puto, ſaltem minus caute loquutum. Nam *Dominus noſter Jeſus Chriſtus*, eſt *Theanthropus*, (Deus ſimul & Homo;) non autem erat *Theanthropus* quum *Mundus* conderetur, & *Lex* promulgaretur in monte *Sinai*; ſed *Deus tantum*. Verum quidem eſt, quod *Chriſtus*, ut *Deus*, (ratione Divinitatis ſuæ,) eſt idem ipſe Deus, qui Mundum condidit, deditque Legem in monte *Sinai*, (Deus enim, Unicus eſt;) ſed non ut (*Theanthropus*) *Deus & Homo*: quippe tum non *Homo* fuit; ſed, *in plenitudine Temporis, factus eſt Homo*. Sabbatum *Jehovæ Dei noſtri*, (in Quarto præcepto æque reſpiciens Tres Perſonas,) non idem valet ac Sabbatum *Domini Jeſu Chriſti* (θεανθρώπῳ.) Sed δεῖπνον κυριακὸν *Cœna Dominica*, (in Novo Teſtamento,) eſt *Cœna Domini Jeſu Chriſti*, (θεανθρώπῳ,) utpote ab ipſo inſtituta; & ſimiliter ἡμέρα κυριακὴ *Dies Dominicus*, eſt Dies ab ipſo ſic inſtitutus.

4°. Perpendat velim, quod *Dominica*, ſeu *Dies Dominicus*, per omnia continua Eccleſiæ Chriſtianæ ſecula, habitum eſt ut *Nomen Proprium* iſtius diei, qui alias dicitur *Sabbatum Chriſtianum*, (ut Sabbato Judaico contradiſtinctum;) non aliis cujuſpiam diei *nomen Proprium*. Adeoque, uſque dum aliquid in contrarium compareat, ego putavero eundem eum eſſe, qui in Sacra Scriptura dicitur *Dies Dominicus*.

Eſt quidem in Novo Teſtamento memoratus locus, qui *Roma* dicitur: eſtque nunc dierum locus in *Italia*, qui itidem dicitur *Roma*; quique per omnia continue ſecula ſic dictus fuit; neque alius eſt quem ſcio locus inſignis eo nomine notus. Et propterea, donec aliquid in contrarium compareat, putaverim *Romam* hodiernam, eundem eſſe locum cum eo qui in Novo Teſtamento dicitur *Roma*.

Item in Novo Teſtamento memoratur Inſula Maris Mediterranei, quæ *Melita* ſeu *Malta* dicitur (ubi naufragium paſſus eſt S. *Paulus*,) aliaque non procul Inſula quæ dicitur *Creta*: Eſtque nunc dierum, in eodem Mari Mediterraneo, Inſula dicta *Malta*, aliaque non procul inde quæ dicitur *Creta* ſeu *Candia*; Nec ſcimus alias ullas inſulas ſic appellátas, aut eo tempore, aut inde huc uſque. Tuto igitur præſumendum erit (donec in contrarium appareat quidpiam) Inſulas nunc dierum ſic dictas, eaſdem eſſe cum ſic dictis in Novo Teſtamento.

Pariter putemus, Diem illum, qui per omnia retro ſecula Eccleſiæ Chriſtianæ dictus fuit (ut nomine ſuo proprio) *Dies Dominicus*, (atque hic ſolus,) eundem eſſe diem qui à S. *Johanne* (ut nomine ſuo proprio) ſic dictus eſt *Apoc.* 1. 10. quum ſuam ille ſcripſit Apocalypſin: uſque dum oſtendi poteſt, quod alium ille diem hoc nomine ſignificaverit.

Idque eo magis præſumendum erit, quia, jam ſtatim poſt S. *Johannis* tempora, hoc nomen ſic ab aliis uſurpatum videmus; & quidem ab eis quos merito putemus S. *Johannis* ſenſum rite intellexiſſe, modumque loquendi.

Primus quem nominaturus ſum, eſt, S. *Ignatius*; qui fuit non tantum contemporaneus, ſed S. *Johannis* Diſcipulus, ab ipſo educatus atque edoctus; adeoque ſenſum ejus intellexiſſe præſumendus: Scripſit ille, ſi non ante, ſaltem paulo poſt quam ſcripſerit S. *Johannes* Apocalypſin. Scripſit utique S. *Johannes* Apocalypſin ſuam, in Inſula *Patmo*, (quo relegatus erat à *Domitiano*,) Anno Chriſti (ut tradunt Chronologi) 96, circiter: ſcripſitque Evangelium ſuum, poſtquam à *Patmo* redierat *Epheſum*: mortuuſque eſt (ſub *Trajano*) Anno Chriſti 98 aut 99 circiter. Mortuuſque eſt *Ignatius* (ſub eodem *Trajano*) Martyrium paſſus, Anno 107. (Ut non multum temporis interceſſerit; & quidem ſi uno aut altero anno erremus, non magni intereſt.) Quot annis ante Martyrium ſuum ſcripſerit *Ignatius* ad *Magneſios* Epiſtolam, non certo ſcimus; nec magni refert. Jamque in ea ad *Magneſios* Epiſtola (etiam ſecundum genuinam illam Editionem quam ex Veteri Manuſcripto Codice edidit *Uſſerius* Archiepiſcopus *Armachanus*, non eam quam interpolatam fuiſſe merito ſuſpicemur,) ſedulo monet eos, non *Judaizare*, ſed vivere ut decet *Chriſtianos*; *Si enim uſque nunc*, inquit, *ſecundum Judaiſmum vivimus*; *confitemur Gratiam non recepiſſe.* Et ſpeciatim, de Sabbato, *Non amplius Sabbatizantes, ſed ſecundum Dominicam viventes*, (*ſeu vitam agentes*,) *in qua & Vita noſtra orta eſt.* Unde manifeſtum eſt, quod ſaltem intra 8 vel 10 annos, aut etiam pauciores, *Dominica* ſeu *Dominicus dies*, non ſignificavit *Judæorum Sabbatum*, ſed hebdomadis *diem Primum*, quo *Reſurrexit Vita noſtra Chriſtus*; quodque jam tum fuerit celebratus, ut Judæorum Sabbato contradiſtinctus.

In ejuſdem *Ignatii ad Trallianos* Epiſtola habemus iterum κυριακὴν diei *Primo* attributam, quo Reſurrexit Chriſtus; Sed hoc non urgeo, quoniam habetur in Editione quam interpolatam eſſe ſuſpicemur; velimque indubium teſtimonium adhibere. Nec tamen contemnendum eſt hoc teſtimonium; nam Interpolationes illæ (à quocunque fuerint) ſunt etiam Antiquæ.

Poſſem etiam *Polycarpi* teſtimonium addere; qui *Ignatii* collegit Epiſtolas, eaſque ſic collectas, edidit: Qui & ipſe fuerat S. *Johannis* diſcipulus; & merito præſumendus intellexiſſe ſatis, quem diem *Johannes* dixerit *Diem Dominicum*.

Huic proximum ſubjungo *Juſtinum Martyrem.* Quem tamen non appello S. *Johannis* Diſcipulum; quia non erat ad Chriſtianam Religionem converſus, ante Annum Chriſti circiter 129, (annis quaſi 30 poſt S. *Johannis* mortem.) Sed vixit ille tam brevi poſt tempore, ut non potuerit ignorare Chriſtianorum praxin, & quem illi diem intellexerint per S. *Johannis* Diem Dominicum. Quomodo autem fuerit, ipſius ætate, celebratus hic dies, docet ille in Apologia ſua (quæ dicitur) ſecunda, ubi, inter alia, hæc habentur: Τῇ τοῦ ἡλίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ πάντων κατὰ πόλεις ἢ ἀγρὲς μενόντων ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέλευσις γίνεται, καὶ τὰ ἀπομνημονεύματα τῶν Ἀποστόλων, ἢ τὰ συγγράμματα τῶν προφητῶν ἀναγινώσκεται, μέχρις ἐγχωρεῖ. *Solis qui dicitur die, omnium qui vel in oppidis vel rure degunt, in eundem locum conventus fit: & Commentaria Apoſtolorum aut Scripta Prophetarum, prout tempus fert, leguntur,* &c. Et paulo poſt, τὴν δὲ τοῦ ἡλίου ἡμέραν κοινῇ πάντες τὴν συνέλευσιν ποιούμεθα· ἐπειδὴ πρώτη ἐστὶν ἡμέρα, ἐν ᾗ ὁ Θεὸς τὸ σκότος καὶ τὴν ὕλην τρέψας, κόσμον ἐποίησε· καὶ Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ ἡμέτερος σωτὴρ, τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ἐκ νεκρῶν ἀνέστη. τῇ γὰρ πρὸ τῆς κρονικῆς ἐσταύρωσαν αὐτὸν, καὶ τῇ μετὰ τὴν κρονικὴν, ἥτις ἐστὶν ἡλίου ἡμέρα, φανεὶς τοῖς ἀποστόλοις αὐτοῦ καὶ μαθηταῖς, ἐδίδαξε ταῦτα. *Solis die, communiter omnes conventum agimus: quandoquidem is primus dies eſt quo Deus, tenebris & materia verſa, mundum effecit; & Jeſus Chriſtus Servator noſter eo ipſo die à mortuis reſurrexit. Pridie enim Saturni diei, ille in crucem actus eſt; & poſtridie ejuſdem, qui Solis eſt dies, Apoſtolis & Diſcipulis ſuis apparuit, atque ea docuit,* &c. (Hoc eſt, prout ego intelligo, *docuit* hunc diem ſic eſſe celebrandum; ut non dubium fuerit, ea ætate, *Jubente Chriſto* id fieri.) Unde de obſervato Sabbato Chriſtiano, ea ætate, ſatis liquet.

Quod autem Sabbatum Judaicum non tunc obſervaverint Chriſtiani (à Judaico contradiſtincti) ex ejuſdem Juſtini cum Triphone dialogo, abunde patet. Quippe cum ipſi objicit *Triphon Judæus,* (tum Circumciſionis, tum) *Judaici Sabbati* neglectum; *Juſtinus* rem non negat, ſed juſtis argumentis defendit: prout locum conſulenti ſatis patebit.

Non quidem hic diſerte dicitur *Dies Dominicus,* ſed *Dies Solis,* (quia ſcripta eſt ad Imperatorem Ethnicum hæc Apologia:) Sed tantundem eſt: oſtendit enim ſtatos Chriſtianorum Conventus religioſos haberi ſolitos *Die Solis* (poſtridie diei *Saturni,* quod erat Judæorum Sabbatum,) & non in Judæorum Sabbato; Quod itaque Sabbatum, nulla ratione cenſeri poteſt *Dies Dominicus.*

Eundemque Diem Dominicum ſic ſemper habitum eſſe ab antiquiſſimis Scriptoribus Chriſtianis, *Ignatio, Clemente, Irenæo, Origine, Tertulliano,* &c. Conciliis item, & Hiſtoricis Eccleſiaſticis; tam notum eſt & ab aliis indicatum, (eſtque omnibus obſervatu obvium qui velint eorum ſcripta conſulere,) ut omnino dubitari non poſſit, quin per *diem dominicum* eundem intellexerint diem, quem etiamnum dicimus Diem Dominicum, Hebdomadis noſtræ Primum.

Atque hic ipſe Scriptor, in longa illa quam habet Collectione, (*Inquiſ.* p. 91. & ſic deinceps per quadraginta paginas,) per *diem Dominicum,* eundem ſemper diem intelligit, Judæorum Sabbato contradiſtinctum.

Cum igitur, paucis poſt annis (ſi non eo prius) quam Apocalypſin ſuam ſcripſerit S. *Johannes,* ipſius Diſcipulus *Ignatius,* per Diem Dominicum, intellexerit hebdomadis Primum; & *Polycarpus* item (ejuſdem *Johannis* Diſcipulus) qui *Ignatii* collectas edidit Epiſtolas; totaque deinceps hucuſque Eccleſia Chriſtiana ſic ſint locuti; neque uſquam conſtet hoc nomen inditum fuiſſe Sabbato Judaico: omnino vanum eſt quod ille ſuggerit *Inquiſ.* p. 69. *ſurreptum eſſe nomen Diei Dominici à Sabbato Septimi diei, & perperam attributum Primo:* Quippe, Primum diem, hoc nomen jam olim obtinuiſſe certum eſt, (non item Septimum;) ut, ſiqua *Furti* ſuſpicio ſit, (aut Sacrilegii,) id illi imputandum erit, qui, Primo ſurreptum, diei Septimo transferre ſatagit.

CAP. XVI.

Continua Traditio, jam inde ab Apoſtolorum temporibus. Omniumque temporum hiſtoria. Non rejicienda. De die continue ſeptimo à prima Creatione, nihil certi conſtat. Nec de Hebdomadum antiquo uſu: Nedum de dierum nominibus. Aut, quomodo noſtra tempora cum antiquis temporibus connectamus. In Recordis noſtris, tum dies Saturni dicitur dies Sabbati; tum dies Solis, Dies Dominicus.

CONtra omnem hanc (in quæſtione *de Facto*) evidentiam; quam ego ſic expoſueram; quod unicum reponit, (*Repl.* p. 39, 40.) hoc eſt: *Hæc omnia Traditionem eſſe: atque à Romanenſium Corruptelis & Uſurpationibus orta: à Traditionibus autem nil certi eſt aut eſſe poteſt.* (Quaſi, ſub *Traditionis* nomine, rejicienda ſit, *Hiſtoria omnis.*)

At certe *Ignatius, Polycarpus, Juſtinus Martyr, Origines, Irenæus,* aliique; *Romanenſes* non erant (ſive, ut ille loquitur, *Repl.* p. 59. *ex mundo Romanenſium;* à quibus hæc *primitus introducta* ſuggerit, *Inquiſ.* p. 5.) ſed *Græci* Patres; eorumque aliquot, antiquiores

quam

quam quas notat *Romanenſium Uſurpationes*; quas non niſi *poſt ſecundam Centuriam incepiſſe*, notat ipſe *Inquiſ.* p. 125.

Interim vero; Unde nos cognoſcemus, *Romam* quam jam dicimus, eam eſſe quæ in Novo Teſtamento *Roma* dicitur, niſi ex communi Traditione? Aut etiam, quomodo ipſi conſtabit, aliter quam per *Traditionem*, (& quidem non-ſcriptam,) num dies quem Dominicum dicimus, Primus ſit an Septimus Judaicæ ſeptimanæ?

At, inquit, *Repl.* p. 3. *Omnes ubivis terrarum Eccleſiæ, Chriſtianæ pariter atque Hebrææ, in hoc conſentiunt, diem Solis eſſe Primum diem Septimanæ*, (nempe *Judaicæ.*) Eſto. An hoc aliud eſt quam *Traditio*? & quidem *non-ſcripta*? Dixeratque prius, *Inquiſ.* p. 78. *Alias enim omnes tum Judæi tum Chriſtiani hactenus erraverunt computo*: Quæ itidem eſt mera *Traditio*, (quam ille toties habet deſpicatui;) Nam *Communi Traditione* ſic computarunt. Item *Inquiſ.* p. 93. (de Centuria Quinta loquens) *Omnes*, inquit, *in mundo Chriſtiani conſentiunt, quis dies ſit* (Judæorum) *Sabbatum*; *&, quis ſeptimanæ primus*, (nempe continuæ Traditioni conſentiunt omnes;) Additque, *conſentiunt omnes, ſeptimum hebdomadis* (noſtræ) *diem, appellare Sabbatum* (Judaicum;) Addidiſſet porro, *primumque diem hebdomadis, appellare, Diem Dominicum*: Sed *pari Traditione* in hæc omnia conſenſerunt: Similique *Traditione*, deinceps (à Centuria quinta) hactenus, ſic dies numeramus; ſed *continua Traditione* ſic numeramus. Quodſi (ut ait ille *Repl.* p. 39, 40.) *nulla ſit in tali Traditione certitudo*; pariter incerti ſumus de recurrente *Judæorum Sabbato*, & Chriſtianorum *Die Dominico*: ſiqua vero ſit; pariter ſumus de utroque certi. Cumque dicit *Repl.* p. 10. *Edocti erant ab Adamo deorſum, in piis familiis, à Patre ad filium*, (quis fuerit continue recurrens dies Septimus ab Orbe primum condito:) Gratis hoc dicit. Et quidem ſi verum eſſet (quod ego vix crediderim, ſaltem non per omne tempus hucuſque,) etiam hoc, *Traditio* eſt, & nihil majus.

Quodque addit, *Repl.* p. 74. *certum diem continue ſeptimum*, (ab Orbe primum condito,) *à Nationibus omnino omnibus conſervatum eſſe, Solem colentibus ipſo die Solis*; ſunt meræ nugæ. Nulla enim extant veſtigia, in hiſtoria quavis (ſive ſacra ſive profana) gentem ullam (nedum omnes omnino nationes) *continue ab Adamo* Solem coluiſſe; & quidem, qui Solem tandem coluerunt, id *eo die* feciſſe, qui jam *Solis* dicitur, magis quam alio quovis die, omnino non liquet; neque illud à quoquam traditur; Neque ulla (quod ſcimus) natio, exceptis ſolis Judæis, tempora ſua per hebdomadas diſtribuerunt, multo minus (quod ille ſomniat) ſua ſingulis Septimanæ diebus impoſuerunt nomina; ut alter *Saturni*, alter *Solis*, alter *Lunæ*, (& ſic de cæteris,) diceretur: ſuntque hæc (quæ præſumit ille antiqua nomina) ipſo Chriſtianiſmo recentiora. Ut totum hoc (cui confidit ille) non tam *Traditio* ſit, quam *Figmentum* merum, vel ſomniantis *phantaſma*.

Verum quidem eſt, Iſraelitas (eoſque ſolos) poſt Exitum ex Ægypto, tempora ſua per Septimanas diſtribuiſſe; non tam ab Orbe condito, quam à deſcenſu Mannæ, continue numerandas. Quod autem antiquius uſi fuerint Septimanis, non liquet. Et quidem, ſiquando prius hebdomadas habuerint, eas tamen cum hiſce coincidere, non liquet; vel utraſvis inde ab Orbe primum condito continuatas; abſque ulla unquam interruptione facta. Quodſi, interruptione unquam facta, juſti diei inceſſerit oblivio; huic quo ſubveniri poſſet, non conſtat.

Verum item eſt, quod, poſt Chriſti tempora, Eccleſiamque Chriſtianam per univerſum Orbem propagatam, ſimulque cum ea Diei Dominici Obſervationem; cœperunt aliæ Gentes ſua tempora per Hebdomadas diſtribuere, ſingulisque hebdomadum diebus imponere Nomina, non (quod ille ſuſpicatur) ab Ethnicorum diis deſumpta, (qui multi erant;) ſed à Septem Planetis, (prout tunc cenſebantur,) diebus hebdomadis con-numeris. Quod cum ubique gentium obtinuerit; ſicubi in natione aliqua diei inceſſerit oblivio, poſſet huic ex alia gente ſubveniri, & res in integrum reſtitui. Quod primis illis temporibus non foret; cum (ipſo conſentiente) Gens unica (ſi una) aut etiam unica Familia, Sabbatum obſervaverit.

Atque ex eo etiam tempore mos obtinuit, Cœleſtia Phænomena, aliaque accidentia notabilia, in faſtos redigere; non tantum quoto menſis cujuſpiam die, ſed & quoto die ſeptimanæ contigerint; unde hebdomadum longe diſſitarum fieri poſſit connexio, & reſtitui ſiquis forte inceſſerit error computi. Quod ante ea tempora non obtinuit.

Dicitur quidem Crucifixum fuiſſe Chriſtum hebdomadis Judaicæ die Sexto, & reſurrexiſſe Primo; *Hieroſolymam* item hebdomadis die *Septimo* à Romanis fuiſſe captam; ſed quoto item die cujus Anni hæc facta ſint, non dicitur; ut inde poſſimus Judæorum hebdomadas cum noſtris connectere.

Dicitur item, quoto menſis die *Noachus* Arcam ingreſſus eſt, & quoto egreſſus; ſed quoto hebdomadis die id factum ſit, non dicitur, (nec liquet hebdomadum computationem tunc obtinuiſſe.) Et quidem ſi diceretur illud; cum tamen non conſtet quoto præciſe anno ab Orbe condito hoc contigerit, (ita ut de uno die erremus;) nec quot præciſe annis (atque diebus) retro ab hac ætate noſtra contigerit; nulla ſuppetit ratio hebdomadas noſtras cum illius ætatis hebdomadibus connectendi. Ut nulla ſuppetat alia ratio, quam nuda

Traditio,

Traditio, mille modis incerta, ſtatuendi, (vel etiam conjectandi,) quotus ſit hic aut ille dies hebdomadis Judaicæ; multoque minus, hebdomadis ab Orbe primum condito continue recurrentis.

Quum itaque nobis non permittit, ex continua Traditione unanimi gentium omnium, omniumque Eccleſiæ Chriſtianæ ſeculorum hiſtoriis, de Die Dominico judicare (quis ille ſit) vide, quam lubricis ipſe nititur Conjecturis, aut etiam hariolationibus. Quippe niſi ipſi gratis concedatur, noſtrum diem Saturni, ipſiſſimum eſſe Septimum in hebdomadum ſerie ab Orbe primum condito continue recurrentium, (nulla unquam interruptione facta, uniuſve diei luxatione;) nihil habet quo pedem figat.

Innuerat ille, *Inquiſ.* p. 117, 118, *in Recordis noſtris Parliamentariis, aliiſque Judicialibus, Diem Saturni, dici ſolere Diem Sabbati*; (Recte quidem, nempe *Sabbati Judaici*:) Notatque *Repl.* p. 40. & 75. (quaſi id magni fuerit momenti) *me nihil ad hæc repoſuiſſe*; *nempe, quod in Recordis Parliamentariis, aliiſque Judicialibus Weſtmonaſterii, Dies Saturni, dicitur, Sabbati, vel dies Sabbati.* Quod quidem verum eſt; Nempe, ex *communi Traditione* receptum eſt, noſtrum *Saturni* diem, eum eſſe qui erat *Sabbati Judaici.* Sed meminiſſe item oportuit Clariſſimum Virum (Legum noſtrarum peritum) in eiſdem *Recordis, Diem Solis* dici ſolere *Diem Dominicum.* Quorum itaque Recordorum authoritas ſi probet Diem *Saturni*, eum eſſe diem qui fuerat *Sabbati Judaici* dies; eadem pariter probabit Diem *Solis*, eſſe *Diem Dominicum.* Hoc tantum intereſt diſcriminis, quod fuerit ille ad alterum Lynceus, ad alterum Cæcus. Ego quidem (continuæ Traditioni eatenus confiſus) de neutro ſum dubius.

Sed & obſervaſſe poſſet ille (ſi tanti rem fore judicaverit) quod diverſa conſtructione in his *Recordis* dicitur *Die Sabbati*, & *Die Dominico.* Alterum cum caſu Genitivo (eadem forma cum *die Lunæ, die Martis*, &c.) ut ſit dies ille qui *fuerat* Sabbati. Alterum Ablativo, ut qui *jam eſt* Dominicus. Quæ quidem diverſa conſtructio (cum ſit perpetua) ſatis innuit voces eas (intuitu Legis noſtræ) diverſo ſenſu ſumendas eſſe: Non enim die *Lunæ*, die *Martis*, &c. intelligitur, dies à Luna, Marte, cæteriſque inſtitutus, (ſed, qui inde fuerit denominatus;) ſed *die Dominico* intelligitur, dies *à Domino inſtitutus*: eadem forma qua *Cœna Dominica* eſt, ea Cœna quam Chriſtus inſtituerat. Ut hæc *Recorda* non ipſi Faveant, ſed Adverſentur.

CAP. XVII.

Qua conſideratione dicendus eſt, Chriſtus, Mundum Creaſſe, Requieviſſe die ſeptimo, &c. Nempe, ut Deus, una cum Patre & Spiritu Sancto. Non ut Θεάνθρωπος, & Redemptor noſter. Multaque ab illo Scriptore incaute dicta notantur. Non eo derogatum itur Divinitati Chriſti. Quo ſenſu Deus dicitur Amor, Veritas, Lux, &c. Ὁ κύριος in N. T. paſſim dicitur ſpeciatim de Domino Jeſu Chriſto, ut Mediatore noſtro, & Religionis Chriſtianæ Fundatore. Eique (ut tali) tribuitur δεῖπνον κυριακὸν, Cœna dominica, Poculum Domini, Menſa Domini; &c. paritérque ἡμέρα κυριακή, Dies Dominicus. Non ſic, Sabbatum Judaicum.

VErum urget ille *Inquiſ.* p. 64. quod *Sabbatum diei ſeptimi, erat à Domino noſtro Jeſu Chriſto Inſtitutum*; quod *ab eo fuerit Benedictum & Sanctificatum*; *Dieſque à Domino benedictus & ſanctificatus, eſt Dies Domini*; quod, *qui hunc benedixit, eſt Dominus Chriſtus*; & p. 65. *Dies Septimus, eſt Sabbatum Domini Dei tui, Exod.* 20. *Deut.* 5. *eſtque, Domini Sabbatum, Dies Domini.* Item *Iſai.* 58. *Dicitur à Domino, meus ſanctus dies*; *neque minus eſt Domini Dies, quod ſit ejus Sanctus Dies*; *quod ſi ſit Domini dies, eſt Dies Dominicus.* Et p. 66. *Filius Hominis* (*Dominus Jeſus Chriſtus*) *eſt Dominus Diei Sabbati*; *dieſque cujus Chriſtus eſt Dominus, eſt Dies Dominicus*; & p. 67. *Chriſtus, qui dedit Sabbatum, erat & eſt ejuſdem Dominus*; & p. 68. *Chriſtus, ut Dominus Sabbati, qui illud dedit, intellexit perfecte ſuam ipſius legem.* Quibus cum ego reſponderam; eiſdem adhuc inſiſtit, *Repl.* p. 39, 40. & alibi.

Quod anſam exhibet novæ Digreſſioni, inquirendo, Qua conſideratione *Dominus noſter Jeſus Chriſtus* dicendus ſit *Mundum creaſſe*; *die Septimo Requieviſſe*; eique *Benedixiſſe*; *Legem dediſſe in Monte Sinai*; ſimiliaque præſtitiſſe, quæ paſſim ipſi attribuuntur ab hoc Scriptore.

Diſtinguenda dixeram ego jam ante, inter ea quæ fecit Chriſtus *ut Deus*, (una cum Patre Spirituque Sancto;) eaque quæ ſeparatim fecit *ut Dominus noſter Jeſus Chriſtus*, (Θεάνθρωπος,) ut Mediator noſter, & Religionis Chriſtianæ Fundator; Quodque *Jehova Deus noſter* in Veteri Teſtamento, non idem plane ſignificet atque *Dominus noſter Jeſus Chriſtus* in Novo Teſtamento. Dixeramque *Diſc.* p. 2, 3. *Conſentire me, quod Dominus noſter Jeſus Chriſtus,* (*ſecundum ipſius Naturam Divinam,*) *Deus eſſet, Deus verus, Deus ille qui fecit Cœlum*

& Terram, Deus ille qui Legem dedit in Monte Sinai: Non autem conſeutire poſſe, quod Chriſtus ut θεάνθρωπος *(Deus & Homo) prout Patri Spirituique Sancto contradiſtinguitur, hæc fecerit: Quippe, tunc, non erat Homo.*

Verum hoc eum male habet, *Repl.* p. 4. quod ego ſic diſtinxerim; putatque *me merito culpandum eſſe* qui ſic diſtinxeram. Quare vero? Nonne nobis diſtinguendum ſit inter ea quæ fecit ille ut *Deus* (una cum Patre & Spiritu Sancto,) & ea quæ fecit ut *Mediator*, Deus ſimul & Homo? Omnino. Quid igitur culpandum eſt? Annon mihi licuit *diſtincte* loqui, (ne perperam intelligar,) cum ille locutus fuerit Indiſtincte & minus-caute? At inquit, *Inſinuaſſe videtur hoc, quaſi ipſe dixerit, Chriſtum ut Theanthropum hæc feciſſe*; (ſi ſua ipſius verba non hoc inſinuant, ego certe non inſinuaveram, nec illud dixi;) *cum*, inquit, *neque dixerit ille neque cogitaverit, Chriſtum tum incarnatum eſſe cum Mundus crearetur, aut cum Ipſe Legem dederit in Monte Sinai*; (Cur autem ait, *cum Ipſe dederit*, potius quam *cum Deus dederit*?) *adeoque me perperam hocce ſuſpicatum eſſe* Iterumque; *Neque ſe neque alium quempiam dixiſſe* putat *aut cogitaſſe, Chriſtum, cum Ipſe benedixit diei Septimo*; (Cur, *cum Ipſe*, potius quam *cum Deus* benedixit diei ſeptimo?) *tunc in carne fuiſſe*; *adeoque Doctorem hic eſſe culpandum.* Et tertia vice, p. 5. *Culpandum eſſe Doctorem, quod ſic imponat ſuis lectoribus*; *taliaque alibi artificia notet Lector.*

At quorſum hæc? Nuncubi ego dixeram, dixiſſe illum aut cogitaſſe, Chriſtum tunc incarnatum eſſe, quum *Deus* mundum fecit, deditque *Deus* legem ſuam in Monte *Sinai*? Ego quidem exiſtimo, quod ille (eum rem probe perpendat) non putet Chriſtum tunc incarnatum fuiſſe. Si vero ille minus conſiderate locutus fuerit; id non mea culpa factum eſt. Ego tantummodo explicite dixi, *quo ſenſu* poſſem ego dictis ſuis aſſentire, quod *Dominus noſter Jeſus Chriſtus Mundum fecit, inſtituit Sabbatum, deditque Legem in Monte Sinai.* Si ille juxta mecum ſentit; non eſt quod mihi ſuccenſeat, plane atque diſtincte proferenti quæ ipſe ſentit: Sin ille ſecus ſentiat; culpandus ille eſt, non ego. Dixiſſet potius (abſque his querelis) ſe non aliud voluiſſe, quam quod ego fuerim explicite loquutus; ut non ſit querendi locus.

At ait, *p. 5. quod videar ego hac in re ſecutus D. Troſſum*, (ut qui paulo acrius hae de re locutus fuerit, quam ego ſim locutus.) Et quidem ſi ſic; non video quid culpandum foret. Sed & hic fallitur; nam ego ea ſcripſeram, fuerantque ea ſub Prelo, antequam ego D. *Troſſi* tractatum videram, aut de eo quicquam ſciveram: quamvis tractatus ejus paulo prius è Prelo prodierit, quam operæ meum penitus abſolverant.

Quod ſi D. *Troſſus* paulo acrius hanc rem urgeat, quam ego fecerim; non tamen eſt cur aut me aut illum inſimulet culpæ: Sed ſuis potius incaute dictis id imputet; qui toto ejus ſcripto, id perpetuo attribuit *Domino noſtro Jeſu Chriſto*, (atque ſub ea Reduplicatione,) quod aptius (indefinite) de *Deo* dicendum erat.

Si ego (eo quod Spiritus Sanctus ſit Deus) affectarem dicere, *In principio Spiritus Sanctus creavit Cœlum & Terram*; & *Spiritus Sanctus dixit, Fiat Lux*; & *Spiritus Sanctus dixit, Faciamus hominem ad imaginem noſtram*; & *Spiritus Sanctus requievit die Septimo*; & *Spiritus Sanctus dixit, Ego ſum Deus tuus, non erit tibi Deus alius*; Annon videretur hæc indecora nimis Affectatio? Ita tamen ille, toto ſuæ orationis decurſu, affectat dicere de *Domino noſtro Jeſu Chriſto*, quæ aptius de *Deo* indefinite dicerentur.

Sic verbi gratia, hic dicitur *Inſtitutum eſt Sabbatum à Domino noſtro Jeſu Chriſto*; *Ab eo benedictum eſt*; *Qui Sabbato benedixit, eſt Dominus Chriſtus*; ſimiliaque: Cum tamen hæc non fuerint ab eo facta *Solitario*, neque ut *Chriſto*; ſed, ut *Deo*, junctim cum Patre & Spiritu Sancto. Et, cui bono diceretur, *Ille qui Sabbato benedixit, eſt Dominus Chriſtus*? cum nulla major hinc accedat Legi authoritas, quam ſi diceretur *Deus benedixit* (Pater, Filius & Spiritus Sanctus:) Non magis enim violanda eſt *Lex Dei*, quam *Lex Jeſu Chriſti*.

Et quamvis ille nonnunquam, in operibus Creationis, &c. tanquam Participes admittat Patrem & Spiritum Sanctum; vult tamen intelligendum eſſe de *Chriſto, Eminenter*, Inquiſ. p. 11. Et *Chriſtus*, inquit, *intelligendus eſt ut Principalis Efficiens, rerum omnium in Cœlo & in Terra*; *Eique Creatio eſt Eminenter & Particulariter aſſcribenda*; *Deque Chriſto hæc Eminenter dicta*, p. 6. Iterumque (ibidem) *Non excludit* (inquit) *ab hoc opere Patrem, neque Spiritum Sanctum*; *ſed eſſe*, dicit, *Eminenter aſcribendum Domino Jeſu Chriſto*, p. 6. Et *Specialiter denotant Chriſtum*, p. 12. *Dataque Mandata à Chriſto Mediatore*, p. 13. & *Deus Iſraelis qui Legem dedit, erat & eſt Jehova Filius*, p. 13.

Jam vero ego facile conceſſerim, *Chriſtum* (ſecundum naturam ſuam Divinam) eſſe *Deum illum qui fecit Mundum* (nam Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt idem Deus:) ſed durum dictu videtur (è converſo,) quod *Pater, Filius & Spiritus Sanctus* (qui una fecerunt Mundum) *eſt Jehova Filius*, aut *Jeſus Chriſtus*: ſed potius, *Unus eorum qui fecerunt mundum, eſt Jehova Filius*: Nam ſic converti ſolet Propoſitio Univerſalis Affirmativa. Si *Socrates eſt homo*, tum *Hominum unus, eſt Socrates.* Sed progredior.

Videntur, inquit, *Specialiter ſpectare Jehovam Filium*, p. 14. *Habemus hic Dominum Jeſum Chriſtum, qui Mundum fecit, Requieſcentem die Septimo, eique Benedicentem, & Sanctificantem, hoc eſt ejuſdem Inſtitutionem exhibentem*, &c. p. 23. (Et cur non, *Deum*

qui fecit mundum &c.?) *atque hoc recognitum in gloriam Domini noſtri Jeſu Chriſti* (& quidni, *in Dei gloriam?*) Iterumque (ibidem) *Dominus Jeſus Chriſtus fecit mundum* (Annon & *Deus Pater?*) *Ille requievit die Septimo, Ille hunc Sanctificavit*; *A quo ad hanc Inſtitutionem referenda putat ea Domini verba, Filius Hominis eſt Dominus Sabbati; Ille Inſtituit,* &c. p. 23. Quid? An ille magis quam Pater aut Spiritus Sanctus? Atque id, ut *Filius Hominis?* Sed neque putaverim ego, ea verba referenda ad Sabbati Inſtitutionem à *Filio Hominis*; ſed potius ad Filii Hominis poteſtatem *Abolendi* Sabbatum Judaicum, quod erat mox ſecuturum: Dicuntur enim non tam in Confirmationem, quam in Derogationem ejus diei. Item, *Prolata ſunt,* inquit, *Decem Mandata, à Chriſto Eminenter,* p. 24. *Poſt promulgationem Legis, à Chriſto, in monte Sinai,* p. 26. *Chriſtus locutus eſt decem Mandata,* p. 29. *Dominus requievit in Cœlo, ejuſque corpus in Sepulchro, ipſo die Septimo, qui erat ex ſui ipſius Inſtitutione,* p. 42. De D. *Chafy* dicit; *quamvis eum putet virum fuiſſe bonum, & eruditum; non putat tamen eum claras habuiſſe apprehenſiones de Chriſto, ut Mundum Creante, atque tum Requieſcente, neque de Chriſto ut Inſtituente Sabbatum, Gen.* 2. 2, 3. *neque de Chriſto confirmante Legem Moralem in monte Sinai, Exod.* 20. p. 65. Nec tamen eum ſuſpicari puto, quin D. *Chafy* claras habuerit apprehenſiones de Chriſti Divinitate; eumque eundem eſſe Deum qui hæc fecerit: adeoque ipſum una cum Patre & Spiritu Sancto hæc feciſſe. Et metuo ne his nimis intentus fuerit hic Scriptor, cum hæc omnia *Chriſto* tribuerit ut *Filio Hominis.*

Sic, *Chriſtus qui dedit Sabbatum,* p. 67. & *Chriſtus qui ipſum dedit,* p. 78. *Septimus dies, quo Requievit Chriſtus poſt Creationem,* p. 75. *Septimus dies à Chriſto ſecurus redditur in ipſo medio Quarti præcepti,* p. 77. *Primum Sabbatum Gen.* 2. *à Chriſto ordinatum,* p. 7?. *Obedientiam decem Mandatis Chriſti,* p. 81. *Conformitatem legibus Chriſti, hoc eſt, Decem Mandatis,* p. 81. *Legibus Chriſti, hoc eſt, Decem Mandatis,* p. 82. *Authoritas ea quæ hoc primo mandavit, quæ erat ipſe Dominus noſter,* p. 85. *Ecquis præter Chriſtum, poteſtatem habet inſtituendi Sabbatum?* p. 86. *Quis tenetur obſervare diem, non à Chriſto in Scripturis inſtitutum? & diem omittere quem ipſe ibi inſtituit?* p. 86. *Unum ex mandatis Chriſti,* p. 91. *Poteſt Chriſtus vindicare ſua ipſius mandata,* p. 113. *Factus eſt Mundus à Domino noſtro Jeſu Chriſto,* p. 136. *Ipſe eſt Dominus Jehova, qui, poſt Creationem, inſtituit diem Septimum, in eo Requievit, ipſum Sanctificavit, eique Benedixit,* p. 136. *In Monte Sinai data erant Mandata, à Chriſto Redemptore, Judæis & Gentibus,* p. 137.

Jam vero, cum in hiſce locis omnibus (aliiſque multis) aptius hæc dicenda forent (indefinite) de *Deo,* quam *Domino noſtro Jeſu Chriſto*; ille autem perpetuo, *Creationem mundi, Inſtitutionem Sabbati, Legiſque promulgationem in Monte Sinai,* attribuat, *Domino noſtro Jeſu Chriſto, Solitario*; ſaltem *Eminenter* & *Principaliter,* (ut Patri Spirituique Sancto contradiſtincto;) eique ut *Filio Hominis,* ut *Mediatori* & *Redemptori* noſtro: Merito dixeram ego *Diſcuſ.* p. 3. quod *mihi viſus fuerit huic preſſius inſiſtere*; (Quod ipſe *Rep.* p. 4. ægre fert.) Quorſum enim alias, à receptis in Scriptura formulis loquendi, conſulto diſcederet, ubi vox *Deus* aptius conveniret? Nec eſt cur mihi ſuccenſeat, quod (abſque ulla in eum criminatione facta) explicite dixerim, quo ſenſu putem hæc dicenda; quo & illum intelligendum putaverim, utut minus caute loquentem.

Addo etiam; Quamvis nunc dicat, *ſe neque dixiſſe neque putaſſe Chriſtum tum incarnatum eſſe cum Mundus conderetur,* (quod ego facile crediderim ubi rem ſerio perpendat;) Non tamen revocat aut mollius interpretatur ea dicta, quod *Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ut Mediator, & Redemptor noſter, & Filius Hominis, Mundum creavit, &c. Eminenter & Principaliter,* (in contradiſtinctione à Patre & Spiritu Sancto;) quodque *Jehova, qui fecit Mundum, ſit Dominus Jeſus Chriſtus.* Quæ mihi videntur non ſatis caute dicta, aut etiam tuto dicenda.

Neque eſt cur me propterea inſimulet, *Rep.* p. 5. quaſi *Divinitati Chriſti* minus faventem quod ſic diſtinxerim, aut quod ſuo *Saturnino* Sabbato minus faveam: Nec velim ille putet, eos omnes qui *Diem Dominicum* obſervent ſedulo, derogaturos eſſe Chriſti *Divinitati.*

Ego quidem lubens agnoſco, *Divinam illam Perſonam,* qui in Sacris literis ὁ λόγος dicitur, & *Dei Filius,* aut *Deus Filius,* ab æterno fuiſſe *cum Deo,* fuiſſe *Deum* (atque etiamnum eſſe;) Quodque *Ipſe* (una cum Patre & Spiritu Sancto) *Mundum creavit, Legemque dedit in monte Sinai*; Quodque idem ipſe (eadem Perſona manens) poſt *Caro factus eſt,* ſeu *Incarnatus*; Idemque (ἔνσαρκος exiſtens) eſt *Mediator* & *Redemptor* noſter; atque (*ut talis*) hoc titulo deſignari ſolet *Dominus noſter Jeſus Chriſtus*; Cæteraque quæ de eo traduntur in Sacris Literis lubens agnoſco; (nec puto Scriptorem hunc, quicquid hic inſimulare videatur, aliter de me ſentire.) Sed non ſcio quod ipſe *ut talis* mundum creavit, (nam *Homo Jeſus Chriſtus, eſt ille Unicus Mediator Dei & hominum,* 1 Tim. 2. 5.) Neque ſcio quod Muneris Mediatorii *Executionem* ante aggreſſus eſt, noſtræque Redemptionis opus, quam factus eſt *Semen mulieris,* adeoque *Homo* factus.

Verum quidem eſt, quod hoc fuerit ante *Deſignatum* & à Deo *Decretum*; hujuſque *Effectus* retroſpexit ad eos qui ante Chriſti Incarnationem vixerunt; Sed Actualis *Executio* (ejus quod ab æterno fuerat decretum) fuit, cum *incarnatus eſt*; non, ante mundum conditum.

conditum. Quodque urget hic Scriptor, ex *Eph.* 1. 2, 3, 4. quod *Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, elegit nos in ipſo ante jactum mundi fundamentum*; eſt huic in nihilo contrarium. Quippe, ante jactum mundi fundamentum *Elegit* nos *in ipſo futuros, ſanctoſque fore nos & inculpatos*, &c. Sed non decretum erat, ut *eſſemus* ante jactum mundi fundamentum, aut ante jactum mundi fundamentum *eſſemus ſancti*. Quodque ſequitur *ver.* 5. *Prædeſtinavit nos ad filiorum adoptionem per Jeſum Chriſtum*; *Prædeſtinatio* jam ante fuit, ſed *Adoptio per Jeſum Chriſtum* poſtea. Neque ulla erat occaſio *Mediatoris* aut *Redemptoris* ante *Lapſum Adæ*. Sed Mundus jam ante conditus erat, adeoque non conditus à Chriſto *ut Mediatore*; ſed ab eâ *Divina Perſona* (ſimul cum Patre & Spiritu Sancto) qui, poſt, *factus eſt Homo, evaſitque Redemptor* noſter & *Mediator*. Et quidem ſi mundi creatio aſcribenda ſit Uni Perſonarum trium (in Sancta Trinitate) *Eminenter* præ cæteris; ego potius aſcripſerim *Patri*, quam *Eminenter Filio*: quia dicitur in Symbolo, *Credo in Deum Patrem Omnipotentem, factorem Cœli & Terræ*; *& in Jeſum Chriſtum, filium Ejus unicum*, &c. Solitumque eſt contradiſtinguere inter *Deum Creatorem* & *Deum Redemptorem*.

Non ego tamen illi has [illegible] *[illegible Greek]*, nedum Convitiatus ſum; ſed ſimpliciter indicare, quid ego dicendum putem. (Atque ſi ita ſic intellexit velit ille, non eſt quod ſe læſum queratur.) Sicut nec alibi [illegible] indicaſſem [illegible], ſi [illegible] minus accurate locutus ſit. Sic, verbi gratiâ, cum dixerit, *Inquiſ.* p. 15. quod *Amor eſt Eſſentia Dei*; quod ego non dixerim. Scio quidem dictum eſſe 1 *Joh.* 4. 8, 16. quod *Deus eſt Amor*, ([illegible Greek]) hoc eſt, *Amans*, ſeu *valde Amans*, aut *ad Amorem propenſus*, (prout Abſtracta dici ſolent pro Concretis.) Adeoque lubens dixerim *Amorem* ſeu *Benevolentiam*, eſſe Divinum *Attributum*; nec tamen *Attributum Eſſentiale* (quod ab ejus profluat Eſſentia, ſitque ab ea inſeparabile.) Sed & ſic eſt *Odium* [illegible], (nam Deus pariter *Odit* Malum, atque *Amat* Bonum; pariterque Peccantibus Iratus eſt ac Morigeris Placidus;) haud tamen dixerim *Odium* aut Iram, ipſam eſſe Dei *Eſſentiam*. Dicit idem (eadem pagina, p. 15.) quod *Veritas eſt Eſſentia Dei*. Scio quidem dictum eſſe *Deut.* 32. 4. *Iſai* 65. 16. quod ſit *Deus Veritatis*, (ut noſtri reddunt,) hoc eſt, *Deus Verax* qui mentiri nolit; & 1 *Joh.* 5. 6. quod *Spiritus eſt Veritas*, hoc eſt, *ſummè Verax*, quæ ipſe teſtatur, Vera ſunt: Non tamen propterea dixerim *Veritatem* eſſe ipſiſſimam *Dei Eſſentiam*. Nam dicitur etiam *Deus Zelotypus* (*Exod.* 20. 5. *Exod.* 34. 14. & paſſim alibi;) at dictu minus durum putaverim, *Zelotypiam* eſſe *Dei Eſſentiam*. Sed nec [illegible] eo, quod dicitur 1 *Joh.* 1. 5. *Deum eſſe Lucem, nec in eo tenebras eſſe ullas*, [illegible] (quod innuit ille, p. 30.) *Lucem* eſſe *Dei Eſſentiam*. Nam dicitur etiam, *Heb.* 12. 29. *Deut.* 4. 24. *Deut.* 9. 3. *Deus eſt Ignis Conſumens*. Nec tamen illum dicturum putem, *Ignem Conſumentem* eſſe *Dei Eſſentiam*. Dicimus quidem Attributa Dei, non eſſe *Realiter diſtincta*, (tanquam *Res & Res*, ut loquuntur Scholaſtici,) ſed tantum *Modaliter*, vel ne ſic quidem ſed *Ratione Ratiocinata*: Neque tamen dixerim, *Amorem* eſſe Dei *Eſſentiam*, nedum *Odium* eſſe *Eſſentiam* Dei; utut *Eſſentialia*, & ab ipſa Eſſentia *Inſeparabilia*. Sed hæc ad præſentem rem non ſpectant. Et excuſandus eſt Vir pius & [illegible], ſiquando in rebus tamen Metaphyſicis minus accurate ſit locutus.

Sed, (ut eo redeam unde Digreſſi ſumus,) *Sabbatum Jehovæ Dei* [illegible], (qui fecit Cœlum & Terram, & Requievit die Septimo,) nullatenus probat quod *Dies Dominicus* in Novo Teſtamento memoratus, (hoc eſt, Dies Domini noſtri Jeſu Chriſti, Fundatoris Religionis Chriſtianæ,) erat *Hebdomadis Judaicæ Dies Septimus*. Nam *Dominus Jehova*, in Veteri Teſtamento, dicitur indefinite de *Deo* (Patre, Filio & Spiritu Sancto, indiſtinctim:) Sed ὁ κύριος, *Dominus*, in Novo Teſtamento, dici ſolet de *Domino noſtro Jeſu Chriſto* ſpeciatim. [illegible Greek], 1 *Cor.* 10. 21. 1 *Cor.* 11. 20, 27. intelligenda ſunt de Poculo, Menſa, Cœna, *Domini noſtri Jeſu Chriſti*, ab ipſo, inſtitutis ut *Fundatore Religionis Chriſtianæ*. Pariterque [illegible Greek] (in eadem præciſe forma) *Dies Dominicus*, intelligendus erit de Die qui ſit à *Domino noſtro Jeſu Chriſto inſtitutus*. Atque, in voce *Dominus* amphibolia ludere, (quo ſignificatur nunc *Dominus Jehova*, nunc *Dominus Chriſtus*,) eſt Fallax argumentatio. Nec tamen aliud ille profert quicquam, quo ſuadeat *Diem Dominicum*, 1 *Apoc.* 1. 10. intelligendum eſſe de *die Septimo Judaicæ Septimanæ*. Non oſtendit, *Diem illum Septimum* uſquam fuiſſe dictum [illegible Greek] nec [illegible Greek] de alio unquam die dictam eſſe, quam qui jam dicitur *Dies Dominicus*, (reſpectu habito ad *Dominum Chriſtum*;) Atque diſerte fatetur ipſe, *nihil eſſe in loci circumſtantiis quod contrarium determinet*. Neque in *Replicatione* ſua quicquam novi profert, quo vel ſuam firmet Suggeſtionem, vel noſtrum Reſponſum tollat.

Addo demum; Si *dies Dominicus* (quod ille vult) ſit *Sabbatum Judaicum diei Septimi*; cur nobis vitio dat quod eum diem celebremus? Dies quem nos pro *Sabbato Chriſtiano* celebramus, eſt *Dies Dominicus*; eoque nomine celebramus; idemque dies eſt quem eo nomine celebratum exiſtimamus inde ab Apoſtolorum temporibus huc uſque, in continua ſucceſſione ab eo die qui ſic dicitur *Apoc.* 1. 10. Qui ſive ſit dies Primus, ſive Septimus, hebdomadis Judaicæ; nos eum celebramus, & eo nomine. Nos quidem putamus illius Septimanæ fuiſſe Primum; ille vero Septimum; ſed, utcunque, eſt *Dies Dominicus* & eo nomine notus: Ejuſque quæ citat *Recorda* publica, non magis innuunt Diem *Saturni*

ſuccedere *Judæorum Sabbato,* quam noſtrum *Diem Dominicum* ſuccedere Diei D[illegible] *Apoſtolorum.* Nihil eſt quod utrumvis probet præter *continuam Traditionem*, atque hæc non minus probat noſtrum diem Dominicum.

CAP. XVIII.

Conſideratur Adverſarii Collectanea, in derogationem Diei Dominici [illegible] *adductam. Nihil inibi comparet, quin, ubicunque Sabbatum ullum celebrarunt* [illegible]*, diem Dominicum obſervabant. Controverſia de celebrando Paſchate, Die Do*[illegible]*, an Decima-quarta Luna, in ipſa prima Centuria. Dies Dominicus tum cenſebatur,* [illegible] *domadis Primus, non Septimus. Habebantur conventus publici, aliis item diebus* [illegible] *fit,) ſed non in præjudicium Diei Dominici. Sabbato jejunabant & laborabant* [illegible] *Dominico. Dicebatur Sabbatum Chriſtianum. Leges in Anglia, de* [illegible] *ervando* [illegible]*, multo antiquiores quam ille perhibet. Non D*[illegible]*s Sabbati in Recordis memo*[illegible]*tus* [illegible]*cus, erat Hebdomadalis Requietis dies Par*[illegible]*amenta, ad diem Dominicum* [illegible] *do indicta. Negotia civilia diſtulerunt in craſtinum. Habiſſini, præter diem Do*[illegible]*, obſervant etiam Sabbatum Judaicum. Sed & Circumciſionem. Sabbatarii* [illegible] *Romæ 1555; quid docuerint non liquet. Item Anno 603, qui Sabbatum Judaicum* [illegible] *vellent, una cum die Dominico. Socrates Scholaſticus citatur de Eucha*[illegible] *celebrata, alibi non celebrata, die Sabbati. Perperam præſumit, Scotos non adm*[illegible] *Dominicum, ante Annum 1203. Non à Romanenſibus introducta Diei D*[illegible]*vatio.*

Atque hic conſiſterem & pedem figerem, quantum ad ſuſcepti membrum [illegible] pe, Quicquid ſit de Sabbato Judaico, ſaltem Diem Dominicum cel[illegible]) niſi quod me revocet hic Scriptor. *R*[illegible] p. 40. iterumque p. [illegible]. ad [illegible] in *Collectionibus* ſuis, pro die *Septimo*, in derogationem *diei Dominici*.

Eſt hæc Collectio, ut videtur, plurium Annorum opus, utut cum [illegible] (*variis temporibus, variis in locis, & pluribus annis*, Inquiſ. p. 12.) [illegible] *reſpondiſſe, dixiſſe nihil.* Et quidem non multum eſt quod de ea dixeram, [illegible] non videbatur ad rem noſtram magni momenti, aut Reſponſo indigere, quin [illegible]mitti poſſet Lectoris judicio, abſque operoſa Reſponſione. Sed cum hoc ipſe poſt[illegible] (quamvis eadem adhuc mihi mens eſt) morem gero.

Quæſtio præ manibus (quo hæc ſpectat Collectio) eſt, *An Dies Dominicus* [illegible] *nue obſervatus?* Videamus quid in contrarium profert, quo oſtendat (*Inquiſ.* p. [illegible]) *quando deſierit obſervatio diei Septimi, & inceperit apud Chriſtianos diei Primi* [illegible]. At vero ſi admittat ille, tum deſiiſſe obſervationem Septimi, cum inceperit Pr[illegible], neceſſe eſt (ex ante traditis) quod id cito fuerit.

Quod celebratus fuerit *Dies Primus*, ab ipſo Chriſto, ſuiſque *Apoſtolis*, [illegible] (ipſis viventibus) ab *Eccleſia Chriſtiana*, jam ante oſtenſum eſt, atque dies *Domin*[illegible] (ſub eo nomine) non tantum à S *Johanne* Apoſtolo, ejuſque Diſcipulo *Ignatio* ſaltem [illegible] decem annos à Morte *Johannis*, (ſi non & citius,) aliogue ex *Johannis* diſcipu[illegible] (qui collegit & edidit *Ignatii* Epiſtolas,) ſed & à *Juſtino Martyre* (poſt [illegible]os q[illegible] annos,) oſtenſum item eſt: Indeque ab *Irenæo, Tertulliano*, aliiſque ex A[illegible], *Conciliis, Hiſtoricis*, locuples extare Teſtimonium ne ipſe negaverit, niſi *H*[illegible] ille ut *Traditionem* rejiciat. Atque id ipſum ab ipſa illius *Collectione* abu[illegible]

Sed *Collectio* illa jam conſideranda venit. In qua quas ille habet *Citationes* [illegible] examinavi, aut cum Authoribus ipſis unde habentur contuli, (neque enim [illegible] ut id faciam,) ſed admittam potius ſic eſſe ut proferuntur. Sed non pariter a[illegible] ille intermiſcet Annotatiunculas, & illationes ſuas.

Incipit hæc collectio *Inquiſ.* p. 91. & definit p. 130. Ubi habentur (ſi ego recte numeravi) plus quam *Quinquaginta* Teſtimonia (pro Obſervato Die Dominico) in Centuriis Prima, Secunda, Tertia, Quarta, Quinta, Sexta, cæteriſque Dicitque p. 121. *ſe p*[illegible] *alia* (non dicit quot ea ſint) *quæ erant in favorem diei Primi.* (Quod ingenu[illegible] teri, ſed minus candide factum.) Dicitque p. 131. *Siquis id operæ pretium p*[illegible]*taverit, multo plura reperiat apud Binium, Magdeburgenſes & Euſebium.*

Hæc ejus Teſtimonia, pro die Dominico, incipiunt valde cito in ipſa Centuria Pr[illegible], hoc eſt (ſi ego recte conjicio) jam ante quam ſcripſerit S. *Johannes* Apocalypſin [illegible] ſus eſt & Reſurrexit Chriſtus Anno circiter 34 iſtius Centuriæ, ſcripſitque Apoc[illegible] S *Johannes* Anno circiter 94, vel 95 ejuſdem Centuriæ, aliquot annis ante [illegible], quæ contigit uno aut altero anno ante finem ejuſdem Centuriæ primæ.

Dicit hic Author *Inquiſ.* p. 96. *In prima Centuria ortas fuiſſe controverſias de celebrando Paſchate in Die Dominico.* Et quamvis p. 123. rem extenuans, dicet *circa ſecundam aut tertiam*

tertiam Centuriam, citat tamen ibidem, *Lucii Cent.* 1. *lib.* 2. Ibique agnoſcit *Diem Dominicum*, Hebdomadis eſſe *Primum*; quamvis alibi nos perſuaſum eat *Inquiſ.* p. 69. fuiſſe *Judæorum Sabbatum diei Septimi*. & inſtare pergit *Repl.* p. 39. quod *Dies Dominicus Apoc.* 1. 10. *memoratus, fuit non tantum certi diei nomen, ſed ipſius diei Septimi*. Idemque contendit *Inquiſ.* p. 60. ad 69. & *Repl.* p. 3, 7, 15, 19, 39, 40. dum tamen agnoſcat, *Inquiſ.* p. 64. *quod nihil ſit in Textu vel Contextu multum notabile quod huc faciat*.

Cum vero Controverſias quas memorat *circa ſecundam aut tertiam Centuriam* viguiſſe, inceperant ipſo citante in *Centuria prima*; omnino veriſimile eſt, vivente adhuc S. *Johanne* incepiſſe, & ante ſcriptam Apocalypſin: vixit enim S. *Johannes* proxime ad finem illius Centuriæ.

Verum quidem eſt (ut ipſi æquus ſim) quod *Anicetus & Victor* (quorum ille meminit p. 96.) erant, *Romani* Epiſcopi, in Centuria *ſecunda*; ſed quæ tum gliſcebat controverſia, jam ante inceperat; ipſeque p. 124, 125. *Pium* memorat hac in re, qui erat eorum utroque prior. Dicitque ipſe tum *p.* 96. tum *p.* 123. in Prima Centuria contigiſſe; citatque in eam rem, *Lucii Cent.* 1. *lib.* 2. *fol.* 36. iterumque *Lucii Cent.* 1. *lib.* 2. *fol.* 387.

Dum vero dicit, *Inquiſ.* p. 123. quod Paſcha celebrarunt *Alii hebdomadis die Primo, Alii decima quarta die primi Menſis, In Commemorationem Reſurrectionis Chriſti*, haud videtur id ſat caute dictum. Qui Paſcha celebrarunt hebdomadis *die Primo*, id fecerunt in Commemorationem *Reſurrectionis* (quia die Primo reſurrexit Chriſtus.) Non autem qui *decima-quarta Lunæ* celebrarunt, nam dies hic, neque *Septimanæ* dies erat, neque *Menſis* dies quo *Reſurrexit* Chriſtus, ſed quo *Mortuus eſt*. Adeoque, qui ſic celebrarunt Paſcha, vel id fecerunt in Continuationem *Paſchatis Judaici*, vel in Commemorationem *Mortis* Chriſti, non Reſurrectionis.

Quod habet *Inquiſ.* p. 89. de *Puncto Æquinoctii Verni, & Autumnalis, directe ſupra Paradiſum eminente*, ego non intelligo; credo, nec ille.

Sed, quicquid hoc ſit; Quamprimum de celebrando Paſchate in *die Dominico* cœperat quæſtio, certum eſt quod Tum ſaltem, ſi non & Ante, *dies Dominicus* cenſebatur *Septimanæ Primus* (non Septimus) adeoque in ipſa Centuria Prima, quum S. *Johannes* ſcripſit Apocalypſin. Cumque dicit *Inquiſ.* p. 93. quod *has ille tranſcribit Authoritates, quo oſtendat, conſenſiſſe Chriſtianos omnes ubique terrarum* (ex communi Traditione, ſcilicet,) *quis dies ſit Sabbatum* (Judaicum,) *& quis hebdomadis dies Primus* (addidiſſet porro, *& quis ſit dies Dominicus*;) *& conſenſiſſe omnes* (nempe propter illam continuam Traditionem,) in Centuria Quinta, de qua ibidem loquitur) *hebdomadis diem Septimum appellare Sabbatum* (addidiſſet, & *primum diem hebdomadis, Diem Dominicum*:) Obſervaſſe debuit, hunc omnium *Conſenſum*, de die *Sabbati*, (in Quinta Centuria,) ex communi *Traditione* ortum eſſe; eandemque communem Traditionem pariter valuiſſe, de *Die Dominico* pro hebdomadis Judaicæ *Primo* tunc habito. Unde enim factum eſt quod, in Centuria Quinta, hebdomadis (tum vigentis) diem *Septimum* dixerant *Sabbatum* (Judaicum,) *Primumque*, diem *Dominicum*, niſi ex communi (de utroque) *Traditione*? Et parili Traditione, à Centuria quinta ad noſtra tempora, utriuſque *Memoria* continuatur. Non igitur negaverit, nec eſt cur dubitet, *Diem Dominicum* fuiſſe continue obſervatum, & quidem *ſub eo nomine*, jam inde ab *Apoſtolorum* temporibus, habitumque pro *die Primo* hebdomadis Judaicæ; quod nos contendimus.

Sed ait, p. 91. *Quibuſdam in locis, habitos fuiſſe Conventus publicos, aliis diebus quam Dominicos* (Nec dubium eſt quin ita fuerit, prout etiam nunc fit; puta, pro Precibus & Concionibus publice habendis aliis etiam ſeptimanæ diebus, & forte alicubi ſingulis; at, quibus per otium aliave negotia licet, convenire poſſint) Innuitque ſpeciatim, *Sabbatum, Diem Dominicum, ſecundum & quartum ſeptimanæ diem* (*quos putat eſſe dies Lunæ & Mercurii*;) *& Paraſceuen, quam putat eſſe diem Veneris ante feſtum Paſchatis*, (forte ſenſerint alii, diem eſſe Veneris, *cujuſque Septimanæ*,) *pag.* 92, 93, 94, 97, 99. Eſto, inquam. At interim fatetur *Diem Dominicum* ſaltem cum reliquis fuiſſe celebratum; nec huic officit, ſi aliis item diebus alicubi convenerint aliquando.

Dicit item *p.* 94. iterumque *p.* 99. *quod inter publicorum conventuum dies, dies Dominicus præ cæteris maxime nominatur*, (& quidem ut præcipue celebrandus,) *ſed apud aliquos*, inquit, *reperitur Sabbatum*; (at non dicit id eſſe *abſque die Dominico*, aut *hujus vice*.) Et rurſus, *Die Dominicus eſt Chriſtianis ſolemnis; ſed, inter alia Feſta, fit mentio Sabbati*. Et tertia demum vice, *Quando convenerunt, & Quoties, non expreſſe ſcribitur; ſed præcipua facta eſt mentio Sabbati & Diei Dominici*. Ut ſemper Dies Dominicus ſit unus, quocunque alio die *alicubi & aliquando* convenerint.

Item *p.* 97. notat, *ex duobus illis diebus præcipue memoratis, Diem Dominicum præferentiam obtinere*; quodque, *Sabbato, non Judaizandum erat, ſed operari licuit; ſed non in Die Dominica*: Atque hoc ſaltem in *Quarta Centuria*, ipſo citante, ſi non & prius. Multaque paſſim exhibet teſtimonia, de *non operando in die Dominico*; *ſed Religioſis exercitiis impendendo diem illum*. Agnoſcit item *p.* 95. quod, Centuria ſaltem Duodecima, diceretur *Chriſtianum Sabbatum*. (Quod non ſatis congruit cum eo quod habet *p.* 118. quaſi non

ita dictum fuerit niſi à *quibuſdam nuperis ſcriptoribus, ante annos quaſi Octoginta proxime elapſos.*) Sed & multo prius ſic appellatum fuiſſe, oſtenderunt alii ; & ſatis co[illegible] quamvis id hic Scriptor non obſervaverit.

Agnoſcit etiam *p.* 92, 93. quod, *in Quarta ſaltem Centuria*, quamvis *p.* 109. hoc *detrudere videatur ad Centuriam Duodecimam*,) inter *diem Dominicum & Sabbatum* [illegible] intercesſit diſcriminis, quod *Dies Saturni*, pro *Jejunio* habitus eſt, (in memoriam Chriſti in Sepulcro jacentis ;) ſed *dies Dominicus* pro die *Feſto*, (in memoriam Chriſti Reſurgentis.) *p.* 92, 93, 94, 95, 97, 98, 101, 104, 119. Sed ait p. 93. *Publicos Jejunii dies non minus quam dies Feſtos, eſſe dies Sacros ; atque non multum eſſe diſcriminis, ſive ut* [illegible] *ſive ut Jejunium, obſervetur.* At mihi videtur, multum intereſſe. Quippe *Sabbatum* (*Levit.* 23. 2, 3.) celebrandum erat ut *Feſtum Domino* ; adeoque, *Jejunando*, non celebratur *tale Sabbatum*. Et porro notat *aliquos alicubi non Jejunaſſe, ſed Prandere illo die*, (hoc eſt, ne quidem ut Jejunium celebraſſe:) Sed, utcunque, dies Dominicus, tum *Celebratus* erat, tum ut *dies Feſtus* celebratus.

Dicit, *p.* 109, 110, 111, 114 Sabbatum obſervaſſe quoſdam, *à Saturni diei Meridie*, vel *ab ejus hora tertia*, uſque ad *Solis ortum diei Lunæ*. Sed hoc non obſtet *diei Dominico*, qui interea totus obſervatus eſt, & utrinque juxta circumſeptus.

Dicit, *p.* 95. quod, *in Sabbato Gulielmus* (*Conqueſtor dictus*) *in principali* [illegible] *ſuo, magnifica & ſumptuoſa habuit convivia ; quod cenſebatur Profanatio Sabbati.* [illegible] *ſe neſcire, de utro die* [illegible] (ſeptimo an primo,) *ſed putat potius de die Septimo* [illegible]. Quin ſi ego de die *Primo* dictum putaverim, non minus valeret meum Putare, q[illegible]; cum fateatur ipſe (*p.* 95.) diem *Dominicum*, ea ætate, dictum eſſe *Sabbatum*. [illegible] fieri poteſt, ut quæ ab eo citantur alia quædam teſtimonia pro Sabbato, intelligenda [illegible] *Sabbato diei Dominici*, ſed non tanti res eſt ut operæ-pretium ſit ea perſcrutari.

Dicit, *p.* 115, 117, 118, 119. *In Anglia, nullum eſſe* (quod ſciat) *Statutum* [illegible] *tarium, de die Solis, ante regnum Regis Edwardi Sexti.* Quin hoc non præ[illegible] ſe prius Obſervatum. Agnoſcit enim *Reſcripta Regia, & Ordinationes Præto*[illegible], ea fuiſſe antiquiora. Nec eum dubitare credo, quin antiquiores adhuc fuer[illegible] *Eccleſiaſticæ*, (quoties ea potius ſpectabat.) Sed &, ſi ſuperiorum ſeculorum [illegible] hiſtorias, inveniet à Regibus noſtris *Anglo-Saxonibus* (poſtquam Religionem Chriſtianam admiſerant) plures fuiſſe Leges conditas, eaſque ſatis ſtrictas, *de obſ*[illegible] *Die Dominico*. Nec dubium eſt quin eum ante obſervaverint Britanni, quamprimum fuerint Chriſtiani. [illegible] vero, num ille ullum *Statutum* apud nos novit, aut *Legem* ullam, *in contrarium*, [illegible] *Sabbato Judaico*? Nullam, credo, novit ille *Legem Imperialem* (ante *Conſtant*[illegible]) pro exercenda *Religione Chriſtiana* ; nec tamen putandum eſt, non ante vigui[illegible] Praxin.

Non invenire ſe poſſe, dicit p. 117. *per optimam quam facere potuerit Collect*[illegible], *ex paucis quos habet libris ; per annos* 1200, *receptam* (in Anglia) *fuiſſe diei Solis obſervationem.* (Utcunque, hoc multo prius eſt quam tempora Edwardi Sexti.) Sed *anno ſaltem* 1200 *admiſſam agnoſcit.* (Equidem, ſi leges multo antiquiores conſuluiſſet Regum Anglo-Saxonum, vidiſſet id multo prius obtinuiſſe.) An vero per id omne tempus unquam hîc obſervatum fuiſſe *Sabbatum diei Saturni*? Non credo.

At, inquit, *habuerunt illi* (ut præſumit ipſe) *diem Requietis Hebdomadalis.* [illegible] quidem ; (ſic utique & ego exiſtimo, nempe *Diem Dominicum vulgo dictum Diem* [illegible].) At, inquit, *Antiqua quæ extant Recorda, ad hunc diem uſque, hunc Requietis diem*, [illegible] *Sabbatum.* (Quod ego non crediderim.) Quænam ſint illa quæ memorat [illegible] non dicit ; haud crediderim eum antiquiora vidiſſe Anno 1200, quo anno fat[illegible] diem Dominicum. An vero, in Recordis illis, ſive antiquis ſive novis, [illegible] *diem Requietis hebdomadalis fuiſſe Diem Saturni*? Certe ſi illud inſpexiſſet [illegible] dubium eſt quin indicaſſet. At, inquit, *In Recordis antiquis, dies Saturni* [illegible] *Sabbati.* Imo, & in modernis etiam ad hunc uſque diem ; Nempe dictum *Sab*[illegible], (ſic utique reputamus :) Non tamen dies qui *Sabbati* dicitur, eſt dies *Requietis* [illegible], *à nobis obſervatæ.* Admittit ille, anno ſaltem 1200, Requietem hebdomadalem, [illegible] *Dominicum*, (nec oſtendit ille quin ita ſemper fuerit à Chriſtianiſmo primum hîc [illegible].) Atqui etiamnum *dies Saturni* dicitur *dies Sabbati*, (nempe *Judaici*,) dum certum eſt hunc non eſſe noſtram *Requietem hebdomadalem.* Et quidem ea ipſa Recorda, quæ [illegible] *Saturni* vocant diem *Sabbati* ; vocant, diem Requietis noſtræ, *diem Dominicum vulgo dictum Diem Solis.*

At inquit, *p.* 116. *habitos fuiſſe Mercatus die Dominico, tempore Regis Johannis, & Henrici tertii.* (Nempe hoc præſumit ut ſuſpicatur, eo quod inſinuatum dicit, [illegible] Mercatus fuerint, *transferendi erant in alium diem, etiam inconſulto Rege.*) [illegible] oſtendat, diem Dominicum non tunc fuiſſe tam *ſtricte* obſervatum ut opo[illegible] probat eum *non omnino fuiſſe obſervatum.* Quippe hoc erat, poſt annum 1200. [illegible] (*Inquiſ.* p. 39, 63, 133.) *temporibus Nehemiæ, atque Ante Captivitatem Babylonicam, Mercatus habitos fuiſſe Sabbato Judaico* (quod reformare ſatagit *Nehemias*) non tamen inde

inde concludit, Sabbatum Judaicum non omnino fuiſſe tum temporis obſervatum; Sed contrarium contendit, quamvis à nonnullis fuerit prophanatum. Interim vero, num oſtendit ille, (temporibus Regum *Johannis* & *Henrici* III.) nullos eſſe habitos Mercatus die *Saturni*? Quippe hoc ipſi probandum erat, quo probet *præferentiam diei Saturni præ die Dominico.* (Secus enim, non magis hinc arguitur pro die *Saturni*, quam pro die *Lunæ*.) Sed de hoc ne γρῦ quidem.

Verum, ut ipſi aliquatenus ſubſerviam etiam in Arte ſua (Legum noſtrarum peritia,) qui nullas apud nos Leges reperire poteſt (pro celebrando die Dominico) antiquiores quam *Edwardi Sexti* tempora. Si conſuluiſſet *Lamberti Archaionomiam*; aut *Spelmanni Conſilia Britannica*; aut *Tyrrelli Hiſtoriam Angliæ*; inveniſſet Leges multo Antiquiores, de celebrando *die Dominico*, & nominatim *die Solis*, & ſpeciatim de *Laboribus* & *Mercatibus* prohibendis eo die. Nempe Rex *Ina*, in *Parliamento ſuo* (prout nos nunc loquimur,) ſeu *Magno Conſilio ſuo Epiſcoporum, Magnatum, Prudentum ex Populo, & Servorum Dei*, hujuſmodi leges tulit, Anno Chriſti (circiter) 693. Item Rex *Wightredus*, Anno circiter 697. Et Rex *Athelſtanus*, Anno circiter 928. Et Rex *Edgarus*, Anno circiter 975. Et Rex *Alfredus*, Anno circiter 978. Quæ quidem Leges etiamnum extant apud Authores citatos. Alioſque fuiſſe plures quæ perierunt, non eſt dubitandum, & his antiquiores. Ut omnino fruſtra ſit, qui putet, *nullas hujuſmodi fuiſſe Leges antiquiores Edwardo* VI; Aut, *Diem Dominicum in Anglia non fuiſſe receptum, ante Annum* 1200; Aut, *noſtrum Hebdomadalis Requietis Diem, fuiſſe Diem Saturni.* An autem *Negligenti Scrutinio*, an *Librorum paucitati* (de qua queritur) hoc tribuendum ſit, non diſputo.

Simili argumentatione dicit *p.* 117. (ex *Prinno* noſtro & *Elſingo*,) *Summonitiones fuiſſe, pro conveniendis Parliamentis, diebus Solis, temporibus Regum Edwardi I, Edwardi II, Edwardi III; qui quidem Edwardus 1, ſucceſſit Henrico III, atque hic Johanni.* Succeſſiones haſce rite recenſet (quæ tamen omnes recentiores ſunt quam Annus 1200.) Verum inde non concludendum erit, Diem Dominicum ea ætate non eſſe celebratum, eo quod hoc die quandoque convenerint Parliamenta.

Dictum memini (quum ego juvenis eram) Regnante apud nos *Carolo* Primo, Regis (quod dicitur) *Privatum Conſilium*, ſolere (cum Rege) conventus habere *diebus Dominicis poſt meridiem* (recte, an ſecus, non dixerim,) ad *Cauſas audiendas* aliaque obeunda *negotia*, quæ ad Conventum illum ſpectabant; Rationemque aſſignatam, Quod *non poſſent aptius alio tempore convenire, quam quo pro illis in ſingulis Eccleſiis haberentur Preces publicæ.* At non propterea putandum eſt, eo Regnante, non fuiſſe celebratum diem Dominicum. Contrarium utique novimus; nempe magna ſolennitate fuiſſe celebratum, & magna cum pietate, atque frequenti populo.

Dicit porro, *Regnante Richardo II.* (*qui ſucceſſit Edwardo III.*) *Parliamentum, die Solis indictum, eo die conveniſſe, ſed negotia diſtuliſſe in diem Lunæ; Atque ex eo tempore* (*referente Prinno*) *nulla fuiſſe Parliamenta ad diem Dominicum indicta.*

Ego quidem fateor, me non ita excuſſa habere hæc Recorda, ut valeam dicere, Quo die quodque Parliamentum inceperit. Sed utcunque ſit, non inde putandum eſt, Diem Dominicum non fuiſſe in Anglia celebratum; (nedum, tunc celebratum fuiſſe Sabbatum Judaicum diei Saturni.) Eſt in recenti adhuc memoria, res obtinente *Olivero Cromwell*, Ordinatum fuiſſe, Quod *convenirent* ejus Triennalia Parliamenta, *Die* 3 *Septembris*, quotuſcunque fuerit Hebdomadis dies: atque horum (ni male memini) primum, conveniſſe *die Dominico, Sept.* 3. 1654. (&, poſt auditam concionem, negotia procraſtinaſſe in diem Lunæ.) Num inde concludendum erit, non ſolere tunc in Anglia diem Dominicum celebrari? Contrarium certum eſt: Quod vel inde conſtat, quod Acta hujus diei, in Parliamenti Diarium relata ſunt, ut *Die Dominico* facta.

Item Anno 1641, Parliamentum, quod tunc temporis habebatur, Seſſionem ſuam (urgente quadam occaſione) continuabat die quodam Dominico, Actaque iſtius diei (typis edita) titulum ferunt *Die Dominico* 8 *Auguſti* 1641. Atque, ſi Parliamenti Diaria conſulat, videat eodem titulo ibidem inſerta: Nec tamen inde putandum eſt, diem Dominicum in Anglia tum temporis non fuiſſe obſervatum, eo quod (urgente quadam neceſſitate) conſederit Parliamentum eo die. Cujus contrarium eſt res notoria.

Pariter urgere poſſet, quod, in *Conflagratione Londinenſi*, laborabant toto die Dominico, *Sept.* 2. 1666, ad extinguendum Ignem. Nec tamen inde ſequetur, Diem Dominicum non fuiſſe, tum temporis, obſervari ſolitum.

Velim autem, ſiquando iterum inſpiciat hæc *Recorda* de Summonendis Parliamentis die Dominico inchoandis, nobis ſignificare dignetur, annon moneantur diſerte *Die Dominico* convenire. Quippe, ſi ſic; manifeſtum inde eſt, Diei Dominici obſervationem tunc obtinuiſſe, quamvis eo die nonnunquam convenerint Parliamenta; forte, ut à Sacris Officiis conventum illum inchoarent; negotiis Civilibus in diem Craſtinum dilatis: Quod *Olivero* res obtinente factum novimus; quodque factum fuiſſe narrat hic Scriptor Regnante *Richardo* II. Egoque mihi facile perſuadeo rem ita eſſe, quamvis hic dicat *die Solis*; quia mox concludit, Ex eo tempore nulla fuiſſe indicta Parliamenta ad *diem Dominicum*; quaſi illa altera *ſic* fuerint indicta.

Nar-

Narrat hic aliquoties, quod *aliqui alicubi Chriſtiani, etiamnum obſervant diem Saturni*; Et quinam illi ſunt, exponit *p.* 120. nempe *Habiſſini, & qui incolunt mediam Æthiopiam*, (idem populus, ſed ſub alio nomine.) *Purchaſius*, inquit, *ſcribit*, *Habiſſinos obſervare diem Saturni*. Quid? an hunc ſolum, in oppoſitionem & præjudicium diei Dominici? Non quidem; ſed *pariter ac diem Dominicum*: In quam rem *Brerewoodum* etiam citat; & *Sandyſii Itinerarium*, dicentis, *Celebrant diem Saturni pariter ac diem Dominicum* Bene eſt. Ergo, ipſo citante, celebrant ſaltem diem Dominicum; adeoque, non diem Saturni *hujus vice*, aut in hujus *oppoſitionem*.

Sed etiam monuiſſe oportuit (quod ſecundum ſit huic objectioni Reſponſum,) eoſdem *Habiſſinos* etiam *Circumciſionem* retinere. Adeoque in pluribus, quam hoc uno, *Judaizare*. Cum itaque *Circumciſionem* retineant (non in Oppoſitione, ſed) in Conjunctione cum *Baptiſmo*; non mirum eſt, ſi *Judaicum Sabbatum* ſimul retineant cum *die Dominico*.

Narrat item *p.* 119. *Græcos, eorumque Eccleſias*, (aliquas, credo, vult; non Omnes) *diem Saturni, ut Feſtum obſervare*. Hoc eſt, (ut ſeipſum alibi exponit,) *Carnem comedunt eo die*; quodque *jejunare* prohibent die Saturni, *excepto pridie Paſchatis*. (Ait enim *p.* 98. per *Jejunare* intelligitur *non Prandere*; &, conſonanter, Prandere, eſt Feſtum agere: Atque ſic ille diſtinguit, *p.* 93. *Aliqui Prandent, aliqui Jejunant die Sabbati.*) Annon autem obſervant item diem Dominicum? Omnino quidem. *Celebrant* (inquit) *Solenniter officia divina, die Sabbati, pariter ac die Dominico.* (Sumus igitur hactenus in tuto.) Sed non opus erat ut tam procul iret hæc quæſiturus; ſunt enim domi noſtræ, qui *ſolenniter celebrant officia divina*, diebus *Mercurii, Veneris, & Saturni.* (Et, quibuſdam in locis, Quotidie.) Sed non propterea minus celebrant diem Dominicum.

Dicit *p.* 115. *varias eſſe Chriſtianorum Provincias*, *Patriarchæ Conſtantinopolitano ſubjectas.* Eſto. An autem eorum ullæ ſunt, quæ diem Dominicum non obſervant? Aut etiam, An certus eſt ille has omnes Divina celebrare officia ſolenniter, die item Saturni? Et quidem, ſiqui ſic celebrant die Saturni, aut aliis item diebus, hoc non officit diei Dominico.

Narrat item *p.* 115. quod *Anno* 1555 *erant* (*ut ille putat, Romæ,*) *Sabbatarii quidam*; *qui* (*ut ipſi videtm*) *putarunt diem Dominicum non eſſe obſervandum*; *ſed qui dicuntur fuiſſe alias item Hæretici.* An vero hinc ſequitur, Diem Dominicum non tunc fuiſſe obſervatum Romæ? Dicetur forſan (poſt centum annos) Scriptorem hunc, jam edidiſſe librum pro obſervando die Saturni; num inde putandum erit, Diem Dominicum non hac ætate fuiſſe in Anglia obſervatum? Fieri item poteſt (& metuo ne fiat) ut Exercitia Ludicra, aliaque quæ diem ſacrum non decent, diebus quibuſdam Anniverſariis (aut aliis etiam) die Dominico nonnunquam agantur ruri; aut alibi: An vero inde concludendum erit, Diem Dominicum non omnino à nobis celebratum, eo quod à nonnullis profanetur? Haud ſpero. Quippe hoc ſemper fuit, & ſemper erit, quamdiu ſuperſunt mali homines, ut ab illis cultus divinus ſuſque deque habeatur.

Dicitur itidem *p.* 105. quod *Anno* 603 *nonnulli prædicarunt, ex Judaica ſuperſtitione, aut conſuetudine Græcanica, adorandum eſſe die Sabbati, pariter ac die Dominico.* Non dubitarunt ergo ne hi quidem, de celebrando *die Dominico*: Tota quæſtio erat, An obſervent etiam diem Saturni? Eademque videtur fuiſſe ſententia Sabbatariorum quos memorat Anno 1555. Nempe quod, (una cum die Dominico,) obſervari debeat dies Saturni: non, rejectum vellent diem Dominicum. Nec enim hoc affirmat hic Scriptor, nec Authorem ejus ſic dixiſſe dicit: Sed ſolummodo, quod *ſibi ſic videtur*, quia dicti ſunt *Sabbatarii.*

Narrat *p.* 102. quod *Socrates Scholaſticus* (in quarta Centuria) *circa varias variis in locis obſervationes, de Paſchate, Jejunio, Matrimonio, Divinis Officiis, aliiſque Ritibus Eccleſiaſticis*; *dicit*, *De Communione celebranda varias eſſe Obſervationes & Conſuetudines: Quamvis enim quaſi in omnibus Eccleſiis ubique terrarum celebrant & participant Divina Myſteria* (hoc eſt, Cœnam Dominicam) *ſingulis continue Sabbatis* (hoc eſt, diebus Saturni non minus quam aliis ſeptimanæ diebus;) *qui tamen Alexandriam & Romam inhabitant populi, ex antiqua traditione, hoc non faciunt*; (nempe, prout hic Scriptor nos alibi docet, quia ſolebant jejunare die Saturni, in memoriam Chriſti tunc jacentis in Sepulcro; adeoque, ut videtur, non ſolebant eo die Communionem ſeu Sacram Cœnam celebrare, ſicut aliis diebus ſolebant prout erat occaſio.) Atque tum, longa excurſione procedit hic Scriptor, exponendo quid ipſe per *Sacra Myſteria* hic intelligat; nempe, *per celebrationem & participationem Sacrorum Myſteriorum* intellectum vult *Publicos Conventus hebdomadales, pro Prædicando & Audiendo ſacrum Evangelium, pro Precibus & Dei Laudibus, pro Baptiſmo, & Cœna Dominica*, &c. Quum alii potius intellexerint, *Cœnam Dominicam* ſpeciatim: quippe, citante hoc Scriptore, expoſiturus hic erat Socrates, varias *de Sacra Communione* conſuetudines. Atque tum triumphans procedit; *Habemus hic Socratem, eruditum ſcriptorem, poſitive affirmantem, Eccleſias ubique omnes per univerſum orbem, ſingulis ſeptimanis continue, Conventus Religioſos tenentes, Celebrantes Myſteria*; *hoc eſt, Adminiſtrantes Baptiſmum, Cœnam Dominicam, Preces, Prædicationem, Cantum, &c. die Sabbati, hoc eſt Sabbato diei Septimi, ſingulis diebus Septimis*; *Exceptis Alexandrinis & Romanis*;

manis; qui itaque renuebant id facere, quod fecerint aliæ Eccleſiæ Chriſtianæ omnes per univerſum Orbem. Atque ſic porro, per duas fere paginas integras, *p.* 102, 103. (ſed & poſtea aliquoties,) verba *Socratis* ampliando. Dum interim hoc tantum innuere videatur (ut ab ipſo citatus) *Socrates*; quod Romani & Alexandrini, (qui ſolebant juxta cum aliis Eccleſiis diem Dominicum celebrare; ſed die Saturni Jejunare,) non ſolebant die Saturni (quo jejunabant) Sacram Euchariſtiam celebrare (ut in aliis diebus,) quod tamen aliæ Eccleſiæ (ubi non jejunabant) facere ſolebant, non minus his, quam aliis diebus, prout ferebat occaſio. Certe nolit hic Scriptor (ex *Socrate*) prætendere, Eccleſias omnes alias non celebrare diem Dominicum; Quippe hoc eſt omnibus ſuis *Collectionibus* contrarium.

Adeoque hactenus nihil vidimus, ex Collectaneis ſuis omnibus, quod ulla uſpiam Eccleſia Chriſtiana (quoſcunque alios obſervaverint dies) non obſervaverint Diem Dominicum.

Sed longam nobis narrat hiſtoriam, (*p.* 106, indeque ad *p.* 116.) eum ſuis ea de re amplificationibus, quaſi *non receperint in Scotia, diem Dominicum, ante Annum* 1203. *Propter Legem tum latam (per Regem, ut ipſe putat, & Parliamentum Scotiæ) in hunc finem.* (Cui mihi ſuppar videtur, quod ante dixerat, *p.* 115, 117. de *nullo apud Anglos (quod ipſe novit) Statuto Parliamentario, ante tempora Edwardi Sexti.*) Atque hinc inſinuatum vellet, quaſi, ad illud uſque tempus, obtinuerit, in Scotia, *Sabbati diei Septimi* obſervatio. Quæ eſt mera petitio principii; quod probaſſe oportuit. Oſtendiſſet prius (ſiquid factum vellet quod huc ſpectet) quod jam ante apud eos obtinuerit Sabbatum Judaicum, (ſaltem aliquod Sabbatum, aut Sanctæ Requietis diem,) atque tum tandem, Anno 1203, huic ſuccedaneum ſuperveniſſe Diem Dominicum. Sed, de hoc, ne γρῦ quidem in tota hac narratione. Quippe ſi nondum obtinuerit Sabbatum diei Primi, (quod ego haud crediderim,) Quæſtio diſceptanda videtur, non tam inter Sabbatum diei *Septimi* & *Primi*; quam inter *Sabbatum* & *non-Sabbatum*. Quod ſi huic, *bis Honori fuiſſe videatur, quod poſtremi fuerint in hac Orbis parte qui Diem Primum admiſerint, p.* 111, 113; ego certe his non *honori* duxerim, quod *nullum hactenus habuerint Sabbatum*, diemve ſolenni Cultui Divino ſacrum.

Ego interim non dubito, quin, ubi primum receperint *Chriſtianiſmum*, illi (ut aliæ gentes omnes) receperint *diem Dominicum*. Sive enim *à doctoribus* (ut loquitur) *Occidentalibus*, ſive (quod ille potius putat *p.* 123.) *à Græcis* acceperint Chriſtianiſmum; *dies Dominicus* erat ab utriſque pariter obſervatus. Quamvis enim de *Paſchate* diſſentirent, (non quidem *an obſervari debeat*, ſed *quo die*;) nullus tamen erat (inter Orientales & Occidentales) diſſenſus de *die Dominico*; ſed utrinque conſenſum erat, tum *obſervandum* eſſe, tum *quo die*. Adeoque ſive ab his ſive ab illis acceperint Scoti Chriſtianiſmum; ab eiſdem non dubitandum eſt quin ſimul acceperint diei Dominici obſervationem; quæ erat utriſque communis.

Non tamen ego mirum putaverim, pro ea quæ eſt naturalis hominum temperies, (qui rebus Mundanis magis intenti ſolent eſſe quam Religioſis,) quin gradatim flacceſcere potuiſſet tum Zelus divini cultus, tum diei Dominici ſtrictior obſervatio, (quod, de Sabbato Judaico, monet aliquoties hic Scriptor, tempore *Nehemiæ*, & dudum antea:) Et quidem, ubi Lege ſtabilita eſt; novis ſubinde Legibus opus eſt, quo roboretur & redintegretur. Quod in Anglia noſtra notum eſt.

Atque hunc ego putaverim fuiſſe Scotiæ ſtatum ea ætate; fortaſſis & Angliæ; Nempe, cum nimis negligeretur, & alicubi fortè locorum deſueſceret ſtricta diei Dominici obſervatio; nova lege foret opus qua corrigeretur neglectus ille. Quod, de Sabbato Judaico contigit tempore *Nehemiæ*. Sed oſtendendum erat, in rem ſuam, quod, quo tempore negligeretur quadantenus ſtrictior celebratio diei Dominici, eodem ibi celebrari ſolebat Sabbatum diei Septimi.

Quod autem euſque obtinuerit in *Scotia* Sabbatum *Judaicum*, atque tum primum inceperit diei Dominici obſervatio; eſt phantaſma merum, nullam habens aut ſpeciem aut umbram veriſimilitudinis. Nec ab eo quicquam hic producitur quod huic faveat.

Atque jam particulatim percurri totam ipſius Collectionem; non quod tanti ſit ut hoc mereatur, vel indigeat; ſed quod ipſi ſic videatur. Idque candide factum eſt, ſumptis omnibus prout ab ipſo citantur; non conſultis Authoribus unde deſumpta dicuntur, quo videam quam ſincere nobiſcum egerit hac in re, (quippe id operæ pretium non putabam.) Quos ſi conſuluiſſem libros, non dubito quin ibi comparuiſſent multa quæ forent illius ſenſis derogatoria.

In tota vero *Collectione* ſua (ut ab ipſo prolata) nihil comparet quicquam, quin ubicunque apud Chriſtianos obſervatum fuerit Sabbatum ullum, aut Sanctæ Requietis dies divino cultui dicatus, ibi obſervatus fuerit Dies Dominicus. Et quicunque alii fuerint obſervati dies (quod plurimis in locis factum fuit, & etiamnum eſt,) id in *Conjunctione* cum die Dominico, non in ejus Oppoſitionem factum eſt. Sicut apud nos, paſſim, habentur Conciones & Preces publicæ, diebus profeſtis; & quidem, in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis, ſingulis diebus; ſed nuſquam in derogationem diei Dominici. Quippe non ſolis Dominicis, ſed ſingulis Diebus ſerviendum Deo.

Patet item, ex his illius Collectaneis, in ipſa Centuria prima viventibus adhuc Apoſtolorum nonnullis, & ante ſcriptam Apocalypſin, obtinuiſſe diem Dominicum, eoque nomine notum; & pro eodem habitum cum *Primo die* Judaicæ Septimanæ, non *Septimo.* Atque ſic continue per omnia ſecula Eccleſiæ Chriſtianæ.

Cumque ille toties oggerit *Romaniſtas, mundum Romanenſem, Romanenſium traditiones,* &c. (vicibus quaſi 120 in ejus *Inquiſitione*; ſæpe etiam in *Replicatione,*) quaſi *à Romanenſium uſurpationibus, leges toti mundo præſcribentium,* cœperit diei Dominici obſervatio; certum eſt *Ignatium, Polycarpum, Juſtinum Martyrem, Irenæum,* alioſque, non fuiſſe ex *Romanenſium* numero, ſed Patres *Græcos*; Et *Romanenſium* quas memorat *Uſurpationes* (ipſo dictante *Inquiſ.* p. 125.) non ante cœperunt, quam aliquot ſeculis poſt hæc tempora.

Quodque dies idem ſit ad noſtra tempora traditione continuatus: ipſius utar argumento *Inquiſ.* p. 93. *Omnes in mundo Chriſtiani in hoc conſentiunt,* (non modo, *quis dies ſit Judæorum Sabbatum,* ſed etiam) *quis ſit dies Dominicus*: Et *p.* 78. *Aliàs, Chriſtiani in mundo omnes, computo errarunt*; Atque ad eundem ſenſum *Repl.* p. 3. Quod quidem ſi valet argumentum, probando, *noſtrum diem Saturni, eſſe Judæorum Sabbatum*; pariter valebit, probando, *noſtrum diem Solis, eſſe, Diem Dominicum, Apoc.* 1. 10. *ſic dictum*; ſive (ut loquuntur, quæ memorat, *Recorda* noſtra & *Statuta Parliamentaria,*) *Diem Dominicum vulgo dictum Diem Solis.*

Non tamen id volo, quaſi *nemo hominum Chriſtianorum* negligens fuerit aut nimis remiſſus in celebrando die Dominico, (quippe non dubium eſt, quin plurimi qui pro *Chriſtianis* ſe venditant, & nunc ſint, & olim fuerint, tam parum pii, ut de divino cultu non fuerint multum ſoliciti. Neque id velim, quaſi nulli unquam fuerint homines, qui ſiniſtras, de die Dominico, conceperint opiniones; non dubium enim eſt, quin omni ætate fuerint, & futuri ſint, hominum nonnulli privatis ſuis fantaſiis indulgentes, ſive in hoc ſive in aliis apicibus Divini cultus, aut Religionis Chriſtianæ. Sed, quod in omni (quantum ſcimus) Eccleſia Chriſtiana, ubique terrarum, celebratus fuerit Dies Dominicus, eodem die quo etiam nunc ſolet celebrari.

CAP. XIX.

Recapitulatio Probationum pro obſervando Die Dominico. Pſal. 118. 22, 23, 24. *cum* Act. 4. 11. *conſiderantur. Item* Hebr. *capp.* 3. *&* 4.

HActenus oſtendi, Qua authoritate Diem Dominicum celebrandum cenſeam. Propter Varia quæ habemus & Illuſtria *Exempla,* de celebrando Die Dominico; ab ipſo *Chriſto,* ejuſque *Apoſtolis,* & *Eccleſia Chriſtiana*; tum in ea ætate, tum exinde huc uſque, in Commemorationem Reſurrectionis Chriſti.

Exemplum primum, eſt, ipſius Chriſti; in ipſo *Reſurrectionis* die, quem conſentiunt omnes fuiſſe *diem Primum* hebdomadis Judaicæ. Qui primo mane *Reſurrexit*; & Reſurrectionis doctrinam (tunc novam) *Prædicavit* primitus *Mulieribus* ipſum ad ſepulcrum quærentibus: Deinde, *duobus Diſcipulis,* Emaunta proficiſcentibus, quibus longo Sermone rem eandem expoſuit; atque cum illis celebravit Cœnam Dominicam: Poſtea cum *Diſcipulis* ſuis Hieroſolymæ *congregatis*; eandem ipſis *Prædicans* doctrinam; eorum *Diffidentiam* redarguens; confirmans *Fidem*; Conventui *Benedicens* eoſque ad munus *Apoſtolatus* inſtituens, (qui pridem fuerant *Diſcipuli*;) Eiſque (ſolenni *Ordinatione*) *Poteſtatem* faciens *Plantandi* & *Propagandi Eccleſiam Chriſtianam* ubique terrarum, *Gentilium* pariter ac *Judæorum*; *Documentis* eoſdem inſtruens atque *Mandatis* in hunc finem.

Secundum eſt, ejuſdem *Chriſti,* cum *Diſcipulis* ſuis pariter congregatis, *proximo* die Dominico, ſeu hebdomadis Primo; Religioſis (ut prius) Exercitiis occupatis: Nempe *Octavo poſt die*; intermiſſis diebus omnibus intermediis, adeoque ipſo *Sabbato Judaico* (quaſi jam exauctorato.) Quippe cum ipſe, *poſt hæc,* apparuit eiſdem ad Mare Tiberiadis, *Joh.* 21. 1, 14. diſerte dicitur, *Jam tertio ſeſe exhibuit Jeſus Diſcipulis ſuis, poſtquam ſuſcitatus fuerat ex mortuis*; non igitur niſi *bis* prius, quorum neutrum fuerat Judaico Sabbato; quod interceſſit inter primam ejus & ſecundam comparitionem.

Exemplum tertium (quod habemus memoratum) eſt illud diei *Pentecoſtes*; qui erat hebdomadis Judaicæ *dies Primus*; *Poſtridie Sabbati*: Quando numeroſus habitus eſt Conventus, plurium Nationum; & Miraculoſa Spiritus Sancti Effuſio, in *donis Linguarum*; eaque occaſione, longa *Petri Prædicatio*; atque acceſſio facta Eccleſiæ, quaſi *hominum ter mille.*

Quartum, eſt *Pauli, Troade*; qui, hebdomadis *die Primo,* in *Cœtu Diſcipulorum* valde numeroſo, ad *fractionem Panis* congregatorum, prælongum *Sermonem* habuit, & *Cœnam Dominicam* cum illis celebravit.

Quintum, eſt illud Pauli ad *Corinthios* monitum. Quos ſacros Conventus habere ſolitos, *in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti congregatos,* patet ex 1 *Cor.* 5. 4. ubi agitur de *Inceſtuoſo*

tradendo

tradendo Satanæ. Et, quotis diebus id fieret, liquet ex 1 Cor. 16. 1, 2. ubi agitur de *Collectis in ſanctos* faciendis; nempe, *κατὰ μίαν σαββάτων, primo quoque hebdomadis die.* Quem diem obſervari ſolitum, non tam Monet, quam Præſumit, (tum apud eos, tum alibi;) dum dicit, quid factum velit his diebus; nempe, *Collectas tum faciendas, pro Sanctis indigentibus.* Quod &, *Galaticis Eccleſiis*, ſe ante præcepiſſe dicit: Apud quos etiam hunc diem obſervari ſolitum præſumit.

Sextum denique eſt illud S. *Johannis, in ſpiritu correpti, ἐν τῇ κυριακῇ ἡμέρᾳ, ipſo die Dominico.* Die ſcilicet tum temporis *celebri*, eoque *nomine* noto, cum Apocalypſin ſuam ſcripſit *Johannes*; qui pro eodem ſemper habitus eſt, cum *primo die hebdomadis*, tum ea ætate, tum proxime ſequente (quod patet ex *Ignatio, Polycarpo, Juſtino Martyre, Irenæo,* aliiſque;) tum deinceps ad hæc uſque tempora. Quod ipſius etiam *Collectanea* teſtantur.

Eaque omnia Exempla tam perſpicue vindicata ſunt ab ipſius omnibus Exceptiunculis; ut non videam, cur quis hæreat, (rem Facti quod ſpectat,) vel omnino dubitet, de perpetua ejuſdem Obſervatione.

Jam vero, quod eſt ipſius Chriſti praxi cohoneſtatum, ſuorumque Apoſtolorum; atque ab his introductum in Eccleſiæ Chriſtianæ conſtitutione; non eſt cur dubitemus ſufficiente Authoritate munitum eſſe; ipſoſque juſta poteſtate fretos ſic conſtituendi. Secus enim, juſto deſtituemur fundamento de plerique quæ ab ipſis fierent.

Ordinarunt ipſi *Diaconos* in Eccleſia Hieroſolymitana *Act.* 6. &, quia ſic fecerunt, non dubitamus quin inſtructi fuerint Poteſtate ſic faciendi. *Paulus & Barnabas Presbyteros conſtituerunt, in ſingulis Eccleſiis*, in itineratione ſua, *Act.* 14. (num *Diaconos* etiam in *ſingulis* Eccleſiis, an ibi ſaltem ubi cenſebantur tunc neceſſarii, non liquet.) *Timotheus* etiam (jubente *Paulo*) *Epiſcopos & Diaconos* conſtituit *Epheſi*, 1 Tim. 4. *Titus* item, in *Creta*, jubetur *Presbyteros conſtituere in quaque urbe, Tit.* 1. 5. ubi & *Epiſcopi* fit mentio, ver. 7. Num autem idem fuerit *Epiſcopus & Presbyter*, aut quomodo inter ſe differant, nolim hic diſcutere, (cum ad rem præſentem non faciat:) ſed *Diaconorum* nullam hic mentionem video. Et quoniam hæc omnia facta ſunt; præſumendum eſt Authoritate competente fuiſſe facta, quamvis non extant *Expreſſa Mandata* Chriſti, de hiſce ſingulis faciendis. Et ſimiliter de *Sacris Conventibus* Corinthi, & de *Excommunicando Inceſtuoſo*, aut *Tradendo Satanæ*, 1 Cor. 5. 4, 5. Eſtque horum *Praxis*, in Primitiva Eccleſia, nobis cenſenda ſufficiens *Auctoramentum* ſic faciendi. Et, de *celebrando die Dominico*, pariter.

Cumque *Dies Dominicus* ſic fuerit à *Chriſto* celebratus, atque ab *Apoſtolis* ſuis, atque ab *Eccleſia Chriſtiana*, tum in ipſius *ætate prima*, tum deinceps *huc uſque*; & peculiari nomine dictus ἡ ἡμέρα κυριακή, *ipſe Dies Dominicus*, eadem forma qua Sacra Cœna dicitur δεῖπνον κυριακόν, *Cœna Dominica*; merito cenſeamus, utramque Appellationem, pari ſenſu intelligendam eſſe. Adeoque ut *Cœna Dominica*, ſignificat *Cœnam à Domino inſtitutam* (nempe, *à Domino noſtro Jeſu Chriſto*, ut *Religionis Chriſtianæ Fundatore*;) ſic *Dies Dominicus*, pari ſenſu ſignificet, *Diem ab eodem Domino inſtitutum*; quamvis de hoc *Mandatum Speciale* non extat. Pari jure, quo cenſeamus *Cultum Dei per Sacrificia*, jam ante Diluvium, à Deo fuiſſe *Mandatum*, (quia Deo acceptum reperimus;) quamvis Mandatum illud non extat. Item, diſcrimen *Animalium Mundorum & Immundorum*, Mandatum putemus ante Diluvium, (quoniam à Deo approbatum;) quamvis non extat Mandatum illud. Pariter, de *Igne, ad Suffitum, ab Altari deſumendo*: ſecus enim *Nadab & Abihu* non forent *igne Divino* conſumpti, quod *alieno igne* fuerint uſi. Atque hic ipſe Scriptor (præter ipſius *Dei* Requietem, *Gen.* 2. 2, 3.) præſumit *Adamum & Evam* requieviſſe; eiſque *Injunctum* eſſe tum ut *eo ipſo die* Requieſcerent, tum *die quoque ſeptimo* in futurum; quamvis Mandatum tale non extat. Pari, inquam, jure merito cenſeamus *Diei Dominici* celebrationem, à Chriſto injunctam fuiſſe, (cum eam videamus ab ipſo *Chriſto* & *Eccleſia Chriſtiana* celebratum;) quamvis non compareat *Expreſſum Mandatum*.

Atque hoc quidem, quamvis Nobis non compareat Expreſſum Mandatum, videtur tamen Chriſtianis tunc viventibus tam indubitato fuiſſe cognitum, atque ab omnibus admiſſum, ut nullus inde (quantum ſcimus) ſcrupulus obortus fuerit de admittendo *Die Dominico*, magis quam de admittendis *Baptiſmate* & *Cœna Domini*.

Tota lis erat, An, *cum Baptiſmate*, retinenda etiam eſſe *Circumciſio*; &, cum *Cœna Domini*, Judæorum *Paſcha*; &, *cum die Dominico*, Judæorum *Sabbatum*. Quæ quidem omnia, *Judæis* permittit Apoſtolus inter ἀδιάφορα, (ut ſuo quiſquis utatur judicio, abſque præjudicio aliorum.) *Judæis* inquam, (quibus hæc olim *Lex* fuerat;) ſed non item *Gentilibus*, qui ea Lege ne olim quidem tenerentur.

Poſſem quidem id urgere (quod & ab aliis producitur) ex *Pſal.* 118. 22, 23, 24. tanquam præſignificativum Reſurrectionis Chriſti, & Diei Dominici in ejus memoriam conſecrandi, *Quem lapidem ſpreverant ædificatores, is factus eſt in caput anguli; A Jehova factum eſt hoc, & eſt mirabile in oculis noſtris: Hic dies eſt quem fecit Jehova, exultemus & lætemur in eo.* Quippe hoc ibidem inſinuatum videtur, (obſcure quidem, ut ſunt alia prophetica multa, poſt magis perſpicue intelligenda,) ſed à *Petro* (Act. 4. 11.) de *Chriſto*

intelligendum eſſe docetur, quem *ædificatores Judæi* ſpreverunt (crucifigendo,) ſed *Reſurrectione ſua* factus eſt *caput anguli*; eumque *diem* innuit Pſalmiſta *à Domino factum* [illegible] (non quidem ut dies omnes alios, ſed *eminenter factum*, ſeu inſtitutum,) quo nos *læ*[illegible] *& exultemus*, ipſum præ cæteris celebrando. Et quamvis hoc ſponte noſtra non ſic [illegible] poſſemus accommodare, cum tamen id Apoſtolo præeunte ſic fuerit accommodatum [illegible]que inſinuatum 1 *Pet.* 2. 7. *Math.* 21. 42.) non contemnenda eſt confirmatio cor[illegible] aliunde in hanc rem protulimus.

Sunt qui id arguunt ex *Heb* capp. 3. & 4. ubi fuſe arguit Apoſtolus, *alium nobis* (Chriſtianis) *reliquum eſſe* [illegible], ſeu ſanctæ requietis diem, [illegible] *Sabbatiſm*[illegible] quam qui ante obtinuerat. Hic utique videtur Apoſtoli ſcopus, per totam illam Epiſtolam, ut detineret eos qui erant ex Hebræis Chriſtianos, ne velint à Religione C[illegible] ſecedere ad Moſaicos ritus redeundo. Notaverat utique (Cap. 10. 25.) [illegible] *apud* [illegible], *aliquos, qui cœtus* (Chriſtianos) *declinarent*, ([illegible]) puta, [illegible]bus Dominicis celebrari ſolitos, quod quanto cum periculo factum ſit, docet ille ver[illegible] & per totam Epiſtolam ſedulo monet ne id fiat; variis Argumentis oſtendens, Moſaicam [illegible]ſtrationem jam antiquatam eſſe; utpote quæ erat perfectioris miniſterii præſignificativ[illegible] quod Chriſtus jam compleverat. Et ſpeciatim (*Capp.* 3 & 4) *Sabbatum Judaicum* locum [illegible] Sabbato Chriſtiano; (quaſi huc ſpectaret ejus argumentatio hoc in loco;) idque à Davide olim (obſcure licet) inſinuatum fuiſſe. Quippe cum eis olim promiſſa fuiſſet Requies; puta, in terra *Canaan*, in quam ipſos jam olim induxit *Jeſus*, hoc eſt *Joſhua*, Fueratque Sabbatum diei ſeptimi, in memoriam Dei quieſcentis die Septimo ab operibus Crea[illegible]: Memorat tamen *David* (longo poſt tempore) aliam adhuc expectandam Requiem, quam eſſent *introituri*. Quod de Requie *Canaanitica* non intelligendum eſſe arguit, eo quod in i[illegible] jam olim intraverant, ducente *Joſhua*; Neque de Dei Requie diei ſeptimi intelligendam eſſe; quippe quod in hanc intraverat Deus jam inde ab Orbe condito: Adeoque de [illegible] Requie (ſeu Sabbatiſmo) poſt *Davidis* tempora. Et quidem, de *certo quodam Die* [illegible] *Hodie* (*poſt tam longum tempus*) *Hodie, ſi velitis vocem ejus audire, ne obdurate cor*[illegible] *ſtra*. Quam Apoſtoli argumentationem, non alium ſpectare *Diem* cenſent quam *Diem Dominicum* [illegible] Chriſtianis tunc temporis celebrari ſolitum. Quique tum temporis vixerint (notaveruntque hanc Judæorum quorundam à Cœtibus Chriſtianis ſegregationem) id [illegible] intelligerent. Siquis autem de *Cœleſti* Requie malit intellectum, ego non repugno.

Sed, his omiſſis, ea quæ jam dicta ſunt, mihi videntur, ſatis aliunde ſufficere, pro [illegible]*erando Die Dominico*: Quicquid ſit de *Judæorum Sabbato*; quod poſt eſt diſcutiendum.

CAP. XX.

Quod Dies Dominicus jure dicatur Sabbatum. Sic *videtur dici* Mat. 24. 20 [illegible] veſtra ſit hyeme vel Sabbato *Et* Act. 13. 42. [illegible] *Sabbata*, *in P*[illegible] *men unius diei; tum in Novo Teſtamento, tum apud Septuaginta Interpretes* [illegible] *Item in Quarto Præcepto. Mutatio diei, facit Caſûs mutationem, manente Pr*[illegible] *mutato. Ignorantia diei continue ſeptimi à Creatione, nobis non officit.*

SUpereſt adhuc una diſcutienda Quæſtio, de *Die Dominico*, An dici debeat [illegible] Quippe hoc adhuc objicitur, *Repl.* p. 37. Si fuerit *Obſervatus*, & *Solitus obſer*[illegible], non tamen *ut Sabbatum*; nec uſpiam, inquit, *appellatur Sabbatum*.

Jam vero, ſi admittere velim (quod haud facile facturus ſum) quod habet [illegible] 30. quod *Judaicæ obſervationes Dierum omnes, ſive Feſtorum, ſive Jejuniorum, ſive* [illegible]*dalium, Menſtrualium, aut Annualium, dicebantur eorum Sabbata*; Aut *Inquiſ.* [illegible] 93. *Quando Chriſtianus convenit, de die Conventus, pro publico Dei cultu* [illegible] *cenſendum eſt, an ad celebrandum Feſtum, an Jejunium, eo die convenerit*. Non ſit cur [illegible] valde ſolicitus de *Nomine*. Quippe, hoc ſenſu, non dubium eſt quin appellari poſſit *Sabbatum*. Et, conſonanter, quia *Paſcha* & *Pentecoſte* dicuntur *Feſta*, *Levit.* 23 [illegible] ipſe vocat *Sabbata*, *Repl* p. 48.

Verum ego haud lubens admiſero, hanc laxam *Sabbati* acceptationem. Quippe *Diem Dominicum* putaverim dicendum *Sabbatum* proprie ſumptum quo ſenſu vox [illegible] ulurpari puto in *Quarto præcepto*. Hoc eſt, *Dies Septimus ſanctæ Requietis, proxim*[illegible] *Sex dies, ordinarii laboris*. Quippe talem eſſe debere cenſeo *Diem Dominicum*, ſi r[illegible] lebretur, (intra intuitum Quarti præcepti;) quocunque *Nomine* vocetur Nam in [illegible]*plis* omnibus ſupra memoratis, non alia occurrunt quam *Exercitia Religioſa*; a[illegible] hiſce bene *conſiſtant*. Et quidem ſi valet ipſius Regula *De non exiſtentibus &* [illegible]*rentibus eadem eſt ratio, Inquiſ.* p. 47. Aut quod *præſumit* ipſe *Repl.* 33. quod [illegible] *quæ memoratur Prædicatio in Synagoga, comprehendere cenſenda ſit Religioſam totius Sabbati obſervationem*: Pariter cenſendum erit, *totum diem Dominicum, Religioſis Exercitiis, aut*

negotiis

negotiis Sabbatriis impendi ſolitum (*qualia ſunt Preces, Conciones, Admonitiones, Euchariſtiæ Celebratio, Colloquia Religioſa, Catechiſmus, Infirmorum Viſitatio, Lugentium Conſolatio, Indigentium Refectio, Collectæ in pauperum ſubſidium, aliaque Chriſtianitatis & Charitatis officia, quæ diem Sacrum deceant,*) cum talia ſint ea omnia quæ Die Dominico præſtita memorantur.

Sed Confuſionis ſeu Ambiguitatis vitandæ cauſa, (quæ foret ſi *Sabbatum Judaicum* & *Sabbatum Chriſtianum* indiſcriminatim dicerentur *Sabbatum* ſimpliciter,) diſtinctione opus erat. Cumque *Sabbati* nomen ſimpliciter ſumptum, communi locutione (jam à longo tempore) intelligi ſoleret de *Judaico Sabbato*; commodum erat ut hoc *novum* Sabbatum, *novo* deſignaretur nomine. Non, quod non ſit *Sabbatum* hic dies; ſed, quod non ſit ille dies qui *Sabbatum* vulgo diceretur. Adeoque dictus erat, vel *Dies Dominicus* (utpote à Domino inſtitutus) vel *Primus hebdomadis*, nempe *Judaicæ*; qui tamen *Septimus* dies poſſit *hebdomadis Quarti Præcepti*; hoc eſt, *dies ſeptimus poſt ſex laboris dies.* Quod autem *ſeptimus dies Quarti præcepti*, ſit neceſſario *ſeptimus in continua circulatione ab Orbe primum condito*, (quod præſumit hic Scriptor,) eſt *gratis dictum*; &, quis ſit ille dies, eſt nobis cognitu impoſſibile.

Si tamen huic Scriptori non placeat nomen *Sabbati*, (ut quod putet Sabbati Judaici proprium;) ego facile patior ut ipſi dicatur (prout in Sacris Literis & Eccleſia Chriſtiana dici ſolet) *Dies Dominicus*. Quod & ſupra monui.

Nec tamen ego ipſi ſtatim conceſſerim (quod ait ille *Inquiſ.* p. 28.) quod, *nec in Veteri, nec in Novo Teſtamento, hic dies uſpiam dicitur Sabbatum.* Quippe ego ſic dici puto utrobique, ſi non ut nomine *Proprio*, ſaltem ut nomine *Communi*, ſeu (ut loquuntur) *Appellativo*.

In Novo Teſtamento, ego ſaltem duo ſuggeram loca, ubi ſic dictum putem. Si non certo, ſaltem veriſimiliter.

Prius eſt *Mat.* 24. 20. ubi Chriſtus (de capta Hieroſolymis verba faciens, indeque Fuga) *Orate* (inquit) *ne fiat fuga veſtra Hyeme neque Sabbato.* Scio quidem quod hic Scriptor, de *Sabbato Judaico* ſpeciatim, hæc intellecta velit; non de *Chriſtiano*. Non video tamen quin utrumvis indifferenter reſpiciant. Nam non minus *Grave* foret *Chriſtianis* ſuo Sabbato fugam facere, quam *Judæis* ſuo. Quamvis neutris *Peccatum* foret, urgente cauſa neceſſitatis; non magis quam Hyeme.

Verum quidem eſt, quod *Sabbatum Chriſtianum* nondum uſu receptum erat quando hæc dixit Chriſtus; ſed futurum erat antequam *hic caſus accideret.* Et quamvis hoc nondum intellexerint Diſcipuli (de Sabbato Chriſtiano) quum hæc dicerentur; ſatis eſt ſi tum tandem intelligerent, quando hujus foret occaſio.

Paria ſiquidem videmus aliis caſibus accidiſſe. Sic utique *Joh.* 2. 19, 21, 22. *Deſtruite templum hoc, & intra triduum illud excitabo*: quod dixit Chriſtus *de templo Corporis ſui.* Quod quamvis tum temporis non intellexerint Diſcipuli; *poſt tamen quam ſuſcitatus fuit ex mortuis, recordati ſunt ejus Diſcipuli quod hoc ſibi dixiſſet, & Crediderunt Scripturæ & Sermoni quem Jeſus dixerat*; atque tum demum, quid voluerat Chriſtus, intelligebant. Pariterque quum Aſini Pullo inſidens intravit *Hieroſolymam*, dicitur *Joh.* 12. 16. *Hæc non cognoverunt diſcipuli ejus primo; ſed quum glorificatus eſſet Jeſus, tunc recordati ſunt hæc eſſe ſcripta de eo, quodque hæc ei fecerint.* Sic Chriſtus *Petro* (quum pedes ejus ablueret) Joh. 13. 7. *Quod ego facio, tu neſcis nunc, cognoſces autem poſtea.* Et ver. 10, 11. *Vos puri eſtis, ſed non omnes: Noverat enim à quo proderetur; propterea dixit, non eſtis puri omnes*: quod ipſi tamen nondum noverunt. Sic *Joh.* 19. 24. *Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi, & ſuper veſte mea jecerunt ſortem*: Et ver. 28, 29. quum *fel & acetum ipſi potum darent*: Et ver. 36. *Non confringetur ullum os ipſius*: & ver. 37. *videbunt quem transfixerunt.* Quæ omnia quo reſpicerent, non tum intelligebatur quum primitus fuerant prolata, ſed tum tandem, longo poſt tempore, quum Crucifigeretur Chriſtus. Quæque habet Pſalmiſta Pſal. 118. de *Lapide, quem reprobaverant Ædificatores, poſt in caput anguli futuro*, deque *Die quem fecerit Dominus*; quamvis forte quum hæc dixerit haud ſatis intellexerit ipſe, hæc tamen de *Reſurrectione Chriſti* jam intelligenda, deque *Die* quo hæc contigit, diſerte docet Apoſtolus. Dicitque Chriſtus Diſcipulis ſuis *Joh.* 14. 26. *Paracletus ille, qui eſt Spiritus Sanctus, quem mittit Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & in Memoriam revocabit vobis omnia quæ dixi vobis*: Et quidem *ſic* in memoriam revocaret, ut ea tum rectius intellecturi forent, quam quum primum dicerentur.

Et, conſonanter, cum eos *orare* jubet, ne foret eorum *fuga die Sabbati*; hoc eſt, non eo die qui *tunc* foret *Sabbatum*.

Eſtque, in Græco, ἐν σαββάτῳ, non ἐν τῷ σαββάτῳ. Solet hic Scriptor (cum è re ſua fore putet) magni facere Articuli (demonſtrativi) præſentiam (emphaticam) aut omiſſionem: Cumque hic habeatur ἐν σαββάτῳ (omiſſo Articulo τῷ) poterit non minus intelligi de *quovis Sabbato*, quam de *Sabbato Judaico*; adeoque de *Sabbato Chriſtiano*, cum id foret Sabbatum.

Quod eo potius putaverim, quia dicitur hæc *Fuga* contigiſſe Sabbato *Judaico*, ſed non

 ſuo

ſuo *Chriſtianorum* Sabbato. Nec tamen videtur veriſimile quod Chriſtus diſertè precatores juberet contra id quod ipſe certo ſciverit futurum, (puta de *Sabbato Judaico,*) quin contra id quod (precibus ſuis) caveretur ne contingat; nempe de *Chriſtianorum* Sabbato. Notatque *Dio Caſſius* (qui hanc tradit hiſtoriam) id eo potiſſimum Sabbato Judaico contigiſſe, propter eorum *ſuperſtitioſam* nimis hujus diei venerationem, quod *laborare* noluerint, ne quidem in neceſſaria ſui *defenſione,* eo die; Quam captantes occaſionem Romani, inſultum eo die fecerunt; Sabbatum pariter & Templum ipſorum violaturi. Quorum utriuſque veneratio priſtina (Deo ſic volente) jam erat abolenda.

Locus alter eſt *Act.* 13. 42. Ἐξιόντων δὲ ἐκ τῆς συναγωγῆς τῶν Ἰουδαίων παρεκάλουν τὰ ἔθνη εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον λαληθῆναι αὐτοῖς τὰ ῥήματα ταῦτα. *Quum egreſſi erant è Synagoga Judæorum,* (vel *quum egreſſi erant è Synagoga Judæi,*) *rogarunt Gentes ut Interveniente Sabbato dicerentur ſibi hæc verba.*

Petit hic Scriptor, *Repl.* p. 79. Si obſervare ſolebant Chriſtiani hebdomadis (Judaicæ) *diem Primum*; cur non potius rogarent Gentes, hæc ipſis dicenda *Die Proximo,* potius quam *proximo Sabbato?* (Nempe de *Judaico Sabbato* ſequente, hoc intelligens.) *Gentes* (inquit) *rogabant, ut hæc verba prædicarentur ipſis Proximo Sabbato; non, Poſtero Mane,* (*hebdomadis die Primo,*) *ſed Proximo Sabbato.*

Jam vero mihi tantundem quaſi videtur, utrumvis dicatur; quippe *proximum Sabbatum* (Chriſtianum) erat *Dies proximus*: petebantque, ut *hoc die* plenius exponerentur ea dicta. Verum quidem eſt Interpretes noſtros, in Textu, dicant *proximo Sabbato*; ſed notant, ad Marginem, in Græco dici, *Sabbato intermedio*; ἐν τῷ μεταξὺ σαββάτῳ.

Dicitur *ver.* 14. quod *Paulus & Barnabas,* (quum à *Perga* venerant *Antiochiam* quæ eſt *Piſidiæ,*) *ingreſſi ſunt Synagogam,* τῇ ἡμέρᾳ τῶν σαββάτων *die Sabbatorum.*

Ubi notandum eſt *Sabbata,* in plurali numero, de *Uno die* dici; non enim dicitur ἐν ταῖς ἡμέραις, ſed ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῶν σαββάτων, contra quam vult hic Scriptor, *Inquiſ.* p. 70. ubi dicit, *hoc nuſquam* reperiri. Et quamvis hoc revocet *Repl.* p. 46. tamen hic (quaſi illiberaliter revocet) ſubjungit, quod *Numerus pluralis ordinarie ſignificat Plura quam unum.* Et quamvis ſit *dies Unicus,* recte dici poſſit ἡμέρα τῶν σαββάτων *dies Requietum*; quoniam, hoc uno die, plures erant *Requietes*; Requies à *Peccato,* Requies à *Laboribus* plurium generum, Requies à *ſuis ipſorum Verbis,* Requies *Sancta* (in Religionis exercitiis) *ſe delectando in Domino,* & ſimilia.

Concionis, *hoc die Sabbatorum* habitæ, ſeu (ut ibidem dicitur ver. 15.) *Sermonis Exhortationis ad populum*; narratio habetur, *ver.* 16. atque deinceps ad *ver.* 41. incluſive. Verſuque 44 narratur quid contigerat ſequente Sabbato, τῷ ἐρχομένῳ σαββάτῳ, ſeu τῷ ἐχομένῳ σαββάτῳ, (nam utroque modo legitur eodem ſenſu,) nempe *ſequente Sabbato Judaico* (quod liquet ex eis qui tunc conveniſſe memorantur *ver.* 45, &c.) Sed in Sabbatorum horum priore *ver.* 44. *quum egreſſi ſunt ex Synagoga Judæorum,* vel *quum egreſſi ſunt ex Synagoga Judæi,* (nam utramvis expoſitionem admittunt verba Græca,) *rogarunt Gentes, ut hæc verba dicerentur Ipſis,* (puta, ſeparatim à Judæis,) εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον, *Sabbato intermedio,* ſeu *interveniente.* Sic enim ſignificat ὁ μεταξὺ χρόνος, *tempus interjectum,* ſeu *intermedium*; adeoque (in eadem præciſe forma) τὸ μεταξὺ σάββατον erit *Sabbatum intermedium* (puta, inter duo proxima Judæorum Sabbata.) Ecquid autem aliud cenſeamus hoc *intermedium Sabbatum* (quod inter duo proxima Judæorum Sabbata interceſſit) quo hæc dicerentur *Gentibus* (ut à Judæis contradiſtinctis) quam *Chriſtianorum Sabbatum,* hebdomadis *die Primo?* Dicunt quidem Interpretes noſtri *proximo Sabbato* (ut quod erat revera proximo die ;) ſed notant in Græco dici, *intermedio Sabbato.* Et quidem, (non expectato proximo Sabbato Judæorum) dicitur *ver.* 43. quod, *ſoluto conventu prioris Sabbati, multi ex Judæis, & religioſi Proſelytis, ſecuti ſunt Paulum & Barnabam, qui (eos allocuti) perſuaſerunt eis ut permanerent in gratia Dei*; quæ quidem *allocutio* ſeu *exhortatio,* interea temporis facta eſt, antequam rediret proximum Judæorum Sabbatum, de quo fit mentio verbis proximis, *ver.* 44, 45. *Sequente vero Sabbato,* (poſt illam intervenientem Prædicationem, ſeu Sermonem,) *urbs prope tota convenit ad audiendum ſermonem Dei; viſa autem turba, Judæi repleti ſunt invidia, & contradicebant eis quæ à Paulo dicebantur, contradicentes & blaſphemantes.* Quod igitur *Sabbatum intermedium,* videtur de *Sabbato diei Primi* dictum; non de Sabbato Judæorum, ſed de Sabbato quod, inter duo proxima Judæorum Sabbata, interceſſit. Atque hæc de Novo Teſtamento dicta ſunto.

In Veteri Teſtamento, ſic dictum puto in *Quarto Præcepto,* (non ſpeciatim, ſed communi nomine;) *Exod.* 20. 8, 9, 10. *Recordare diei Sabbati, ut ſanctifices illum. Sex diebus operaberis, & facies omne opus tuum; Septimus autem dies* (poſt illos ſex) *eſt Sabbatum Jehovæ Deo tuo; non facies ullum opus,* &c. Hic dies Septimus, erat (credo) eius temporis *dies Septimus à primo deſcenſu Mannæ,* Exod. 16. 21, 22, 25, 26. Quod autem dies ille (in continua circulatione ab ipſo ejus Deſcenſu) foret in perpetuum obſervandus; non reperio. Nec certus ſum quod ad ipſa Chriſti tempora fuerit continuatus. Fieri poteſt, ut, durante longa Captivitate Babylonica, interrupta fuerit ejus obſervatio, dieſque oblivioni datus; uſque dum fuerit à *Nehemia* reſtitutus, à nova forſan Epocha. Sed (utut

id ſit) ſi, Reſurgente Chriſto, alius deinceps dies, pro Sacro Sabbato, aſſignatus fuerit, (quod factum credo ;) hic dies deinceps foret Sabbatum, (quicunque fuerit ille dies Hebdomadis Judaicæ,) & ſanctificandus. Idque vi Quarti Præcepti, abſque ulla Mandati mutatione.

Non dubito quin ſenſerit hic Scriptor, quod *Secundi* Præcepti pars (ut loquuntur) *Affirmativa*, à nobis exigit, ut Dei *cultus Inſtitutus* obſervetur ; ſeu, quod colendus ſit Deus, tali cultus forma, qualem ipſe (de tempore in tempus) inſtituerit ; Adeoque per *Sacerdotum Leviticum, & Sacrificia*, quamdiu hæc forent continuanda ; ut qui fuerit *cultus Divinus tunc Inſtitutus*, (quod ait ipſe, *Inquiſ.* p. 68.) Sed quum à Deo, Chriſtove, (horum loco ,) induceretur (ut ipſe loquitur) *Miniſterium magis Spirituale* ; ceſſaturus erat ille cultus, & hic inchoandus, ut *Dei Cultus Inſtitutus* (abſque iſtius Legis mutatione) *vi Secundi Præcepti*.

Similiter, Præceptum Septimum, *Ne committas Adulterium*, obligat fœminam ad *hunc* maritum. Verum ſi mortuus ſit *hic* maritus, eaque alteri nupta ; lex eadem (nihilum mutata) eandem obligat ad *hunc alterum*. Ut arguit Apoſtolus *Rom.* 7. 2, 3. Quamvis enim nunc mutetur *Caſus*, *Lex* adhuc manet minime mutata.

Pariter, ſi *dies Dominicus* jam factus ſit (*Chriſtianis*) *Sanctæ Requietis diès* (quod nos exiſtimamus ;) hic jam evadit *Quarti Præcepti Sabbatum*, non minus quam tunc fuit *dies Septimus à Deſcenſu Mannæ* : Omnino, ut *ſecundus Maritus* (poſt primum mortuum) fit *Maritus Præcepti Septimi*, non minus quam erat ille *Primus* dum vixit. Eſtque *dies Dominicus*, non minus nunc, *ſeptimus poſt ſex laboris dies*, quam erat ille à deſcenſu Mannæ computatus. Sed, an *hic*, aut *ille*, aut *neuter*, ſit *Septimus* in continua ſerie ab *Orbe primum condito* ; nec ego nec ille ſcimus, nec eſt neceſſe ut ſciamus.

Objicit ille, (*Repl.* p. 2, 3. atque ad eundem ſenſum alibi paſſim,) *Si neſciam ego, quis Septimanæ dies ſit, dies Solis ; cur velim ego librum ſcribere pro obſervando die quem ego neſcio, nec ſcire poſſum?* Reſpondeo: ego probe ſcio, quis dies *noſtræ Septimanæ* ſit ; &, pro hoc obſervando, ſcribo : ſed, quotus ſit dies Septimanæ, in continua hebdomadum circulatione *ab Orbe condito* ; nec ego ſcio, nec ille ; adeoque pro *talis* ſeptimanæ vel Primo vel Septimo die, non ſcribo. Atque, ſi ſcribit ille pro *tali* die *Septimo* ; pro die ſcribit quem ipſe neſcit.

Egoque ſcribo, pro obſervando *illo* die *Dominico*, quem continue recurrentem exiſtimo à Chriſti tempore & Apoſtolorum ſuorum ; quatenus nempe illud ſciri poteſt. Hoc eſt (ut ſuis verbis utar *Repl.* p. 3.) *quem omnes in Mundo Eccleſiæ, tum Chriſtianæ, tum Hebrææ, conſentiunt ipſum eſſe* ; vel (ut *Inquiſ.* p. 78.) eundem ipſum, *niſi omnes in mundo Judæi & Chriſtiani falluntur computando* ; vel (ut *Inquiſ.* p. 93.) *quem omnes in Mundo Chriſtiani conſentiunt ipſum eſſe*. Hoc eſt ; Quatenus *continuæ Traditioni Univerſali* fidere poſſumus. Quippe hic *univerſalis conſenſus*, non aliud eſt quam *Univerſalis Traditio*. Neque habet ille (neque poteſt prætendere) majorem certitudinem, quis ſit ejus dies Septimus. Adeoque non ipſi eram injurius cum dixerim (*Diſc.* p. 1.) *non aliam ipſi viam eſſe, quam Communem Traditionem, unde conjicere poſſit, quis ſit aut Primus aut Septimus dies hebdomadis, inde à Chriſti tempore, nedum ab Orbe condito*. Quatenus hinc certi eſſe poſſumus, certi ſumus ; ulterius vero, nec ego nec ille poſſumus eſſe certi.

Nec multum refert (quantum ego judico) ſive ſit, ſive non ſit, ipſiſſimus dies ; modo ſit qui ſic putatur eſſe, & pro eo habitus. Omnino, ſicut ſupra oſtenſum eſt contigiſſe de Judæorum Paſchate & Noviluniis. Quippe, pro ratione, qua judicaſſe dicuntur illi de Noviluniis, (adeoque de Paſchate ;) nempe, à prima phaſi conſpecta ; fieri non poteſt quin de die uno aut altero res ſit in ambiguo ; & quidem (ſi prope Æquinoctium contigerit Plenilunium) de ipſo Menſe. Nec tamen minus rite celebrata ſunt Noviluniorum & Paſchatis feſta, (nec minus accepta Deo,) die Putatitio, quam ipſiſſimo die vero. Idemque foret, ſi fieri poſſe putemus, ut (non obſtante communi quæ ſupponitur Traditione) erratum ſit in Computo, ut noſter dies Dominicus non ſit ipſiſſimus ille, qui à Dominico in N. T. memorato continue recurrat. Eſt ſaltem dies ille, quem nos *putamus* ſic recurrentem. Et quidem majori Incertitudine conjectat ille, de die continue Septimo ab Orbe condito, dum (ipſo fatente) exceptis Judæis, nulla Natio obſervavit Sabbata, (nec, quod ſcimus, Septimanas ;) quam nos, à Reſurrectione Chriſti numerantes ; cum (poſt Chriſtianiſmum introductum) Univerſus Orbis Chriſtianus ſic computat.

CAP. XXI.

Quæſtionis pars poſterior, De Sabbato Judaico. Non contemptim dicitur Sabbatum Judaicum. Diſtinguendum inter id quod tunc erat Indultum, & quod Nobis nunc incumbit officium. Non prohibemur, aliis diebus (quam Sabbato Quarti præcepti) Divino Cultui vacare.

PRiore penſi parte ſic abſoluta; De die Dominico, ab ipſo Chriſto ejuſque Apoſtolis obſervato; & ab Eccleſia Chriſtiana, primis ſui temporibus, indeque continue huc uſque: Reſtat pars altera expedienda, An, præter *Diem Dominicum*, *Sabbatum Judaicum* ſit item obſervandum.

Nolim interim ut mihi offenſus ſit hic Scriptor, quod paſſim dicam *Sabbatum Judaicum*, quaſi id contemptim dixerim, (quod ſubinſinuare videtur, *Repl.* p. 51, 55, &c.) Nam & ipſe paſſim ſic loquitur, (*Inquiſ.* p. 38. *Judæorum Sabbatum ſeptimi diei*; & *p.* 66. *Sabbatum Judaicum*; & *p.* 74. *Judaicum ſeptimi diei Sabbatum*; & alibi.) Abſit enim ut ego contemptim loquar ſive de Judaico Sabbato, ſive de Circumciſione, de Sacerdotio Levitico, Sacrificis Judaicis, aliiſve Ritibus Moſaicis. Quamvis enim hæc deſiiſſe jam judico, ne ſint nobis obligatoria; erant tamen, ſuo tempore, Dei cultus Inſtitutus; adeoque non contemptui habenda. Sed neceſſariæ Diſtinctionis gratia ſic loquor; quo Sabbatum Judaicum, à Sabbato Chriſtiano diſtinguam. Quanquam enim *Sabbatum ſimpliciter*, & *Sabbatum Judaicum*, habeat ille pro eodem; ego tamen omnino Diſtinguenda ſentio. Per *Sabbatum ſimpliciter*, intelligo Sabbatum Quarti Præcepti; hoc eſt, ſanctam Requietem die Septimo poſt Sex dies ordinarii Laboris; qui aliis aliiſque temporibus, à diverſis Epochis inchoandus ſit; quod abolitum eſſe non exiſtimo. Per *Sabbatum Judaicum*, illud volo cujus Epocha fuerit à primo deſcenſu Mannæ *Exod.* 16. eratque Judæis peculiare. Cujus loco ſucceſſit *Sabbatum Chriſtianum*, Diei Dominici; cujus Epocha ſit à *Reſurrectione Chriſti*. Sicut, Levitico Sacerdotio novum ſucceſſit Sacerdotium; & Leviticis Sacrificiis, nova Sacrificia. Quippe hoc ego exiſtimo non minus eſſe *Sabbatum* ſub intuitu Quarti Præcepti, quam erat Judaicum illud: Nempe dies Septimus poſt Sex laboris dies; licet non continue Septimus ſive à Deſcenſu Mannæ, ſive ab Orbe primum condito.

Quod *Dies Dominicus* ſit, ex mandato Chriſti obſervandus, non eſt cur dubitemus, magis quam de Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, cæteriſque, quæ (in imitationem Apoſtolorum, & Primitivæ Eccleſiæ) retinet Eccleſia Chriſtiana.

Num *Sabbatum Judaicum* ſit item obſervandum; videtur ipſe pro me reſpondere, *Inquiſ.* p. 46. *Neque enim* (inquit) *Duo dies Hebdomadales à Deo ſeparantur, ad ſacrum cultum; adeoque hac de re non opus erit ulteriore labore.* Et *Repl.* p. 33. *Nullos* (inquit) *novi, qui imaginati ſunt, Paulum & Chriſtianos duos celebraſſe dies Sabbaticos in una ſeptimana.* Iterumque *Repl.* p. 66. *Pro conceſſo* (inquit) *habeo, non obſervandos eſſe Duos dies in eadem ſeptimana.* Quæ ſunt ſua ipſius verba.

Sed magis adhuc diſtincte reſpondere libet. Diſtinguendum igitur ſentio, inter id quod *Nobis* (*nunc*) incumbit ut *Officium*; atque id quod *Judæis* (*tunc*) cenſeretur *Licitum*. Non Nobis, nunc, ut Officium incumbit, (præter *Baptiſmum*) etiam *Circumciſione* uti; & (præter *Cœnam Dominicam*) celebrare *Judæorum Paſcha*: Attamen *licitum* fuiſſe puto (tum temporis) *Judæis* (modo ſic perſuaſi fuerint) utrumque retinere; uſque dum (per tempus & otium) melius perſpexerint *Libertatem Chriſtianam*. (Quod nec hunc Scriptorem inficiaturum puto.) Non autem exiſtimo, *Judæos* ipſos (& multo minus *Gentiles*) *Obligatos teneri* ut hæc facerent. Quod nec hunc Scriptorem ſentire puto. Putat enim (*Inquiſ.* p. 122.) *obſervaſſe Paulum Judæorum Paſcha*; ſed (*p.* 123.) *nulla teneri Obligatione ut hoc faceret.*

Caſumque omnino parilem exiſtimo hunc de *Judæorum Sabbato*. Illi ex *Judæis* qui erant *de Lege Moſaica Zelo perciti*; putantes hanc Legem adhuc validam, de *Circumciſione* reliquiſque *Ritibus* pariter ac de *Sabbato ſuo*; putabant ſe obſtrictos (quamvis revera non fuerint, aliter quam ex *Erronea Conſcientia*,) ad obſervandam *Circumciſionem* eorumque *Sabbatum*, una cum *Baptiſmo* & *Die Dominico*. Illique qui ſe non putabant ſic *obſtrictos*; putabant ſaltem *licitum* eſſe. (Quod eſt in *Pauli* caſu indubium.) Nec Licitum tantum, ſed omnino *Æquum* eſſe, ut omnem captarent occaſionem *Conventuum Publicorum* (ſive Judæorum ſive Gentilium, ſive hoc ſive alio quovis die) prædicandi ipſis Evangelium Chriſti: Non tantum *Sabbato*, ſed *quotidie*, *in Templo*, Act. 2. 46. Act. 5. 42: & *in Foro quotidie*, Act. 17. 17: & in *Areopago*, ver. 22. Nec quemquam dubitare puto (ſaltem non eſt cur dubitet) licere nobis, diebus aliis quam Dominicis, publice convenire ad celebrandum Cultum Divinum.

Dicit quidem ille, *Inquiſ.* p. 121. quod *reliquis Sex diebus Jubemur Operari*, Queriturque, *p.* 131. (ut de intruſione facta in Sex dies laborum) quod *ea pars quarti Præcepti*

1

[*Sex*

[*Sex diebus Operaberis, facieſque omne opus tuum*] *magna ex parte nunc tollitur* ; (nempe, propter cultum divinum aliis aliquando diebus indictum :) Et *Repl.* p. 6. *Aliis diebus Permiſſum eſt, ſeu potius Imperatum eſt, Operari.* Nolim autem ut putet, quod ſic *Jubemur* his diebus *Operari*, ut *Probibeamur Precari*, aut *Concionem audire*, horum dierum ullo. Quamvis enim quarto præcepto Deus non alium quam ex ſeptenis unum *Præcipit* ab omnibus univerſim obſervandum, ut Divino Cultui dicatum ; non tamen ibi *Probibet* quin aliis item diebus Divino cultui intendamus. Bene novit Vir Eruditus, quod, præter *Imperata Exercitia*, præſtare licuit *Liberæ Voluntatis Oblationes.* Habebantque Judæi (præter cultum Sabbaticum) *juge Sacrificium* (Matutinum & Veſpertinum) quotidie peractum ; aliaque Feſta plurima, aliis diebus incidentia : Ut certum ſit non *Probiberi* cultum Divinum aliis diebus quam Sabbato. Et certum eſt *Davidem*, *Danielem*, alioſque viros pios, Divino cultui intentos eſſe (& quidem pluries) ſingulis diebus. Nec negaturus eſt hic Scriptor, quin eis liceat (quibus vacat) Precibus, Concionibus, aliive cultui publico intereſſe, etiam diebus profeſtis ; ubi fieri commode poteſt, nec aliis negotiis impediuntur. Nec dubium eſt quin Apoſtoli, (quorum erat quotidianum munus Evangelium Prædicare,) potuerint ipſo Judæorum Sabbato (non minus quam aliis diebus) anſam captare, Judæis in Synagoga congregatis (pariter ac Athenienſibus in Foro, *Act.* 17. 17.) Chriſtum prædicandi. Nec minus *licuiſſe* puto *Judæis Chriſtianis* (utut Neceſſarium non fuerit) *Conventus eo die celebrare*, quam retinere *Circumciſionem*, ſi ita fuerint perſuaſi. Sed horum utrumvis *Gentilibus imponere* (ut munus neceſſarium) neque tunc credo licuit, & nunc multo minus. Quippe aliud foret *Judæis Indultum*, aliud *Gentilibus Injunctum*, Sabbatum Judæorum.

CAP. XXII.

Eccleſia Judaica, non cenſenda, tota Dei Eccleſia viſibilis. Circumciſio & Sabbatum Judaicum, Characteres diſtinctivi, non totius Eccleſiæ Viſibilis, ſed Eccleſiæ Judaicæ, ut ab aliis Gentibus contradiſtinctæ. Per generationes veſtras, *ſunt verba minuentia. Parum candide de reliquis Chriſtianis cenſet hic Scriptor.*

PER *Gentiles* non hic intelligo *Proſelytos Circumciſos*, (qui quamvis fuerint *natu Gentiles* & non de *Semine Abrahami* ; erant tamen quaſi *Judæi Adoptatitii*, ut membra Judaicæ Eccleſiæ, poterantque *Paſcha comedere* Exod. 12. 48. non minus quam *natu Judæi* :) Sed eos volo *Gentiles Chriſtianos, non circumciſos* ; de quibus quæſtio erat, *an circumcidi debeant, legemque Moſaicam obſervare*, Act. 15. 1, 5, 24. Gal. 5. 1, 2, 3. Erant enim *ex Judæis aliqui* (vel Judaizantibus Chriſtianis) *qui docebant Fratres, quod niſi circumciderentur ritu Moſis, non poſſent ſervari.* Quaſi ita fuerit *Salus ex Judæis*, ut, niſi intra ſeptum Eccleſiæ Judaicæ admitterentur, non foret ulla ſpes ſalutis per *Meſſiam*.

Atque huic quadantenus congruere videtur, quod habet ille *Inquiſ.* p. 79. quod *Iſraelitæ in Ægypto* fuerint *Eccleſia Chriſti*, & quidem *Tota totius mundi Eccleſia Chriſti viſibilis.* Eos ego potius dixiſſem fuiſſe *Eccleſiam Dei*, quam *Eccleſiam Chriſti*, aut *Chriſtianam Eccleſiam*, quam ego *Eccleſiæ Judaicæ* contradiſtinctam puto.

Sed neque eos eſſe dixiſſem *Totam Eccleſiam.* Quod fuerint illi, Eccleſiæ Dei *pars eximia*, & præ cæteris *Inſignis* ; propter Promiſſum *Abrahamo ejuſque Semini* factum ; cujus ſignum erat *Circumciſio* ; conceſſeram Ego *Diſc.* p. 60. (Quod ipſi non ſatisfacit, *Repl.* p. 52.) Quod autem ipſi fuerint *Tota* viſibilis Eccleſia Dei, haud conceſſerim. Ego quidem *Melchizedecum* (*Sacerdotem Dei Altiſſimi*,) quicunque fuerit is, *ejuſque populum*, putaverim, *partem* aliquam fuiſſe *viſibilis Eccleſiæ* ; quamvis non *ex ſemine Abrahæ*, nec (quod ſciam) *Circumciſi*, aut ad Circumciſionem obligati. Item *Lotum* (*juſtum Lot*, quamvis non Circumciſum, quod ſciam, nec ad Circumciſionem obligatum, nec membrum Eccleſiæ Judaicæ,) *ejuſque Familiam*, & *Poſteros*, (quamdiu cultum veri Dei retinuerint) Item *Abrahami Cognatos*, (*Ure* & *Harane*,) quamvis in Abrahami familiam non aſſcitos, veri Dei cultum plane rejeciſſe, non exiſtimo ; (utut forte fuerint alias culpabiles.) Totamque *Abrahami progeniem per Keturam* ; ex quibus non dubium eſt quin multi, longo tempore, retinuerint cultum veri Dei. Qui quamvis fuerint *ex Poſteris Abrahæ*, nulla pars erant *Eccleſiæ in Ægypto*, quam contendit hic Scriptor (*Inquiſ.* p. 79. & *Repl.* p. 52.) *totam* eſſe viſibilem Eccleſiam. Idem dixerim de *Jethrone* (*Principe Midiani*,) de quo multa narrantur *Exod.* 2. & *Exod.* 18. quem Virum pium fuiſſe, verique Dei cultorem, inde liquet : Sed *Midianitæ* (pariter ac *Moabitæ*, *Ammonitæ*, *Amalekitæ*, aliique,) contradiſtingui ſolent *Iſraelitis ex Ægypto eductis.* Nec dubium eſt quin ex *Jethronis* populo multi, pariter ac ipſe, Veri Dei cultores fuerint, & pars *viſibilis Eccleſiæ Dei.* Nec video quin *Aner*, *Eſhcol*, & *Mamre* (*Abrahami* ſocii confœderati *Gen.* 14. 13, 14.) tales fuerint, quamvis (ut ille) in *Chananæa* vixerint. De *Jobo* res certa eſt, ejuſque *Tribus Amicis* (qui fuiſſe

videntur Viri Principes, ſeu Magnates, ſuique plures habuiſſe Aſſeclas,) quartoque *Elihu*; quos fuiſſe Viros Pios, verique Dei cultores, ex tota conſtat *Jobi* hiſtoria: Qui itaque [illegible] ſuis) cenſendi ſunt *pars Eccleſiæ viſibilis*; ſed nulla pars *Eccleſiæ Iſraeliticæ* in [illegible] (quamvis eis contemporanei fuerint :) Neque de his dici poteſt, quod Deus *eos edux[it e] terra Ægypti & domo ſervitutis*, (quod de *tota Eccleſia Chriſti viſibili, omnium* [illegible] *rum*, intelligendum contendit hic Scriptor.) Nec video quin *Balaamus* ipſe (utut malus, ut erat *Cainus*,) cenſeri poſſit ut veri Dei Cultor. Et *Kenitæ* pariter, (de quorum cum *Iſraelitis* amicitia fit mentio, *Jud.* 4. 11, 17.) Et *Vidua Sareptana* (Sidonia) 1 *R[eg.]* 17. Et *Naaman* (Syrus) 2 *Reg.* 5. 15, 17. qui profitetur, *nullum alium in terris D[e]um eſſe, quam Deum Iſraelis*; ſeque deinceps *non ulli Deo oblaturum holocauſta aut ſac[rifici]a, quam Domino Jehovæ.* Nec dubitandum video, quin multi ex illis qui dicebantur *[Proſelyti] portæ*, (quamvis non fuerint *Proſelyti fœderis*,) fuerint *viri boni, verique Dei c[ultor]es*, & *Viſibilis Eccleſiæ membra*, quamvis non *Eccleſiæ Judaicæ*. Talem exiſtimo *Centurionem* illum *Luc.* 7. qui quamvis *gentem eorum diligebat*, eiſque *ædificaverat ſynagogam* [ver]. 5; quod tamen non fuerit ex *Judæorum Eccleſia*, liquet ex eo Chriſti ſermone ver. 9. *Ne in Iſraele quidem tantam fidem inveni.* Idem de *Cornelio* dicendum *Act.* 10. ut qui erat *Vir pius, ac timens Deum, cum tota domo ſua*, ver. 2. (& nominatim *duobus* [e]x *famulis ſuis, & pio milite, ex eis qui ipſi aſſidue intendebant*, ver. 7. quos miſit accerſitum [Petr]um;) *multiſque cognatis & amicis ſuis*, ver. 24, 33, 44, 46. *Vir juſtus, timens Deum, &* (quamvis non Judæus) *ornatus teſtimonio totius gentis Judæorum*, ver 22. *Cujus exauditæ ſunt preces, ejuſque Eleemoſynæ in memoriam venerunt in conſpectu Dei*, ver. 4, 31. Qui itaque (antequam ex prædicatione *Petri* factus eſt Chriſtianus) erat ex *Eccleſ[iæ] Dei* [illegible] unus (ut erant illi alteri cum ipſo ;) Non tamen *Judæus*, aut in communione *Ecc[leſ]iæ Judaicæ*; ſed *alienigena, ad quem putabatur non licere homini Judæo propius ſe adjun[gere] aut accedere*, ver. 28. Adeoque *Eccleſia Judaica* non erat *tota Dei viſibilis Eccle[ſia]*. Quod agnoſcit ipſe *Petrus* ver. 34, 35. *Vere deprehendo Deum non reſpicere ad perſonam: ſed, in quavis gente, acceptum ei eſſe quemvis qui eum timeat & operetur juſtitia*[m] [illegible] que contemptum habuerint Judæi gentes alias.) Neque hæc res nova erat, [illegible] hoc ex *Deut.* 10. 17, 18, 19. aliiſque locis Veteris Teſtamenti, ubi perhibetur Deus non eſſe *perſonarum reſpector*. Adeoque *Petrus*, ver. 47, 48. eoſdem baptiſmate admittit in *Eccleſiam Chri[sti]anam*, non ab ipſis exigens ut prius *Judæi* fierent, aut in *Judaicam Eccleſiam* admiſſi. Nec video quod id à *Naamane* exigerat *Eliſha*, ſed (abſque eo) *cum pace dimiſit* 2 Reg. 5. 19.

Non nego quin magnam præ aliis habuerint *Judæi præeminentiam*, Rom. 3. 1, 2. atque *in hoc præſertim, quod eis Concredita ſunt eloquia Dei*: unde majorem habuerunt oppo[rtu]nitatem cognoſcendi ipſius voluntatem. Sed *Regula Salutis* eadem erat utriſque; qu[o]d a[r]guit ibidem *Paulus*, ver. 22, &c. nempe, *Juſtitiam Dei, per fidem Jeſu Chriſti, in omnes & ſuper omnes eſſe, qui credunt*, (ſive Judæi ſint ſive Gentiles,) *non enim eſt diſtinctio*. Et *Rom.* 4. 9, 10, 11, 12, 13. arguit fuſe, *Beatitudinem hanc cadere, non in Circumciſionem* [illegible] *lam* (ſeu Eccleſiam Judaicam ;) *ſed in Præputium etiam*; *Fidemque Abrahamo i[mputa]tam in Juſtitiam, non quum in Circumciſione fuerit, ſed quum in Præputio*; *ſignumque* [Cir]*cumciſionis accepiſſe illum, ut ſigillum juſtitiæ fidei, quam in præputeo adhuc exiſtens* [habue]*rat*; *ut eſſet Pater omnium credentium, quamvis non fuerint Circumciſi, ut* [illegible] *imputetur juſtitia*; aliaque in hunc ſenſum multa.

Atque huic aſſenſurum ſperaverim hunc Scriptorem; qui ſic arguit *Inquiſ.* p. [illegible] *A[nte] d[a]tam legem Moralem, una lex erat Judæis & Gentibus*; *ut recte dicamus*, [illegible] *tia aut Tunc erat, aut Nunc eſt, inter Eos atque Nos? Illi qui tunc, ſive ex Judæis* [illegible] *Gentibus, vixerint & mortui ſint impœnitentes, ſalutem per Meſſiam non ſunt* [illegible] *Illi vero qui tunc, ſive ex Judæis ſive ex Gentibus, ſe Domino adjunxerint*, [illegible] *habuerunt vitam æternam.* Quod ſi ſit, non video quin pars ſint *Eccleſiæ* [illegible]. Verum quidem eſt, quod *Eccleſiæ Judaicæ* non fuerint membra; non autem, quod non fuerint membra *Eccleſiæ Dei*; quam ego latiorem exiſtimo quam Eccleſiam Judaicam.

Adeoque non cenſenda eſt ad *Eccleſiam Judaicam*, aut *ſemen Abrahami* ſic reſtricta ſalus; quin ſit omnium *Fidelium* Communis, (*qui Deum timent, & operantur Juſtitiam*,) cujuſcunque Gentis. Qui itaque cenſendi ſunt pars *Viſibilis Eccleſiæ Dei*, quamvis non *Eccleſiæ Judaicæ*. Adeoque *Iſraelitæ tunc in Ægypto*, non cenſendi ſunt *tota* [Dei] *viſibilis Eccleſia*, quod ille contendit *Inquiſ.* p. 79. & *Repl.* p. 52 Et quidem ſi verba [illegible] citata *qui ſe adjunxerint Domino*, intellecta velit *qui ſe adjunxerint Eccleſiæ* [Judaic]*æ*, (quaſi non ſit aliis ſperanda ſalus, quamvis Deum timentibus ejque inſervientibus) o[mni]no coincidit cum illa *Judaizantium* Chriſtianorum doctrina (*Act.* 15. 1. *Gal.* 5. 1.) [qui] *fratres docebant, quod niſi eſſent circumciſi ritu Moſis, non eſſent ſalvandi*; hoc eſt, Eccleſiæ Judaicæ fuerint inſerti.

Ego igitur in ea etiamnum ſum ſententia (quicquid ille contra ſenſerit) quod ea, quæ Judæis dicit Deus de *Circumciſione*, & de *Sabbato Judaico* (die ſeptimo à deſcenſu Mannæ) ut *Signo* ſeu *Fœdere* inter ſe & illos; intelligenda ſunt de *nota diſtinctiva*, Judæis datâ, non,

ut *Toti Eccleſiæ*; ſed, *ut Dei populo Peculiari, ut aliis Gentibus contradiſtincto.* Et quidem de Utroque pariter.

De *Circumciſione* ſic alloquitur Deus *Abrahamum*, Gen. 17. 7. *Stabilio fœdus meum inter Me, & inter te & ſemen tuum poſt te, per Ætates ſuas, in fœdus perpetuum; me eſſe tibi in Deum & ſemini tuo poſt te,* (non, quod ille vult, *Repl.* p. 52. *cum omnibus vere fidelibus, omnium gentium, per omnes ætates, à principio mundi ad finem ejus, quo diſtinguantur ab inobedientibus legi Dei.*) Et (ver. 10, 11.) *hoc eſt fœdus meum inter Me, & inter vos & ſemen tuum poſt te, quod ſervabitis,* (num hoc intelligendum eſt *de Gentibus omnibus, ad finem uſque Mundi?*) nempe, *ut Circumcidatur vobis omnis mas: Circumcidite igitur carnem præputii veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter Me & inter vos,* (hoc eſt, *vos ſemen Abrahami*; quippe nulli alii erant circumcidendi, niſi eum illis incorporati.) Et ver. 13. *ſic erit fœdus meum in carne veſtra in fœdus perpetuum*: Non, quod Circumciſio foret in perpetuum continuanda; ſed, *per ætates veſtras*; hoc eſt, pro rebus ſic ſtantibus; manente ſcilicet hoc ſtatu diſcriminis inter Judæos & reliquas gentes.

Et pariter de *Sabbato Judaico*, Exod. 31. 13. *Sabbata mea ſervatote; nam ſignum eſt inter me & inter vos* (hoc eſt, vos filios Iſraelis, quos hic alloquitur,) *per Generationes veſtras.* Et *ver.* 16. *Obſervanto igitur filii Iſraelis Sabbatum ipſum, celebrando Sabbatum, per Generationes ſuas, fœdere perpetuo.* Et *ver.* 17. *Signum eſt, inter Me & Filios Iſraelis in perpetuum.* Ubi diſerte dicitur, quinam ſint illi *Vos* quos alloquitur.

Item *Ezek.* 20. 3, 5, 6, 10, 11, 13, 16, 18, 19, 20. *Fili hominis, alloquere ſeniores Iſraelis,—Quo die elegi Iſraelem, Sublata manu mea domui ſeminis Jaacobi, notumque feci me ipſis in terra Ægypti,—me deducturum illos è terra Ægypti;—Eduxi ipſos è terra Ægypti, & abduxi ipſos in deſertum; ubi* (in deſerto) *dedi ipſis ſtatuta mea, & jura mea nota feci ipſis,—ac etiam Sabbata mea dedi Ipſis, ut eſſent Signo inter me & ipſos,* (quinam ſunt hi *Ipſi*, niſi quos eduxit ex Ægypto?) *Sed rebellarunt contra me domus Iſraelis in ipſo deſerto.* (Num hi ſunt *omnes vere fideles ab initio mundi ad mundi finem?*) *—& Sabbata mea prophanarunt.—Edixi filiis illorum in Deſerto,—In ſtatutis meis ambulate, & jura mea obſervate,—& Sabbata mea ſanctificate, ut ſint ſigno inter Me & vos,* &c. Quinam poſſunt hi eſſe alii, quam Iſraelitæ ut ab aliis Gentibus contradiſtincti?

Cum tamen ille nobis hinc dixerat, (*Inquiſ.* p. 26.) & ſpeciatim ab *Exod.* 31. 13, 14, 15, 16, 17. quod *vocatur Signum perpetuum inter Deum & populum ſuum, quo diſtinguatur populus ejus ab aliis*; male habet eum (*Repl.* p. 52.) quod ego hæc intellexerim (*Diſc.* p. 60.) *de populo Iſraelis* dicta. Cum tamen in loco quem ipſe citat (*Exod.* 31. 17.) diſerte dicatur, *Signum eſt inter Me & Filios Iſraelis.* Ego igitur (quicquid ille ſenſerit) non dubito quin intelligenda ſint (prout dicitur) *de populo Iſraelis*: ſicut illud *Exod.* 11. 7. *Ut cognoſcatis, quantum diſcrimen ponat Jehova, inter Ægyptios & Iſraelitas.*

Atque hic loci opportunum judico, notare ſolennem illam clauſulam *per ætates veſtras,* aut *generationes veſtras*; quæ paſſim occurrit tum de *Circumciſione*, tum *de Sabbato Judaico*, ſicut de aliis Ritibus Moſaicis.

De *Circumciſione* dicitur Gen. 17. 7. *Stabilio fœdus meum inter Me, & inter te & ſemen tuum poſt te,* [*per ætates ſuas,*] *in fœdus perpetuum; me eſſe tibi in Deum & ſemini tuo poſt te,* (nempe peculiari modo præ cæteris gentibus.) Et ver. 9. *Servabis igitur fœdus meum, tu & ſemen tuum poſt te* [*per ætates ſuas.*] Et ver. 10, 12. *Hoc eſt fœdus meum, —ut circumcidatur omnis mas;—Omnis, inquam, mas circumciditor vobis, natus octo dies,* [*per ætates veſtras.*] Ubi *per ætates veſtras* ſunt verba minuentia. Eſt quidem *fœdus perpetuum*; ſed cum quibus? *Cum ſemine Abrahami*; non cum toto Mundo. Et Quamdiu? *Per ætates veſtras*, vel *Generationes veſtras*; nempe, quamdiu vos manetis *ſeparata Generatio*, à reliquo mundo contradiſtincta; non, quum ea ſeparatio ceſſaverit, ſublato (per Chriſtum) pariete intergerino. Quippe, tunc, ceſſatura erat Circumciſio; non diffitente hoc Scriptore.

Pariter de *Manna*, Exod. 16. 32 *Hoc eſt verbum quod præcepit Jehova, Plena menſura Homer aſſervanda eſt ex eo* [*per ætates veſtras,*] *ut videant panem illum quo vos paſco in hoc deſerto.* Et ver. 33. *Urnam ipſam depone, ante conſpectum Jehovæ aſſervandam,* [*per ætates veſtras.*]

Similiter de *Judæorum Sabbato*, Exod. 13. 31. *Sabbata mea ſervatote, nam ſignum eſt inter Me & inter vos* [*per generationes veſtras.*] Et ver. 16, 17. *Obſervanto igitur filii Iſraelis Sabbatum ipſum, celebrando Sabbatum* [*per generationes ſuas*] *fœdere perpetuo. Inter me & filios Iſraelis, ſignum eſt in perpetuum.* Eſt utique fœdus, cum *filiis Iſraelis* (ut erat Circumciſio cum *Semine Abrahami*) non, cum toto Mundo; & quamdiu manſerint *ſeparata generatio* à reliquis humani generis. Quod de *Sabbato Judaico* intelligendum puto (à primo deſcenſu Mannæ computando;) non, de Sabbato poſt ſucceſſuro in illius locum, cum hoc ceſſaverit. Similiſque occurrit clauſula *Exod.* 40. 15. *Lev.* 3. 17. *Lev.* 6. 18. *Lev.* 7. 36. *Lev.* 10. 9. *Lev.* 17. 7. *Lev.* 21. 13. *Lev.* 22. 3. *Lev.* 23. 21, 43, *Lev.* 24. 3, 8. & alibi paſſim. Item *Fœdus Perpetuum* eodem ſenſu, *Lev.* 6. 22. *Lev.* 7. 34, 36. *Lev.* 10. 15. *Lev.* 16. 29, 31, 34. *Lev.* 24. 8, 9. & alibi.

Ubi autem dicit ille *Repl.* p. 52. quod, *cum ait ipſe hoc Sabbatum* (diei Saturni) *eſſe diſtinctivum Populi Dei ab aliis; hoc voluit, & ubique vult, quod Sabbatum hoc erat, & eſt,*

perpetuum ſignum & fœdus, cum omnibus veris Iſraelitis; *hoc eſt, omnibus fidelibus omnium Gentium, & omnium ſeculorum, à principio mundi ad mundi finem, quo diſtinguantur ab Inobedientibus Legi Dei*: Velim perpendat, quam ſeverus eſt, & parum æquus, univerſo mundo Chriſtianorum, (ſeipſo tantum aliiſque pauculis exceptis,) quos omnes (quia non ipſius obſervant Sabbatum) excludit à *Dei populo, veris Iſraelitis, vere fidelibus*; eoſque annumerat *Inobedientibus legi Dei*; hoc eſt (ut ſe alibi exponit) *Anomis, Impiis*, ſimilique elogio dignis. Quod parum ſapit illius Candoris, quem polliceri videtur (*Inquiſ.* p. 3, 4) *Advocatis diei Primi*; ubi de *Fervoribus* & *Excandeſcentiis* queritur, ut quæ *ſibi maxime diſplicent*, eo quod *ſibi perſuaſum habeat, multos, utriuſque ſententiæ*, (*quæcunque duarum ſit erronea*,) *bona cum conſcientia errare*. Speraverim potius, tanta in nos *Charitate* fuiſſe, ut noſtrum ſaltem *aliquos* putet ad *Dei populum* accenſendos; tantaque *modeſtia*, ut ſuſpicetur fieri poſſe ut ex *ſua* forte parte erratum ſit, potius quam ex parte totius *mundi Chriſtianorum* (pauciſſimis exceptis) qui per tot ſecula Diem Dominicum Religioſe celebraverint. Sed hæc obiter.

CAP. XXIII.

Judæorum Privilegia, nunc ſunt Gentium Communia. Ceſſant ſigna diſcriminativa. Sabbatum Judaicum, foret Gentibus res nova. Non ex eorum numero quæ erant, ut neceſſaria, Gentibus imponenda, Act. 15. & Act. 21. *De die Dominico, aliiſve Inſtitutis Chriſtianis, non illic agitur; ſed de eis quæ erant, ex Lege Moſis, inducenda. Non hæc dicta ſunt contra Sabbatum Quarti Præcepti; ſed Sabbatum Judaicum, à deſcenſu Mannæ. Quod non tam Aboleri cenſendum eſt, quam Expiraſſe. Hoc Apoſtoli non tam Imperant, quam Arguunt.*

QUicquid autem ſenſerint aut prætenderint illi, ſive Judæi, ſive Judaizantes Chriſtiani, quaſi ſalus ita fuerit reſtricta ad Eccleſiam Judaicam (ut Totam & Unicam Dei Eccleſiam) ut extra eam ſperanda non ſit ſalus; adeoque oportuerit Gentiles (ſi ſalutem conſequi deſiderarent) in hanc per *Circumciſionem* incorporari, (eoque *toti Moſaicæ Legi* obnoxios teneri, *Gal.* 5. 3.) Contraria plane erat Apoſtolorum doctrina; Nempe, dirutum jam eſſe ſeptum, & parietem intergerinum; quæque erant antea Judæis peculiaria Privilegia, ut ſibi ſolis circumſepta, jam fiunt Gentium communia, etiam non inſertis Eccleſiæ Judaicæ. Eoſque hortatur Paulus, *In libertate qua nos Chriſtus liberavit perſiſtere, & ne implicentur ſervitutis jugo* (Eccleſiæ Judaicæ,) *Gal.* 5. 1. Quippe quod ante fuerat *Signum* ſeu *Nota Diſcretiva* Judæorum à Gentibus, jam deſierat; ſaltem *quoad Gentes*, utcunque Judæis indulgeri poſſit (ſi nondum ipſis de libertate ſua ſatis conſtiterit) veterem praxin ſuam aliquandiu retinere; ita tamen ut Gentibus non inductum eant, quibus ne ante quidem Lex fuerat. Eademque erat ſententia *Synodi Hieroſolymitanæ*, Act. 15. Et *Jacobi cum fratribus ſuis*, Act. 21. 17.

Quod autem jam ante Gentiles obſervaverint Sabbatum Judaicum, ne quidem dixerit hic Scriptor; (quibus itaque jam foret res nova :) Quippe contendit ipſe (*Repl.* p. 74.) quod *Nationes omnes Solem adorabant die Solis*; adeoque dies Cultus (qualis qualis fuerit,) erat ipſis dies alius.

Et quamvis ipſi non aſſenſerim, quod Solem magis adoraverint Gentiles *Die Solis*, quam alio quovis die; aut quod nomen *Diei Solis* (aut reliquorum dierum hebdomadis) tunc obtinuerit: Omnino tamen ſentio, quod *Sabbatum Judaicum* non obſervaverint. Erat utique hoc *Signum* & *Fœdus perpetuum*, inter *Deum* & *Filios Iſraelis*, *Exod.* 31. 16, 17. (ut peculiari modo Deum *illorum*, in contradiſtinctione ab aliis Gentibus:) Ut erat *Circumciſio*, *Signum* & *Nota fœderis* inter *Deum* & *Semen Abrahami*, Gen. 17. 9, 11. Et quamvis nollet hic intellectum eſſe, de *Deo & filiis Iſraelis*, (licet diſertis verbis id dicatur, *inter Me & Filios Iſraelis*,) ſed *inter Deum ejuſque Populum, omnem, à principio Mundi ad finem*: Attamen, cum contendat hic, *hunc populum* eſſe *totam viſibilem Eccleſiam*; ſi diſtinctivum fuerit (ut ipſe vult) inter *Deum*, & *Populum ſuum*; neceſſe eſt ut concedat, *Gentiles* (qui tunc non erant *Populus*, 1 Pet. 2. 10. ſaltem non *Ejus populus*, Rom. 9. 25, 26.) *non obſervaſſe Sabbatum Judæorum*. Quippe ſi obſervaverint, non poſſet hoc eſſe *Signum*, & *Nota diſcriminis*, (fœderis inter *Deum Populumque ſuum*,) ab aliis Gentibus. Adeoque *Sabbatum Judaicum* foret ipſis *res nova*. Quod & diſerte profitetur ipſe, *Repl.* p. 51. *Quod fuerit Gentibus tunc Novum, concedo*; ſunt ipſa ſui verba.

Jam vero, quantum ad *Res novas*, jam inducendas Gentibus, ex Eccleſia Judaica; concluſum legimus, poſt maturam deliberationem, in Synodo Hieroſolymitana, *Act.* 15. *non imponendum jugum cervici diſcipulorum, qui ſunt ex Gentibus ad Deum converſi*, ver. 10, 19. *Viſum eſt*, inquiunt, *Spiritui Sancto ac nobis, ne quod amplius imponeremus vobis oneris, præter neceſſaria iſta*; *Ut abſtineatis ab iis quæ ſunt immolata ſimulacris, & ſanguine, & ſuffocato, & ſcortatione*; *à quibus ſi vobis caveritis, bene agetis*, ver. 28, 29. Sed de obſervando *Judæorum Sabbato*, (inter hæc neceſſaria,) ne γρῦ quidem. Atque ad eundem ſenſum *Jacobus cum Senioribus, Hieroſolymæ congregatis*, *Act.* 21. 18. Quippe *Paulo* nar-

rant, Quod ſint *aliquot millia Judæorum qui crediderant, ſuntque omnes accenſi zelo Legis; qui de ipſo audierant, ex aliorum ſermonibus, quod defectionem à Moſe doceret omnes qui inter Gentes ſint Judæos; diceretque eos non debere circumcidere filios, neque ſecundum conſuetudines ambulare* (ex quibus *Conſuetudinibus* Sabbatum Judaicum, unam eſſe, ſatis liquet;) ver. 20, 21. Eumque monent (quo præjudicium illud amoliretur, ſeque ab ea Calumnia vindicaret) ut *ſe purificaret*, una cum *quatuor viris aliis qui erant voto obnoxii: quo norint omnes, nihil eſſe eorum quæ de eo fama acceperant, ſed quod ipſe* (Judæus cum ſit) *ita incederet ut obſervet Legem*, ver. 23, 24. *De iis autem qui crediderunt ex Gentibus, nos* (inquiunt) *ſcripſimus, & decrevimus, nequid hujuſmodi obſervent; niſi ut caveant ab iis quæ immolata ſunt ſimulacris, & à ſanguine, & à rebus ſuffocatis, & à ſcortatione*, ver. 25. Cur hæc particulatim recenſentur ut *Neceſſaria* tum temporis, non libet hic fuſius inquirere; quia nollem novam diſputandi materiam (inter me & hunc ſcriptorem) ſuggerere. (Quod tamen ſatis inſinuatum videtur *Act.* 15. 20, 21. ſi cum *Gen.* 9. 5. comparetur; quod erat præceptum antiquius, quam *Circumciſio*, & *lex Moſaica*; & Gentes pariter ac Judæos ſpectare videatur.) Sed nulla hic mentio facta eſt (utrovis loco) de *Sabbato Judaico*, tanquam *Gentibus neceſſario*. Quod certe foret, ſi Gentibus eſſet obſervatu neceſſarium; cum id fuerit ipſis *res nova*, atque ex *Lege Moſis* deſumpta; fueritque *Signum*, ſeu *Nota diſcriminis* Judæis peculiaris; nec ab aliis ullis fuerit obſervatum. Eratque non minoris momenti res (imo longe majoris) quam *abſtinentia à ſanguine & rebus ſuffocatis*; quam forte *nunc* eſſe nobis neceſſariam non putaverit hic Scriptor.

Dicetur forte, Neque mentionem hic factam eſſe de *Die Dominico*. Recte quidem: neque etiam de *Baptiſmo*, aut *Cœna Dominica*, aut *Presbyteris in quaque Eccleſia ordinandis*. Quoniam hæc erant *Inſtituta Chriſtiana*, & nulla pars eorum quæ tunc diſceptabantur. Non enim dubitatum erat, An *Inſtituta Chriſtiana* fuerint *Chriſtianis Gentilibus* obſervanda: ſed, An (ſimul cum hiſce) tenerentur ad obſervandam *Legem Moſaicam*. Hoc utique id eſt de quo tum quærebatur: ut liquet *Act.* 15. 1, 5, 6, 24. *Exorti ſunt quidam* (*è ſecta Phariſæorum*) *qui credebant, dicentes, Oportere ipſos circumcidere, & denunciare ut obſervent legem Moſis: Convenerunt igitur Apoſtoli & Presbyteri ut diſpicerent de Hoc Negotio*, (non de Inſtitutis Chriſtianis.) Ubi, per *legem Moſis*, intelligendum eſt, non tantum ea quæ *de novo* fuerunt à *Moſe* inſtituta, *poſt exitum ex Ægypto*; ſed retroſpiciendum eſſe ad ipſam *Circumciſionem*, (quæ erat *Moſe* antiquior ;) atque ad legem *Noacho* datam, de abſtinendo à *Sanguine*; ſed & (ni fallor) ad legem de *Sacrificiis* offerendis (quæ erat utravis antiquior.) Nam hæc omnia, quatenus erant *Gentilibus Nova*, ad eos devenerunt tanquam *à Moſe*; hoc eſt, *ab Eccleſia Judaica à Moſe conſtituta*, quæ igitur dicitur *Lex Moſis*. Sed ex his omnibus quæ ex *Lege Moſis* fuerant *Gentibus* imponenda, *Sabbatum Judaicum* nulla pars eſt.

Atque hinc, mihi videtur, ſic ſolide arguendum. Non prætendit ille (quantum video) quod Gens ulla præter Judæos (eorumque Proſelytos) Sabbatum Judaicum obſervaverint: quod admittit eſſe *Signum fœderis*, ſi non *inter Deum & Iſraelitas*, ſaltem *inter Deum & Populum ſuum*; quibus non accenſet, credo, nondum converſos Ethnicos; à quibus itaque non obſervatum prætendit Sabbatum Judaicum. Erat quidem tum *Circumciſio*, tum *Sabbatum Judaicum*, Ethnicis *cognita*, & pariter contemptui habita, (*recutitaque Sabbata pallent*,) ſed non ab illis *obſervata*. Adeoque ſi horum vel alterum, vel utrumque, jam fuerit *de novo* Gentibus inducendum, mirum eſt quod non, inter hæc *obſervatu neceſſaria*, numeretur, (pariter ac illud de *abſtinendo à ſanguine & ſuffocatis* ;) Quod cum non ſit; merito concludamus, nec Circumciſionem nec Sabbatum Judaicum illis imponendum iri: &, quamvis tum Hoc, tum Illud, fuerit Judæis aliquandiu *permiſſum*, neutrum tamen à Gentilibus exigendum; Qui, loco Circumciſionis habuerunt *Baptiſma*; &, loco Sabbati Judaici, *Diem Dominicum*; ſicut *Cœnam Dominicam* habuerunt loco Paſchatis Judaici; & *Excellentius Miniſterium* loco Levitici Sacerdotii.

Interim non abolitum contendo *Sabbatum ſimpliciter*, ſeu Quarti Præcepti Sabbatum, (quod retinetur in Die Dominico,) ſed *Sabbatum Judaicum*, à Deſcenſu Mannæ computandum. Quod quidem erat ipſis (*per generationes ſuas*) perpetuo obſervandum, quo ſenſu *Circumciſio* eſt *Fœdus Perpetuum*, Exod. 17. 13. & quo ſenſu *Paſcha* Judaicum erat ipſis & filiis ſuis obſervandum, *pro ſtatuto in perpetuum*, Exod. 12. 24. Jam vero ea omnia, quæ erant *Signa diſtinctiva* populi Judaici ab aliis Gentibus, (ut erant *Circumciſio*, *Judæorum Paſcha*, & *Sabbatum Judaicum*,) expiraſſe credo & deſitura, quum *Chriſtus* (*pax noſtra*) *ſanguine ſuo, ex Judæis & Gentibus Unum fecerat, ſoluto intergerini parietis ſepto; abolitis per carnem ſuam inimicitiis*, (*per legem mandatorum rituumve ortis* ;) *factoque, ex utriſque, uno novo homine*; Eph. 2. 14, 15.

Ubi vero toties oggerit hic Scriptor, quod Nullum extat in N. T. *Expreſſum Mandatum, de Abrogando Sabbato Judaico*: Conſiderandum eſt, quod ad hoc non opus eſt nova lege; quippe non tam *Abrogatur* quam *Expirat* Lex ea de *Judaico Sabbato*,(diei Septimi Hebdomadis Judaicæ, à deſcenſu *Mannæ* ſupputandæ.)

Nam, quæ ab initio præcipiuntur in ordine ad *Finem peculiarem*, atque ad certum

Tempus uſque; ea, quum Finem ſunt adepta ſuum, ſtatumque Tempus advenerit, *expirant* (ex natura ſua) abſque *nova Lege* revocativa; ut quæ ſint nullius deinceps uſûs.

Hinc eſt, quod *Sacrificia*, omneſque Ritus & Cæremoniæ, quæ erant Præſignificativa Chriſti tunc venturi; ea, cum ipſe venerit, ceſſatura erant (ex natura ſua;) eo quod non *Venturus* nunc ſit, ſed jam *Exhibitus*. Quod diſerte affirmat hic Scriptor *Inquiſ.* p. 34. *Quæ, ipſa natura ſua, ceſſarunt, quum Chriſtus (Anti-typus) fuerit pro populo ſuo ſacrificatus.*

Pariterque, quæ erant *Signa Diſcriminativa*, ſive *Poſterorum Abrahæ* (ut erat *Circumciſio*) ſive *Gentis Judaicæ* ab aliis Gentibus (ut erat *Sabbatum Judaicum* à Deſcenſu Mannæ ſupputandum;) ceſſare debent quum ea ceſſat Diſcriminatio, (non tam ut *Revocata* quam ut *Expirantia*;) quum ſublato *Septo intergerini parietis*, facti ſunt (Judæi ſimul & Gentes) in *unum novum hominem*; in *unum Ovile*, ut eſt *Paſtor unicus*; & *benedictio Abrahæ* etiam *Gentibus ſupervenit*.

Item, *Exercitia Pædagogica*, quibus Deo viſum eſt exercere Eccleſiam Judaicam, quaſi tunc minorennem, *Pædagogis & Tutoribus ſubjectam*, (ut erant *Mundorum & Immundorum* diſcrimina; variique Ritus, ut *Ne Tangite*, *Ne Guſtate*, *Ne Tractate*, &c.) ceſſatura erant (ſuapte natura,) quum *plenitudo temporis à Patre conſtituti* adveniret, erantque illi (ut jam facti Majorennes) ab eo *Pædagogio Liberati*: Quod fuſe arguit *Apoſtolus* ad *Galatas* & *Coloſſenſes*.

Adeoque, ſi Apoſtolorum methodum bene attendamus, videbimus eos non tam *Præcipientes* quam *Arguentes* (abolitionem Circumciſionis & cæterorum *Rituum*:) non tam pro Imperio *Mandantes* (quaſi Poteſtate ipſis à Chriſto facta Legem Divinam Abrogandi;) ſed *Arguentes* (ex natura rei) *Umbras* evaneſcere, quum advenerit *Corpus*; & *Signa diſcriminativa*, quum facta ſit *Coalitio*: eaque *Elementa Pædagogica*, quum facti ſunt *Majorennes*; & *Sacerdotium Leviticum*, quum advenerit *magis Spirituale Miniſterium*. *Gal.* 4. *Col.* 2. Atque ad hunc ſenſum arguit Apoſtolus *Heb.* 8 ex *Jer.* 31. *Ecce dies venient, dicit Dominus, quum pangam cum domo Iſraelis & cum domo Judæ fœdus novum, non ſecundum fœdus quod feci cum Patribus ipſorum, quo die prehendi manum ipſorum ut educerem eos ex Ægypto,—Nam hoc eſt fœdus quod paciſcar, —Inſundam leges meas menti eorum, & cordi eorum inſcribam*, &c. Unde arguit Apoſtolus *Antiquatam* eſſe ſeu *Expiraſſe* legem illam; *Dum Novum dicit, Antiquavit prius; quodque Antiquatur & Seneſcit, prope eſt ut Evaneſcat.*

Atque ex his principiis arguit Apoſtolus contra *Circumciſionem*, Col. 2. 11. & contra *Sabbatum Judaicum*, ver. 16. Non legem *Abrogans* ipſe, ſed *Expiraſſe* probans. Quod ſi cui minus valere videantur ejus *Argumenta*; non pro Authoritate *Imperat*, ſed indulget (Judæis) horum obſervantiam (ſed ut rerum nunc inutilium) donec ipſis aliter perſuaſum foret. Quippe (quod notat hic ſcriptor *Inquiſ.* p. 80.) *Paulus, in hiſce Primitivis temporibus, quum in recenti adhuc memoria fuerit Lex Cæremonialis, & Evangelium tum nuper prædicatum, difficulter perſuaſerit, Judæis tum converſis, Circumciſionem dimittere, aliaque Cæremonialia*; (adeoque & *Judaicum Sabbatum*.) Hæc igitur gradatim facienda erant; non omnia (una vice) vi Divellenda. Atque hinc eſt, quod ſenſerit *Judæis* id *indulgendum*, quod non erat *Gentibus inducendum*.

Atque hinc ſatis conſtare puto, Sabbatum Judaicum, non eſſe ex eorum numero quæ erant Gentibus imponenda. Proxime perpendenda ſunt ea loca, quibus, plane *Abolitum* fuiſſe, videtur declaratum; ſeu *Expiraſſe*.

CAP. XXIV.

Arguitur ex Rom. 14. *De Judaico Sabbato ſpeciatim intelligendum. Alia Feſta (non extra Terram Sanctam celebranda) non fuerent Romæ controverſa. Non intelligendum de Solis cultu die Solis. Sabbati Judaici qualis obſervatio poſt Chriſti mortem.*

CONſonum huic (de Judæis indulto quod non erat Gentibus imponendum) eſt illud *Rom.* 14. S. *Pauli* ad Romanos ad Chriſtianiſmum converſos; partim ex Judæis (ut videtur) partim ex Gentibus. Inter quos ortæ fuerant Controverſiæ; quas ille ſopitas vellet, tanquam de rebus ſummam Religionis parum ſpectantibus. *Eum*, inquit, *qui fide eſt infirmus, aſſumite, non ad certamina diſceptationum*, ver. 1. Quippe Judæorum aliqui, quibus olim data fuerat Lex Moſaica, putarunt ea ſe adhuc obſtrictos teneri: Alii vero, (ſive ex Judæis, qui Legem illam jam antiquatam ſenſerint; ſive ex Gentibus, quibus ea data non fuerat,) ſe ea lege ſolutos putarunt.

Duo ſpeciatim hic memorantur, de quibus diſceptatum erat; Alterum, de differentia *Ciborum*; Alterum, de differentia *Dierum*.

Judæi qui nondum perſuaſi erant de Libertate Chriſtiana, ſcrupulo tenebantur Conſcientiæ de *edendis* rebus quæ lege Moſaica reputabantur *immundæ*: Gentiles autem (quibus

non

non data erat ea Lex,) & ex Judæis alii (qui legem illam putarent antiquatam,) de hoc non erant ſolliciti. *Alius quidem credit veſci licere quibuſvis*; *Alius autem* (*infirmus*) *edit olera*, ver. 2. Erat quidem *Infirmitas* in ipſo *Judæo* ſic ſentire; *Permiſſum* tamen erat, ſed non *Imponendum*. Suo ſenſu gaudere permittitur utriſque, ſed abſque aliorum præjudicio. *Qui edit, non pro nihilo habeat non-edentem*, (eum vilifaciens quod libertatem ſuam non intellexerit;) *& qui non edit, edentem non condemnet*, (quaſi Legis violatorem) ver. 3. *Non enim eſt regnum Dei, eſca & potus*, ver. 17. *Et, Tu, quis es qui judicas alienum famulum? proprio Domino ſtat aut cadit*, ver. 4. *Quæ ad pacem faciunt, ſectemur, & quæ ad mutuam ædificationem*, ver. 19.

Et pariter de differentia *Dierum*; *Alius quidem æſtimat diem præ die*, (quod potiſſimum intelligendum puto de *Judæorum Sabbato*, licet non de hoc ſolo;) *Alius autem peræque æſtimat quemvis diem*; *Unuſquiſque in animo ſuo plene perſuaſus eſto*. ver. 5. ſuoque ſenſu gaudeat, in his mediæ naturæ rebus. *Qui curat diem, Domino curat*; *& qui non-curat diem, Domino non-curat*: *Qui edit, Domino edit, gratias enim agit Dei*; *& qui non-edit, Domino non edit, & gratias agit Deo*, ver. 6. ubi manifeſtus ſit parallelîſmus, inter obſervationem aut non-obſervationem *Diei*, de quo diſceptabatur; atque abſtinentiam aut non-abſtinentiam à *Cibis*, de quibus quæſtio erat; nimirum eis ante vetiti erant, ſed nunc liciti; quamvis de hoc nondum omnibus conſtabat.

Cur autem hoc de *Judaico Sabbato* potiſſimum intelligendum putem, cauſa eſt manifeſta. Quod hebdomadis *dies primus*, ſeu *poſtridie Sabbati Judaici*, ſeu *Dies Dominicus*, obſervaretur ut *Sabbatum Chriſtianum*; mihi videtur extra dubium (per ea quæ ſupra dicta ſunt:) An autem, ſimul cum *Die Dominico*, obſervandum item ſit *Judæorum Sabbatum*, res erat controverſa. Quippe illi omnes qui, ſimul cum *Baptiſmo*, continuandam putarunt *Circumciſionem*, reliquoſque *Ritus Moſaicos*; non dubium eſt, quin continuandum etiam putaverint *Judæorum Sabbatum*. Quibus (modo Judæi ſint) non tantum *Circumciſionem* indulget Paulus; ſed & *Diei tunc controverſi* obſervationem: ſed neutrum horum *Gentibus imponendum* ut neceſſarium.

Erant quidem alia plurima, tum Feſta, tum Jejunia, Judæorum ſolennia, pridem obſervanda; quæ nunc antiquanda erant, ſed aliquandiu Judæis indulgenda; de quibus omnibus ſive obſervandis ſive non-obſervandis (prout cujuſque fert conſcientia) hanc indifferentiam ſuadet Apoſtolus. (Quæ itaque non hic excluſerim.) Sed de Sabbato Judaico potiſſimum intelligendum puto; Quoniam manifeſtum eſt, hic controverſum eſſe de *Die* quodam *Romæ* obſervando. Jam vero de Feſto *Paſchatis*, *Pentecoſtes*, *Tabernaculorum*, (& ſiqua ſint ejuſmodi,) *Romæ* obſervandis, non ulla erat oriunda quæſtio. Quippe hæc ne Judæis ipſis celebranda erant *extra terram Sanctam*. Et quidem diſerte proviſum eſt *Deut.* 16. non ubivis promiſcue celebranda eſſe, ſed ſtato loco; *Non intra aliquam è Portis tuis quas Jehova Deus tuus dat tibi*: *ſed ad locum illum quem elegerit Jehova Deus tuus ad collocandum nomen ſuum*. Sic de Feſto *Paſchatis*, ver. 5, 6. De feſto *Pentecoſtes*, ver. 9, 11. De Feſto *Tabernaculorum*, ver. 13, 15. De ſimul *omnibus*, ver. 16. Adeoque non extra Terram ſuam. Non negem interim, quin in privatis ædibus poſſent *agnum Paſchalem edere*. (quod fecit Chriſtus cum Diſcipulis ſuis:) Sed *Sacrificium Paſchatis* non alibi faciendum erat quam in Templo; ubique celebrandum erat Paſchatis *Feſtum*. Sed *Circumciſio*, delectus *Ciborum*, & hebdomadale *Sabbatum*, erant ubique terrarum obſervanda. Neque comparet dies alius qui poſſet *Romæ* controverti, quam *Sabbatum Judaicum*; adeoque non dubitem, quin de illo (ſimul cum die Dominico) obſervando, intelligendus ſit hic Dies *Romæ* controverſus. De hoc igitur eſt intelligendus *Paulus*, dicendo *Qui curat diem, Domino curat*; *& qui non-curat diem, Domino non-curat*.

Ubi autem ſuggerit hic Scriptor, *Repl.* p. 43, 45. *hoc, ſi intelligatur de Hebdomadali reditu, intelligendum eſſe de Solis cultu in die Solis*: Præterquam, inquam, quod hoc ſit ſui cerebri figmentum, (quod Gens ulla, præter Judæos, Septimanas obſervaverint, unumque in quaque Hebdomade Diem Soli conſecraverint, *Diem Solis* dictum: cujus nec vola nec veſtigium extat in veteri Hiſtoria, ante Chriſtianiſmum introductum.) Certe non dixerit *Paulus*, (de tali die dicato Soli,) *qui ſic curat diem, Domino curat*. Nec talis concedenda erat *Permiſſio* (colendi Solem die *Solis*,) qualem hic concedit *Paulus* diei de quo agitur: atque hoc abſque aliorum cenſura. Qui alibi prohibet *eſum Idolothytorum*, ſeu rerum ſimulacris immolatarum, poſſet permittere *cultum Solis in die Solis* abſque *aliorum cenſura*. Neceſſe eſt igitur, ut *dies* hic controverſus ſit talis dies, qui *permitti* poſſit abſque reprehenſione; &, de quo *Romæ* obſervando, ſit *prætextus ſatis ſpecioſus*, etiam *Chriſtianis* (modo fuerint Judæi;) & qui erat *extra terram ſuam* obſervandus. Quem itaque jure putemus diem *Sabbati Judaici*; qui poterat tunc temporis à Judæis licite celebrari, ſed non erat *Gentibus* imponendus.

Atque hinc reſponſum eſto eis omnibus quæ paſſim habet ille de *Paulo* (aliiſve) in *Templo*, & *Synagoga*, prædicante Chriſtum, die *Sabbati*. Quippe hoc non minus ei licuit eo die, & eo [illegible], quam aliis ſive locis ſive diebus, potius quam datam anſam negligeret concurſus popularis: Quod & alibi fecit, & aliis diebus, prout ſe ferebat occaſio.

Quumque

Quumque non tantum die *Sabbati*, ſed & in *Templo* ſolebat Prædicare *Paulus*, (exterique Apoſtoli;) quidni pariter inde arguat hic Scriptor, venerationem *Templi* continuandam, ac Judaici *Sabbati*? Nam illud *Sanctificate Sabbata mea, & Sanctuarium meum Veneremini*, (Levit. 19. 30 & Levit. 26. 2.) utrumque pariter afficit.

Ut nihil hinc concludi poſſit de Judaici Sabbati obſervatione neceſſaria. Offic[ia] pietatis quæ Chriſtianis erant cum Judæis communia, exercebant illi junctim cum Judæis, quocunque loco, quocunque tempore, pro occaſione data, (in templo, in Synagoga, & alibi, Judæorum Sabbato aliove die:) Quæ erant Chriſtianis propria, ſeparatim exercebant, *κατ' οἶκον*, ſeparatis ædibus. Neque tam *obſervabant Judæorum Sabbatum*, quam *Occaſionem captabant publici conventus* (pro Evangelio prædicando) quocunque die. Notatque hic Scriptor (quod alibi moneo) *voluiſſe Paulum Feſto* (Paſchatis) *intereſſe, quamvis ad id nulla religione teneretur*. Inquiſ. p. 122, 123.

Urget hic Scriptor, *Inquiſ.* p. 38. quod *ſolebat ipſe Chriſtus* Sabbatum Judaicum *obſervare*. Quod omnino verum eſſe judico. Sed & *Circumciſus* erat: totamque (quantum ſcimus) *legem Moſaicam* obſervavit, (nec tamen inde concludit hic Scriptor, hæc nobis omnia obſervanda eſſe:) Verum hæc fecit Chriſtus *antequam Mortuus eſt & Reſurrexit*. Nihil horum ab eo factum legimus *poſtquam Reſurrexit*. Sed contra, omiſſo quod interceſſit Sabbato Judaico, hebdomadis *diem Primum* ſemel & iterum celebravit.

Sed &, (inquit *ibid.* p. 40.) *Chriſtus* (poſt mortem) *requievit, in ſepulchro, die Septimo.* Eſto & hoc (ſi hoc ſit Sabbatum celebrare;) Sed nondum *Reſurrexerat* (unde nos or[di]mur Sabbatum Chriſtianum;) & ſimul cum eo ſepultum credimus Sabbatum Judaicum. Quippe hic erat dies Ultimus Sabbati Judaici (quo expiravit,) & Poſtridie (Reſurgente Ch[ri]ſto) dies Primus Sabbati Chriſtiani.

Sed & (inquit, *p.* 41.) eodem die ſeptimo, Requieverant ſanctæ Mulieres *ſecundum præceptum*, Luc. 23. 56. Recte quidem; Quia nondum *Reſurrexerat Chriſtus*.

Sed & (quod ad rem præſentem propius accedit) notat, *Inquiſ.* p. 44. quod *Poſt Chriſti* Reſurrectionem, Paulus & Barnabas, aliique ex ſuis, Sabbato Judaico, convenerunt in Synagoga Judæorum, ſemel atque iterum, ibique Paulus Chriſtum prædicavit, Act. 13. 14, 44. Quod factum non negamus. Neque negamus *ſolitum eſſe Paulum, etiam alibi* (ut Act. 17. 2.) *in Synagogis Judæorum Prædicare die Sabbati*. Nempe (ut modo dictum eſt) hanc captans occaſionem (eo loci & tunc temporis) Judæos alloquendi: (quod non minus tunc & ibidem licuit, quam alibi & diebus aliis:) Saltem quamdiu ſpes erat proficiendi apud ipſos. Sed poſtquam eos obduratos ſenſit, & obſtinate repugnantes; abſtinuit inde, & ſeparatim alibi alios docuit, *Act.* 19. 8, 9. Nec ex eo tempore reperimus illum, vel Sabbato Judaico, vel in Synagoga Judæorum, prædicantem aut diſſerentem: & quidem ſiquis noſtrum, n[oſtris] dierum, Synagogam aliquam Judæorum ingreſſus, eorum Sabbato, (*Londini* puta aut *Amſtelodami*,) apud eos argueret veritatem Religionis Chriſtianæ, adverſus eorum ſuperſtitiones; non propterea dicendus eſſet, eorum Sabbatum obſervare.

CAP. XXV.

Arguitur ex Gal. 4. Egena Elementa. *Sabbatum Judaicum potiſſimum intenditur. Non, Elementa mundi Ethnici. Nedum dies Dominicus.*

AD eundem fere ſenſum loquitur idem Apoſtolus ad Galatas, ſeu Eccleſias Galaticas, niſi quod ſit hic aliquanto fervidior; ideo forſan quoniam apud eos Judæi ſeu Judaizantes Chriſtiani magis urgebant Legem Moſaicam Gentibus inducendam. Erant utique hi (plerique ſaltem) *Chriſtiani Gentiles*; quibus non indulget Paulus *Circumciſionem*, cæteraque, quæ *Judæis* indulſerat. *Ego Paulus dico Vobis, Si circumcidamini, Chriſtum nihil vobis profuturum*, Gal. 5. 2. (utpote qui quaſi renuntiaverint Chriſto, ſe jugo Legis Moſaicæ addicentes, cui ne olim quidem erant ſubjecti.) *Teſtor enim rurſum omni homini qui circumciditur, eum eſſe debitorem totius legis ſervandæ*, ver. 3. Quos igitur acriter increpat Gal. 1. 6, 7. *Miror vos ita cito, (deſerto eo qui vocavit vos in gratiam Chriſti,) transferri in aliud evangelium: Quod non eſt aliud*, ὃ οὐκ ἔστιν ἄλλο, (non utique eſt aliud aliquod evangelium.) *Sed nonnulli vos turbant, & volunt invertere evangelium Chriſti*. Illi nempe qui hos *novo jugo* ſubjicere ſatagebant, quod Deus non impoſuit. Quos itaque quaſi diris devovet, (aliosque omnes qui contraria docuerint,) ver. 8, 9. *Sed etiamſi nos, aut Angelus è cælo evangelizet præter id quod vobis evangelizavimus, anathema eſto: Ut ante diximus etiam nunc iterum dico, Siquis vobis evangelizaverit præter id quod accepiſtis, anathema eſto.* Et Cap. 5. 12 *Utinam abſcindantur qui vos turbant*, ſeu *inquietant*; qui ſcilicet Legem Moſaicam Gentibus inducere ſatagebant. Erat utique contentus Paulus *Judæis* permittere (quantum ad ſeipſos) ut receptam praxin aliquandiu retinerent; (qui caſus erat Judæorum *Romæ*;) cum vero, non hoc contenti, vellent id Gentibus inducere, hoc nullo

modo

modo patitur. Quamvis enim *Benedictio Abrahæ ad Gentes pervenerit per Jeſum Chriſtum* Gal. 3. 14. non tamen *Signum* illud, ſeu *Nota diſcretiva*, Judæorum à Gentibus; cum in Chriſto nulla jam ſit differentia Judæi à Græco, Circumciſi à non-circumciſo: Quod tribus ſaltem vicibus repetit Apoſtolus in hac Epiſtola non longa, *Gal.* 3. 28. *Gal.* 5. 6. *Gal.* 6. 15. Eſtque totius quaſi ſcopus Epiſtolæ (quod attente legenti manifeſtum eſt) ut Galatas muniret adverſus eos, qui inducere ſatagebant Legem Moſaicam; Qui quidem non id agebant in gratiam Galatarum, (quorum non intererat ut id fieret,) ſed ipſorum impoſtorum gratia; *qui cogunt*, inquit, *vos circumcidi, ut de veſtra carne glorientur*, Gal. 6. 12, 13.

Atque hic quidem ſpeciatim nominatur *Circumciſio*; non quod de hac ſola ageretur; ſed quoniam hæc erat peculiaris Nota diſtinctiva, & *qui circumciderentur, obnoxii forent toti legi*, Gal. 5. 3. Adeoque ſedulo hortatur, ut *in ea perſtent libertate qua Chriſtus nos liberavit*, Gal. 5. 1. nec *circumciſioni*, aut *ciborum delectui*, aliiſve ritibus Moſaicis, utpote *egenis elementis*, ſe manciparent; de quibus fuſe diſputat, capitibus ſecundo, tertio, & quarto; oſtendens, quod ipſi qui his olim ſubjiciebantur, ſint inde jam emancipati; ideoque multo magis liberi qui ne tunc quidem erant ſubjecti.

Quænam autem fuerint hæc *Egena elementa* ... is innuitur, *Cap.* 4. 9, 10, 11. *Cum cognoſcatis* (inquit) *Deum, imo potius cogniti ſitis à Deo, quomodo convertimini ad infirma & egena elementa? Dies*, inquit, *obſervatis, & menſes, & tempora, & annos: Metuo de vobis, ne fruſtra fatigatus ſim apud vos.*

Ad *Romanos*, unius *Diei* mentionem fecerat, ut ibidem controverſi, (quem eſſe puto Sabbatum Judaicum, ut à die Dominico contradiſtinctum,) hic ... *Dierum*; ſed & *menſium, temporum*, & *annorum*, (qualium magnus erat numerus inſtitutorum apud Judæos:) non quod, in *Galatia* (extra terram Sanctam) horum omnium obſervandorum eſſet occaſio; ſed quod eadem erat ratio omnium Temporum Moſaicorum; atque ſi *dies hic* de quo jam dubitabatur, ipſis induceretur; forent & reliquis obnoxii Diebus, Hebdomadis, Menſibus & Annis. Et quidem ſi Sabbatum Judaicum, hoc eſt dies ſeptimus à Deſcenſu Mannæ, ſit horum dierum unus; hic (quamvis non diſerte nominatus) generali compellatione comprehenditur. Non quidem hic nominatim dicitur, quinam ſint illi *Dies* hic inſinuati; ſed hunc præ cæteris potiſſimum intendi merito putemus, utpote cujus obſervandi occaſio forte apud *Galatas*, cum alia ſtata tempora non obſervarentur extra terram Canaanis.

Adhæc objicit hic Scriptor; quod quamvis *Dierum* hic fiat mentio, non tamen *Sabbatorum*; cur autem de Judaico Sabbato intelligatur, jam dictum eſt.

Sed objicit porro, quod *egena elementa mundi*, intelligenda ſint de *Mundo Ethnico*, & *Inſtitutionibus Ethnicis dum pueri fuerant*, & ſpeciatim de *die Solis* quem ille ſomniat *honori Solis* ſaltem dicatum: Quod, inquit, *ipſi videtur veriſimile, & vix dubitandum, unum dierum hic à Paulo inſinuatorum, (& quidem præcipuum,) eſſe Diem Solis, quem obſervarant Ethnici, qui Deum neſciebant, quem obſervandum Paulus prohibet. Repl.* p. 42, 43, 44.

De *die Solis*, quem ille (gratis) ſupponit *Soli* dicatum, jam ante dictum eſt; & poſt dicetur fuſius. Sed, quicquid ſit de *die Solis*; hæc certe *Elementa mundi*, non ſunt Elementa *Ethnica*, ſed *Judaica*, (quod nec ipſe diffitebitur, ſi attente legat;) quibus ante fuerant *ſubjecti* Judæi, ſed nunc ſunt inde *liberi*; ut qui non diutius *Pædagogo* ſubditi ſunt, ut ante fuerant, *Gal* 3. 24, 25. *Lex utique Pædagogus noſter fuit*, (dicit Paulus,) *ad Chriſtum reſpiciens, ut ex Fide juſtificaremur; at poſtquam venit Fides, non amplius ſub Pædagogo ſumus.* Nempe, ut *Hæres, quamdiu Infans eſt* (ſeu Minorennis) *nihil differt à Servo, quamvis ſit Dominus omnium, ſed ſub Tutoribus & Curatoribus eſt, uſque ad tempus quod Pater præfinierit; ita & nos* (Judæi) *quum eſſemus Infantes, ſub Elementis Mundi eramus in ſervitutem redacti* (nempe ſub lege Moſaica;) *at poſtquam venit plenum tempus*, (tempus à Deo præfinitum,) *emiſit Deus filium ſuum, factum ex muliere, factum Legi ſubjectum; ut eos qui erant Legi ſubjecti redimeret, ut Adoptionem reciperemus*; (nempe ut Majorennes facti, & non diutius ut Minorennes ſub Tutorum Pædagogio, parum differentes à Servis;) *Gal.* 4. 2, 3, 4, 5. Numquis autem *Paulum* putaverit, cum *Infans* erat, fuiſſe ſub *Elementis Ethnicis*, ad *colendum Solem in die Solis*? Non quidem, ſed ſub *Elementis Judaicis*. *Erat utique ex ſemine Abrahami, Circumciſus octavo die, ex Gente Iſraelis, ex Tribu Benjaminis, Hebræus ex Hebræis*, (quos fatetur hic Scriptor non eſſe ex eis *qui Deum ignorarunt, ſervientes iis qui natura non ſunt Dii*,) *ad pedes Gamalielis educatus & ſecundum ſtrictiſſimam eorum religionis ſectam vixit Phariſæus, eratque quoad legem inculpabilis.* Et manifeſto diſtinguit *Paulus* inter *Nos* (Judæos) *Egenis mundi Elementis olim ſubjectos, ſed nunc liberos*; & *Vos* (Gentiles Galatas) *Deum ignorantes* olim, ſed nunc *cognoſcentes Deum & ab ipſo cognitos*. Ut nullus ſuperſit prætextus (quod vult hic Scriptor) hanc *Dierum Obſervationem* (quam reprehendit *Paulus*) ad dies *Ethnicos* reſpicere; ſed ad *Dies Judaicos*, & potiſſimum ad *Judaicum Sabbatum*, ut contradiſtinctum *Diei Dominico*.

Verum adhuc cauſatur, quod quamvis (in his ad *Romanos* & ad *Galatas* monitis) ſit

Dierum mentio; non tamen *Sabbatorum*: Adeoque de aliis quibuſdam Diebus intellectum vult, non de *Judaico Sabbato*; ſed Quales ſint *alii dies* (extra Terram Sanctam olim obſervandi) non dicit. Quo igitur ipſi hac etiam ex parte ſatisfacerem, ſimile, ad *Coloſſenſ.* monitum allegaveram, (quod ab aliis item in hanc rem allegari ſolet,) ubi *Sabbati* ſit expreſſa mentio: De quo loco, proxime agendum eſt.

CAP. XXVI.

Arguitur ex Col. 2. *Hic Sabbati ſit diſerta mentio. Philoſophia non Platonica hic intelligitur, ſed Judaica. Philoſophiæ nomen, Doctrinæ Judaicæ tributum. Clementi Alexandrino, dicitur,* Philoſophia Barbarorum, (*Græcis contradiſtinctorum.*) *Sabbatum Judaicum hic intelligitur ut Diei Dominico contradiſtinctum. Hic ſpecioſior vocis ſenſus. Hoc alibi acriter contendit hic Scriptor. Alia feſta in N. T. non dicuntur Sabbata. Non erant extra terram Sanctam obſervanda.* Sabbata *non ſignificat* Hebdomadas. *Male ad urgetur ex phraſi* μία σαββάτων, *pro Primo die Hebdomadis. Eſt hæc, ſenſûs vera, non literalis redditio. Male urgetur,* σάββατα (*in Plurali*) *non dici de Sabbati die. Id ſæpiſſime occurrit in N. T. & in V. T. fere ſemper, apud LXX. Et in ipſo Quarto Præcepto. Sic ſumendum hoc loco, pro Judaico Sabbato. Feſtum, Novilunium & Sabbatum, paſſim alibi cenſentur, ut ejuſdem conditionis.*

TErtius hanc in rem ſolitus allegari locus, eſt, in Epiſtola ad *Coloſſenſes.* Quod Coloſſenſes hi, ad quos ſcribit Paulus, (nempe *Sancti & fideles fratres in Christo Jeſu,*) fuerint *Gentiles Chriſtiani*, non eſt quod dubitemus; De Coloſſenſibus hiſce valde ſolicitus eſt Apoſtolus, *Col.* 2. 1, 2, 3, 4. *nequis eos falſe ratiocinando fallat, ſermonis probabilitate,* (nempe, quo Legi Moſaicæ ſe ſubmittant.) Monetque ver. 8. *ut caveant, nequis ſit qui eos deprædetur per Philoſophiam & inanem deceptionem,* (per quam intellectam puto *Philoſophiam Judæorum*, ſeu Judaizantium,) *ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum*, Et ſpeciatim de *Circumciſione*, ver. 11. (in cujus locum ſuccedit *Baptiſmus* ver. 12.) Quippe quod Chriſtus, morte ſua, *deleverit quod adverſum nos erat, Rituum Chirographum* (legem puta Moſaicam) *& cruci ſuæ affixum è medio ſuſtulit*, ver. 14. Atque (inter alia) *nequis igitur vos damnet ob cibum vel potum* (quaſi jam alii ſint Mundi, alii Immundi, ut ſub lege Moſaica) *vel reſpectu Feſti, aut Novilunii, aut Sabbatorum*; ἑορτῆς, ἢ νεομηνίας, ἢ σαββάτων, ver. 16. Ubi, *Sabbatorum* nomine, intelligendum erit *Sabbatum Judaicum*; ut quod, communi loquela, Sabbati aut Sabbatorum nomine tunc innotuit.

Non negat hic Scriptor, quin hic ſit ſaltem *ſpecioſus prætextus* hanc in rem. *V[illegible]*, inquit, *hæc objectio maxime ſpecioſa*, Repl. p. 44. Videamus, quibus modis Argumenti vim declinet.

Erant, inquit, *Coloſſenſes* hi, *Gentiles ad Chriſtianiſmum converſi*; (Quod & ego puto verum, ſaltem eorum plurimos: ſed & erant inter illos *Judaizantes Chriſtiani*.) Hos, inquit, monet *Paulus*, ut caveant, *nequis eos deprædetur per Philoſophiam & inanem deceptionem*; quod interpretatur ille de *Platonica Ethnicorum Philoſophia.*

Verum ego non dubito quin ſit intelligendum de *Philoſophia Judaica*, ſeu Judæorum doctrina: propter id quod immediate ſequitur, *ſecundum traditionem hominum, ſ[illegible] Elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum*; quæ ego intelligo de *doctrina Judai[illegible]* ut doctrinæ *Chriſtianæ* contradiſtincta: Nam ea particularia quæ mox recenſentur (*[illegible]tus, feſta, novilunia, ſabbata*, ver. 16.) erant *Traditiones Judaicæ*, non *Gent[illegible]* que ſunt illa *mundi elementa, Ne edite, ne guſtate, ne attingite*; *quibus ri[illegible] ne[illegible]rari nollet*, ut qui ſint *cum Chriſto mortui*, ver. 20, 21. Et ver. 11. *Circumciſio [illegible]*, *quæ ſit ſine manibus*, contraponitur *Circumciſioni Judaicæ*, (quæ nulla pars erat C[illegible]ionis Ethnici,) in cujus locum ſucceſſit *Baptiſmus* ver. 12. Atque hæc omnia conſequ[illegible] ad hoc quod Chriſtus *Rituum Chirographum deleverit, & per crucem ſuam è medio ſuſtul[illegible]* ver. 14. nempe *Ceremonialem* legem Moſaicam. Cum Chriſtus ſit ipſum *Corpus*, cujus [illegible] ſunt *Umbra*, ver. 17. In quibus omnibus, nulla ſit mentio *Philoſophiæ mundi Ethnici*, ſolummodo *Judaici.*

Habuerunt quidem Ethnici *Feſta* quædam Diis ſuis dicata; ſed non memini me u[illegible]m legiſſe quod ea dicerentur *Sabbata.* Neque erant hæc *per Crucem Chriſti* abrogata, [illegible] ante fuerint licita debitave;) ſed erant tum ante impia & idololatrica. Nec ulla [illegible] prætenſio, quod hæc *Elementa mundi*, fuerint mundi *Ethnici* elementa, ſed mun[illegible] quod modo oſtenſum eſt ad *Gal.* 4. (ubi iidem memorantur;) quibus *Paulus* [illegible] ſubjectus, ſed per Chriſti crucem *liber* factus, cum advenerit *plenitudo temporis* à [illegible] finiti.

Et ne cui mirum videatur quod *doctrina Judaica* hic vocetur *Philoſophia*: [illegible] eſt

quod *Philoſophiæ* nomen tribui ſolebat variis eruditionis aut doctrinæ generibus, ſeu modis Philoſophandi, & ſapientiæ, ſectarum diverſarum, aut etiam gentium variarum, prout inter ſe differebant; Ut Philoſophia *Zenonis*, *Platonis*, *Ariſtotelis*, *Græcorum*, *Latinorum*, atque ita *Judæorum* ſeu *Hebræorum*. Atque ſic *Clemens Alexandrinus* (in *Stromatum* libris) diſtinguit *Philoſophiam Græcorum*, ab ea quam vocat φιλοσοφίαν τὴν βάρβαρον, *Philoſophiam Barbarorum*, nempe *Judæorum*, ſeu *Hebræorum*; (quippe *Græci*, præter ſeipſos, alios omnes vocabant *Barbaros*:) Ubi data opera oſtendit, *Græcorum Eruditionem ſeu Philoſophiam* (aut etiam *Theologiam*, qualis qualis erat,) ex *Hebræorum Philoſophia*, magna ex parte, mutuatam eſſe, (utcunque ab illis deformatam;) hoc eſt, ex Philoſophia, Eruditione ſeu Sapientia Hebræorum, derivatam fuiſſe illam Græcorum: quæ quidem Judæorum doctrina, ſeu Philoſophia, hic contradiſtinguitur doctrinæ Chriſti. Sed de his hactenus.

Aliud quod habet κριτικὸν, eſt de voce σαββάτων *Sabbatorum*. Contendit ille (paſſim alibi) & acrius urget; *Sabbati* voce, intelligendum eſſe, Judæorum Septimi diei Sabbatum, nullumque aliud. (*Spiritus Sanctus, Septimum diem, vocat Sabbatum, nullumque alium ſeptimanæ diem, per totum tum Veteris tum Novi Teſtamenti*, Inquiſ. *p.* 46.) Et quidem, quod utplurimum ſic ſumendum ſit Sabbatum, non negem, ubi nihil occurrit quod alium ſenſum ſuadeat. Quamvis enim *Dies Dominicus* ſit vere *Sabbatum* in ſenſu quarti Præcepti; cum tamen, in communi loquela, vox Sabbati ſoleret vulgo intelligi de *Sabbato Judaico*, opus erat novo nomine pro *Sabbato Chriſtiano*: Ut non dubitandum ſit, quin Sabbatum hic intelligatur de Sabbato Judaico; prout Chriſtiano contradiſtinguitur.

At vero ille, quamvis alibi contendat ſic *ſemper* intelligendum eſſe, non vult ut hic intelligatur de Judaico Sabbato hebdomadali, ſed de aliis (neſcio quibus) Sabbatis Cæremonialibus. *Habuerunt* (inquit *Repl.* p. 48.) *Judæi, præter Sabbatum diei Septimi, ſaltem tria Feſta ſeu Sabbata; Feſtum Paſchatis, Levit.* 23. 4, 5. *Feſtum Pentecoſtes, quinquaginta diebus poſt Paſcha*; (non, poſt Paſcha; ſed, poſt Agitationem Manipuli;) *ver.* 15, 16. (Sed hæc Feſta, non ibi dicuntur Sabbata;) *& Sabbatum Annorum, Levit.* 25. 4, 9, 10. Sed hæc omnia (ſive Sabbata, ſive non-Sabbata) non erant obſervanda extra Terram Sanctam, *Deut.* 16. 5, 6, 11, 15, 16. *Levit.* 25. 2. Adeoque apud Coloſſenſes (qui procul erant à Terra Sancta) nulla foret de hiſce quæſtio. Nec memini, quod hæcce *Feſta*, uſpiam in Novo Teſtamento dicuntur *Sabbata*. Sed & *Sabbata* hic memorantur ut illis *Feſtis & Noviluniis* contradiſtincta; adeoque de alio Sabbato intelligenda erunt. Quodnam autem illud eſſe poteſt aliud quam Hebdomadale Sabbatum Judæorum? *Nequis vos damnet reſpectu Feſti, aut Novilunii, aut Sabbatorum.* Quod tamen non ſic intelligo, quaſi nullum deinde Sabbatum ſit obſervandum; ſed quod obligatio ad *illum* diem (Sabbati Judaici) jam ceſſaverit.

Objecerat ille *Inquiſ.* p. 70, 71. (parum recte) *vocem* σάββατα *Sabbata* (*in numero plurali*) *numquam in Novo Teſtamento attribui Hebdomadali Sabbato*; *ſed tamen* σάββατον *Sabbatum*, (*numero ſingulari*;) *vultque* σαββάτων *hic reddi, non Sabbata, ſed Hebdomadas.*

Verum hoc illi omnino non favet. Nam ſi *Hebdomadum* obſervatio ceſſare debeat, (ut tempora deinceps non per Hebdomadas diſtribuantur,) actum erit de Sabbato ſuo, quod hebdomadis die Septimo celebrandum contendit. Sed &, ſi concedamus, Sabbaticum diem *unum*, dicendum (numero ſingulari) *Sabbatum*: Ecquid dici debet de *duobus pluribuſve* diebus Sabbaticis? Annon hi dicendi ſunt *Sabbata*?

Sed omnino fallitur in Criticiſmo ſuo. Videri quidem poſſit (incautis) σαββάτων (in genitivo plurali) *hebdomadem* aliquando ſignificare (ſed non, *hebdomadas* uſpiam,) eo quod ſoleat μία σαββάτων ab Interpretibus reddi *primus dies hebdomadis*, vel *ſeptimanæ*; (quod & pluribus fraudi fuiſſe puto.) Quæ quidem eſt vera redditio quoad *ſenſum*, (quippe hic eſt dies ille qui innuitur;) ſed non, (quoad *vocem*,) redditio literalis. Eſt enim μία σαββάτων Elliptica locutio, pro μία ἡμέρα ἀπὸ σαββάτων, *una dies à Sabbato*, ſeu *poſt Sabbatum*; ut ſupra fuſius oſtenſum eſt, ubi hac de re agebatur. Sed non, credo, reperiet σάββατα (in alio caſu) vel *Septimanam* ſignificare, vel *Septimanas*.

Sed & σαββάτου (in Genitivo ſingulari) pariter uſurpatum reperiet *Luc.* 18. 12. νηστεύω δὶς τοῦ σαββάτου quod redditur (quoad ſenſum) *jejuno bis hebdomade*; ſed Elliptice dicitur pro δὶς ἀπὸ τοῦ σαββάτου, *bis à Sabbato*, ſeu *poſt quodque Sabbatum*. Quippe ſi σάββατον hic pro *Septimana* diceretur, dicendum foret δὶς τῷ σαββάτῳ, vel δὶς ἐν τῷ σαββάτῳ (caſu Dativo) non τοῦ σαββάτου. Nec uſpiam, credo, reperiet σάββατον (in alio caſu quam Genitivo) pro *Septimana* dici; ut nec (in plurali) σάββατα (in alio caſu) pro *Septimana*, vel pro *Septimanis* dici. Neque dixerit, credo, hic Scriptor, quod σαββάτου (quia eſt in Numero Singulari) intelligendum ſit de *die Sabbati*, ut ſenſus ſit *jejuno bis in die Sabbati*; quaſi in eodem die bis jejunaret. Et quidem præter has duas inſtantias (μία σαββάτων, & δὶς σαββάτου) neſcio tertiam uſpiam occurrentem, ubi quis ſuſpicari poſſit σαββάτων (nedum σάββατα) pro *Septimana* vel *Septimanis* dici. Utraque vero manifeſte ſolvitur per Ellipſin præpoſitionis ἀπό.

Quod autem σάββατα (in numero Plurali) pariter ac σάββατον (in Singulari) de *die Sabbati* uſurpetur, etiam in Novo Teſtamento (contra quam ille ſenſerit) certiſſimum eſt. Sic ὀψὲ σαββάτων *Mat.* 28. 1. tantundem eſt ac διαγενομένου τοῦ σαββάτου, Marc. 16. 1. *finito Sabbato*,

 (de

(de eodem ipſo tempore dictum.) Nollet, credo, hic Scriptor (eo quod ſit in Plurali numero) ut reddatur *finitis Sabbatis*, (puta Judaicis, ſeptimi diei,) *quum luceſceret in primum diem hebdomadis*, (quaſi in Sabbatorum Judaicorum vicem ſuccedentem.) ſin illud velit, id nobis non officit. Sic Mat. 12. 1. *Illo tempore ibat Jeſus* τοῖς σάββασι, *ipſis Sabbatis, per ſata*: & *Marc.* 2. 23, 24. (de eodem dicitur) *factum eſt ut ipſe præteriret* ἐν τοῖς σάββασι, *in Sabbatis, per ſata; & cœperunt diſcipuli vellere ſpicas*: Quod tamen de *uno die* intelligendum eſſe, liquet ex *Luc.* 6. 1. (ubi idem narratur) *factum autem eſt* ἐν τῷ σαββάτῳ *in Sabbato*. Sic *Mat.* 12. 5, 10, 12. *Mar.* 1. 21. *Mar.* 3. 2, 4. *Luc.* 4. 31. *Luc.* 6. 2, 9. *Luc.* 13. 10. τοῖς σάββασι, eodem (ut videtur) ſenſu; pro quo Interpretes Latini paſſim habent *Sabbato*, in Singulari; & alibi ſimiliter. Et *Luc.* 4. 16. *Act.* 13. 14. τῇ ἡμέρᾳ τῶν σαββάτων.

Certum igitur eſt σάββατα (in Plurali numero) non minus quam σάββατον (in Singulari) de *Sabbato* dici. Quod ipſe tandem fatetur, *Repl.* p. 46. ſed quaſi reluctans: nam etiamnum ſuggerit σαββάτων pro hebdomade, & *numerum Pluralem ordinarie de pluribus* [illegible] *eundem*; veiitque ut σαββάτων hic reddatur *Hebdomadum*; ſed nihil affert quo hoc ſuadeat, niſi q[illegible] σαββάτων reddi ſoleat *primus dies hebdomadis*: (de quo jam dictum eſt.) At non [illegible] *primus dies Hebdomadum*.

Verum hic porro notandum eſt, quod non modo ſemel & iterum (in Novo Teſtamento) dicatur σάββατα pro uno die Sabbati; ſed, tum in N. T. ſæpe, (ut oſtenſum eſt,) atque adhuc ſæpius in Septuaginta Interpretum verſione Græca Veteris Teſtamen[ti,] præſertim in Pentateucho;) quorum phraſeologiam utplurimum ſequitur Teſtamentum Novum.

Sciendum utique eſt, in variis linguis, multa eſſe Nomina (quoad formam) Pluralia, quæ ſunt quoad ſignificationem Singularia. Sic *Nuptiæ* (in forma plurali) pro uno matrimonio: *Nundinæ*, pro uno Mercatu: *Athenæ*, pro una Urbe: ſic *Calendæ*, eſt unus dies Calendarum: *Nonæ*, unus dies Nonarum; & *Idus*, unus dies Iduum: & *Tertio Calendas* ſeu *Calendarum*, eſt tertius dies ante Calendas ſeu diem Calendarum. Atque ſic σάββατα, ſunt unum Sabbatum, ſeu unus dies Sabbatorum, dies requietum.

Et quidem in ipſo Quarto Præcepto, *Exod.* 20. 8. μνήσθητι τὴν ἡμέραν τῶν σαββάτων. *Memento diei Sabbatorum* (ſeu requietum) *ut ſanctifices illum*; & ver. 10. ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ σάββατα κυρίῳ, *die ſeptimo ſunt Sabbata domino Deo tuo*. Et *Deut.* 5. 12. (ubi repetito habetur decal[og]us) φύλαξαι ἡμέραν τῶν σαββάτων, *obſerva diem Sabbatorum ut ſanctifices ipſum*. Et ver. 14. [τῇ] δὲ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ σάββατα κυρίῳ, *die ſeptimo, Sabbata domino Deo tuo*. Item *Exod.* 16. 23. (de Sabbato ſpeciatim Judaico, à primo deſcenſu Mannæ numerando) σάββατα ἀνάπαυσις ἁγία τῷ κυρίῳ αὔριον, *Sabbata, ſancta requies Domino, cras*. Et ver. 26. τῇ δὲ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ σάββατα, *die ſeptimo Sabbata*. Item *Exod.* 31. 13. τὰ σάββατά μου φυλάξασθε, σημεῖόν ἐστι; *Sabbata mea obſervate, ſignum eſt inter me & vos*. Et ver. 14. φυλάξασθε τὰ σάββατα, ὅτι ἅγιον τοῦτό ἐστι κυρίῳ ὑμῶν *obſervate Sabbata, quoniam hoc vobis eſt ſanctum Domino*: In quibus verſibus [illegible]bus, σάββατα in plurali, congruit cum vocibus σημεῖον & τοῦτο in ſingulari, (ut ante cum voce ἀνάπαυσις,) quia, quamvis in forma plurali, innuit diem Unum. Iterumque ver. 1[5.] τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ σάββατα, ἀνάπαυσις ἁγία τῷ κυρίῳ, *ſeptimo die Sabbata, ſancta requies Domino*. Et ver. 16, 17. *Filii Iſraelis obſervabunt* τὰ σάββατα *Sabbata*; eſt διαθήκη αἰώνιος *fœdus perpetuum*; *eſt* σημεῖον *ſignum inter me & filios Iſraelis in perpetuum*. Ubi in continuis quinque [ver]ſibus, *Sabbata* in Plurali, toties conjungitur voci Singulari. Quæ quidem citata loca, [ſu]nt loca præcipua quibus injungitur Sabbatum Judæis obſervandum.

Sed &, ἡμέρα τῶν σαββάτων, *dies Sabbatorum*; & ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ σάββατα, *ſeptimo die Sabbata*; & ἐπαύριον τῶν σαββάτων, *craſtino Sabbatorum*, (ſimiliaque,) paſſim occurrunt; ubi notorium eſt σάββατα dici de uno die ſingulari. Sic *Exod.* 35. 3. *Lev.* 16. 31. *Lev.* 23. 3, 15, [3]8. *Lev.* 24. 8. *Num.* 15. 32. *Num.* 28. 9. *Deut.* 5. 15. Et ſpeciatim ἡμέρα τῶν σαββάτων, *dies Sabbatorum*, habetur *Exod.* 20. 8. *Exod.* 35. 3. *Levit.* 24. 8. *Num.* 15. 32. *Num.* 28. [9.] *Deut.* 5. 12. *Deut.* 5. 15. *Jer.* 17. 21. *Jer.* 17. 24. *Jer.* 17. 27. *Ezek.* 46. 1. *Ezek.* 46. [4.] *Ezek.* 46. 12. & (in N. T.) *Luc.* 4. 16. *Act.* 13. 14. (Et, quoties alibi, non jam memini,) ubi manifeſtum eſt, *diem Sabbatorum* σαββάτων, de *uno die Singulari* dici. Quæ quidem loca ſi non ſufficiant, plura puto produci poſſe. Et quidem, in toto *Moſis* Pentateuch[o] vix uſpiam occurrit σάββατον numero Singulari, ſed σάββατα numero Plurali: ubi tamen in Hebræo utplurimum habetur *Sabbat* (Sabbatum) in ſingulari.

Non nego quin in aliis Veteris Teſtamenti libris occurrat aliquoties σάββατον numero Singulari; (quippe non puto omnes libros illos eodem Interprete, eodemque ſtylo, fuiſſe ab Hebræo in Græcum converſos;) in libris Regum, & Chronicorum, & Nehemiæ, habetur aliquoties σάββατον numero ſingulari; & raro alibi. Sed, ex locis jam citatis, abunde conſtat, σάββατα in plurali, adhiberi ut nomen proprium unius diei ſingularis.

Sed ſive ſit σάββατον ſeu σάββατα in Verſione Græca, reſpondet utplurimum Hebræo *Sabbat* in ſingulari; & raro admodum plurali *Sabbethoth*, ubi de pluribus diebus Sabbatorum agitur. Atque ut οὐρανὸς, & οὐρανοὶ indifferenter de *Cœlo* dicuntur: ſic σάββατον & σάββατα indifferenter dicuntur *de die Sabbati*. Et ſimiliter in Novo Teſtamento, (quod plerumque ſequitur phraſin Septuaginta Interpretum,) quamvis aliquando dicatur σάββατον, ſæpe tamen σάββατα & ἡμέρα τῶν σαββάτων pro uno die ſingulari *Sabbata* dicto. Atque ſic intelligendum puto

in hoc loco *Col.* 2. 16. *Nemo vos judicet* (aut condemnet) *ob cibum aut potum,* ἢ ἐν μέρει ἑορτῆς ἢ νουμηνίας ἢ σαββάτων, *aut reſpectu feſti aut novilunii aut* (Sabbati vel) *Sabbatorum*; hoc eſt, ἢ τῆς ἡμέρας τῶν σαββάτων· quod de Sabbato Judaico (ſeptimi diei à deſcenſu Mannæ) dictum intelligo. Cujus itaque manifeſtam abolitionem hic inſinuatam puto.

Et quidem, ut hic, ſic alibi, *Feſtum, Novilunium,* & *Sabbatum,* memorantur ut in eodem cenſu, in eadem conditione, omnia. 2 *Reg.* 4. 23. *Quare itura es ad eum hodie, cum non ſit Novilunium neque Sabbatum?* Sic 1 *Chron.* 23. 31. Ubi Levitis indicitur, ut ſint intendentes filiis *Aaronis* in offerendis holocauſtis, *in ſingula Sabbata, & in novilunia, & in* (feſta ſeu) *ſtata tempora.* Et 2 *Chron.* 2. 4. ubi agitur de holocauſtis offerendis, *in quoque Sabbata & novilunia & in ſtata tempora.* 2 Chron. 31. 3. *holocauſta pro Sabbatis ac Noviluniis & Solemnitatibus.* Nehem. 10. 33. *Holocauſtum juge Sabbatorum, Noviluniorum, ad ſolennitates.* Iſai. 1. 13, 14. *Novilunium & Sabbatum non poſſum ferre,—novilunia veſtra & ſtatas ferias veſtras odit anima mea.* Ezek. 45. 17. *holocauſta diebus feſtis, noviluniis & Sabbatis.* Ezek. 46. 3. *ut incurvent ſe—Sabbatis & noviluniis.* Lament. 2. 6. *oblivioni dedit ſolennes conventus & Sabbata.* Ezek. 46. 1. *Porta atrii—eſto clauſa ſex diebus profeſtis, die vero Sabbati aperitor, & die novilunii aperitor.* Hoſ. 2. 11. *abolebo omne gaudium ejus, feſtivitatem ejus, novilunium ejus, & Sabbatum ejus.* Amos. 8. 5. *dicentes, quando tranſiverit hoc novilunium, ut vendamus frumentum? & Sabbatum, ut exponamus triticum?* Cum itaque in his locis omnibus, ubi *Sabbata* cum *noviluniis* & *feſtis* conjunguntur, intelligendum ſit de *Sabbato Judaico diei Septimi*; quidni ſic intelligendum ſit Col. 2. 16. *aut reſpectu feſti aut novilunii aut Sabbati,* ſeu *Sabbatorum*? Addo locum unum, ab ipſo citatum, tanquam ad *tempora Evangelica* ſpectantem; quem ſic citat, *Inquiſ.* p. 27. *Eritque, ut de Sabbato uno in alterum veniat omnis caro ad adorandum coram me, ait Jehova,* Iſai. 66. 23, 24. *Atque cum hoc,* inquit, *hic Propheta Evangelicus Prophetiam ſuam concludit.* Ubi dicendum erat, *De novilunio in novilunium, & de Sabbato in Sabbatum, veniet omnis caro,* &c. Ubi nihil magis de *Sabbato* dicitur quam de *Novilunio.* Et quidem, cur hæc verba *aut Feſti aut Novilunii aut Sabbati,* Col. 2. 16. non idem ſignificarent, quod ſignificant eadem in *Ezek.* 45. 17. 1 *Chron.* 23. 31. 2 *Chron.* 2. 4. 2 *Chron.* 31. 3. *Neh.* 10. 33. *Hoſ.* 2. 11. (aliiſque locis citatis) non video. Atque, ſi *Feſtum* & *Novilunium* idem hic ſignificent ut illic, quidni *Sabbatum* item idem hic ſignificet & illic? Quæ tamen non dicta ſunto in derogationem Hebdomadalis Sabbati, Quarti Præcepti; ſed *Sabbati Judaici,* ut contradiſtincti *diei Dominico,* qui non minus eſt *Hebdomadale Sabbatum,* quam erat illud Judæorum.

Addo; ſi Sabbatum quod hic (una cum Feſtis & Noviluniis) præſumitur antiquatum, ſit (quod ille vult *Repl.* p. 47.) *Sabbatum diei Primi* (non diei Septimi;) cur dixerit hic idem (*Inquiſ.* p. 28.) quod, *in Veteri Novoque Teſtamento, dies Primus nunquam vocatur Sabbatum?* Item *Levit.* 23. 11, 14. dies *Agitationis Manipuli,* & dies *Pentecoſtes*; quos ille *Repl.* p. 46. pro *Sabbatis* habet, (quamvis non ibi ſic dicuntur,) fuerunt uterque *Poſtridie Sabbati* diei Septimi; adeoque die *Primo* Judaicæ Septimanæ.

Quod ſi Judæorum *Sabbata Ceremonialia,* (quippe Feſta *Ethnicorum,* dicta fuiſſe *Sabbata,* non aſſerit aut probare contendit,) ſint *Sabbatum* vel *Sabbata* quæ hic innuuntur antiquata vel antiquanda; vox σαββάτων plane redundat; & ἑορτῆς ſufficeret. Sive enim Sabbata fuerint (ut vult ille) ſive non fuerint; erant ſaltem *Feſta* ἑορταὶ, atque ſic diſerte vocantur (*Feſta Jehovæ*) *Levit.* 23. 2, 4, 6, 11, 15, 24, 27, 34, 37, 39, 41, 44. Suntque ἑορταὶ Feſta, Sabbato contradiſtincta, πλὴν τῶν σαββάτων, *præter Sabbata Domini,* ver. 37, 38. Quamvis enim Sabbatum fuerit item Feſtum, ver. 2, 3. erat tamen *quid plus* quam illa Feſta reliqua; adeoque hoc in loco (*Col.* 2. 16.) diſerte memoratur ut à reliquis diſtinctum, *Nemo vos judicet* (ſeu damnet) *reſpectu* ἑορτῆς, ἢ νουμηνίας, ἢ σαββάτων, *Feſti, aut Novilunii, aut Sabbati.* Ex quibus, ſtata *Feſta* recurrebant ſemel in Anno; *Novilunia,* ſemel in Menſe; & *Sabbatum,* ſemel in Septimana; quæ omnia hic præſumuntur pariter abolita. Quod itaque intelligo de Sabbato Judaico, diei Dominico contradiſtincto. Nam hic agitur de Inſtitutis Judaicis, non de Chriſtianis. Non de *Die Dominico,* nec de *Cœna Dominica.* Quamvis hæc ſint *Feſta Chriſtiana,* non minus quam *Judaicum Sabbatum* & *Paſcha Judæorum* erant *Feſta Judaica.* Quæ quidem Feſta *Chriſtiana* excludunt *Judaica*; ut *Baptiſmus Circumciſionem* ver. 11, 12. Non ita tamen, quin fuerint (Judæis) aliquandiu *Permiſſa,* (ut erat Circumciſio;) non *Injuncta,* nec *Gentibus* inducenda.

CAP. XXVII.

Arguitur ex aliis locis, quæ ſublatum indicant diſcrimen Judæorum & Gentium.

PОrro; præter hæc loca quibus diſerte memorantur *Dies, Feſta, Sabbata* &c. eandem ab his Exemptionem includi puto, in locis illis aliis, ubi communis eademque conditio indicatur *Judæorum* & *Gentium*; ſublato quod erat inter eos diſcrimine. *An Judæorum ſolummodo Deus eſt? Annon & Gentium? Imo Gentium etiam*, Rom. 3. 29. *Non eſt diſtinctio vel Judæi vel Græci: Nam idem eſt Dominus omnium, dives in quoſvis à quibus invocatur*, Rom. 10. 12. *Num nos* (Judæi) *præcellimus? Nullo modo*, Rom. 3. 9. *Venitne hæc beatitas in Circumciſionem ſolum? an & in Præputium?* Imo in hos etiam: *Nam fide imputata eſt Abrahamo in juſtitiam, non quum fuit in Circumciſione, ſed in Præputio*; *ut ſit Pater omnium credentium, etiam in Præputio*, Rom. 4. 9, 10, 11. *Circumciſio nihil eſt, & Præputium nihil eſt*, 1 Cor. 7. 19. Sic Gal. 3. 28. Gal. 5. 6. Gal. 6. 15. Atque ad eundem ſenſum alibi. Quibus in locis, aliiſque ſimilibus, quamvis Circumciſionis fit diſerta mentio, ut diſtinctivi characteris; intelligitur tamen ut vox comprehenſiva totius Legis Moſaicæ, quatenus erat ea Judæis peculiaris. Quod liquet *Act.* 15. 1. *Niſi Circumcidamini ritu Moſis.* Et ver. 5. *dicentes, Oportere ipſos circumcidere, & denunciare ut obſervent Legem Moſis.* Et *Gal.* 5. 3. *Qui circumciditur, tenetur ad implendam univerſam legem.* Et *Gal.* 6. 13. innuit Apoſtolus ut rem incongruam, urgere Circumciſionem, nec tamen teneri ad totam legem; *Nam ne ipſi*, inquit, *qui circumciduntur, obſervant legem*: Innuendo, parilem eſſe ad utramque obligationem, & parilem ab utraque immunitatem: Adeoque hortatur Galatas, ut *in ea perſiſtant libertate qua Chriſtus nos liberavit, &* (cum ita ſint liberati) *non regredientes permittant ſe jugo ſervitutis implicari*, Gal. 5. 1. Paritérque qui in Synodo Hieroſolymis congregati, *Cum Deus*, inquiunt, *nihil diſcriminis poſuit inter nos & illos*, concludunt inde, *non imponendum eſſe jugum cervicibus diſcipulorum*; præter *res illas neceſſarias*, (quarum Sabbatum Judaicum nulla eſt;) *Act.* 15. 9, 10, 19, 20, 28, 29. Iterumque *Act.* 21. 20, 21, 24, 25. Quod igitur ante fuerat Judæis peculiare, jam declaratur Gentibus non obligatorium. Inter quæ reputo *Sabbatum Judaicum* (Septimi diei à primo deſcenſu Mannæ.) Et conſequenter, Non obligari nos (præter diem Dominicum) Sabbatum Judaicum obſervare: ut quod tum fuerit Antiquatum.

CAP. XXVIII.

Allegatis reſpondetur. Multa præſumit gratis. Probationes inſufficientes de Prioritate, Inſtitutione, Celebratione (ab Homine,) Repetitione, & Continuatione, Septimi diei continue à prima Creatione. Haſhebigni *non ſemper ſignificat Septimum à prima creatione, Sabbatum Judaicum, à primo deſcenſu Mannæ.*

ATque jam abſolvi (&, prout mihi videtur, ſatis evidenter) utrumque propoſiti ſcopi mei; Tum, quod teneamur ad obſervandum *Diem Dominicum*; tum, quod ad *Sabbatum Judaicum* non teneamur. Supereſt ut ipſi ſatisfaciam (ſi fieri poſſit) reſpondendo ad ea quæ urget ipſe pro Continuando Sabbato Judaico: Sive cum Die Dominico; ſive ut huic contradiſtincto, eique oppoſito.

Quod contendit ille, hoc eſt, quod [1] *A Principio mundi, quam antiqua eſt ipſa Creatio*, (Repl. p. 8.) [2] *ante admiſſum peccatum, & lapſum hominis*, (Inquiſ. p. 23, 75. Repl. p. 50.) [3] *Dominus noſter Jeſus Chriſtus, Mediator & Redemptor noſter*, (Inquiſ. p. 13, 64, 75, 77, 85, 86, 136, 137.) *celebrabat, inſtituebat*, [4] *benedicebat, &* [5] *ſanctificabat diem ipſum Septimum*, (Inquiſ. p. 23, 64.) [6] *Quo incluſum vult ſeptimum diem cujuſque Septimanæ deinceps in continua ſucceſſione ſeu circulatione dierum & hebdomadum* (Inquiſ. p. 27, 30, 35. Repl. p. 6, 7.) [7] *nullumque alium hebdomadalem diem* (Inquiſ. p. 23.) *tunc aut poſtea conſecratum, vel obſervandum eſſe ut ſacrum, ſed illum ſolummodo diem ſeptimum* (Repl. p. 7, 8.) [8] *Non quidem Aliquem diem ſeptimum, ſed Illum ipſum diem ſeptimum* (*in continua ſerie à prima Creatione*) *nullumque alium hebdomadis diem* (Inquiſ. p. 3, 46, 75.) *quamdiu duraturus ſit mundus* (Inquiſ. p. 23. Repl. p. 5, 7.) *Gentilibus pariter ac Judæis* (Inquiſ. p. 23, 24, 25.) [9] *Eumque ſemper & ubique inchoandum ab Occaſu Solis* (Inquiſ. p. 83. Repl. p. 63.) *Atque hoc exinde continue obſervatum fuiſſe, & obſervandum* (Inquiſ. p. 23, 24, 28.) *etiam ad hunc ipſum diem* (Inquiſ. p. 39, 73.) [10] *Hujuſque memoriam* (ne foret hujus oblivio aut incertitudo) *continue tranſmiſſam, de Patre in filium*

tum (Repl. p. 10.) *eamque traditionem nunquam interruptam aut oblivioni datam* (Inquiſ. p. 39.) *ſive ante ſive poſt adventum Chriſti.* Inquiſ. p. 39, 78, 93. Repl. p. 2, 3, 53.

At certe ex hiſce multum eſt, de quo (ut ille loqui ſolet) nihil *Verbi* habemus, nullum (ibi *memoratum*) *Expreſſum Mandatum.* Sed meris *Conjecturis ſuis*, & *obſcuris Illationibus*, nixum; (dum tamen à nobis rigide exigit, *expreſſum mandatum*, *in Verbo memoratum*, Inquiſ. p. 4, 33, 42, 44, 48, 50.) Quod in particularium plurimis jam oſtendi; quorum non nulla porro repetenda erunt, & hic accommodanda.

1. Dum *Sabbatum diei ſeptimi*, dicit, *tam Antiquum eſſe quam eſt ipſa Creatio* (Repl. p. 8.) Exceptos, credo, vult *primos Sex dies*; quippe nulla prætenſio eſt Sabbati, ante diem Septimum.

Nec negabit, credo, *instituti Matrimonii* præcedentiam. Quamvis enim, in ordine Hiſtoriæ, *Creatio Evæ*, ejuſque *Adamo* facta conceſſio in *Uxorem*, (Gen. 2.) poſt memorata ſit quam *Dei Requies die Septimo*; erat tamen, in ordine Temporis, Prior. Certum enim eſt, *die Sexto* Deum creaſſe hominem, *Marem & Fæminam*, ad imaginem ſuam, *Gen.* 1. 27. eiſque *Benedixiſſe*, dicendo, *Creſcite & Multiplicamini*, ver. 28.

2. Pariterque, ipſorum *eſus de fructu vetito*, Gen. 3, quamvis ſerius memoretur, potuerit eſſe (quantum nos ſcimus) prior. Adeoque quum ait (*Inquiſ.* p. 23, 75 *Repl.* p. 50.) *ante introitum peccati & lapſum hominis* fuiſſe Sabbatum; id gratis dictum eſt (quod nec ille nec ego ſcimus.) Nihil *Verbi* de hoc extat; non *ſic Scriptum eſt.* Poſſitque, quoad literam, verum eſſe, quod habetur *Pſal.* 49. *Homo in honore non commoratus eſt*; ſeu (ut eſt in Hebræo) *Adam in honore non pernoctavit*, (ſeu non una nocte permanſit;) *ſed factus eſt ſimilis jumentis pereuntibus*; utpote jam factus *Mortalis.* Nec improbabile eſt, quod die *Sexto* (quo Creati erant) peccaverint Parentes primi. Quippe cum *Adamus* & *Eva* creati fuerint, non ut in pueritia, ſed adulta ætate; habuerintque benedictionem illam *Creſcite & Multiplicamini*; probabile eſt, ſi vel *una nocte* permanſiſſent innocentes, quod *Cainus* (ſi fuerit omnium primogenitus, quod neſcimus,) fuiſſet *in innocentia conceptus.* Quod eo minus putaverim, tum alias ob cauſas, tum quia nonniſi poſt eorum è Paradiſo expulſionem dicitur, *Adam cognovit Evam uxorem ſuam, quæ concepit & peperit Cainum*, Gen. 4. 1. Et quidem, ſi (quod ſupponit ille) Sabbatum primum in Innocentia celebraverint; non video quin rite *comederint ex fructu Arboris Vitæ*, *immortales perpetuo manſuri*, *Gen.* 2. 9, & *Gen.* 3. 22. Nempe, ſi fuerit illa (quod multi putant) *Sacramentum confirmationis* eorum in Innocentia, & *immunitatis à Morte*, cui (per eſum Arboris vetitæ) facti erant obnoxii, *Gen.* 2. 17. & *Gen.* 3. 11, 19. Verum, cum hoc non diſerte ſpectet præſens negotium, huic non inſiſto.

3. Cum vero attribuit *Domino noſtro Jeſu Chriſto, Redemptori* & *Servatori noſtro*; (& quidem ſub ea Reduplicatione,) tum *Creationem* Mundi, tum *Celebrationem* & *Inſtitutionem Sabbati*; cæteraque;) potius quam *Deo Patri*, aut etiam ſimpliciter *Deo*: quam gratis illud dictum ſit, & abſque omni fundamento; jam ante oſtendimus.

4. Quod *Benedixerit* (Deus) *diei Septimo*; diſerte dicitur. Sed, quod ea *Benedictio*, fuerit *Inſtitutio* Sabbati jam inde celebrandi (eo ipſo die continue recurrente, nulloque alio,) per omnia ſecula; nondum oſtendit hic Scriptor.

Scio utique graves Theologos, (ſi ea eſſet diſputandi ratio cum hoc Scriptore, ut citatis Authoritatibus arguerem,) qui legunt id (*Gen.* 2. 2.) *die Septimo Deus Perfecit*, (potius quam *Perfecerat*) *opus ſuum quod fecerat*; ſeu *perfectum reddidit* (quod *Vajeckal* ſignificat.) Quod intelligunt de Promiſſo, hoc die facto, de mittendo Chriſto (ſemine Mulieris) caput Serpentis contrituro. Quippe ante hanc *promiſſionem* factam, hominis conditionem exiſtimant (jam lapſi) *imperfectam* fuiſſe. Atque interpretantur Divinam hujus diei *Benedictionem*, de hac *benedicta Promiſſione* tum facta. Edíditque ante annos plus Sexaginta Tractatum ad hunc ſenſum D. *Walkerus*, Concionator tunc *Londini* celebris. Habeoque apud me Tractatum Manuſcriptum (in eandem ſententiam) D. *Jacobi Altingii* (Gravis Theologi & Profeſſoris Groningani) *Walkeri* tractatum ſumme comprobantis. Sed nolim novam litem movere, de eo quod rem præſentem non attingit. Interim videat ille, quam parvi facit (*Repl.* p. 11.) Chriſti *Benedictionem* Diſcipulorum ſuorum, eorumque conventus, (prima & ſecunda vice,) *Joh.* 20. 19, 21. ipſo die *Reſurrectionis* ſuæ; dum hanc *Benedictionem* (diei ſeptimi) ut *Inſtitutionem* prædicat.

5. Vocem alteram, & *Sanctificavit* eum; non neceſſario ſignificat *Inſtitutionem*, ſed ſaltem *Celebrationem*, ut diem Sanctum. Vox eadem, in Hebræo, dicitur de *Hominis* ſanctificatione diei Sabbati, in Quarto Præcepto, *Exod.* 20. 8. & *Deut.* 5. 12. (*Memento diei Sabbati, ut Sanctifices illum*,) quod habetur de *Dei* ſanctificatione, *Gen.* 2. 3. (& *Sanctificavit eum.*) Eademque vox *Exod.* 20. de *Homine* habetur *ver.* 8. & de *Deo ver.* 11. (*benedixit diei Septimo, & Sanctificavit illum.*) At certe non intellectum velit, Memento diei Sabbati ut *Inſtituas* illum. Sic *Neh.* 13. 2. *Levitæ* jubentur *Sanctificare diem Sabbati.* Pariterque *Jer.* 17. 22, 24, 27. Et nimius eſſem ſi ſingula loca recenſere vellem, ubi jubentur *Sanctificare* Sabbatum; hoc eſt, ut ſanctum *Celebrare*, non *Inſtituere.* Et quidem ſi *Benedicere & Celebrare*, ſit *Inſtituere*; Quidni id putemus quum Chriſtus *Benedixit &*

Celebravit

Celebravit (cum Diſcipulis) diem *Reſurrectionis* ſuæ : idque ſecunda vice, & forte ſæpius. Interim nolim extenuatum ire vim vocum harum, earumve ſenſum minuere, (quin juſtam retineant Emphaſin ;) ſed, ut oſtendam quam parum æquus ſit Diei Dominico ; (cui hic toties exprobrat, quaſi ſit *Solem colere die Solis* ;) dum *zelo accenſus* eſt (ut illi *Act.* 21. 20. *accenſi zelo legis*) de Sabbato *Judaico*. Nec tamen ego ipſi repono ; hoc eſſe *Saturnum colere die Saturni*.

6. Quod autem (hic dies Septimus) *includit ſeptimum quemque diem cujuſque Septimanæ continue recurrentem* ; gratis item dicitur. Nihil tale (*hic loci*) occurrit. Poſt datam legem *Quarti Præcepti*, continue quidem obſervandum fore Sabbatum, non negamus, (aut etiam poſt illud Exod. 16.) Sed, id ex *hoc loco* non conſtat. Sed & multo ſerius id factum eſt.

7. Multoque minus conſtabit inde, quod *poſt Exitum ex Ægypto*, aut alio quocunque caſu, *nullus dies alius*, (ab alia quavis Epocha,) aut conſtitutus *fuit*, aut conſtituendus *foret*, (præter hunc in continua ſerie *à Prima Creatione*,) quamdiu *mundus duraverit*.

8. Dum autem toties urget (quaſi magni ponderis) quod non dicatur (*A Seventh*) *Septimus aliquis*, ſed, *The Seventh* (*Haſhebigni*,) *ipſe ſeptimus*, (ſed neque ſic ſemper dicitur ;) nos etiam celebrandum dicimus *ipſum Septimum* : ſed quæſtio eſt, *Unde numerandum* ? In *Exod.* 16. eſt, Septimus ipſe *à primo deſcenſu Mannæ*. In Quarto Præcepto, eſt, Septimus ipſe *poſt ſex laboris dies*. Eſtque Dies Dominicus (tum Septimus poſt ſex dies laboris, tum) Septimus ipſe illi in continua ſerie à *Reſurrectione Chriſti*.

Fruſtra eſt ſi putet, ubicunque dicitur (*haſhebigni*) *ipſe Septimus*, id protinus intelligendum eſſe de *Septimo in continuo ordine à prima Creatione*. Dicitur 2 *Sam.* 12. 18. *Ipſo Septimo die mortuus eſt infans*. Num reputandus eſt hic dies ſeptimus (in continua ſerie) à *prima Creatione* ? aut à primo *deſcenſu Mannæ* ? aut Septimus *poſt ſex dies laboris* ? Non : Sed *ætatis* die ſeptimo, aut *morbi*. Sic *dies Septimus Jud.* 14. 15, 17, 18. eſt dies Septimus *Feſti*, à *Samſone* celebrati. Et *dies Septimus Joſh.* 6. 4, 15. eſt Septimus dies *circumeundi muros Jerichuntis*. Et *Lev.* 23. 8. *die Septimo ſit convocatio ſancta, nullum opus ſervile facitote* : Num hic cenſendus ſit ſeptimus in ordine à prima Creatione ? Non : Sed ſeptimus dies *Feſti Paſchatis*, ſeu *Azymorum* ; quotuſcunque fuerit Hebdomadis dies. Et ſimiliter, ejuſdem Capitis *Lev.* 23. *ver.* 24, 27, 30, 32, 35, 36, 39. ubi non intelligendus eſt, Septimus continue à *prima Creatione* ; ſed alius aliquis dies ſeptimus. Quamvis in his locis omnibus diſerte dicatur (*haſhebigni*) *ipſe Septimus dies*. Cumque, ab *Exod.* 24. 16, ubi dicitur, *Permanſit gloria Jehovæ in Monte Sinai, & operuit eum nubes ſex diebus* ; *poſtea inclamavit Moſen die ſeptimo è medio nubis* ; putat hic ſcriptor, id ipſo *Sabbato* factum eſſe, & forte *primo poſt datam legem* : Id gratis dicitur. Erat quidem, *dies ſeptimus* poſt ſex illos quibus *Nubes operuit Montem* ; ſed quotus fuerit Hebdomadis dies (ſive à Creatione, ſive à Deſcenſu Mannæ, numerandæ) non dicitur.

Jam vero, quonam Criterio dignoſcamus *diem ſeptimum* (Exod. 16. 26, 27, 30.) *à primo deſcenſu Mannæ*, fuiſſe *ſeptimum* in continua ſerie à *prima Creatione* ; magis quam, diem ſeptimum *ætatis Infantis*, aut ſeptimum diem *Feſti Samſonis*, aut ſeptimum diem *circumeundi Jerichuntem*, ſic fuiſſe ; cum in hiſce locis omnibus diſerte dicatur (*haſhebigni*) *ipſe ſeptimus* dies ? Dicitur quidem *Exod.* 16. *ver.* 23. *Quies, Sabbatum ſanctum Jehovæ, cras* ; (ſupple *eſt* vel *eſto*, nam in Hebræo neutrum eſt ;) & *ver.* 25. *hodie, Sabbatum Jehovæ*, (*eſt* vel *eſto* ;) & ſimiliter *ver.* 27. *ſeptimo die, Sabbato*. Unde concludamus, quod *ſic foret*, non quod *ſic fuerit* jam inde à mundo condito. Et *ver.* 29. *Videte, quod Jehova dedit vobis* (*haſſabat*) *hoc Sabbatum*, (quaſi jam foret nuperrime datum) *idcirco vobis dat die ſexto cibum bidui* ; ſed non Ante dederat cibum bidui die ſexto. Nec quicquam habetur, in toto contextu, quin Sabbatum hoc, jam fuerit ipſis noviter datum. *Lev.* 23. 8. *Die ipſo ſeptimo, ſancta Convocatio* (ſupple *eſto* :) quod revera *Sabbatum* erat, (quodque hic Scriptor, *Repl.* p. 48. appellat Sabbatum,) nam ſic ſequitur, *nullum opus ſervile faciendum*. At hoc *Sabbatum*, & quidem *die ipſo ſeptimo*, non tamen eſt dies Septimus continue ab *Orbe condito*, ſed dies ipſe ſeptimus *Feſti azymorum* ; quotuſcunque ſit ſeptimanæ dies, (ut modo dictum eſt.) Adeoque *haſhebigni* (dies ipſe ſeptimus) nullas hic ſuppetias feret ad probandum, vel Sabbatum *Judaicum*, (hoc eſt diem ſeptimum *à deſcenſu Mannæ*,) vel Sabbatum ſeu diem ſeptimum *quarti præcepti*, eſſe diem ſeptimum ab *Orbe condito* ; cum poſſit eſſe ſeptimus ab alia Epocha.

At inquiet ; *Dies Septimus à prima Creatione*, eſt dies ille quo *requievit Deus* : Certiſſime, inquam. Quippe dubium eſſe non poteſt, quin *dies ſeptimus à prima Creatione* fuerit *dies ſeptimus à prima Creatione*. Dies ſeptimus *Mundi* erat *Mundi* dies Septimus ; Dies ſeptimus *Anni* erat *Anni* dies ſeptimus ; Dies ſeptimus *Menſis* erat *Menſis* dies ſeptimus ; & Dies ſeptimus *Hebdomadis* (ſi per hebdomadas tum cenſebant tempora) erat *Hebdomadis* dies ſeptimus. Sed, An tum *per hebdomadas cenſebant tempora*, eſt id de quo quæritur. Quod per *Dies* & *Menſes* & *Annos*, diſtinxerunt tempora, liquet ex *Gen.* 1. 14. (quippe hoc munus erat Solis & Lunæ ;) ſed *Hebdomadum* nulla eſt hic facta mentio ; (nec uſpiam ante *Exod.* 16. poſt exitum ex Ægypto.) Neque ſic *Hebdomadas* diſtinguunt Sol & Luna, ut *Dies*, *Menſes* & *Annos*.

Sed,

Sed, poſito (quod ego facile admiſerim) quod Deus *Celebravit* ſeu *Inſignivit* (inſigni aliquo *Actu* vel *Beneficio*) hunc Hebdomadis, Menſis, Anni, Mundive, diem *Septimum*: Puta (verbi gratia) *Adamum* & *Evam* in *Judicium* vocando de *eſu fructus vetiti*; indeque *Sententiam* ferendo in *Serpentem*, *Mulierem*, *Virum*, ipſamque *Terram*; tandemque reliqua concluſerit *benedicta* beneficaque *Promiſſione*, de *Semine Mulieris contrituro caput Serpentis*: Quomodo *hinc* conſtabit, hoc nobis pro *Exemplo* eſſe, quod imitemur? Et quidem, ſi pro *Exemplo*, Num prout eſt *Hebdomadis*, an *Menſis*, an *Anni*, dies Septimus?

Non dicitur quod *Homo* benedixit, ſanctificavit, aut celebravit hunc diem; aut, quod ipſi Imperatum ſit ut hoc faceret; aut quod ullum celebraverit Sabbatum ante illud *Exod.* 16. poſt deſcenſum Mannæ. Et quidem ſi utcunque dicendus ſit *Homo* (quatenus id ipſum ſpectet) *Celebraſſe* (non *inſtituiſſe*) hunc unum diem: ut *Moſes* & *Iſraelitæ* Exod. 15. celebraverint *Tranſitum* ſuum per *Mare Rubrum*, quocunque die contigerat; aut *Noachus* ſuum *Egreſſum ex Arca*, Gen. 8. 21, 22; (quando facta eſt ei *Promiſſio*, de non *iterum* deſtruendo Mundum *diluvio*; deditque Deus *Iridem* in *Signum* hujus *Fœderis* ſui cum *Ipſis*, *omnique Animante ex omni carne*, Gen. 9. 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17;) Aut *Debora* & *Barak* Jud. 5. ſuam, à *Siſera*, *liberationem*: Non *hinc ſequitur*, quod repetenda ſit *hebdomadatim* hæc celebratio ad *finem uſque Mundi*. Erat quidem, in *Paſchate*, Commemoratio *Annualis* eorum ex Ægypto liberationis, non *Hebdomadalis*; ſed nec ea, *ad finem uſque Mundi*.

Dicetur forte, hanc *Dei Requietem* nobis ut Exemplum proponi, in Quarto Præcepto, non *Annualis*, ſed *Hebdomadalis* Sabbati. Recte quidem. Sed id non *hinc* liquet (ex *Gen.* 2.) ſed ex *Exod.* 20. (poſt illud *Exod.* 16.) Adeoque concedimus, *exinde*, celebrandum eſſe *Sabbatum Hebdomadale*; Nempe, ut *Deus* (poſt Sex dies operum Creationis) *à Creando requievit* die *Septimo*; ſic *Nos* de *futuro*, (poſt Sex dies Laboris ordinarii,) deberemus die *Septimo* celebrare *Sabbatum* ab his laboribus *quieſcendo*, virtute Quarti Præcepti. (Eruntque, puto, hi *Septem dies*, tunc numerandi à primo *Deſcenſu Mannæ*.) Adeoque non negaverim quin ex *Gen.* 2. & *Exod.* 20. *junctim*, recte inferatur, *exinde* celebrandum eſſe Hebdomadale Sabbatum, ſed non ex *ſolo* Gen. 2. Adeoque, qualiſcunque hic eſſe poſſit *Inſinuatio*; nullum tamen hic extat *Expreſſum Mandatum*, *ſacris literis conſignatum*, quale à nobis ille poſtulat pro *Die Dominico*. Non hic *Expreſſe dicitur*, quod *omne genus humanum*, *exinde in perpetuum*, *obſervare debeat*, *quemque diem Septimum*, *cujuſque Septimanæ*, *continue numerandum à prima Creatione*; quod ille contendit. Quæ cum ego diſerte dixeram, *Diſc.* p. 4. hoc ille tantum Replicat (*Repl.* p. 6.) quod *Septimus dies à Deo benedictus & ſanctificatus* Gen. 2. 2, 3. *includit*, *diem ſeptimum cujuſque deinceps Septimanæ poſt futuræ*, *in continua ſucceſſione ſeu circulatione dierum & hebdomadum*. Nempe, ſi huic ſic dictanti ſit aſſentiendum.

CAP. XXIX.

De inchoando Sabbato ab Occaſu Solis. Contemplatio operum Dei, die ſexto. Shabath *ſignificat* Ceſſavit, *non* Sabbatizavit.

SED porro; Cur *inchoandus eſt hic dies ſeptimus*, *ſemper & ubique ab ipſo præciſe Solis Occaſu*? (de quo tam peremptorie ſtatuit.) Nihil hic *Verbi* eſt quod ego video. Nulla mentio *Veſperæ & Mane*, nulla *Tenebrarum & Lucis*, die *Septimo*. Non dubito quin fuerint die Septimo (ut reliquis diebus) Lux & Tenebræ, Mane & Veſpera; ſed non *diſerte dicitur*, nedum Emphatice.

At inquit, *Inchoandus erat dies hic*, *ut primus cæterique omnes*; *hoc eſt*, inquit, *ab Occaſu Solis*. Ubinam vero *ſcriptum legitur*, *Incepiſſe diem primum ab Occaſu Solis*? Incepit dies primus, eodem momento, quantum ad univerſum orbem; ergo (ipſo arguente) dies Septimus: At non erat, eodem momento, Occaſus Solis ubique terrarum. Verum ait, *Repl.* p. 67. *Neſcire ſe locum in Verbo ullum*, *ubi dicatur inchoandum eſſe Sabbatum omne ſecuturum*, *eo temporis momento quo inceperit Sabbatum primum in Paradiſo*. Recte quidem; nec ego ſcio. Sed neque ſcio *ullum in Verbo locum*, ubi dictum eſt, *inchoandum eſſe in poſterum omne Sabbatum ab Occaſu Solis*. Ait etiam, *Qua parte diei quarti creatus erat Sol*, *non certo revelatum eſt*, *in quantum ipſe noverit*. Nec novi ego. Addo, *nec in quo Meridiano*; num in ipſo Paradiſi, an alio aliquo. Sed neque ſcimus, *Quo tempore diei primi dixerat Deus*, *Eſto Lux*; ut inde ſciamus, quamdiu fuerant Tenebræ antequam cœperit Mane. Sed neque ſcimus, *Qua parte diei Septimi Deus illi Benedixit*, *eumque Sanctificavit*.

Si dicat, Sanctificaſſe Deum, exemplo ſuo, totum diem: tum reſolvitur hæc Sanctificatio in *Exemplum* Dei, non *Mandatum*. Si vero putet, *Mandato* aliquo poſitivo Sanctificatum

(ſeu injunctum) fuiſſe Sabbatum; Qua parte diei Septimi factum eſt hoc Mandatum? Si dicat, Quieviſſe Deum *toto die*; adeoque ab ipſo initio, hoc eſt, *ab Occaſu Solis*: At vero, num cœperit ille dies ab Occaſu Solis, eſt id de quo quæritur. Quod *requievit toto die Septimo*, facile conceſſerim; ſed & toto die *Octavo*, *Nono*, *Decimo*, & ſic deinceps; hoc eſt, *à Creando ceſſavit*, cum totum Creationis opus abſolverat die Sexto.

Dicat forte, Hunc eſſe *primum diem* quo à creando abſtinuit; atque, in hujus diei *parte aliqua*, putandus eſt hac de re aliquid ſtatuiſſe.

Jam vero, quod hic fuerit *primus dies* quo *non creavit*, concedo; ſed non *primum momentum* quo ſic quievit, ſeu à creando abſtinuit. Quippe hoc erat die Sexto. Nam *Creatio Evæ* erat (quod ſcimus) ultimum Creandi opus; quod contigit aliquanto ante Finem diei Sexti. Nam, poſtquam ea facta eſt, hanc *Adamo* adduxit Deus, dedit an Uxorem, inſtituit Matrimonium, benedictionem dedit nuptialem *Creſcite & Multiplicamini*; quæ omnia facta ſunt poſtquam creando ceſſaverat, ſed ante finem Sexti diei. Sed, quota hora ſexti diei à creando primum ceſſavit, neſcimus: ut non teneamur, à primo momento non-creandi, Sabbatum noſtrum ordiri; ſed potius à tempore alicujus facti Poſitivi. Quod non probabilè videtur contigiſſè in ipſo Solis Occaſu, (nocte ſomnoque ingruente,) ſed potius *aperta Luce*, cum erat Agendi tempus. Sed de his, jam ſupra dictum eſt fuſius.

Et quantum ad Hominis *Celebrationem* hujus diei (ſi ſaltem celebravit) *contemplando infinitam Dei Excellentiam, ejuſque Opera magnifica*, Repl. p. 7. id factum eſt die Sexto. Nam (ante factam *Evam*) *adduxerat ad Adamum Deus, omnes beſtias agri, & omnia volatilia Cœli, ut eis* (pro cujuſque natura) *imponeret Nomina*; *quodque nomen indidit Adam cuique animanti, id nomen ejus*, Gen 2. 19, 20. Cœpit igitur hæc ejus eorum *Contemplatio* die Sexto; ſoretque (quantum ſcimus) cujuſque diei opus, ſi in Innocentia perſeveraſſet. Nam *ſex dierum labor*, & *ſudor vultus*, nunniſi poſt Lapſum inceperunt, Gen. 3. 17, 18, 19. Adeoque, quantum ad ea quæ ex hoc loco producit hic ſcriptor, incerti adhuc ſumus, tum an *Sabbatum ſit obſervandum*, tum *quando incipit*.

Sed ait *Repl.* p. 6. *Ab hac Dei Sabbatizatione, dies ſeptimus dictus eſt Sabbatum*, Exod. 20. (Dixerim ego potius, *Ab hac Dei Requie.*) Sed, ſi ita dicitur *Exodi* 20, non ita dicetur *Geneſeos* 2. neque per annos plus 2500 poſt id temporis. Nam non ante occurrit vox *Sabbatum*, quam *Exod.* 16. 23. atque tum *ver.* 25. & *ver.* 26. in quibus locis omnibus eſt *ſhabbat* (ſabbatum) abſque articulo, non *haſhabbat* (ſabbatum illud) quaſi de re ante nota; ſed ut de re tum data; ſed tandem *ver.* 29. (poſtquam Deus ſic dederat) vocatur *Haſhabbat*; *Quia Jehova dedit vobis* (haſhabbat) *hoc ſabbatum, idcirco dat vobis die ſexto cibum bidui.* Sed non legimus quod ante dederat eis die ſexto *cibum bidui*, nec quod antè *diceretur Sabbatum*, nec quod ante *dederat eis Sabbatum*.

Sed *vocatur*, inquit, *ipſum Sabbatum Exod.* 20. 9. *atque deinceps per totum Vetus Novumque Teſtamentum, ab Hebræa Radice* Shabat, *Sabbatizavit.* Vocatur quidem *ſhabbat* (non *haſhabbat*) Exod. 20. 9. pariterque loco parallelo *Deut.* 5. 14. *Septimo die eſt Shabbat* (non *haſhabbat.*) Multo minus ſic vocatur *per totum vetus novumque Teſtamentum* Sed, ſive ſit *Shabbat* ſive *Haſhabbat*, non dicitur à *Shabath, Sabbatizavit*; ſed, à *Shabath, Requievit*, vel *Ceſſavit.* Et quidem in ipſo *Exod.* 20. 11. ubi hoc citatur, ut incitamentum ad obſervandum Sabbatum, *Sex diebus perfecit Jehova Cœlum & Terram—& Quievit die Septimo*; non dicitur *vajiſhboth* (à verbo *ſhabath*) ſed *vajanach* (à verbo *nuach*;) quod ſatis innuit ipſum *vajiſhboth*, in loco altero, non ſumendum in ſenſu coacto, pro *Sabbatizatione* (quod vult ille;) ſed in nativa ſua ſignificatione, eodem ſenſu quo *janach*; *quievit, ceſſavit, requievit.*

Et quidem, ſi Criticum agere vellet, notaſſet (ſecundum analogiam linguæ Hebrææ) quod ſolent *Nomina* à *Verbis* derivari (potius quam Verba à Nominibus.) Adeoque non quærendum eſſe ſenſum Verbi *Shabath* (*quievit*) à Nomine *Shabbath* (*ſabbatum*) ut ſignificet *Sabbatizare*; ſed à ſenſu Verbi *Shabath* (quievit) ſumendus eſt ſenſus Nominis *Shabbath* (*ſabbatum*;) Et quidem ipſe hic agnoſcit, Verbum *Shabath* Radicem eſſe. Non negem interim quin aliquando (ſed raro) Verbum mutuetur ſecundariam aliquam ſignificationem (in remotiori aliqua Conjugatione) à ſenſu Nominis quod fuerat ab ejus primaria ſignificatione derivatum. Sed nullo modo putandum ut *Shabath*, in primaria ſua Conjugatione *Cal*, ſenſum ſuum mutuetur à Nomine *Shabbath*, quod non in uſum venerit (quod ſcimus) niſi poſt annos *bis mille & quingentos.*

Et quidem in ſenſu *quieſcendi, ceſſandi*, (ſimilive,) occurrit perpetuo Verbum *Shabath.* Sic *Gen.* 8. 22. *Quamdiu erit terra, ſementis & meſſis, friguſque & æſtus, æſtaſque & hyems, non Ceſſabunt.* Num intelligendum velit *non Sabbatizabunt*? Sic *Prov.* 18. 18. *Contentionem Ceſſare faciet Sors*: Num *Sabbatizare* faciet? *Joſh.* 5. 12. *Ceſſavit Manna poſtridie, cum comederent de annona illius terræ*: Num *Sabbatizavit* Manna poſtridie? *Prov.* 22. 10. *Ejice deriſorem—& ceſſabit litigium*: Num *Sabbatizare* dicat litigium? *Nehem* 4. 11. *Dixerunt hoſtes, Ne animadvertant, neque videant, donec pervadentes medium eorum interficiamus eos, & Ceſſare faciamus opus*: Num *Sabbatizare* vellent? *Neh.* 6. 3. *Quamobrem Ceſſaret hoc opus*? Hoſ. 1. 4. *Adhuc pauliſper—& faciam ut Ceſſet regnum in domo Iſraelis.*

Iſraelis. Lamen. 5. 14, 15. *Senes è porta Ceſſant & juvenes à modulatione ſua*: *Ceſſat gaudium animi noſtri, convertitur in luctum chorus noſter*. 2 Chron. 16. 5. *Fuitque cum audierit—Baaſha, ut deſiſteret ab ædificanda Rama—& Ceſſaret ab opere*. Exod. 12. 15. *Primo die, Ceſſare facietis fermentum è domibus veſtris*: (non *Sabbatizare*) Ezek. 34. 25. *Faciam ut Ceſſent* (non *Sabbatizent*) *beſtiæ malæ è terra*. Quibus locis omnibus (ne plura nominem) vox *Shabath* manifeſto ſignificat *quieſcere* ſeu potius *ceſſare*, non *ſabbatizare*.

Adeoque Dei *Ceſſatio* ab opere creandi, nihil probat de tempore *inchoationis* Sabbati; à qua hora debeat incipere. Nam Dei *Ceſſatio* (ab opere creandi) incepit ante finem diei ſexti, & perſeveravit ultra diem Septimum, Octavum, Nonum, &c. Et (quantum ſcimus) ad hunc uſque diem. Et quantum ad voces reliquas *benedixit* & *ſanctificavit*, non magis ſcimus, qua parte diei id factum ſit, quam qua parte diei *fecit Solem*, aut *dixit*, *Eſto Lux*. Nec videtur probabile quod fuerit in Occaſu Solis, cum ingrueret Nox & Somnus. Adeoque ſi valet ejus Regula *Repl.* p. 61. *Inchoandam eſſe noſtram Sanctificationem Sabbati quando Dominus incepit ſuam*; Id adhuc in incerto eſt.

CAP. XXX.

Incertitudo de die Septimo continue obſervato. Ejus ſex Evidentiæ conſiderantur.

10. INterim ego non ſum averſus ab Hebdomadali Sabbato; ſed lubens optaverim id ſolide probatum iri; hoc ipſo in loco [illegible] inſinuatum eſſe; quodque fuerit jam inde obſervatum. Quippe ego non dubito quin aliquid *aliquanto minus* quam *Expreſſum mandatum in ſacris literis memoratum*, nobis ſufficiat ad indicandam nobis divinam voluntatem: quamvis ipſi nil minus ſufficiet pro *die Dominico*.

Id quod maxime obeſt, dubiumque relinquit, hoc eſt: Nempe, quod nullum hic compareat *Mandatum*; nullaque mentio facta, quod *Homo* vel ſanctificaverit vel celebraverit; nec ulla de conſequente *praxi* veſtigia; ipſiuſve *Sabbati* nomen, per annos plus 2500 ſequentes: Atque tum quidem computatur, non ut ab *Orbe Condito*, ſed à primo deſcenſu *Mannæ*. Quod facit ut dubitem, quod vel non fuerit *ab initio* obſervatum, vel non ſit nobis neceſſe ut *id ſciamus*, vel (ſi aliquandiu fuerit obſervatum) ſenſim *deſueverit* fueritque oblivioni traditum, donec (poſt exitum ex Ægypto) reſtitutum fuerit, ab Epocha nova computandum, nempe à primo deſcenſu *Mannæ*; & tandem (Sabbatum Chriſtianum) à *Reſurrectione* Chriſti.

Sed videamus ejus (quas vocat) *Evidentias*, quibus probatum it, id continue obſervatum fuiſſe, & quidem eodem præciſe die Septimo à prima creatione continue computato, abſque ulla vel interruptione vel oblivione.

Evidentia prima (Repl. p. 8.) hæc eſt, *Die ſeptimo, finiverat Deus opus ſuum quod fecerat, & ſabbatizavit die ſeptimo ab omni opere ſuo quod fecerat*, Gen. 2. 2. Quod ego totum facile conceſſerim, excepta voce *Sabbatizavit* (ob cauſas modo dictas.) Nam vox ibi adhibita, non ſignificat *Sabbatizavit*, ſed *requievit* ſeu potius *ceſſavit*: Sicubi alibis memorata Requies, aut Ceſſatio, appareat ex loci circumſtantiis intelligenda de *Requie Sabbatica*; id ex circumſtantiis loci colligendum eſt, non ex vi vocis; quæ ſimpliciter *Requiem* ſignificat ſeu potius *Ceſſationem*. Ut ex locis modo productis manifeſto liquet. Et quidem quærebam ego (cum aliqua diligentia) ſicubi invenire poſſem hanc *Quietis* vocem pro *Acquieſcentia* poſitam; ſed non inveni; (forſan inveniat alius.) Video quidem de diebus præcedentibus *Acquieſcentiam* ſeu *Complacentiam* inſinuari; *Gen.* 1. 4, 10, 12, 18, 21, 25, 31. *Vidit Deus omne quod fecerat, & ecce erat bonum valde.* Sed, de die ſeptimo, *Quievit* aut *Ceſſavit*, *Ab opere ſuo.* Sed quæcunque fuerit hæc *Requies*, erat *Dei* requies, non *Hominis*.

Evidentia inquit *ſecunda, eſt id ipſum repetitum, ver.* 3. *Deus benedixit diei ſeptimo & ſanctificavit illum, quia in eo quievit ab omni opere ſuo quod creavit & fecit.* Atque hic, ipſo citante, eſt *quievit Ab opere*, (non *in* eo:) hoc eſt, *Ceſſavit ab opere*. Eſtque *Dei* quies, non *Hominis*. Non dicitur *Homo* quievit *ab omni opere ſuo quod fecerat*. Sed de *Hominis* Sabbatizatione jam agitur. Eſtque hæc *Ceſſatio* ver. 3. non alia, ſed eadem ipſa quæ memoratur *ver.* 2. Sin hic fuiſſet dictum (ut in caſu Diei Dominici) *Poſt octo dies Deus iterum Quievit, & Adamus cum eo*; foret hoc multo fortius quam quod ab ipſo profertur quicquam.

Tertia inquit *Evidentia, eſt in caſu Caini & Abelis. Gen.* 4. 3. *In proceſſu temporis attulit Cainus oblationem Domino, & ver.* 4. *Abel attulit oblationem ſuam.* Eſtque hæc quidem *de Sacrificiis* evidentia; ſed quid hoc ad *ſeptimi diei Sabbatum*? At inquit (*Inquiſ.* p. 23. *Repl.* p. 8.) id quod hic redditur *in proceſſu temporis*, eſt in Hebræo *Mikkats jammim* (dixiſſet *jamim*, nam *jammim* eſt *maria*) *in abſciſſione dierum*, ſeu *in fine dierum*; hoc eſt (ut ipſi videtur) *in fine ſeptimanæ*; quoniam (inquit) *poſt diem ſeptimum, incipiunt interim*

computare, 1, 2, 3, &c, (nempe ſi tunc ſolebant per hebdomadas computare tempora, quod ipſum eſt de quo quæritur.) Sed quidni pariter *in fine Menſis*? nam & tunc incipiunt numerare, 1, 2, 3, &c. pro diebus Menſis ineuntis. Aut etiam *in fine Anni*? nam & tunc de novo numerare incipiunt, 1, 2, 3, &c. pro diebus ineuntis Anni (ejuſve menſis primi.) Et quidem, quod per *Menſes* & *Annos* tempora diſtinxerint, certum eſt. Sed, An per *Septimanas* item, eſt id de quo quæritur. Cujus quidem nulla mentio facta eſt; ante *Exod.* 16. (à primo deſcenſu Mannæ) poſt exitum ex Ægypto.

Ainſworthus noſter (cujus aliquam eſſe puto Authoritatem apud hunc Scriptorem) *ad finem dierum* eſſe poſſe putat *ad finem anni*, (eo quod *dies* abſolute poſiti, pro *Anno* dici ſolent, ut apud eum videas ;) Vel potius (ut noſtri reddunt Interpretes) *in proceſſu temporis.* Qui & mihi videtur ſenſus ſimplicior. Nempe, *in fine dierum*, ſeu *poſt dies*; hoc eſt *poſt aliquot dies*, (ut *Marc.* 2. 1. δι' ἡμερῶν *poſt dies*, exponitur *poſt aliquot dies*;) Vel, *poſt multos dies* (ſeu longo poſt tempore :) erat enim revera *poſt multos Annos*; non multo ante Nativitatem *Sethi* (ut patet *Gen.* 4. 25.) quando *Adamus* erat annorum 130, ut liquet *Gen.* 5. 3. Sic *Jud.* 14. 8. (*mijamim*) *poſt dies*, (hoc eſt *poſtea*, ſeu *poſt aliquot dies*) *reverſus eſt Samſon, ut eam duceret.*

Si fuiſſet hæc narratio rei mox conſequentis, (ut *poſt dies* intelligi poſſet *poſt octo dies*, aut ad finem hebdomadis proximæ ; prout dicitur de Chriſto ſecundum diem Dominicum celebrante *poſt octo dies*,) foret aliquis prætextus imaginandi hoc contigiſſe ſequente Sabbato ; ſed *Cain* & *Abel* non erant tunc nati ; & contigit hæc res poſt annos quaſi 130 ; ut non poſſit hoc (niſi collo admotum obtorto) produci ad probandum hebdomadale Sabbatum continue obſervatum : præſertim ab eo, cui nihil minus ſatisfaciet (de die Dominico) quam *Expreſſum mandatum in Sacris literis mem*[illegible]*um.*

At inquit, *Si nemo poteſt nobis indicare alium ullum Finem Dierum, eo tempore ; hæc bona eſt evidentia, oblationes has factas fuiſſe Sabbato diei ſeptimi.* Sed tenui tibicine fultum eſt hoc Argumentum. Quippe nemo non videt, multas fuiſſe *dierum terminationes* (intra illos centum triginta annos) præter hebdomadis finem; puta *finem menſis*, *finem anni*, (ne plures nominem,) qui non minus ſunt *fines dierum*, quam eſt *finis ſeptimanæ*.

Evidentia quarta (inquit, *Repl.* p. 5.) *eſt ex Gen.* 5. 22. *Ambulavit Enoch cum Deo annis trecentis.* Eſto. Sed quid hoc ad hebdomadale Sabbatum? Num dicitur , *celebraſſe Sabbatum* annis trecentis? Non quidem ; ſed *Enoch* (inquit) *erat propheta* (*Judæ* ver. 14, 15.) *qui prophetavit adventum Domini ad exequendum judicium & convincendos omnes impios.* Quid hoc ad Sabbatum ? At inquit, *Quomodo potuerit ipſe alios convincere, ſi non ipſe obſervaverit Sabbatum*? Quin ſiſte parum : quippe non dicitur quod *Enoch* eos convinceret ; ſed prophetavit fore, ut *Dominus* eos convinceret. Sed de quo ? non dicitur ſpeciatim *de violato Sabbato*, ſed *de factis omnibus quæ impie patraverint, deque duris omnibus quæ locuti ſunt adverſus ipſum Dominum.* Annon potuerint eſſe *impia facta*, & *perverſe dicta* contra Dominum, ſi non fuerit Sabbatum continue celebratum (ipſoque præciſe die) per omnia illa tempora?

Alia fuerat *Evidentia*, *Inquiſ.* p. 23. quam citat *Repl.* p. 10. ex *Gen.* 13. 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10. ubi fit ſermo de *Abramo* & *Loto*, magnaque eorum *copia pecorum*; diciturque *ver.* 6. *Itaque illos non ferebat terra illa* (laſhebeth) *ut habitarent ſimul*; *nam erant facultates eorum multæ, adeo ut non poſſent* (laſhebeth) *Habitare ſimul*: hoc eſt (ut ipſi videbatur) non poſſent ſimul *Sabbatizare*, (quaſi foret *laſhebeth* Infinitivum Verbi *Shabath*, *quieſcere*, aut *Sabbatizare* ;) ſed cum perſpexerit eſſe Infinitivum Verbi *Jaſhab* , *habitare* ; hanc deſerit evidentiam, *Repl.* p. 10.

Proxima quæ ſequitur *Evidentia* (quæ nunc *quinta* eſt) *eſt ex Gen.* 25. 4, 5. ubi dicitur, *Auſcultavit Abraham voci meæ, obſervavit præcepta mea, ſtatuta mea, & leges meas*; unde concludit eum obſervaſſe *Sabbatum*, ut quæ erat *Legum* una. Sed hoc ipſum eſt quod quæritur ; nempe an obſervatio Sabbati tunc fuerit *lex*, & *Abrahamo cognita.* Erat quidem facta Lex, *Exod.* 16. verum hoc fuit multo poſt *Abrahami* tempora.

At inquit, *Exod.* 16. 27, 28. dicitur, *Quouſque renuitis obſervare mandata mea & leges meas*? *Atqui*, inquit, *legis violatio quæ tunc objicitur Iſraelitis, eſt, quod eorum aliqui, die Septimo, exierant ad colligendum Manna*; Nempe, Quod jam nuperrime prohibuerat Deus, *ver.* 23, 25, 26. An vero prohibuerat Deus *Abrahamo, ne colligeret Manna die Septimo*? Dixerat (*Repl.* p. 9.) quod *Juſtus Abel*, erat *Deo obediens in omnibus* ; &, quod *Enoch, ambulavit cum Deo.* Num propterea concludendum eſt quod fuerint *Circumciſi*; quia Deus, poſtea, *iratus fuerit Moſi* (Exod. 4. 20.) *quod non circumciderit infantem*? Non certe. Sed talis eſt hujus Argumentatio ; nempe, *Iratus eſt Deus colligentibus Manna die Septimo*, (quod ipſe jam modo prohibuerat,) ergo *Abrahamus obſervabat Sabbatum.*

Sed id quod arguit, *Repl.* p. 11. *Si lex ab Iſraelitis violata Exod.* 16. *fuerit ea de obſervando Sabbato diei ſeptimi*, (illud ſcilicet quod *tunc* erat Sabbatum *Judaicum*,) *tunc valde probabile eſt, hanc unam fuiſſe legum illarum quas obſervaſſe dicitur Abrahamus Gen.* 26. Non (inquam) ſequitur. Nam lex hæc (de *Manna*) facta eſt multo poſt *Abrahami* tempora. Potuiſſet pariter arguere, *Si lex ob quam neglectam reprehenditur Moſes, fuit ea de Circum-*

ciſione; tum probabile eſt *hanc unam fuiſſe illarum quas obſervavit Juſtus Abel.*

At inquit, p. 11. *Non conſatur hic Theologus, aut probandum ſuſcipit, Abrahamum violaſſe Sabbatum.* Recte quidem; ſed nec ullam probationem affert hic *Juriſta*, quod vel *Abrahamus*, vel *quiſquam hominum alius*, (ante tempus *Exod.* 16. indicatum,) Sabbatum *obſervaverit*, aut quod *teneretur* obſervare. Probaſſe prius debuerat, quod ipſi *incumberet* id obſervare; quodque hoc ei fuerit *notum*; quodque *præciſus ipſe dies* (in continua ſerie ab orbe primum condito ſeptimus) *tunc innotuerit*; nec fuerit, ante ejus tempora, *oblivioni* ſic datus, ut non potuerit ille ulla arte *reſciſcere* quis fuerit.

Verum, inquit, *cum hoc fuerit inſitum ſeu inplantatum Adamo, qui creatus fuit ad imaginem Dei, fieri poſſet*, (ſed probandum erat *factum fuiſſe*, non tantum *fieri poſſe*,) *fieri poſſet*, inquit, *ut hoc edoceatur continue ab Adamo, in piis familiis, de Patre in Filium, ad Abrahamum uſque.* At inquam, Cum Lex de Sabbato (ſiqua tum fuerit) ſit *Lex Poſitiva*, (non *Naturalis*;) non præſumendum eſt eam fuiſſe *Adami Naturæ inſitam.* Deinde, probandum item erat, hanc Adamo datam, adhuc *Innocenti*; antequam (lapſu ſuo) hanc *imaginem obliteraverat* Notandum tertio, hanc de Patre in Filium *Traditionem*; id eſſe cui ille perpetuo *Reclamat*, quodque repudiat ut rem *nullius Authoritatis*, & cui nullatenus *fidendum* eſt. Notaſſet quarto, Legem de *Matrimonio*, tam antiquam fuiſſe, ſi non & antiquiorem, quam præſumi poteſt hæc de Sabbato, (*Gen.* 1. 27. *Gen.* 5. 1, 2.) cujus Tenorem hunc fuiſſe, docet ipſe *Inquiſ.* p. 62. quod *Hi Duo ſint una caro*; non, *hi tres, quatuor, aut quinque*: Num inde concludamus, *Abrahamum* (qui *omnia præcepta & leges Dei obſervavit*) *non ingreſſum eſſe ad Hagarem*? Idemque de *Jacobo*, aliiſque. Quin & ipſe nobis indicat, *Prævaluiſſe Polygamiam, à Lamecho ad Malachiam uſque*; *etiam in multos qui erant in Eccleſia Eminentes.* (Per annos, ipſo numerante, 2480.) *Inquiſ.* p. 62. Meliori igitur argumento (quam quod erant *boni viri*) opus erat, quo probet continuam obſervationem Sabbati.

Feſtum Tabernaculorum pars erat *Divini cultus Inſtituti*; eratque *David* Vir Pius, *ſecundum cor ipſius Dei, præterquam in negotio Uriæ*: Num inde ſequetur, *Davidem obſervaſſe Feſtum Tabernaculorum*? Neutiquam. Nam diſerte dicitur *Nehem.* 8. 17. *jam inde à diebus Joſhuæ filii Nunis, ad ipſum uſque diem, id factum non fuiſſe.* Quod notat ipſe *Inquiſ.* p. 63. per annos quaſi *Mille*, ipſo ibidem computante.

Notatque (ibidem) *Mandata violari poſſe*; *magnaque & clara Officia omitti, in Eccleſia, longo tempore & generaliter*; *magnaque peccata perpetrari.*

Atque, de Sabbato ſpeciatim, *Septimi diei Sabbatum per multos annos tum Ante Captivitatem Babilonicam, tum durante Captivitate, in diem Mercatus tranſiiſſe.* Ut non mirum ſit, ſiquando ipſius diei inceſſerit fatalis oblivio.

Meliori igitur Argumento opus eſt, quo probetur *Abrahamum obſervaſſe Sabbatum*, quam quod fuerit *Vir pius.* Fieri enim omnino poteſt, ut vel *non fuerit incumbens officium*; vel, ita jam olim fuerit *neglectum*, ut *neſciretur*, nec *ſciri poſſet*, quis ſit ipſe dies ordine Septimus in continua ſerie ab Orbe primum condito. Et quidem *de eo ipſo die* (non de Sabbato aliquo *hebdomadatim* obſervando) contendit hic Scriptor.

Sexta Evidentia, eſt (inquit *Repl.* p. 11.) *ab Exod.* 5. 5. cui per tres paginas inſiſtit. Cujus ſumma, hæc eſt. Quando *Moſes* & *Aaron* petebant à *Pharaone*, ut permitteret Iſraelitis *ire itinere tridui in deſertum ut ſacrificarent Domino*; Reſpondet *Pharaoh*, *Quare abſtrahitis populum hunc ab operibus ſuis? En multus eſt hic populus*; *Cur* (hiſhbattem) *Ceſſare facitis eos ab operibus ſuis?* Hoc eſt, inquit hic Scriptor, *Sabbatizare facitis*: nempe quia *Hiſhbattem* (*ceſſare facitis*) derivatur à Verbo *Shabath*, (*quieſcere* aut *ceſſare*;) unde tandem dictum eſt *Sabbatum*, ergo omnis *ceſſatio* putanda ſit Sabbatizatio. *Solebant igitur* (inquit) *Quieſcere, hoc eſt Sabbatizare*, idque *ſingulis Septimanis*, & quidem *Eodem præciſe die qui erat continue ſeptimus à prima Creatione.* Sic utique (gratis) ſuſpicatur. Quod quam coactum ſit, nemo non videat; atque, ex modo dictis, oſtenſum eſt.

Si *Moſes* & *Aaron* à *Pharaone* petiiſſent, ut *ſingulis Septiduis liceret Iſraelitis vacare ab operibus uno die*; foret hoc probabile argumentum, obſervandum fore Sabbatum, ſaltem *de futuro*; ſed, obſervatum fuiſſe *de præterito* (quod eſt de quo quæritur) ne quidem hoc inſinuaret; multo minus, Quoto Septidui die, hoc fuerit; puta, an eo ipſo (& non alio) quo foret *ſeptimus in continua ordine ab Orbe primum condito*, quod, credo, (tum temporis non innotuiſſe.) Ubi autem id tantum petitur, ut liceret, *itinere tridui in deſertum facto, ſacrificare Domino*; Ecquid hoc eſt ad Hebdomadale Sabbatum?

Dum vero urget (*Repl.* p. 12.) quod ſit *jiſhbattem* in Conjugatione *Hiphil* (quaſi in hoc lateret Emphaſis aliqua;) in eadem ipſa Conjugatione habetur id ipſum Verbum, *Prov.* 18. 18. *Contentiones Ceſſare facit Sors*, (ſed non *Sabbatizare.*) Itemque *Neh.* 4. 11. *Hoſ.* 1. 4. 2 *Chron.* 16. 5. *Exod.* 12. 15. *Ezek.* 34. 35. locis ante citatis; (ne plura nominem;) ubi nihil de Sabbato quis ſuſpicetur.

Dumque ait, *Non eſt dictu difficile*; &, *Non eſt difficile imaginatu*; (ſed eſt *probatu* difficile,) quod, per *Feſtum Jehovæ Celebrandum*, intellexerint *Sabbatum*; hæc eſt mera conjectura, nullo fundamine nixa.

At inquit, per *iter tridui in deſertum*, intelligendum ille *Putat* (fortaſſe quidem) *Montem Horeb*: *Quem* (inquit) *obſervant Geographi inde diſtare* (*ſi nihil ſit impedimenti*) *quaſi Tridui itinere*: (ſed tum neceſſe erit ut longis itineribus procederent ipſi, uxores, infantes & pecora, quo illud tribus diebus conficerent; erat enim plus itinere tridui, antequam venerint ad Rubrum Mare, *Num.* 33. 5, 6, 7.) *Quo* (inquit) *Monte, Lex de Sabbato erat confirmanda.* Sed hoc nihil ad argumentum conducit, niſi porro ſupponatur, quod id *Pharaoh tum ſciverit*, cum hoc reſponſi dederit, (quod nondum ſciebant ipſi;) ſecus enim, ab ejus *Reſponſo*, nihil de Sabbato arguendum erit. Et quidem, ſi id ſciverint, (tum hic tum illi,) hoc ſpectat tempus *futurum*, (quid poſt facturi forent quam foret in *Sinai* Lex promulgata, de quo non dubitatur;) non probat (quod probandum erat) *continue obſervatum fuiſſe Sabbatum* (& quidem eo ipſo die) *jam inde à Dei ceſſatione ab opere Creandi.*

Quod addit *Repl.* p. 13. *Obſervatum fuiſſe Sabbatum· Exod.* 16. (à primo deſcenſu Mannæ) *ante datam legem in Monte Sinai*; nihil huc facit. Quippe non dubitatur, an Sabbatum inde numerandum tum fuerit injunctum; ſed, an fuerit *ante* obſervatum, idque *continue*, & quidem *eo ipſo die.* Quod niſi conſtet, ruit tota moles Argumentationis ejus, de Sabbato noſtro obſervando die *Saturni*; non die *Dominico:*

Evidentiarum itaque ſummam ſic recolligamus. Id de quo quæritur, hoc eſt; Num certo conſtet, quod *Poſt Dei ceſſationem ab opere Creationis* Gen. 2. 2, 3. & *Ante Sabbati conſtitutionem Exod.* 16. *poſt deſcenſum Mannæ*, toto illo tempore interveniente, annorum plus 2500, (quo nulla unquam Sabbati facta eſt mentio,) perpetua fuerit continuaque Hebdomadalis obſervatio Sabbati, die quoque Septimo; abſque ulla unquam interruptione, aut oblivione iſtius diei; Quodque illa conſtitutio Sabbati *Exod.* 16. à deſcenſu Mannæ computandi, fuit priſtinæ ſeriei continuatio, non nova deſignatio Epochæ, poſt obſervandæ. Quippe ſi in horum quopiam deficit, cauſa cadit. Ad horum omnium probationem hoc tantum inducit. Quod *longo poſt tempore*, ſeu (ut ille malit) *in fine dierum*, (hoc eſt, *poſt aliquot dies*, ſeu *poſt multos dies*, nempe annorum quaſi 130,) *Cain & Abel obtulerunt ſacrificia*; ſed quoto die id factum ſit, non dicitur; quod ille (gratis) præſumit dictum eſſe de fine ſtati alicujus temporis; non quidem Anni aut Menſis, ſed de fine Hebdomadis; non quidem proximæ (quippe tunc non nati erant *Cain* & *Abel*) ſed alicujus ſaltem Hebdomadis poſt annos quaſi 130 recurrentis. Item, quod *Enoch* (poſt annos adhuc 500 circiter) fuit vir pius; *ambulavit cum Deo*; *prædixit Domini adventum ad judicium*; adeoque, cum fuerit vir bonus, *præſumendus* eſt obſervaſſe Sabbatum, (nempe, ſi tunc debito fuerit obſervandum, & nondum deſueverit.) Item quod, poſt annorum adhuc Centurias quaſi 12 aut 13, *Abrahamus* vir pius erat, *omniaque præcepta Dei obſervavit*; (non ita tamen ut ab omni labe fuerit immunis, quod patet ab ejus *Polygamia* cum Hagare, quam ſpeciatim alibi inſinuat hic Scriptor;) adeoque *præſumendus* eſt obſervaſſe Sabbatum, (nempe, ſi debito fuit obſervandum, & nondum deſuevit:) ſed hæc *probanda* erant, non *præſumenda.* Atque tandem, poſt annos alios quaſi 430, cum *Moſes* & *Aaron* à *Pharaone petebant*, ut Iſraelitis permitteret *iter tridui facere in deſertum ut ſacrificarent Domino*; reponit Pharaoh, *Ecquid Ceſſare facitis populum ab opere ſuo?* Quæ quidem an juſta probatio ſit iſtius omnis quod erat probandum; Lectoris eſto judicium.

Et quidem hic ipſe Scriptor haud multum confidit ſuis Evidentiis; quippe hoc tantum hinc inſinuatum prætendit *Inquiſ.* p. 23. quod *eſt ſaltem Probabile, hoc ſeptimi diei Sabbatum fuiſſe à fidelibus obſervatum, à Creatione ad ejuſdem repetitionem in monte Sinai.* Non affirmat ipſe, *Certum eſſe.* Sed *certitudine* opus erat hac in re, (nequando inceſſerit diei oblivio,) quo probetur, Hebdomadis noſtræ diem Septimum, eſſe, ipſiſſimum Septimum in continuo ordine à prima Creatione. Quaſque ad hoc ſuppetias inducit ab eo (quem gratis ſupponit) *continuo cultu Solis in die Solis*, eſt res nihili.

Interim ego non diſerte negaverim, Sabbatum aliquod à Patriarchis olim obſervatum; ſed nego, id nobis certo conſtare; aut, quod eo prætextu negligi debeat Dies Dominicus.

CAP.

CAP. XXXI.

Celebritas numeri Septenarii. Incertitudo porro arguitur. Nova Epocha Exod. 16. *Initium Anni mutatur*, Exod. 12.

INſinuaveram ego (*Diſc.* p. 34.) aliud quid, quod huc faciat (quippe ego non tam adverſus ſum Antiquitati Hebdomadalis Sabbati, ut à principio inſtituti, quin lubens viderem id ſolide probatum ;) Nempe, à celebritate *numeri Septenarii* jam olim; Puta, de *Septem* Pharaonis *Vaccis Pinguibus*, totidemque *Macris* ; Item, de *Septem Spicis plenis*, totidemque *tenuibus* ; Gen. 41. quibus deſignabatur *Heptas* (una atque altera ;) ſed *Annorum* heptas, non *Dierum*. Item, de *Septenis* (cujuſcunque generis) *Animalibus puris*, à Deo in Arcam *Noachi* miſſis, *Gen.* 7. 2, 3. *Gen.* 8. 20. quibus iterum inſignitur numerus Septenarius.

Sed, quod potiſſimum huc ſpectat, (& quod non debuit ille omiſiſſe,) eſt illud (quod monui) de tribus *Septiduis*, ſpeciatim notatis (intra unius Anni ſpatium ;) Nempe *Gen.* 7. 4, 10, 13. *Ad dies adhuc ſeptem, ego pluviam demiſſurus ſum ſuper terram, quadraginta dies & quadraginta noctes* : Quam monitionem ſi ſupponamus (quod non eſt improbabile) ipſo Sabbato, (dum intenderet *Noachus* cultui divino,) Sabbato ſequente, (ingruente pluvia *ver.* 10.) ingreſſus eſt ipſe, cum familia ſua, in Arcam, *eo ipſo die*, ver. 13. intercedentibus ſex diebus proſeſtis, quibus poſſet ea quæ neceſſaria forent in Arcam inferre. Quod eſt unum Septiduum memoratu dignum. Habentur alia duo *Gen.* 8. Nempe emiſit Columbam *Noachus* prima vice, *ver.* 8. & *poſt alios dies ſeptem*, emiſit Columbam ſecunda vice, *ver.* 10. & *poſt alios ſeptem dies*, emiſit Columbam tertia vice, *ver.* 12. ubi manifeſte indicantur duo *Septidua* continua; & nihil impedit quin putemus, has tres Emiſſiones Columbæ, totidem Sabbatis contigiſſe. Saltem hæc mihi videtur potior inſinuatio (de Septiduis tunc obſervatis) quam omnes quas ille profert Evidentias. Sed hæc ille contemptim rejicit (*Repl.* p. 35.) præ ſuis Evidentiis. Et quidem longe abeſt à juſta probatione, quod *toto illo tempore, annorum plus* 2500, *perpetua fuerit hebdomadum obſervatio*, (*continua ſerie*,) *Sabbatique die quoque Septimo* (*& quidem eo ipſo die quem ille vult*,) *abſque ulla unquam interruptione, aut oblivione diei*.

Contra vero ; ſi tam conſtans fuerit, hoc toto tempore, Sabbati obſervatio (prout ipſe vult) & quidem *eo ipſo die, non alio*; mirum merito videatur, quod nullum de hoc *Præceptum* habetur *Gen* 2. nec ulla mentio quod *homo* tum celebravit Sabbatum; nec ulla *Sabbati obſervati* inſinuatio, aut ipſum *Sabbati nomen* uſpiam memoratum, in tota illa (annorum plus 2500) hiſtoria ; nemoque (quod ſcimus) de *neglecto* Sabbato reprehenſus, aut inſimulatus culpæ ; (quod ſæpiſſime factum deprehendimus tempore ſequenti :) Quodque in libro *Jobi*, (ubi res fuſius narrantur quam in ſuccincta *Moſis* eorum temporum hiſtoria,) in prolixis illis Colloquiis quæ *Jobo* cum amicis ſuis interceſſerunt, nulla prorſus mentio facta eſt aut Obſervati aut Neglecti Sabbati ; atque inter omnia illa, ſive Culpas ſive Crimina, quorum ipſi *Jobum* inſimulant reum, nemo omnium illi uſpiam objecerit Sabbati neglectum, aut minus diligentem obſervationem ; (quæ tam obvia foret Objectio, & non Improbabilis, ſi tum viguerit Hebdomadalis Sabbati obſervatio :) cumque *Jobus* ipſe tam ſolicitus fuerit de filiis ſuis Epulantibus, ut ſingulis diebus offerret ſacrificia, eorum gratia, *ne forte peccaverint filii ſui, Deoque apud animum ſuum maledixerint* ; nullam interim rationem videtur habuiſſe, de filiis ſuis per ſeptem (ut videtur) continuos dies epulantibus, abſque ullo Sabbati interventu ; neque tamen erant illa, *Sacra* convivia, ſed tales Epulæ ut de illis tam erat ſuſpicax ne peccarent. Et quidem, cum inciderit ea calamitas qua perierunt omnes, nulla tamen inſinuatio facta eſt, quaſi ob Sabbatum (intra illud Septiduum) violatum cenſeretur hæc incidiſſe calamitas ; nullaque ab amicis interjecta ſuſpicio quæ eo ſpectet. Cumque hæc ita ſint, non poſſum non dubitare, quin aut non fuerit antiquitus obſervatum Hebdomadale Sabbatum, aut jam diu ante ea tempora deſueverit.

Sed *poſt Iſraelitarum exitum ex Ægypto*, certum eſt quod Deus ipſis Sabbatum dederit, (ſive tum primitus, ſive tum renovatum, non libet diſputare.) Quod dies tunc indicatus, fuerit, *Septimus à primo deſcenſu Mannæ*, & ſic continua deinceps ſerie, non ambigendum credo. An autem hic idem ſit cum die continue ſeptimo à prima Creatione ; nec ego nec ipſe novit, nec quiſquam alius. Conjicere forte poſſumus ; ſcire non poſſumus ; nec eſt neceſſe ut ſciamus.

Num Deus Sabbatum ab initio inſtituerit *Gen.* 2. quamvis ego id non diſerte negaverim (propter retroſpectum illum qui habetur *Exod.* 20. 11.) non poſſum pro certo affirmare. Nobis ſufficiat, quod Quarto Præcepto nobis indicatur, *dies Septimus poſt ſex laboris dies*. Et quis jam ſit obſervandus, ſatis mihi conſtare puto ex Chriſti & Apoſtolorum Celebratione *Diei Primi* Hebdomadis Judaicæ; quos imitata eſt Eccleſia Chriſtiana per omnia Chriſtianiſmi

Chriſtianiſmi ſecula huc uſque. De quo jam ſupra dictum eſt fuſius. Huic *benedixit* Chriſtus, hunc *ſanctificavit*, ſaltem *celebravit*; (&, poſt eum, Eccleſia Chriſtiana hactenus :) & nihil grandius dici poteſt *de Die Septimo* Gen. 2. 2, 3. Vox ibi *Sanctificavit* non neceſſario (vi vocis) ſignificat *Inſtituit*, ſed ſaltem *Celebravit*. Eademque vox *Kiddeſh* (& in eadem Conjugatione) promiſcue dicitur (in quarto Præcepto, Exod. 20.) de *Homine* ver. 8. & de *Deo* ver. 11. ubi retroſpicitur ad hanc ipſam vocem Gen. 2. dum tamen *Hominem Inſtituere Sabbatum*, nemo dixerit ; ſed ſaltem *Celebrare*. Quod Deus *gratioſo aliquo actu* inſigniverit diem illum *Septimum* (quo à Creando ceſſavit) non eſt quod dubitemus. Nec magis dubitandum eſt quin *Chriſtus*, diem *Reſurrectionis* ſuæ, *gratioſo actu inſignivit* ; Quo *declaratus eſt Filius Dei potenter, per Reſurrectionem è mortuis*, Rom. 1. 4. Eumque cum ſuis Celebravit, non una tantum vice, ſed *pluries* (prætermiſſo quod interceſſit Sabbato Judaico ;) quam tamen non admittit hic Scriptor fuiſſe *Inſtitutionem*.

Quum ait ille, *Nihil Verbi* extare, quod *mutatio* facta fuerit diei in *Exod.* 16. ludit ille *fallacia plurium interrogationum*. Quod dies hîc indicatus, ſit, *à primo deſcenſu Mannæ* computandus ; certum eſt, nec poteſt id ipſe vel Negare vel Dubitare ; Quod autem hic idem dies fuerit ante obſervatus ; ſuum eſt probare ; nempe, quod *talis aliquis dies* fuerit *à retro* obſervatus ; quodque fuerit *hic ipſe* dies.

Quod ego putem, hanc eſſe *novam Epocham* (ſeu novum computandi initium) à *primo deſcenſu Mannæ* ; cauſa eſt, quia *dies continue ſeptimus à prima Creatione*, videtur, vel non fuiſſe ab initio obſervatus ; vel (ſi aliquando obſervatus) tum dudum in deſuetudinem veniſſe & oblivioni traditum, ut jam opus fuerit (ſi poſtmodum obſervandus) nova Epocha.

Sed & hanc ſuperaddidi rationem. Si dies ille *Septimus*, puta qui jam *dies Saturni* dicitur, tunc fuerit *Sabbatum*, ut ex *antiquo more*, tum qui proxime *præceſſit* dies *Saturni* (ut vult ipſe) erat item Sabbatum ; nempe *pridie* iſtius diei quo primum deſcendit Manna. Quod autem iſte dies non fuerit *Sabbatum* ; videtur ex ipſo loco manifeſtum. Quippe *præcedente* die Saturni, non prohibentur *colligere Coturnices*, Exod. 16. 8, 13. (nempe, pridie iſtius diei quo deſcenſurum erat Manna poſtero mane.) Sed ſequente die Saturni (qui erat Septimus à deſcenſu Mannæ) prohibentur *Colligere Manna*, eo quod jam Sabbatum eſſet, *ver.* 5, 22, 23, 25, 29. Quo manifeſtum ponitur diſcrimen inter hos duos Saturni dies. Quorum alter Sabbatum erat, alter non erat. Quodque de facto collegerint Coturnices, diſerte dicitur *Num.* 11. 31, 32. *Ventus profectus à Jehova abreptas Coturnices à Mari diſſevit in caſtra ; exurgenſque populus, toto illo die* (hoc eſt, toto reſiduo illius diei,) *& tota nocte illa, & toto die poſtero, colligerunt coturnices.* Ubi manifeſte diſtinguitur *dies ille & nox illa*, à *poſtero die*, quo primum deſcendit Manna. Et quidem diſerte dicitur *Exod.* 16. 12, 13. *Eo veſpere aſcenderunt Coturnices, Mane vero ſtratus eſt Ros circa Caſtra.* Nempe poſtridie iſtius diei quo aſcenderunt coturnices, eaſque colligebat populus.

Et quidem ſi *Sabbatum diei ſeptimi à Creatione*, fuerit primitus inſtitutum ; non mirum tamen eſt ut poſſit intra ſpatium annorum plus 2500, negligi & oblivioni dari. Cum Feſtum *Paſchatis* neglectum videamus à diebus *Solomonis* ad *Hezekiam* uſque ; & Feſtum *Tabernaculorum*, à diebus *Joſhuæ* uſque ad *Nehemiam*. Quod ſi *ſeptimus à Creatione* quocunque caſu fuerit oblivioni datus ; non potuit (abſque miraculo) reſtitui, (ut potuerunt illa alia Feſta, ex Solis Lunæque motibus ;) ut, de cætero, vel nullum deinceps celebrandum foret Sabbatum, vel à nova Epocha inchoandum.

Nec magis mirum videatur, ut novum *Hebdomadis* ſtatuatur initium, quam novum initium *Anni* ; quod tamen factum eſſe legimus *Exod.* 12. 2. *Hic menſis vobis eſto principium menſium ; primus eſto vobis inter menſes cujuſque Anni.* Quoto Menſe prius inchoaverint annum, haud certi ſumus : ſed deinceps à Menſe Niſan inchoandus erat. Nec ſcimus, quoto die prius inchoabant Hebdomadem (ſi hebdomadas ante habuerunt,) ſed, de cætero, inchoanda erat hebdomas à primo deſcenſu Mannæ ; ſeptimuſque inde dies futurus erat Sabbatum. Probandum igitur ipſi reſtat, (his non obſtantibus in contrarium objectionibus,) tum fuiſſe *Sabbatum ante inſtitutum*, tum fuiſſe *continue obſervatum*, tum *quoto die*, tum inchoandum ſemper eſſe ab *occaſu Solis*.

CAP.

CAP. XXXII.

Hebdomadum obſervatio (præterquam à Judæis) poſt Chriſtianiſmum introducta. Romani per Ogdoades dividebant tempora. Saxonum in Angliam adventus, non ante Annum Chriſti 449.

QUod porro contendit, *Judaicum ſeptimi diei ſabbatum* fuiſſe in *Paradiſo* inſtitutum, *ante ingreſſum peccati*, totique *humano generi* datum; & quidem à *Chriſto* ut *Mediatore & Redemptore* noſtro; nondum ab eo probatum eſt; ut ſupra oſtendimus.

Et quidem quod non fuerit ab *univerſo genere humano* obſervatum; nec quidem ab ulla gente, exceptis Solis *Judæis*, eorum ætate; habemus eum (ni fallor) confitentem; ut quod habeat ille pro *Diſtinctivo Charactere* populi Dei; &, fuiſſe *Gentibus rem novam* diſerte profitetur. Et quidem *Diſtinctivus Character* eſſe non potuit, ſi fuiſſet item ab aliis obſervatum; ab aliis, inquam, quam *natu Judæis*, eorumque *Proſelytis*, (ſive *Judæis factis*,) quorum erat eadem ratio.

Nec uſquam invenio, quod (præter Judæos) Gens ulla ullum obſervaverint Sabbatum; aut etiam Tempora ſua per *Hebdomadas* diſtribuebant, ante Chriſtianiſmi tempora. Sed tum primum, quum *Diei Dominici obſervatio* introduxit diſtributionem per *Hebdomadas*, ubi admiſſus erat *Chriſtianiſmus*.

Hoc cum ego monuerim *Diſc*. p. 5. Ille nihil reponit aliud (*Repl*. p. 16.) quam quod D. *Chafy ſic ſenſerit*. Sed nihil affert (vel ex eo, vel de ſuo,) quo hoc probet. Et quidem ſi ſic ſenſerit *D. Chafy* (quod Hebdomades fuerint ab aliis antiquitus obſervatæ) ego illum itidem erraſſe puto. Interim ego hoc ipſi largitus eram; ſi poſſit ille vel Unum producere Authorem (ſive Sacrum ſive Profanum) temporibus Chriſtianiſmi antiquiorem, qui Gentem ullam indicet (exceptis Judæis) qui (ante Chriſti tempora) per dierum Hebdomadas (vel Septidua) ſua diſtinguebant tempora; ego rem eatenus probatam conceſſero. Verum ille nil tale reponit. Fieri quidem poteſt ut talis forte reperiatur, (adeoque non pertinaciter nego,) ſed nullum hactenus reperi; nec ante me *Macrobius* (ut ſupra memini) qui diligenter impendit operam hujuſmodi rebus inquirendis, *Saturnaliorum* ſuorum *libro*.

Addideram etiam, quod ſaltem ſub *Ovidii* & *Auguſti* tempora, non per *Hebdomadas*, ſed dierum *Ogdoadas* (vel *Octidua*) ſua dividebant tempora. Quod D. *Beveragius* notat, ex authoritate antiqui *Lapidis* effoſſi, *Romanum Calendarium* exhibentis. Et, ante illum, *Roſinus*, & alii. (*Macrobius*, prout nunc editus, intermiſſos eſſe dicit dies *Octo*; ſed mendum id eſſe jam notarunt alii, eum dicendum eſſet *Septem*.)

Quod & *Ovidius* ipſe diſerte teſtatur, *Faſtorum lib*. 1. *verſu* 54. ubi (inter alios dies oppido notandos) *Nundinarum* dies continuo ordine recurrentes notat,

Eſt quoque qui Nono ſemper ab Orbe redit;

Nundinarum dies innuens; quæ *Nundinæ* dicebantur quaſi *Novendinæ*; quod notat *Gerardus Voſſius* (in *Etymologico* ſuo) aliique Critici; eo quod die *Nono* (incluſive ſumpto) recurrebant illi *Mercatuum publicorum* dies. Quodſi per *Hebdomadas* diſtribuiſſent tempora, non dubium eſt quin ſtato aliquo Hebdomadis die (potius quam *Ogdoadis*) recurriſſent *Mercatus* illi.

Qui hac de re plura cupit; conſulat Volumen amplum *Commentatorum* in *Ovidii* opera, *Francofurti* editum Anno 1601; eorumque Notas in hunc *Ovidii* verſum. Ubi videat *Romanum Calendarium* particulatim deſcriptum; ibique *Ogdoadis* hujus dies Octo, totidem Literis inſignitos A B C D E F G H; ut deſignantur Hebdomadis noſtræ dies Septem, literis A B C D E F G: idque à Calendarii Principio ad Finem uſque continue. Quod Calendarium ibidem ex *Paulo Manutio* deſcribitur; apud quem (ni fallor) occurrit pluries quam ſemel, atque apud alios itidem. Quod & Scriptores omnes de *Veteri Romanorum Calendario*, & de *Nundinis Romanorum*, unanimi conſenſu comprobant.

Manifeſtum igitur eſt, quod, tam ſero ſaltem ut *Auguſti* tempore, *Romani* non menſurabant tempora ſua per *Hebdomadas* (ut nunc fit) ſed per *Ogdoadas* potius; nec ſcio ego, quod vel Ipſi vel ulla Gens alia (exceptis ſolis Judæis) tempora ſua per *Hebdomadas* diſtribuerunt.

Narrat quidem hic Scriptor, *Inquiſ*. p. 90, tanquam ex *Verſtegano* noſtro, *Antiquit. fol.* 68. quod *Anteceſſores noſtri Saxones, in Anglia, antequam ad nos pervenerat lux Evangelii, Hebdomadis diem Primum Idolo cuidam Solis dedicabant, Diem Solis inde dictum; Idolum illud in Templo quodam conſtituentes, eique offerentes Sacrificia: Diem Secundum, Idolo Lunæ; Pariterque pro ſingulis Septimanæ diebus ſua conſtituerunt Idola, eorumque nomina diebus illis imponebant, quæ adhuc retinentur.*

Eſto quod hæc dicat *Verſteganus*. Sed quæro, Quo Authore hæc dicit? Quippe Recentior ille eſt (qui ſcripſit Anno 1605) quam ut tale quippiam authoritate ſua ſtabiliat. Suamque hanc narrationem ego bene ornatam fabulam potius exiſtimo, quam juſtam hiſtoriam; ſaltem ex conjecturis interpolatam.

Quod autem hæc contigerint *in Anglia* (quod vult hic Scriptor) *antequam huc acceſſerat lux Evangelii*; manifeſto falſum eſt; (nec credo *Verſteganum* ſic dixiſſe.) Certum enim eſt *Antiquos Britannos* fuiſſe *Chriſtianos*, per plura prius ſecula quam huc advenerint *Saxones*; quam Religionem etiam poſt adventum Saxonum retinuerunt, nec unquam depoſuerunt: Mille mala paſſi potius quam vellent Chriſtianiſmum abdicare. Aſſeritque hic Scriptor *Inquiſ.* p. 117. *Evangelium in Anglia fuiſſe prædicatum in prima Centuria; & deinceps generaliter admiſſum per multas annorum Centurias, antequam receperint mutationem Paſchatis in diem Dominicum.* Non prius autem appulerint Saxones quam anno 449.

Quod Pagani fuerint Saxones cum huc appulerint, (poſt facti Chriſtiani,) non nego: nec mirum eſt ſi (dum Pagani fuerint) Idola coluerint, (an, & *obtulerint Sacrificia*, neſcio; & contrarium puto.) Et quidem plura quam idola *Septem* recenſet *Verſteganus*; ſaltem *Decem*: quibus ſi ſingulis ſuos aſſignaverint dies, neceſſe eſt ut ultra *Septimanam* extendant; ſaltem ad *Decadem*, ſeu *Decimanam*. Et quidem ſi verum fuerit (quod ex *Verſtegano* probatum it hic Scriptor) quod, ab illis *Septem*, diebus Septem fecerint nomina; ſi, à tribus reliquis, totidem diebus aliis fecerint item nomina; perit ejus Argumentum pro dierum *Hebdomade*, & probat potius dierum *Decadem*. Nec dicit Verſteganus, His *ſolis ſeptem* dicatos fuiſſe dies, *ſoliſque Septem* diebus ſic impoſita Nomina, ſed *ſaltem ſeptem* diebus hæc fuiſſe nomina impoſita; dieſque *ſaltem ſeptem* ſic dicatos.

Sed quicquid hoc ſit; ad rem præſentem non ſpectat. Quippe jam quæritur de Hebdomadibus *ante Chriſtianiſmi tempora* uſitatis, ab aliis quam Judæis. Non dubium eſt quin, poſt receptum paſſim Chriſtianiſmum (adeoque diem Dominicum) Hebdomadum invaluit uſus. Velim ut vel Unum (ſi poſſit) proferat Authorem, Chriſtianiſmi temporibus antiquiorem, qui memorat Hebdomadas ab aliis quam Judæis uſurpatas, aut dierum Hebdomadalium uſitata Nomina. Non autem in *Angliam* appulerunt *Saxones*, ante Annum Chriſti 449, (ducibus *Hengiſto* & *Horſa*,) & quidem à Britannis advocati, ut copiæ *Auxiliares* adverſus Scotorum & Pictorum incurſiones; ſed, poſt aliquot annos, *Dominium* affectabant, & aſſecuti ſunt. Ut hinc nihil conſtare poteſt de Hebdomadibus *ante Chriſtianiſmi tempora* obſervatis.

Hæc autem *Hebdomadum* conſideratio, aliam inducit de Dierum Hebdomadalium *Nominibus* diſſertationem; de quibus proxime diſſerendum.

CAP. XXXIII.

Nomina dierum Hebdomadalium. Chriſtianiſmo recentiora. Non à diis Ethnicis deſumpta; ſed, à Septem Planetis. Cur hoc ordine. Ab horis Planetariis: Aut Conſonantia Dia-teſſaron. Nomina Propria, pro arbitrio impoſita. Non incommode retinentur. Non reputanda Idololatrica. Idolorum nomina non memoranda.

SCriptori huic inſedit opinio, (qua & plenus videtur,) quod Dierum Hebdomadalium *Nomina*, jam ab omni Antiquitate, ab Ethnicis fuerint indita, à Diis ſuis deſumpta, quos ſuis reſpective diebus colebant: (puta Solem die *Solis*, Lunam die *Lunæ*, & ſic de cæteris.) Adeoque nos Idololatriæ inſimulat, eamque nobis (plus quadragies) exprobrat, quaſi *Solem colentibus die Solis*. Non quod magis ſit Idololatricum, Solem colere die *Solis*, quam Lunam die *Lunæ*, aut Saturnum die *Saturni*, (de quibus parcius loquitur;) ſed, quod *diei Solis* magis ſit infenſus. Cui quidem phantaſiæ ſuæ tam impenſe favet, ut velit Memoriam *diei Septimi* (à prima Creatione continue numerandi) conſervatam eſſe per hunc Solis cultum in die Solis. Quippe cum, ipſo confitente, nulla gens mortalium, exceptis ſolis Judæis, Sabbatum obſervaverint; nec quidem ipſi Judæi (quantum ſcimus) niſi poſt eorum exitum ex Ægypto; ſitque dictu difficile, quomodo vel nos vel illi certi ſimus de die continue Septimo à prima Creatione: huic quo ſatisfiat difficultati, imaginatur hebdomadum continuam ſeriem memoria conſervatam eſſe, ex Ethnicorum continuo cultu Solis in die Solis. *Ne amitteretur cognitio Septimi diei* (continue ab Orbe primum condito) *certus* (inquit) *ille dies Septimus conſervabatur ab Omnibus Nationibus, colentibus Solem in die Solis*. Repl. p. 74. Mirum eſt, quam ſibi plaudat quiſpiam ob mera Phantaſmata, modo ſua ſint!

Narrat hic Scriptor (*Inquiſ.* p. 44, 88. *Repl.* p. 74. & paſſim alibi) *quod Gentes Omnes Ethnicæ generaliter, dedicabant Primum diem hebdomadis cultui Solis, diem Solis inde dictum; quo nomine etiamnum innoteſcit; dieque Solis jam ab antiquo, diu ante natum Chriſtum, obtulerunt Soli Sacrificia, eumque ut deum adorarunt.* Cui comprobando inducit illud *Jobi* 31. 26, 27, 28. (quaſi jam inde à *Jobi* temporibus hæc obtinuerint nomina; quæ ſunt ipſo Chriſtianiſmo recentiora;) *ſi Solem aſpexerim cum ſplenderet, aut Lunam claritudine ſua incedentem, & pellectus fuerit in occulto animus meus, aut os meum oſculatum fuerit manum; foret hæc iniquitas à Judicibus animadvertenda, nam abnegaſſem Deum ſuperne.*

Sed

Sed quid hæc omnia ad *diem Solis*? Fieri quidem poteſt ut hic *renunciet* Jobus, *cultum Solis & Lunæ*; ſed de *die Solis*, aut hebdomadis *Primo* (præ reliquis) Soli dicato, nihil quicquam. Si dixiſſet *Jobus*, *Si Solem coluerim die Solis, aut Lunam die Lunæ, & non Dominum die Saturni*: foret hoc ad rem ſuam accommodum. Sed nil tale, vel hic vel alibi uſpiam comparet. Non dubito quin *Solem & Lunam reliquumque Cœli exercitum* adoraverint Gentes Idololatricæ; ſed, *quo die*, præ cæteris, Solem aut Lunam adoraverint, non dicitur; neque ulla mentio *Hebdomadum* ab ipſis obſervatarum; nedum de hoc aut illo Hebdomadis die.

Nolim interim ut nimis ſeverus ſit hic Scriptor in *Diem Solis*; Nam, ſi *Heſiodo* credimus, *Dies Solis* erat *dies Septimus*, (ut ſupra oſtenſum eſt:) ſed Septimus dies *Menſis*, non *Septimanæ*; nam de *Septimanis* (apud Ethnicos ſcriptores ea ætate) altum ſilentium.

Quo tempore primum inoleverint dierum Hebdomadalium Nomina, (*Saturni*, *Solis*, *Lunæ*, &c.) aut qua primum occaſione; nolim ego certe determinare. Sed eorum nulla hactenus veſtigia reperire poſſum, Chriſtianiſmo antiquiora.

Scriptorum Ethnicorum (quem reperio) antiquiſſimus qui horum meminit, eſt *Dio Caſſius*; qui vixit circa Annum 230. Ille de Everſione *Hieroſolymæ*, *Templique Hieroſolymitani*, verba faciens; dicit, Judæis tantam fuiſſe Reverentiam *diei Saturni*, ut noluerint eo die *Laborare*, ne quidem in ſui defenſionem: Quod cum Romanis innotuerit, hac illi occaſione capta, in Templum ſuum Sabbatumque pariter inſultum fecerunt. Quod tamen non ita intelligendum eſt quaſi hunc diem tunc dixerint Judæi *diem Saturni*, ſed *Sabbatum* ſuum; (nec ſcio an quiſquam alius hunc diem tunc dixerit *diem Saturni*;) ſed illum innuit *Dio Caſſius* hebdomadis diem, qui ſuo tempore dicebatur *dies Saturni*; ſed, à Judæis, *Sabbatum*.

Sed hanc dierum Appellationem, notat *Dio*, ut *rem novam*; & quam ait *antiquis Græcis fuiſſe plane incognitam*. (Ut certum ſit, non magnæ antiquitatis rem eſſe.) Quam itaque putat ille *Romanos*, ab *Ægyptiis* accepiſſe; non quidem *Antiquis* illis Ægyptiis ſub *Moſis* tempora; ſed à nuperis ſub tempora *Ptolemæi*; Non quidem *Ptolemæi Regis*, ſed *Claudii Ptolemæi*, celebris Aſtronomi, (aut forte paulo citius:) quippe apud Ægyptios prius floruit Aſtronomia quam apud Romanos.

Apud ſcriptores *Chriſtianos*, paulo prius memoratos invenio hos Hebdomadis dies, quam apud *Dionem Caſſium*. *Juſtinus Martyr* in Apologia ſua (quam ſcripſit circa Annum Chriſti 150.) memorat τὴν ἡλίου ἡμέραν (*diem Solis*) ut ſolennem Chriſtianorum diem, quo ſolebant *ſacros conventus* celebrare. Et *Tertullianus*, in Apologia ſua, memorat *diem Saturni* & *diem Solis*. (Neſcio an, apud antiquiores Scriptores, horum dierum ulla fiat mentio.) *Ignatius*, diem *Dominicum* nominat, & Judæorum *Sabbatum*; ſed diei *Solis* aut *Saturni* nomina (aut aliorum à Planetis denominatorum) apud eum non occurrunt, nec apud *Polycarpum*; quia tum forte nondum obtinuerint. Sed poſt initia Chriſtianiſmi, quum fere per totum Orbem propagari cœperit Fides Chriſtiana; &(cum ea) Diei Dominici obſervatio, adeoque temporum per *Hebdomadas* diſtributio, (quæ prius fuerat peculiaris Judæis ſolis;) tum credo primum cœperunt ſua ſingulis diebus aſſignare nomina. Quod ſi quis putaverit (cum hoc Scriptore) Nationes omnes ubique terrarum, ab omni Antiquitate, ſic appellaſſe dies hebdomadis; omnino fruſtra eſt, nulloque fundamento nititur hæc (aſſumpta gratis) præſumptio.

Sed, quandocunque primum cœperint hæc nomina, non deſumpta credo à numero *deorum Ethnicorum*, (quippe tum multo plures eſſent aſſignandi dies quam Septem, ſi diis ſingulis ſuus aſſignandus eſſet dies;) ſed à numero *Septem Planetarum*; qui tum ſic cenſebantur *Saturnus*, *Jupiter*, *Mars*, *Sol*, *Venus*, *Mercurius*, & *Luna*. Quamvis nunc dierum cenſentur plures; nam *Satellites Jovis* & *Saturni*, non minus ſunt *Planetæ*, quam *Luna* noſtra; ut qui pariter circumeunt & comitantur *Saturnum* & *Jovem* ut Luna Tellurem; (quæ & ipſa jam ſolet Planetarum numero accenſeri;) ſed Satellites illi, tum temporis, nondum erant cogniti, (nec Tellus habita pro Planeta.) Sed neque Septem illi eodem ſemper ordine cenſebantur quo nunc cenſeri ſolent; ſed eorum aliqui (*Venus* & *Mercurius*) Sole *ſuperiores* cenſebantur, qui (cum hæc primum imponerentur nomina) cenſebantur *Inferiores* Sole. Ut certum ſit recentiora hæc eſſe nomina, quam quando *Venus* & *Mercurius* cenſebantur *Sole* ſuperiores. Adeoque multo recentiora quam *Jobi* tempora.

Sunt utique non antiquiora hæc nomina quam (quæ dicuntur) *Horæ Planetariæ*; ſed inde & Ortum & Ordinem ſumpſerunt. Quippe cum jam olim divideretur Dies in Horas 24; tandem ſingulis Horis aſſignabant Planetarum unum, hoc ordine; Nempe, initio ſumpto à *Saturno* (Planetarum ſupremo) huic aſſignarunt unius diei horam Primam, quam *Saturni horam* dixerunt; (indeque diem illum, *Diem Saturni*;) horam *Secundam* Jovi, Tertiam *Marti*, & ſic deinceps ſecundum ordinem Planetarum, uſque ad horam Octavam, quæ itaque (ut prima) *Saturno* itidem contigit, & ſic continue, Decima-quinta, & Vigeſima-ſecunda; deinde Vigeſima-tertia *Jovi*, Vigeſima-quarta *Marti*; & quæ proxime ſequitur *Soli*; quæ cum hora Prima ſit ſequentis diei, dictus eſt hic dies, *Dies Solis* (utpote cujus hora prima, ſit *hora Solis*,) qui ordine ſequitur diem *Saturni*. Pariter, cum hujus itidem

hora Octava, Decima quinta, & Vigeſima ſecunda, ſint horæ Solis; erit Vigeſima tertia, *Veneris* hora; Vigeſima quarta, *Mercurii*; Primaque ſequentis diei, hora *Lunæ*; qui itaque dies *Lunæ* dicebatur, ordine proximus poſt diem Solis. Similique proceſſu, cum hora prima ſequentis diei contigerit eſſe *Martis* hora, dicebatur ille *dies Martis*; Proximus (pari ratione) *dies Mercurii*; tum, *dies Jovis*; deinde, *Veneris*; proximus, *Saturni*; & ſic deinceps ut prius. Quæ mihi videtur vera ratio cur his nominibus & hoc ordine dicerentur hebdomadis dies; *Saturni, Solis, Lunæ, Martis, Mercurii, Jovis & Veneris.*

Cumque omnino arbitrarium fuerit, à quo die vellent hunc *Computum Planetarium* ordiri, (quippe nihil eſt in Natura quo determinetur, unde ordiendum;) ipſis viſum eſt (pro arbitrio ſuo) rem ſic ordinare, ut Planetarum Præcipuus (*Sol*) diei *Dominico* obtingeret. Indeque factum eſt, quod dies *Dominicus*, dictus fuerit, dies *Solis*; reliquique dies (ut contigerit) ſua ſinguli ſortirentur nomina.

Sed Anteceſſorum noſtrorum Saxonum (ut putatur) aliqui, *Twiſconis, Wodeni, Thoris, Freæ, & Seatri*, (celebrium aliquot apud ſuos hominum) inſeruerunt nomina loco *Martis, Mercurii, Jovis, Veneris & Saturni*; unde apud nos dicuntur *Tueſday, Wedneſday, Thurſday, Friday, Saturday*: Ut à *Julio* & *Auguſto* (apud Romanos) Menſibus imponebantur nomina, qui prius dicerentur *Quintilis & Sextilis.*

Atque hanc rationem aſſignat *Dio* (ab Horis Planetariis deſumptam) cur his nominibus & hoc ordine deſignarentur dies.

Aliam tamen aſſignat etiam rationem (cur ſic dicerentur dies) ex *Harmonicorum* Principiis petitam. Nempe, cum *Dia-teſſaron* cenſeatur, apud Muſicos, *Prima Conſonantia*: Initio facto (ut prius) à *Saturno* (Planetarum ſupremo,) omiſſis duobus (*Jove & Marte*) quartum ſumpſerunt *Solem*; tum duobus omiſſis (*Venere & Mercurio*) Planetam à Sole quartum ſumpſerunt *Lunam*; indeque omiſſis duobus (*Saturno & Jove*) ſumpſerunt *Martem*; atque omiſſis inde duobus (*Sole & Venere*) adhibuerunt *Mercurium*; & duobus inde omiſſis (*Luna & Saturno*) proximum adhibuerunt *Jovem*; omiſſiſque duobus ſequentibus (*Marte & Sole*) adhibuerunt *Venerem*; & poſt alios duos (*Mercurium & Lunam*) redit (ut prius) *Saturnus*: & ſic continue. Sed magis coacta mihi videtur hæc ratio, & prior illa magis genuina; quam itaque ut potiorem amplector.

Sed, utrovis modo, cum ab ordine Planetarum dependeat ordo Nominum; certum eſt, non antiquiorem eſſe hanc nominum impoſitionem, quam receptus fuerit hic Planetarum ordo. Adeoque non eo tempore quo *Mercurius & Venus* (vel eorum alter) putabantur Sole ſuperiores. (Hoc utique totum ordinem turbaret.) Et multo minus (quod ſentit hic Scriptor) temporibus *Jobi.*

Quod Planetas hoſce, ſuis reſpective diebus ut totidem deos adorabant qui hæc impoſuere Nomina, non dixerim; nec ita ſentio. Neque ſentio Planetas hoſce ſuis reſpective ſive Horis ſive Diebus magis præeſſe quam aliis, aut fortiorem in illis influentiam ſortiri. Sed tum hæc, tum alia pleraque *Judicialis* (quæ dicitur) *Aſtrologiæ* principia, plane precaria eſſe & gratis ſumpta; quo ſpecioſam ornent fabulam, plebique credulæ imponant.

Sed quacunque occaſione, aut quandocunque, primitus impoſita fuerint hæc nomina; nunc nil aliud apud nos ſignificant, quam horum dierum *Propria nomina*, ad placitum indita. Neque eſt cur his utendis abſtinere debeamus, magis quam ubi de Papa *Pio, Clemente, Bonefacio, Innocente*, verba facimus; quamvis forte non ſentiamus viros his nominibus indicatos, eis qualitatibus imbutos quæ his nominibus inſinuentur. Quemadmodum habemus (prope *Oxoniam*) Fontem quendam, vocatum *Fontem Ariſtotelis*; non quod putemus *Ariſtotelem* hic olim fuiſſe, aut etiam fuiſſe *fundi dominum*, nedum hic *cultum* fuiſſe; ſed quod hoc ut *nomine Proprio* (ad placitum impoſito) locus hic jam innoteſcat. Sic dierum hebdomadalium nomina, quacunque fuerint ratione primitus impoſita, jam nobis nil aliud ſignificant, quam horum inter ſe diſtinctiva nomina, gratis impoſita; quibus cur non utamur, nihil video.

Act. 17. 19, 22. fit mentio de *Paulo* in *Areopago* (ſeu *Martis pago*) conſiſtente; eo quod hoc nomine notus fuerit ille locus: nullo facto ſcrupulo, qua occaſione ſic dictus fuerit ille locus; puta, quod *Mars* olim hic coleretur, aut alia quavis cauſa. *Act.* 28. 11. fit mentio Navis, cujus inſigne erat Διόσκουροι, ſeu *Caſtor & Pollux*; nullo interjecto ſcrupulo, qua ratione *Caſtor & Pollux*, dicti fuerint Διόσκουροι, ſeu *Jovis juvenculi*. Cumque *Paulus* 1 *Cor.* 8. permittit (abſque ſcrupulo) *ea edere quæ fuerant Idolis immolata*, etiamſi noverint, aut merito præſumpſerint, ea ſic fuiſſe immolata, (niſi cum ſuſpicio foret eos eum reſpectu ad Idola ſic facere,) prout fuſe arguit Apoſtolus 1 *Cor.* 8. iterumque *Cap.* 10. Non dubium eſſe poteſt quin licite poſſimus ea Nomina Propria uſurpare, quæ Perſonis, Temporibus, aut Locis fuerint indita, & communi uſu recepta; abſque ſcrupuloſa inquiſitione, qua fuerint ratione primitus impoſita.

Cum autem hæc ego fuſe diſſerueram *Diſc.* p. 63, 64, 65, 66, 67. de Origine & Antiquitate (ſeu Novitate potius) horum nominum, (quodque ſint Chriſtianæ potius Originis quam Ethnicæ; ipſoque Chriſtianiſmo recentiora;) ſic contra me (neſcio quo fervore correptus) inſurgit hic Scriptor, *Repl.* p. 57. *Quod Origo horum Nominum, dierum Hebdomadalium, ſit ab Idolis Ethnicis, conſentit hic Doctor*; & *p.* 78. *Nomina dierum hebdomadalium Ido-*

lolatrica eſſe, conſentit hic Doctor. Item. *Si velit hic Doctor abſque ſcrupulo retinere hæc antiqua nomina Idololatrica, non obſtante quod agnoſcat ipſe unde ſunt, non eſt me penes impedire.* Iterumque, *Tam avidus retinendi hæc Idololatrica dierum Nomina.*

Quin ſiſte parum. Feſtina lente. Ubinam *conſentit hic Doctor* hæc Dierum nomina eſſe *Idololatrica*? aut *ex Idolis Ethnicis*? aut tale quidpiam? Putaverit forſan incautus Lector, me tale aliquid Dixiſſe, ſaltem Inſinuaſſe; quum videat hoc toties & tam diſerte pronunciatum. Dixeram quidem *Diſc.* p. 66. *Precaria* fuiſſe, ſive *ad placitum impoſita* (abſque ullo quod ſciam in Naturali Philoſophia fundamento;) *Idololatrica* non dixi. Num putaverit ille ea Nomina, quæ ſunt pro Arbitrio impoſita, protinus eſſe Idololatrica? Qui ipſi, mihique, primitus impoſuerunt Nomina, pro Arbitrio ſuo id fecerunt, (potuiſſent mihi *Thomam* feciſſe nomen, ipſique *Johannem*,) nolim autem ut id *Idololatricum* ſentiat.

At inquit, *Sol & Luna* &c. (unde hæc deſumuntur nomina) *fuerunt Idola Ethnica.* Siſte, quæſo. *Ethnicorum Idola ſunt Aurum & Argentum, opus manuum Humanarum,* (aut ex viliori forſan materia:) Sed *Sol* & *Luna* cæteræque *Stellæ*, ſunt *bonæ Dei Creaturæ*, ſeu opera *Divina*, in hominum uſum & beneficium condita. Annon nobis licebit *Solem & Lunam nominare* eo quod eos olim *coluerint Ethnici*? Certe licet. Quando tam vani fuerint homines ut *hos coluerint*; non tam eos *Idola* faciebant (contra Præceptum Secundum,) quam *falſos deos* (contra præceptum Primum.) Eratque potius *Polytheiſmus*, quam *Idololatria* ſtricto ſenſu. Verum quidem eſt, quod *Imago* Solis aut Lunæ (modo fiat in ordine ad Cultum) eſſe poteſt *Idolum*, (atque ſic poteſt *Imago* Dei, *Idolum* fieri:) Atqui hoc non facit ut *Sol* & *Luna* ſint *Idola*. Videmus paſſim, in vicis Londinenſibus, Inſignia *Solis, Lunæ, Stellæ, Septem Stellarum*, ad ædium fores ſuſpenſa, (indeque Domibus aut Officinis facta nomina,) nec tamen hoc *Idololatricum* dixerim. Nec video quidni *Diei*, pariter ac *Domui*, liceat nomen hinc deſumere. Nec magis Idololatricum putaverim *Diem Solis*, quam *Solis Oenopolium*, aut *Martis pagum*, aut *Auguſti Menſem.*

At inquit, *Repl.* p. 58. *Expreſſe prohibemur mentionem facere Nominum Idolorum.* At ego non exiſtimo *Solem, Lunam,* & *Stellas* eſſe *Idola*: ſaltem non Idola talia ut quæ *non liceat Nominare.* Vel quidem, ſi talia ſint; cur eos Ipſe toties nominat? Quod non ſint, in ordine ad cultum, memoranda Idolorum nomina, facile conceſſerim: ſi vero non ſint omnino nominanda; cur ille toties nominat *Baal* & *Molech*, *Inquiſ.* p. 58, 59. Et unde eſt quod toties in Sacris literis occurrant *Baalim* & *Aſhteroth*? item *Milchom* & *Rephan*, & *Dagon*? Item *Jupiter, Mercurius, Mars, Diana, Caſtor* & *Pollux*?

Velim itaque (nequid gravius dicam, aut injuriarum poſtulem) ut abſtineat impoſterum dicendo, *agnoſcere me* vel *conſentire*, quod horum Nominum *Origo* ſit *Idololatrica.* Quid ipſe ſentiat, aliique forſan aliqui qui (ut ſuis utar verbis) *talia deglutiunt abſque maſticatione*; apud eos eſto. Ego nec ita *ſentio*, nec *conſentio.* Quod & tam plane me dixiſſe putabam, ut non poſſet (niſi volens) hac in re erraſſe. Dixeram utique *Diſp.* p. 66. *Quod his diebus hos reſpective Planetas, ut deos, coluerint, non dixerim; neque ſentio.* Originem horum nominum oſtenderam *Diſc.* p. 65, 66, 67. non eſſe pro *numero deorum Ethnicorum* (qui plures erant,) ſed pro *numero Septem Planetarum*, (quos ego non *deos* reputo, ſed Dei Opera & *Creaturas*;) Neque *Religionis* intuitu, ſed ex conſideratione *Harmonica*, aut *Aſtrologica*, hæc indita fuiſſe Nomina: *Precaria* quidem, & *pro arbitrio* impoſita; non *Idololatrica*: Nec eſſe Chriſtianiſmo antiquiora.

CAP. XXXIV.

Nimia ſcrupuloſitas cavenda. Irreligioſis gratificatur. Veſtes nigræ. Plures conventus eodem die. Hora qua Sabbatum inchoandum. Cæremoniarum multitudo. Circumſtantiæ cultus. Oratio Dominica.

VErum ego obnixe peterem (quod & ante monui) ab hoc Scriptore pio, aliiſve, qui ſibi faceſſunt negotium Scrupulos hujuſmodi, abſque juſta cauſa, aliis injicere; ut ſecum perpendant ſerio, Cujus ipſi opus jam ſatagunt. Atque, Annon ſit vere *Superſtitio*, res eas ut *Illicitas* prætendere quæ ſua natura non ſunt; non minus quam *Sanctitatis* prætenſionem obtendere rebus eis quæ natura ſua nihil habent Sanctitatis, ſed ſunt mediæ naturæ. Atque, Annon hoc ipſum ſit quod prohibet Apoſtolus, dum *frivolas & ineruditas quæſtiones & logomachias, genealogias, & quæſtiones de lege*, ſimiliaque diſſuadet, ut *res inutiles & vanas*, & *quæ pugnas aut lites pariunt*; atque ea ſectari ſuadet, quæ *fidem, & charitatem & pacem* ſpectant, & *ſinceram pietatem*; ut quæ ſunt *hominibus utilia*, & quibus *alii aliis prodeſſe poſſunt.* 1 *Tim.* 6. 4, 5. 2 *Tim.* 2. 22, 23. *Tit.* 3. 8, 9. *Rom.* 14. 1, 19.

Qui contra Sabbatum diei Dominici diſputant; nimis ipſis gratificantur qui nullum omnino Sabbatum obſervatum vellent. Quippe Sabbatum Judaicum jamdudum deſiiſſe certum eſt, nec expectandum videtur ut denuo redeat; adeoque ſi Diem Dominicum poſſint etiam

excutere, res eorum agitur qui nullum vellent Sabbatum, de Divino Cultu parum ſolliciti.

Nec ſatis advertunt hi (qui nodum in ſcirpo quærunt, ſtudentque de minutiis & *dubiis diſputationibus* movere lites, eiſque animos infirmorum irretire, atque occupatos tenere;) non advertunt, inquam, quantum de *ſeria pietate* abradunt, & *ſolida Religione*, hæc litigia de rebus nihili, quæ ſummam Religionis non attingunt.

Tot utique tantaque ſunt veræ Pietatis *Officia neceſſaria*, & *indubiæ Veritates*, ut non ſit opus incautorum animos *dubiis diſputationibus* irretire, quo à majoris momenti rebus divertantur.

Novi Teſtamenti videtur hic ſcopus eſſe, ut à minutis rerum Circumſtantiis retrahatur animus, ad ea quæ Subſtantiam Religionis ſpectant.

Si Deus eſt Animus, nobis ut carmina dicunt,
Hic tibi præcipue ſit Pura Mente colendus;

non male cecinit Poeta; Concinit utique cum Chriſti dictis, *Deus eſt Spiritus*; *&, qui adorant eum, oportet ut Spiritu & Veritate adorent*: adeoque non tam ſolicitos eſſe num *in hoc Monte aut Hieroſolymis* colatur Deus, quam ut *Spiritu & Veritate* colatur.

Dicit hic Scriptor, *Inquiſ.* p.49. *Libertatem noſtram Gal.* 5.1. *in hoc eminenter conſiſtere, non tantum ut exempti ſimus ab antiqua lege Cæremoniali, ſed ne irretiamur novo jugo humanarum inventionum.* Tales autem mihi videntur, *Non-neceſſariæ ſcrupuloſitates*; quæ plura faciunt (ſaltem prætendunt) peccata, quam quæ prohibuit Deus, quæque *Religioſam Neceſſitatem*, & *Inſtitutionum* pondus, prætendunt eis rebus, quæ ſunt *Prudentiæ* negotia, & pro circumſtantiarum differentiis varianda. Ut illi 1 *Tim.* 4. 3, 4. *Prohibentes contrahere matrimonium*, ſeu *Jubentes abſtinere à Matrimonio*, *& abſtinere à cibis quos creavit Deus ad participandum cum gratiarum actione. Nam quicquid creavit Deus bonum eſt, nec quicquam rejiciendum ſi cum gratiarum actione ſumatur.* Prohibere ut *Illicita*, quæ non ſunt; pariter *Superſtitioſum* eſt, ac ea Jubere ut *Neceſſaria*, quæ neceſſaria non ſunt.

Mihi quidem perinde eſt ſive dicantur Dies *Saturni*, *Solis*, *Lunæ*, &c. ſive *Alpha*, *Beta*, *Gamma*, &c; ſed eis utor nominibus quæ uſu recepta video, ad placitum impoſita.

Nec ſum anxius de veſtium *colore Nigro* (tanquam de re vel *Neceſſaria*, vel *Illicita*, quam *Adiaphoram* puto,) de quo videtur ille admodum ſolicitus *Inquiſ.* p. 89. Quas veſtes nigras damnat ille ut *Veſtes nigras Sacerdotum Chemarim* (quorum præſumit ille veſtes fuiſſe nigras) *quos depoſuit Joſias* 2 *Reg.* 23. 6. *Deuſque exſcindere minatur Zeph.* 1. 4. (quaſi non Theologis liceat, pariter ac Juriſtis, uti veſte nigra,) *eo quod non ipſe meminerit Chriſtum ejuſve Apoſtolos fuiſſe nigris veſtibus indutos.*

Pariter, Cum dubitet ille (*Inquiſ.* p. 83, 84. iterumque *Repl.* p. 61.) num *bis habendi ſint Sabbato conventus publici, ante & poſt meridiem, an ſemel tantum*, eo quod *non meminerit ſe legiſſe, in Veteri aut Novo Teſtamento, duos fuiſſe Sabbato diſtinctos conventus publicos, ante & poſt meridiem, ut ſtata officia diei Sabbati*; (*præter ea quæ ſunt cujuſque diei officia & non intermittenda Sabbato*,) *ſed ſemel potius*; *idque, ut ipſi videtur, circa meridiem*: Mihi perinde eſt an *ſemel*, *bis*, an *pluries*, conveniamus eodem die, (modo ſic ut optime conducat, pro loci temporiſque circumſtantiis, ad ædificationem verumque cultum Divinum,) quippe hæc aliaque multa *Prudentiæ Chriſtianæ* permittenda judicio, pro loci temporiſque circumſtantiis, ſic aut ſecus ordinanda.

Quodſi, in Prudentialibus, putemus aliquando res non eſſe tam prudenter adminiſtratas ut oportuit; ferendæ potius ſunt aliorum Imprudentiæ, quas emendare non eſt in noſtra poteſtate, quam ut majora inducamus incommoda.

Pariterque (de quo videtur ille tum ſolicitus) non tanti rem eſſe puto, ut de ea contendamus acriter, an Sabbatum inchoemus ab hora Sexta, Decima, an Duodecima, veſperæ præcedentis. Quippe majoris multo momenti eſt ut Sabbatum rite celebretur; quam, quota hora.

Quod autem ille aliquoties quærit, Quid ego velim per *rite celebrari*? Ego facile admiſero ipſius deſcriptionem Rectæ Celebrationis, *Inquiſ.* p. 83. nimirum, quod *conſiſtit in vivida & ſpirituali converſatione cum Deo* (*Patre, Filio, & Spiritu Sancto*) *in privatis Officiis, publiciſque Exercitiis Sacris* (*ubi haberi poſſunt*,) *& ſancta Requie toto die*; *exceptis qui noctu dieque emergunt Caſibus Neceſſitatis aut Miſericordiæ, erga Homines & Bruta, ægros & ſanos*; *prout recte ſtatuitur utplurimum in Miniſterio Evangelii.* Ut, hac de re, nulla mihi ſit cum ille controverſia. Quodque ita terminandus ſit hic dies ut terminantur reliqui, inter nos item (quantum mihi videtur) convenit. Et, qua hora utrinque terminentur tum hic tum alii dies, minoris mihi videtur momenti res, quam ut eapropter Eccleſiæ pacem & receptam praxin (majori incommodo) turbatum ire debeamus.

Et ſicubi de ipſo *Die* merito dubitetur, (quod apud nos non exiſtimo,) non tanti id putarem, ut propterea pacem & receptam praxin Eccleſiæ Chriſtianæ turbare vellem. Et quidem quibuſdam caſibus, alicubi terrarum, neceſſe erit ut Prudentia determinandum ſit (ut poſt dicetur) quis dies reputandus ſit hebdomadis dies Primus aut Septimus. Talique caſu, *ea ſectanda ſunt quæ ad pacem faciunt, & quæ ad mutuam ædificationem.*

Subtilia

Subtilia diſputationum in longum producere, & in minuta fila protrahere, (ut ſunt Aranearum ex viſceribus ſuis,) eſt, *Simplicitatem Evangelii Chriſti pervertere*; eaque facere Abſtruſa & Difficilia, quæ vellet Sacra Sriptura *Plana* eſſe & *Facilia*; tam in *Speculativis* quam in *Practicis*. Ad ea potiſſimum intentos eſſe oportet, quæ *Subſtantiam* ſpectant *Spiritualis cultus*; & de *Circumſtantialibus* minus eſſe ſolicitos, niſi quatenus ſubſerviunt *Subſtantialibus*. *Rejice profanas & aniles fabulas* (monet *Timotheum Paulus*) *teque potius in Pietate exerceto*, 1 Tim. 4. 7, 8. Taliaque ſunt ea, *Ne Tangite, ne Guſtate, ne Tractate*, Col. 2. 20, 21. (aliaque horum ſimilia) *quæ ipſo uſu pereunt*; quæ ipſo uſu nihil emolumenti pariunt; ſeu ἅ ἐςι πάντα εἰς φθορὰν τῇ ἀποχρήσει, *quæ ſunt ipſo uſu damnoſa*.

Et quidem ſi probe conſideremus, quam grande malum non raro patitur Eccleſia Chriſtiana ob Scrupulos male ſundatos de rebus minutulis, & *quam grandem materiam exiguus accendit ignis*; omnino cautos eſſe oportebit, ne flammæ fomitem apportemus, aut affundamus oleum.

De Pontificiis querimur (nec immerito) quod Cultum ſuum gravant tanta Cæremoniarum Multitudine, Geſtuumque mimicorum; ut oneri foret ipſe *Numerus*, etiam ſi ſingulatim ferri poſſent. Quibus occupatus animus, nimis divertitur à Spirituali cultu, cui debeat maxime intentus eſſe. Sed eſt cur illi hoc faciant. Quippe cum cultus eorum pars magna vel tam ſubmiſſe proferenda ſit ut non audiatur, vel ea lingua quæ non intelligatur: opus eſt ut adſit aliquid quod Oculo gratificetur, cum non ædificetur Auris.

Idemque fere malum contingit, quum ita diſtinentur hominum animi vanis ſubtilibuſque Speculationibus, *dubiiſque diſputationibus*, ut à feriis Pietatis officiis divertantur.

Quod non ita dictum volo, quaſi Corporei cultus nulla ſit habenda ratio, aut Circumſtantiarum ad hunc ſpectantium. Nam Corpore pariter ac Animo ſerviendum Deo; habentque Actus Religioſi, ut actus alii, ſuas Loci, Temporis, Geſtuumque Circumſtantias prudenter accommodandas; ſic ut Animi cultui promovendo maxime conducant, poſſintque Decore & Commode adminiſtrari. Non ita tamen ſingulis Circumſtantiis ſic inſiſtendum puto, quaſi in his verſetur Religionis ſumma, aut non poſſent illæ (prout fert occaſio) variari.

Exempli gratia, Quum *Act*. 20. 36. dicitur de *Paulo*, quod *poſitis genibus oravit cum eis omnibus*; num inde concludendum erit, quod non liceat nobis, alio ſitu corporis quam flexis genibus orare? Aut, quia dicit Chriſtus *Mat*. 6. 6. *Tu quum precaris introito in conclave tuum, & clauſo oſtio precare*; num concludendum erit, non alibi licere nobis habere preces quam in Conclavi? non in Cœnaculo, Sacello, aliove loco commodo? Quumque ibidem ſequitur, *ver. 9. vos igitur ita precemini, Pater noſter*, &c. Num inde concludemus (quod inſinuatum it hic Scriptor, *Inquiſ*. p. 32.) non debere nos, in publicis conventibus, orationem dominicam adhibere, ſed ſolis precibus privatis? Aut, quia Chriſtus proponit hanc formulam, non nobis liceat aliis item verbis uti, prout fert occaſio? Aut etiam, Quia Chriſtus celebravit Sacram Cœnam, *Veſperi*, in *ſuperiori camera*, cum ſolis *viris*, eiſque *duodecim*, & quidem *ſedentibus* ſeu *diſcumbentibus*; num inde concludemus, non licere nobis *Mane* aut *Meridie* celebrare? aut non in *loco humili*? nec cum *fœminis*? aliove *numero*? aliove *corporis geſtu*? Non certe ſic concludendum erit. Quamvis enim hæ quas enumeravimus *Circumſtantiæ* ſint *Licitæ*, & quandoque forſan *Eligendæ*, quum commodum fuerit: Religioſam tamen his inducere *Neceſſitatem*, quaſi ex *Inſtituto Divino*; foret (quantum ego judico) mera *Superſtitio*, novumque *jugum imponere diſcipulis in rebus non neceſſariis*.

Quod ad rem præſentem ſpectat, (de obſervando *Die Dominico* & non Judæorum *Sabbato*,) tot taliaque me dixiſſe puto, quæ merito poſſint etiam huic Scriptori (bene penſitanti) ſatisfacere; ne debeat ille (ob male fundatam opinionem ſuam) turbare totam Eccleſiam Chriſtianam.

Scio tamen id uſu venire; quod, quum quis peculiarem ſibi notionem deſponſaverit, cui impenſe favet; eique tamdiu incubuerit, ut menti ſuæ quaſi ferruminaverit; omnem captans umbram quæ ipſi favere videatur, omniaque negligens aut etiam contemptum habens quæ adverſantur, (quod ſolet hic Scriptor;) haud facile à concepta ſententia dimovebitur. Quippe vix poteſt quicquam tam perſpicue tradi, ut nullus ſit cavillandi locus aut objiciendi, ſiquis id ſatagat. Adeoque quem habitura ſit effectum hæc diſſertatio apud hunc Scriptorem, alioſve (ſiqui ſunt) pariter ſentientes; non poſſum mihi ſpondere: ſed Deo permittendum eſt, qui *ſic docet ut nemo alius*.

CAP.

CAP. XXXV.

Expedimenta duo. Inchoetur Hebdomas à die Lunæ. Navigatio (Occidentem verſus) circa mundum. Defectus unius diei. Quomodo & Ubi rectificandus. Computus Scriptoris itinerantibus Occidentem verſus. Meridianus primus, ipſi ſtatuitur Hieroſolymæ. Computus itinerantibus Orientem verſus. Expedimentum tertium. Indifferenter ipſi dicendus eſt dies Saturni aut dies Solis, prout ab Hieroſolyma computatur Occidentem aut Orientem verſus.

VErum cum Nomen *Diei Septimi* ipſi tam impenſe placeat; ego (ab initio) duo propoſueram Expedimenta, quorum utrumvis (ni ſit ipſe nimis difficilis) ipſi ſubvenire poſſet; ut lis ei nobiſcum noo ſit. *Diſc.* p. 9, & p. 79. &c.

Primum erat ut Septimanam ſuam inchoare velit à die, qui *Lunæ* dicitur. Quippe tum *Dies Dominicus* (quem *Solis* vocat) erit dies Septimus. Num Septimus in continua ſerie ab Orbe primum condito, non dixerim, (nec poteſt ille dicere, an ſit aut non ſit.) At ſaltem erit, ſuæ Septimanæ, dies Septimus.

Alterum (ſi primum illud non ſatisfaciat) hoc erat. Inſtituat ille Navigationem circumcirca Terrarum Orbem; ut aotehac (è noſtris) *Franciſcus Dracus*, (neſcio an omnium primus.) Ex Mari Atlantico, Occidentem verſus, tranſiens per Fretum Magellanicum, ad Orientalem Indiam: Indeque rediens (uſitata via) per *Caput* (quod dicitur) *Bonæ Spei.* Sumatque ſecum (comites itineris) quos velit, ex eis qui de Sabbato juxta cum eo ſentiunt. Atque obſervent illi cum hinc exeunt, Sabbatum ſuum (diei Septimi) quem *Saturni* vocant; atque ſic continue (per totum iter) quemque diem ſeptimum continne recurrentem.

Cur illi, diem ſuum ſeptimum ſe ſatis obſervaſſe non putaverint, ego non video: (nec dicit ille.) Sed, itinere ſic peracto, invenient illi (cum ad nos redierint) eorum diem Septimum, coincidere cum noſtro Primo; atque ſic deinceps in perpetuum: nt eundem ntrique diem celebraturi ſimus; (amicabili coincidentia;) cum hoc ſolo diſcrimine; quod, quem illi vocent diem Septimum, nos vocemus Primum.

Si quærat, Quomodo poſſit hoc contingere? Clare oſtenſum eſt, quod tum ita erit, tum neceſſe eſt ſic fore.

Nam, dato quod Terra ſit rotunda; quodque Sol ab Ortu procedat ad Occaſum: Neceſſe eſt ut ad partes Orientales prius perveniat, quam ad eas quæ ſunt magis Occidentales. Prius in *Belgio* meridies erit, quam in *Anglia*; & in *Anglia*, prius quam in *Hibernia*; & ſic porro.

Si quæratur, Quanto prius? Dicimus, Gradus quindecim Longitudinis, Occidentem verſus, nnam Horam exhibere. Puta, ſiquis *Dubri*, aut *Yarmutha*, (aliove portu Orientali in *Anglia*,) naviget ad Occidentalem oram *Hiberniæ*, aut paulo ultra; ſerius ibi continget Meridies, quaſi una Hora: Eritque ibi Meridies, cum exacta ſit Hora prima poſt meridiem, eo loci unde diſceſſerat. Et, eadem analogia, pro Singulis quindecenis Gradibus computanda erit Una hora. Adeoque, cum circueundo peregerit totum Circulum, gradunm 360, (hoc eſt, vigeſies & quater, gradus quindecim,) ſerius futurus eſt Meridies, Horis viginti quatuor. Hoc eſt, erit ipſi reduci (circuitu hoc facto) adhuc Dies Saturni (ſeu dies Septimus,) cum ſit illis qui remanſerint, Dies Solis (ſeu Dominicus.) Atque ſic deinceps in perpetuum, ipſius dies Septimus, erit noſter Primus. Et quidem, ſi hoc circuitu facto ſic computandum erit; quidni ſic jam computet, non video; potius quam ut turbet ordinem ab aliis receptum per univerſum Orbem.

Atque hoc quidem pacto (quantum ego video) ipſi plene ſatisfactum iri debeat. Dicit enim *Inquiſ.* p. 39. *diverſa tempora Ortus & Occaſus Solis, in variis Climatibus, rem neutiquam diſturbant; quippe dies, ſive longior ſive brevior, eſt adhuc dies, & tantum dies.*

Certumque eſt, quod, qui ſic circumnavigaverit mundum, habiturus eſt dies uno pauciores quam qui hic manſerit. Sic accidit *Draco* noſtro ſociiſque ſuis; atque ſic accidit eis omnibus qui ſic, poſt eum, circumnavigarunt; (neque enim rarus eſt ille caſus;) atque ſic futurum erit eis omoibus, qui impoſterum ſic circumnavigabunt.

Quid ille faciendum ſuadeat, poſt talem circumnavigationem, aut quid tum putet fuiſſe faciendum, à *Draco* ſuiſque, qui ſic circumnavigarunt; ego neſcio; nec dicit ille.

Si putet, debuiſſe illos continuaodo pergere, ſic computando ut in itinere factum erat; hoc ipſi debet plene ſatisfacere: quippe tum ipſius dies ſeptimus cum noſtro primo coincidet.

Si rectificandum velit computum cum redierint, dieſque ſic poſtea nuncupandos non prout eos in itinere nuncupaverint, ſed prout ab eis numerati fuerint qui hic manſerint quid factum erit de die qui eſt ſic deperditus? quis ſeptimanæ dies erit ille putandus?

Et quidem ſicubi computus eſt rectificandus, ubinam id faciendum erit? Num poſtquam in *Angliam* redierint? an alicubi in itinere?

Si dicat cum redierint. At inquam, eadem res erit ſi in *Galliam, Hiſpaniam,* aut *Africam,* deſcenderent, priuſquam in *Angliam* appulerint; imo in ipſa Orientali *India*; quippe illic, & in toto deinceps itinere, forent uno die tardiores quam harum regionum incolæ.

Si alicubi in itinere rectificandum dicat: Quæro, Quando, & Ubi, & per Quam Regulam? Nam ubicunque id fiat, jam nunc dicendus erit *Dies Solis,* qui proximo momento dicendus erat *Dies Saturni.*

Si dicat Prudentiæ permittendum eſſe, aut judicio (ut loquuntur) Diſcretionis; Ubi, & Quando, facienda erit computi mutatio: Ego idem non invitus dixerim. Sed tum, inquam, Prudentiæ res eſt (non quid Quarto Præcepto determinatum,) utro duorum dierum (de quibus dubitetur) celebrandum erit (hic loci) Sabbatum.

Atque tum recurrit ejus Magiſterialis Expoſtulatio (*Inquiſ.* p. 48, 86, 87.) *Ecquis homo, aut numerus hominum, abſque Divinæ authoritatis uſurpatione (præcepto primo prohibita) audebit (ſub bonæ intentionis prætextu) jus ſibi arrogare, ſtatuendi (pro arbitrio ſuo) pro hoc aut illo loco-* (puta pro Freto Magellanico) *Quis dies habendus erit pro ſancto Dei Sabbato? Quis alius quam Dominus Jeſus Chriſtus, qui eſt Dominus Sabbati, poteſtatem habet inſtituendi Sabbatum? Si qua Eccleſia, aut pars Eccleſiæ, ſibi tale jus aſſumat; Quæ Seræ, quæ Repagula ſatis obſirmabunt oſtium, ne quidlibet introducant in Eccleſias Chriſti?*

Ego huic fervori reſpondere non ſum ſolicitus. Sed, cum hic depoſitus fuerit: rem ſic propono. Si ad oram (verbi gratia) *Freti Magellanici* (quem locum puto non inhabitari, aut non à Chriſtianis) Colonia forte locanda eſſet, partim ex hominibus hinc ducendis, partim ex aliis ex Orientali *India* à contraria parte venientibus. Dies qui ab eis, qui hinc navigant, dicendus eſſet (ſecundum eorum computum) verbi gratia *Dies Saturni*; ab eis, qui ex contraria parte adveniunt, dicendus eſſet (ſecundum eorum computum) *Dies Solis.* His celebrandus videbitur dies Dominicus hodie; illis, poſtridie: Vel, ſecundum hujus Scriptoris hypotheſin, illis hodie celebrandum Sabbatum Judaicum; his, pridie. Nullumne habitura eſt Sabbatum hæc mixta Colonia, quia de nomine diei non convenit? (Hoc certe, Præcepto quarto repugnat.) An communi utriuſque partis conſenſu determinandum erit, utro duorum die habebitur? (Hoc ego putaverim, ſi per eum liceat.) An alii hoc, alii illo die celebrarent, ſecundum ſuum reſpective computum? Hanc ego confuſionem (ſi vitari poſſit) nullatenus ſuaderem. Certum enim eſt, non poſſe utrumque eſſe ſeptimum in continua ſerie ab orbe primum condito; (forte neutrum:) &, uter ſit, nemo hominum dicere valebit. Multumque ad communem ædificationem conducet, publicique cultus divini ſolennitatem, ut ab utriſque celebretur eodem die. Adeoque communi conſilio ſtatuendum de dierum alterutro; nec multum intereſt (quantum ego judico) de utro ſtatuatur; cæteris circumſtantiis pariter ſe habentibus.

Et quidem Scriptorem hunc, ſi rem ſedate penſitaverit, pariter judicaturum exiſtimo; ſatius eſſe, ſic ſabbatum celebrandum eſſe, quam non omnino; & poſthabendam eſſe temporis circumſtantiam ſubſtantiæ cultus.

Atque hæc ego primo monueram *Diſc.* p. 79, 80, 81. Aliaque poſt addenda cenſui *Vind.* p. 5, 6. poſt inſpectum *Schematis* ſui quod adornat *Repl.* p. 71, 72, 73. pro diebus computandis.

Initium Computi, ſeu (ut loquitur) *Exitum facit ille ab Hieroſolyma.* (Cur autem ab *Hieroſolyma?* niſi quod, pro arbitrio ſuo, ſic placeat. Alius forte putaverit à *primo Meridiano* potius inchoandum; ſeu ab alio aliquo qui ſibi magis placuerit loco. (Sed eſto, quia ſic huic placet, ab *Hieroſolyma.*) *Ab Hyeroſolyma computum orditur, Die Saturni Martii* 11, 1692. (ſtilo noſtro, hoc eſt *Mar.* 21. 1693, ſtilo novo.) *Eumque proſequitur circumcirca Terram, donec (circuitu facto) ad Hieroſolymam rurſus perveniat. Hinc,* inquit, *peractis Occidentem verſus gradibus* 15, *erit adhuc Dies Saturni, ſed una hora ſerius quam Hieroſolymæ; &, peractis aliis gradibus* 15, *duabus horis ſerius continget, ſed idem adhuc dies. Atque ſic porro, pro ſingulis* 15 *gradibus, una adhuc hora continue ſerius continget idem dies. Adeoque Romæ* (ipſo computante) *erit adhuc dies Saturni, ſed duabus horis ſerius quam Hieroſolymæ. Londini, erit adhuc dies Saturni, ſed horis* 3 *& minutis* 12, *ſerius quam Hieroſolymæ. Dublinii, horis* 3, *min.* 32. *ſerius quam Hieroſolymæ. Atque ſic porro ad Novam-Angliam procedendo* (quamvis interim hic tranſeamus Primum Meridianum,) *adhuc erit dies Saturni, ſed ſerius incipiet horis Octo, quam Hieroſolymæ.* (Num hæ ſint Meridianorum horum veræ diſtantiæ, nun diſputabimus; nec eſt ut ſimus de eo ſoliciti. Sed admittemus ſic eſſe ut ipſe computat.) *Inde ad Japanam procedendo, erit adhuc dies Saturni, (ſeu dies Septimus) Martii* 11, *ſed ſerius quam Hieroſolymæ horis* 17. *Adeoque (Solem proſequendo ab Hieroſolyma Japanam uſque) dicendum erit Solis occaſum Japanæ contingere horis* 17 *ſerius quam Hieroſolymæ; atque tunc incipere, Japanæ, diem Septimum, Martii* 11. 1692. *Atque à Japana, (tranſeundo reliquos Meridianos, reliquamque terram Aſiæ,) ad Hieroſolymam, horis adhuc ſeptem. Adeoque, ab Hieroſolyma, prout Sol Terram circuit ad Hieroſolymam iterum accedendo, ſunt horæ* 24. *Hoc eſt, ab Occaſu So-*

lis Hieroſolymæ Mar. 11. 1692, *ad Occaſum Solis Hieroſolymæ Mar.* 12. 1692. *ſunt horæ* 24. *Nempe ad Japanam horæ* 17, *indeque* 7 *ad Hieroſolymam*; *quippe* 17 *&* 7 *ſunt* 24. Erit igitur (per hanc Computationem) in *China, India, Perſia, Babilone, Syria,* &c. dies adhuc Saturni Mar. 11. ſed prius ſeriuſque donec ad Hieroſolymam pervenitur, atque tum tandem (ſi ego ipſum recte intelligo, ipſe enim non dicit, quomodo tunc dicendus eſt dies ille.) Dicendus eſt *dies Solis Mar.* 12. Atque hanc quidem veram eſſe Schematis ſui exhibitionem, atque ad mentem ſuam, (utut verbis paucioribus) non negabit ipſe.

Jam vero, ſecundum hoc Schema ſuum, erit, in Monte *Sinai*, & prope *Jordanem*, ipſoque Monte *Oliveti*, (quippe nondum ad *Hieroſolymam* perventum eſt, cum ſint hi loci omnes ad Orientem verſus ab *Hieroſolyma*,) dicendus eſt *Mar.* 11. ſed horis fere 24 ſerius quam *Hieroſolymæ*. Et ſpeciatim ad Montem *Sinai* (quem dicit ab Hieroſolyma diſtare, Orientem verſus, gradibus 6; adeoque tempore prius, horæ minutis 24. Eritque adhuc *dies Saturni Mar.* 11, ſed ſerius quam Hierſolymæ, *horis* 23 *min.* 36. Atque in Monte *Oliveti*, Mar. 11. ſed horis fere 24, prius quam *Hieroſolymæ* (dempto minus quam uno Minuto horario.) Adeoque, ſi Chriſtus comederit Paſcha die (qui dicitur) *Jovis* (*decimo tertio* die Menſis Primi,) & poſt adierit *Montem Oliveti*; foret ibi dies *Mercurii* (menſis *duodecimus*;) cumque redierit *Hieroſolymam*, foret iterum dies *Jovis*, (menſis ejuſdem *decimus tertius*;) atque ſi iterum rediiſſet ad *montem Oliveti* eadem nocte, foret denuo dies *Mercurii*, menſis *duodecimus*. Atque ſic toties quoties.

Dum vero (ſecundum hoc *Schema* ſuum) computat diem Mar. 11. inde ab Hieroſolyma, donec eo iterum circumeundo pervenerit; hoc interim ait ſe facere *non illic ſtatuendo Meridianum*. Intelligit (credo) *Meridianum Primum*; (nam alias habet quiſque locus ſuum Meridianum.) At videtur haud ſatis intelligere, quid ſit *Primus Meridianus*. Quippe, per *Primum Meridianum*, illum intelligimus à quo numerare incipimus 1, 2, 3, & ſic continue, donec eodem iterum circumeundo pervenimus. Atque dum ille ſic computat, (facto ab *Hieroſolyma* initio, ibique terminando,) Meridianus *Hieroſolymæ* eſt illi (neſcienti) *Primus Meridianus*, ſibi pro arbitrio ſumptus. Atque hactenus Schema ſuum, pag. 71, 72, 73.

Meminiſſe autem oportuerat, quod *Repl.* p. 67, 68, 69. *alium* nobis aſſignat ipſe modum computandi. Quamvis enim (ut ait *p.* 67.) *Sol itineratur Occidentem verſus*; dicit tamen *Adami poſteros, & Noachi pariter, itineratos eſſe*, (non tantum Occidentem verſus, ſed) *verſus Orientem, Occidentem, Septentrionem & Auſtrum, replendo Terram*; *& quocunque venerint* (ſive Occidentem ſive Orientem verſus) *poſt ſex dies itineris aliuſve laboris, cum Sol ibi occiderit, incepiſſe Sabbatum ſuum.* (Nolo illi moleſtus eſſe quærendo, quid facturi forent in *Greenlandia*? ubi, ſi expectandus ſit Solis Occaſus, nullum habituri eſſent Sabbatum per aliquot Menſes.)

Jam vero (hoc poſito) itinerantibus ab *Hieroſolyma* Orientem verſus, *gradibus* 15, inchoandum erit Sabbatum *una hora* citius quam *Hieroſolymæ*; &, eadem proportione, pro ſingulis 15 gradibus aſſignanda eſt una hora.

Atque ipſe ſic computat *p.* 71. *Sita eſt* (inquit) *Hieroſolyma, quaſi 6 gradibus longitudinis ad Occidentem à Monte Sinai*; *adeoque Occaſus Solis contigit Hieroſolymæ, quaſi* 24 *minutis horariis ſerius quam in Monte Sinai*; *atque aliquot minutis ſerius quam prope Jordanem*; (hoc eſt, tanto *citius* ad Montem *Sinai* & *Jordanem*, quam *Hieroſolymæ*.) *Quæ tamen differentia nullam fecit alterationem Sabbati, ſed idem erat Sabbatum in Monte Sinai,* (*& prope Jordanem,*) *& in Monte Zion*; *cum hac ſola differentia, quod inceperit ipſe dies Septimus Hieroſolymæ, quaſi* 24 *minutis horariis ſerius quam in Monte Sinai,* (*& aliquot minutis ſerius quam prope Jordanem,*) *erat tamen idem dies Septimus utrobique.*

Incipiamus jam (ſecundum hunc computum) ubi ille deſinit; hoc eſt, *die Solis Mar.* 12. 1692. *Hieroſolymæ*. Erat, ad Montem *Sinai*, idem *dies Solis*; ſed minutis 24 prius quam *Hieroſolymæ*, (ipſo dictante *p.* 71.) Sed (eodem computante *p.* 73.) erat adhuc *dies Saturni*, horis 23 & min. 36. *ſerius* quam *Hieroſolymæ*. Utra vero harum computationum ſequenda erit? Pariterque *Japanæ*, idem *dies Solis*, horis 7 *citius* quam *Hieroſolymæ*. Et, in *Nova Anglia*, idem dies *Solis*, horis 16 *citius* quam *Hieroſolymæ*. Et *Romæ*, horis 22 *citius* quam *Hieroſolymæ*. Et ſic continue, donec ad *Hieroſolymam* pervenitur. Atque tum demum (non prius) pro *die Solis Martii die* 12, *hor.* 24 *citius* quam *Hieroſolymæ*, dicendus erit dies Saturni, Martii 11, *Hieroſolymæ*. Quæ eſt vera computatio, ſecundum *Schema* ſuum, itinerantibus Orientem verſus; vel ita computantibus, acſi ſic iter fecerint.

Adeoque (pro duplici ipſius computandi modo) omnino indifferens eſt, ſive (in *Japana* inſula) dicatur dies ille, *dies Saturni Martii* 11, *horis* 17 *ſerius quam Hieroſolymæ*, (prout *p.* 73.) ſive *dies Solis Mar.* 12, *horis* 7 *citius quam Hieroſolymæ*, (prout *p.* 71.) Item, in *Nova-Anglia* eſt omnino indifferens, ſive dicatur *dies Saturni, horis* 8 *ſerius quam Hieroſolymæ*; ſive *dies Solis, horis* 16 *citius quam Hieroſolymæ*. Quippe idem ipſe dies utroque modo indicatur.

Verum, hac non obſtante indifferentia, ego, quantum ad *Novam-Angliam*, conſentirem ipſius Schemati pag 73. diceremque *diem Saturni horis* 8 *ſerius*, (quamvis hinc eundo tranſe-

amus; quem vocant, *Meridianum Primum*;) quia ſic in *Nova-Anglia* dies ſuos computare ſolent. Sed, quantum ad *Japanam*, non ei conſentirem, ut dicatur *dies Saturni horis 17 ſerius*; ſed potius *dies Solis, 7 horis citius quam Hieroſolymæ*; quoniam in *Japana* ſic dies computant ſuos. Non negem (quod habet ille *Repl.* p. 2.) quod *Verbum Dei eſt Regula Cultus*; ſed *loci praxis* hic multum valet, quoniam *Verbum Dei* hac in re nihil determinavit.

Atque hinc *Tertium* ſuppetit Expedimentum, (præter ea duo quæ ante ſuggeſſeram;) Puta, ut *Japanam* adiret. Quippe, quem ille vocat *diem Saturni* (ſeu diem *Septimum*) horis 17 *ſerius* quam Hieroſolymæ; eſt ille ipſe dies, qui ibidem dicitur *dies Solis* (ſeu *dies Primus*) horis 7 *citius* quam Hieroſolymæ. Adeoque ipſius *dies Septimus* coincidet cum eorum *die Primo*. Vel etiam, ſi nimis procul cenſeatur *Japana*; idem fiet ſi *Chinam* adeat, aut *Indiam*, *Perſiam*, *Babilonem*, aut etiam *Syriam*, ullumve locum alium, qui ſit ultra *Hieroſolymam* Orientem verſus. Nam eorum *dies Primus*, coincidet (ipſo Computante) cum *ſuo Septimo*.

Monendum item illud eſt, quam caute ſeligit ille ipſum Æquinoctii diem (*Mar.* 11.) pro inſtituendo ſuo calculo. Nam ſi quovis alio die (quam Æquinoctiorum altero) computum adornaſſet, *Horizontum Obliquitates* (cujus ipſe videtur conſcius *Repl.* p. 70.) rem totam turbaſſent. Quamvis enim omnibus ſub eodem Meridiano poſitis, Meridies eodem momento contingit, (& pariter Nox media;) Solis tamen Ortus & Occaſus aliis atque aliis momentis contingunt alibi locorum ſub eodem Meridiano. Sic dato, verbi gratia, quod Meridies *Londini* ſit horis 3 min. 12. ſerius quam *Hieroſolymæ*, (& ſic ſemper,) Solis tamen *Occaſus*, eſt aliquando plus horis 4, aliquando non horis 2, ſerius quam *Hieroſolymæ*.

Sed quicquid id ſit; hinc manifeſto patet, quod ſecundum Schema ſuum (alibi quam *Hieroſolymæ*) poteſt idem dies indifferenter dici *Solis* aut *Saturni*, (primus aut ſeptimus,) prout ab *Hieroſolyma* computemus *Orientem* verſus aut *Occidentem*. Eademque mihi, quæ prius, ſtat ſententia; non turbandam eſſe Eccleſiæ pacem & receptam praxin, ob ejus (male fundatam) opinionem, de diei Circumſtantia, quæ nullatenus afficit (ut loquitur ille, *Inquiſ.* p 27.) *vividam & igneam* (*Matutini & Veſpertini cultus*) *adminiſtrationem Verbi & Orationum*. Poteſt utique quis eſſe non minus *languidus & fervoris expers*, ſuo Saturni *Sabbato*, quam die *Dominico*.

CAP. XXXVI.

Prudentiâ judicanda ſunt in Hypotheſi, quæ Divina Lege ſtatuuntur in Theſi. Variis Exemplis oſtenditur. Hoc præſenti caſui accommodatur. Primus Meridianus, pro arbitrio ſtatuendus. Dierum Nomenclatura, ubi inchoanda Rerum commodis hac in re proſpiciendum. America conſideratur potius tanquam ad Occidentem ab Europa, quam ad Orientem ab Aſia. Quamobrem id fiat.

OMnino multa ſunt, quæ in *Verbo Dei* ſeu *Divina Lege* determinantur in *Theſi*, quæ in *Hypotheſi* (quando ad Praxin rediguntur) interventionem poſtulabunt *Prudentiæ humanæ*, aut *Legum Humanarum*.

Celebrandum erat Paſcha (lege Divina) *decimo-quarto die Primi Menſis*: ſed judicio opus eſt ut conſtet, quis cenſendus ſit *Primus Menſis*, & quis ejuſdem dies *decimus quartus*.

Prohibitum eſt Octavo Præcepto, *Ne furemur*; hoc eſt, ne id vicino noſtro indebite auferamus quod ſuum eſt. At, quid ſit meum & quid vicini mei, ex humanis legibus magna ex parte pendebit. Item, Quid cenſebitur Tranſgreſſio in terram ſuam; aut, Quo caſu poſſit ille (quod aiunt) Foriſfacere quod ſuum eſt, aut jure ſuo excidere.

Prohibet Præceptum Septimum, *Ne fiat adulterium*. Sed magna ex parte, ab humanis legibus pendebit, Quid habendum erit validum Matrimonium.

Prohibet Præceptum Sextum, *Ne occidamus*. Sed ex humanis legibus plurimum pendebit, Quid reputandum erit juſta ſui Defenſio; Quid, juſtum Bellum; &, Quo caſu quis judicandus ſit reus capitis, ſeu morte plectendus.

Poſtulat Præceptum Quintum, ut *Parentes honoremus*, cæteraque quæ hinc dependent. Sed ex humanis legibus nonnunquam pendebit, Quis lege cenſebitur verus Pater. Puta, ſi Vidua ex priore marito relicta gravida, alteri nupſerit (quod aliquando fit) ante puerperium; quæri poteſt, Utri marito hæres cenſebitur qui naſcetur filius? Num priori marito, qui genuiſſe præſumatur? an poſteriori, in cujus conjugio naſcitur? an utrique? Quod humanis legibus determinandum erit. Item, ſi durus pater à me jam adulto iniqua poſtulet, (puta, ut hæreditate mea cedam,) dubitari poſſit, Quatenus ei obtemperandum ſit; aut, an licite poſſim cum eo jure contendere; aut etiam, an poſſim (juſta dè cauſa) vim vi repellere. Idemque de aliis ſuperiori conditione conſtitutis.

Et quidem leges ipſæ quæ videantur Abſolutæ (ut *Non occides*; *Servi obedite, in omni-*

bus, Heris veſtris, Col. 3. 22. ſimileſque,) habent ſuas ſubintellectas *Limitationes*. Nemo enim dubitet quin, quibuſdam in caſibus, *Occidere* liceat, (ut in juſta ſui *Defenſione*, in juſto *Bello*, in *Capitalibus ſuppliciis*, ſimilibuſque.) Et, non obſtante Mandato, *Honora Patrem & Matrem*; & *Filii obedite Parentibus veſtris in omnibus*, Col. 3. 20; non dubium eſt, quin multi contingant caſus, quibus non teneamur imperata facere.

Quibus caſibus, interponendæ *Prudentiæ* locus erit. Non quidem ut Legem Divinam Abrogemus, aboleamus, aut caſſam faciamus; ſed ut judicemus, quænam ſit vera *Legis Intentio* his in caſibus.

Item in illa de Sabbato Lege, *Nullum opus in eo facies*; Quo non obſtante, dicit Dominus, *Sacerdotes in Templo prophanant Sabbatum, ſuntque Culpæ immunes*. Et contra Phariſæos (ſuperſtitioſe rigidos) arguit, non tantum ex Authoritate ſua, (*Filius Hominis eſt Sabbati Dominus*;) ſed etiam ex Ratione Legis, *Factum eſt Sabbatum pro Homine, non Homo pro Sabbato*; &, conſequenter, ſic exponendum id eſſe ut ſit *in Bonum Hominis* (ſpirituale & temporale) non in *Damnum* ejus. Atque agnoſcit hic Scriptor, quod *Caſibus emergentibus Neceſſitatis & Miſericordiæ*, operari liceat. Puta, in ædium Conflagratione; nemini dubium eſſe poteſt, quin laborare liceat ad extinguendum ignem.

In quibus caſibus ſingulis, *Prudentiæ* locus eſt; *Utendæ* quidem, non *Abutendæ*. Non quaſi Prudentiæ noſtræ permiſſum ſit, an velimus Divinæ Legi obedire; ſed, ut prudenter judicemus, quid faciendum velit, hiſce caſibus, Lex Divina. Neque aliis opus erit (quod queritur hic Scriptor) *Seris & Repagulis* ad cohibendam Prudentiam noſtram his in rebus, quam in aliis omnibus *Prudentialibus*. Cavendum utique ne *Libertate noſtra abutamur ad Licentiam* aut *Libidinem*. Atque illud Ariſtotelis ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειε, locum habet etiam in Sacris.

Et ſpeciatim, cum poſtulat Præceptum Quartum, ut *Sabbatum Sanctificetur*; poteſt tamen, multis in caſibus, Prudentia opus eſſe, & humana lege, quo judicetur, Quis Dies ſit pro Sabbato reputandus. Et quamvis ſtatuit hic Scriptor, Oportere diem eſſe Septimum in continua ſerie ab Orbe condito; nihilo tamen certiores hinc efficimur. Quamvis enim ipſe toties, atque tam acriter, contra *Traditionem*, exclamat; ut cui nulla ſit adhibenda fides: neceſſe tamen erit, ut *multum Traditionis* admittat ipſe, priuſquam nobis probare poſſit, Quis ſit ille dies Septimus ab Orbe primum condito continue numerandus.

Et quidem ego plane ſentio, quod, ſi Scriptor hic ſerio penſitaverit, quid ipſe ſenſerit faciendum *Draco* noſtro ſuiſque, (aliiſque qui, poſt illum, ſic Circuiverint terrarum Orbem,) cum ſic circueundo perdiderint diem: horum duorum alterum judicaturus foret. Nempe; Vel, eum in *Angliam* redierint, continuandum eſſe computum quem in itinere obſervaſſent; diemque *Saturni* reputandum eis eſſe quem ille computus indicaret; (atque tunc ipſius *Sabbatum diei Saturni* coincideret cum noſtro *Sabbato diei Dominici*:) Vel, alicubi rectificandum eſſe computum, ſive in Itinere, ſive quum domum Redierint, ibique incipiendum eſſe, *diem Solis* appellare, quem jam modo appellaverant *diem Saturni*.

Jam vero, cum nihil in *Natura rerum* ſit, quo determinetur, Ubi *oporteat* hanc Mutationem ſeu Correctionem fieri; nihilque in *Divina Lege*, quod indicat, Ubi *debeat* fieri. videtur *rationi* magis congruum, (*ſi nihil gravius intercedat*,) ut ibi rectificetur computus, ubi ſtatuitur (ſed ad placitum ſtatuitur) qui dicitur *Primus Meridianus*; à quo Longitudinum gradus numeramus 1, 2, 3, &c. uſque ad 360, quando huc iterum circueundo accedimus. Indeque 1, 2, 3, &c. ut prius.

Hic *Primus Meridianus*, tempore *Ptolemæi*, cenſebatur circa Occidentalem oram *Africæ*, unde gradus Longitudinis numerabantur (Orientem verſus) 1, 2, 3, &c. quoniam hæc erat extrema pars, tunc noti Orbis, Occidentem verſus. Recentiores Geographi (propter detectas Inſulas magis ad Occidentem vergentes) Meridianum Primum nunc magis ad Occidentem ſtatuunt, gradibus quaſi 10 aut 15. Sed in hoc conſentiunt omnes, quod intermedius ſit inter Continentem noſtram & Continentem *Americæ*. Atque ſi ab illo Meridiano, ut inchoamus *Longitudinum* gradus numerare, ſic inchoemus *Dierum* Nomenclaturam, ibidem ultimo dicendus eſſet dies *Saturni*, ibique primo dies *Solis*. Adeoque apud illum Meridianum deberent hi *Circumnavigantes* rectificare computum; ad ejus Occidentem dicendo, diem *Solis*; ad Orientem, diem *Saturni*.

Dicat forſan quod, hoc poſito, ſi noſter Dies Dominicus dicatur dies *Solis*, cenſendi erunt *Nov-Angliæ* incolæ ſuum celebrare Sabbatum die *Lunæ*; ut qui ſunt ultra illum Meridianum Primum.

Quod quidem verum eſſet, ſi ab eodem principio inchoemus Longitudinum calculum, & Nomenclaturam Dierum. (Atque hoc eſt quod ab initio inſinuabam; nempe, diſputari poſſe, an nos & illi dicendi ſimus eodem die celebrare Sabbatum.) Adeoque jam dixi, *Si nihil gravius intercedat*, nempe tum foret concinnius, ut utrumque ab eodem principio inchoemus.

Sed utrumque arbitrarium eſt, & mere ad placitum; neque ulla eſt neceſſaria utriuſque connexio, vel in Natura rerum vel in Verbo Divino. Adeoque, hac in re, majoris momenti eſt, rerum Commodo, quam Calculi Concinnitati proſpicere. Et quidem, ſi vellemus

mus utrumque conciliare, minoris eſt negotii, Calculum Longitudinum, Dierum Nomenclaturæ accommodare, quam hanc illi, ut mox dicetur.

Quod autem de *Nov-Anglia* dicitur, totam *Americæ* Continentem æque ſpectat; eademque Deciſio pariter reſpiciet Americam totam, (cum, qui jam cenſeri ſolet Primus Meridianus, eſt nobis illiſque intermedius;) cumque res ea (de Dierum computo) jam ſit communi omnium conſenſu ſtabilita, & uſu recepta; nullo modo ſuaderem ego, ut rem eam ſollicitemus.

Eſt enim Meridiani Primi aſſignatio res mere Arbitraria. Quique jam aſſignari ſolet *citra* Americam; potuiſſet *ultra* Americam aſſignari, ſi ſic hominibus placuiſſet, fuiſſetque *America* temporibus *Ptolemæi* nota. (Potuiſſentque gradus Longitudinum inde ad Occidentem numerari, ſi id hominibus placuiſſet, prout nunc numerari ſolent ad Orientem.)

Poteſtque nunc (ſi placuerit) ſic cenſeri Primus Meridianus. Et quidem nunc cenſeri ſolet quaſi 10 aut 15 gradibus magis ad Occidentem, quam cenſebat *Ptolemæus*. Imo quiſque Tabularum Geographicarum deſcriptor, pro arbitrio ſuo, ſuum ſibi figit Meridianum Primum, indeque computat Longitudinum gradus. *Brahæus*, ab *Uraniburgo* ſuo, ultra citraque computat; Alii à *Londino*; Alii à *Roma* vel *Pariſiis*; atque hic Scriptor (ut ſupra diximus) ab *Hieroſolyma*.

Eſtque pure Arbitrarium, an velimus Dierum Nomenclaturam inchoare ab illo Meridiano, an aliunde. Adeoque mere Arbitrarium eſt, (ex pro hominum prudentia, & rerum commodis determinandum,) an dies ille ſit, in *America*, dicendus Dies *Solis*, an Dies *Lunæ*. Nihil utique eſt in *Quarto Præcepto*, aut alibi in *Sacris Literis*, quod hoc determinet.

Sed cum ita contigerit, ut incolas acceperit *America* hodierna (Chriſtianos intelligo) ab *Europa*, Occidentem verſus navigantes (nulla conſideratione habita de Meridiani Primi tranſitu;) hinc factum eſt, quod ſic diebus impoſuerint Nomina, prout ipſis hinc eò Navigantibus apparuerint. Quod ſi ab *Aſia*, aut Orientali *India*, aut Inſula *Japana*, tranſiiſſent (Orientem verſus) Incolæ Chriſtiani primi; qui jam dicitur (à noſtris) dies *Solis*, diceretur ab illis (pari ratione) dies *Lunæ*. & utrovis modo *Præceptum Quartum* pariter obſervaretur.

Atque ob ſimilem rationem, qui nunc ſunt in *India*, *China*, & *Japana* Chriſtiani, cum ex *Europa* noſtra eò pervenerint navigando, ſic dies illic appellant prout ipſis videbantur dicendi in Navigatione ſua.

Verum quidem eſt, quod pars aliqua illius diei, quem nos Dominicum dicimus, (ſed exigua pars,) communis eſt nobis cum Americanis; ejuſdemque pars aliqua (ſed non eadem pars) nobis communis & Japanenſibus: ſed pars valde exigua ejuſdem diei Communis erit Japanenſibus, & Americanis Occidentalioribus: Puta, hora undecima veſpertina in locorum altero (aut adhuc ſerius) quæ ſit hora prima matutina in altero; ut vix hora una aut altera noſtri diei eum utriſque communicet; ſecundum Chartas Geographicas antiquiores; (ſecundum Chartas recentiores, aliquanto plus;) cenſetur tamen idem dies *Solis* in ſingulis. Nec male ſic cenſetur.

Sed pro humana *Prudentia* ſic cenſetur: quoniam præcipuum Commercium, & rerum agendarum ratio, eſt (in *America*) cum *Europæis*, potius quam *Aſianis*. Adeoque conſideratur *America*, tanquam ad Occidentem ab Europæis, potius quam ut ad Orientem ab Aſianis. Atque ſic in Tabulis Geographicis locari ſolet; (dieſque ſic nominantur:) quamvis etiamnum Longitudines numeremus ut à Meridiano interjecto.

Poterit autem (abſque magno incommodo) ſi ſic hominibus viſum erit, Meridianus Primus (qui jam cenſetur aliquot gradibus magis ad Occidentem, quam erat *Ptolemaicus*) ultra *Americam* transferri, (atque inter eam & *Aſiam* cenſeri,) ubi mutatur (communi omnium conſenſu) dierum nominatio. Sed non tanti eſt Meridiani Primi poſitio, ut de ea ſimus admodum ſoliciti; quæ & indies pro Geographorum arbitrio mutari ſolet.

Hæc autem non eo dicta ſunt omnia, ut novos injiciam ſcrupulos de die Dominico, ſive à nobis ſive ab Americanis obſervando, aut computo utrobivis mutando, (qui jam uſu recipitur, nec ſcio quomodo poſſit in melius mutari:) ſed ut reapſe oſtendam, quam omnino ſit *Prudentiæ* res, Uter (duorum dierum) dicendus ſit dies *Solis*, & pro *Dominico* habendus, in hoc aut illo loco. Adeoque non putandum ſit, Quartum Præceptum ad hujuſmodi Circumſtantiarum minutias reſpicere, quæ ſubſtantiam cultus non attingunt.

Exigit Quartum Præceptum, ut, *poſt ſex dies ordinarii laboris*, Septimo celebretur Sabbatum Sanctæ Requietis. De obſervando Septimo in continua ſerie *ab Orbe primum condito*, nihil dicit. Nec eſt poſſibile, ut nos jam certo ſciamus, quis ſit ille dies.

Obſervarunt *Judæi* (Deo hunc illis per *Moſen* indicante, ut Signum Characteriſticum quo à Gentibus diſtinguerentur) ſeptimum in continua ſerie à *primo* deſcenſu *Mannæ*: ſed quomodo hoc ad nos pertineat, non video, (& quidem ſi nos ſpectaret, non video unde certi ſimus, quis ille ſit.)

Chriſtiani jam inde à Reſurrectione Chriſti, illum obſervamus diem Septimum, quem nos exiſtimamus continue Septimum à Chriſti Reſurrectione & die Dominico ab Apoſtolis obſervato: Quatenus ſcilicet à Communi Traditione omniumque temporum Hiſtoria certi

eſſe poſſumus; nec aliud ſuppetit æſtimandi medium, ſi forte (quod non exiſtimo) calculo lapſi ſimus.

Hunc diem nos poſſeſſione tenemus, (atque per multas Annorum Centurias retinuimus,) & (quod dici ſolet) *Poſſidentis potior eſt ratio.* Siquis nos velit Poſſeſſione deturbare, meliorem oportet titulum proferre, quam quo nos tenemus. (Mutare, ſola Mutandi gratia, ſtultum eſt.) Si velit hic Scriptor nobis inducere neceſſitatem, (ut ab inſtituto Divino,) obſervandi diem Judaicum continue Septimum à primo deſcenſu Mannæ, (ſaltem ſi is fuerit dies Sabbati Judaici tempore Chriſti;) oſtendat oportet, quis ſit ille dies, meliori argumento (ſi poſſit) quam Communi Traditione; &, quo jure nos ad eum diem obligamur, qui fuerat Character ſeu Signum Diſtinctivum *populi Judaici*, (quem ille cenſet fuiſſe *totam Eccleſiam Dei viſibilem*,) ab aliis omnibus Nationibus, ut erat *Circumciſio Poſterorum Abrahæ*. Qui quidem Character Diſtinctivus ſi pariter ceſſaverit, quum *paries intergerinus* ſit morte Chriſti diruptus; parili ſuperſtitionis nota notandi erunt, qui hujus nunc obtenderint neceſſitatem, & qui *Circumciſionis*. Quam aliquandiu Judæis indulgendam cenſuerunt Apoſtoli, ſed non Gentibus inducendam.

CAP. XXXVII.

Epilogus.

ABſolvi jam (&, quantum mihi videtur, ſatis) ea omnia quæ erant alicujus momenti hanc rem ſpectantia, quæ in Scriptoris hujus *Inquiſitione* & *Replicatione* occurrebant, (omiſſis nonnullis, quæ erant alio ſpectantia, vel ad hominem dicta.) Idque eo fuſius, propter multa quæ obiter occurrebant diſcutienda. In quorum nonnullis ſiquando videamur (quod non inficior) à Viris quibuſdam eruditis (qui his de rebus ſcripſerunt) diverſa ſentire; hanc *veniam dabimus petimuſque viciſſim.* Et quidem ſi ipſi vidiſſent (& bene penſitaſſent) quæ jam diximus, fieri poteſt ut ipſi nobiſcum juxta ſenſerint. Summam rei quod ſpectat; juxta mecum ſentire puto pleroſque omnes, pauciſſimis exceptis.

Liceat ſummatim recenſere eorum præcipua, quæ mihi cum hoc Scriptore fuere diſceptata.

Quod *Chriſtus*, ut *Deus* (in unione cum Patre & Spiritu Sancto) *mundum creaverit*, ego ipſi lubens conſentio. Sed non *ſolitarius*, (ut à Patre & Spiritu Sancto contradiſtinctus;) neque ut *Mediator* & *Redemptor* noſter, (Deus ſimul & *Homo*.) Quippe tunc *Homo* nondum fuit: at *Mediator inter Deum & homines*, eſt *Homo Jeſus Chriſtus*. Sed nec erat opus *Mediatore*, aut *Redemptore*, ante hominis *Lapſum*: qui non contigit, niſi *poſt* Mundum conditum.

Conſentio etiam, quod *Deus* Mundum creavit *Sex Diebus*. Nempe, quod ſingulis horum Sex dierum, aliquid Creavit Deus, prout in Cap. 1. Geneſeos narratur. Sed qua parte cujuſque diei hoc aut illud fecerit, nos neſcimus: nec ſcimus quod *totum diem* creando impenderit. Nam Creatio *Evæ*, (quod videtur ultimum Creationis opus,) aliquanto prius erat abſoluta, quam *fine* diei Sexti. Erat enim illa poſt adducta ad *Adamum*, eique data in *Uxorem*, & *Matrimonium* inſtitutum, & *Benedictio Nuptialis* prolata, (*Creſcite & Multiplicamini*,) eodem die Sexto nondum finito.

Conſentio item, quod *die primo*, fuerunt *Veſpera & Mane*, hoc eſt *Tenebræ* & *Lux*; (& ſecundo ſimiliter, cæteriſque;) fueruntque Tenebræ *priores* Luce. Sed *quamdiu* fuerant Tenebræ antequam dixit Deus, *Fiat Lux*, (num præciſe *horis duodecim*, non plus minuſve, ut præſumere videtur hic Scriptor,) neſcimus. Nedum quod quiſque dies *inceperit ab Occaſu Solis*, (cum nondum Sol fuerit;) quod toties ingeminat hic Scriptor. Neque quod inchoandus ſit quiſque dies ab Occaſu Solis. De quo nihil reperio in Sacris Literis. Et ſiquid tale occurrat apud Rabbinos Hebræos poſt natum Criſtum (pauci ſiquidem, ſiqui eorum ulli, ſunt ea ætate antiquiores;) non video quin poſſint Chriſtiani (poſt id temporis) haud minus feliciter intelligere ſacra Biblia quam ipſi Judæi. Quodque tum in Veteri tum in Novo Teſtamento reputantur dies à Media Nocte, potius quam ab Occaſu Solis, incepiſſe, certum eſt: Veſperamque ad diem præcedentem, potius quam ad ſequentem, pertinere.

Conſentio item, quod *die Septimo Requievit* Deus, ſeu à *Creando ceſſavit*; fueritque hic *primus Dies* (ſed non *primum momentum*) quo Creando abſtinuerit.

Conſentio item, quod Diei Septimo *Benedixit*, cumque *Sanctificavit Deus*; quicquid ſit quod hiſce vocibus hic ſignificetur. Puta, *benedictio* aliquo & *benefico* opere hunc diem *celebravit* & *inſignivit*; (forte *Promiſſione* de *Semine Mulieris contrituro Caput Serpentis* tum facta.) quod diebus Octavo & Sequentibus non fecit, quamvis & his à Creando abſtinuerit. Sed qua hora hujus diei hoc fecerit, aut inceperit Sanctificare, neſcimus; nedum quod inceperit ab ipſo Solis Occaſu. Neque etiam quod hoc factum fuerit durante *Statu Innocentiæ* ipſius *Adami*; (quod contendit hic Scriptor, nulla probatione allata.) Sed

neque

neque diſerte dicitur; quod *Adamus & Eva* diem illum *Sanctificarunt* aut *Celebrarunt*, aut quod ipſis *injunctum* erat ſic facere. Nedum quod ipſis injunctum erat *per omnia futura ſecula*, diem quemque ſeptimum celebrare *continue ab illo recurrentem*, & *nullum alium*, jam inde *ad finem uſque mundi*; quod contendit hic Scriptor. Nullaque (quod ſciam) extant veſtigia (in hiſtoria quavis Sacra vel Profana) quod ullum deinceps celebratum fuerit Sabbatum, ante illud *Exod.* 16. poſt Iſraelitarum Exitum ex *Ægypto*; aut ipſum *Nomen Sabbati* prius uſurpatum; ullamve gentem, Judæis Exceptis, (ante Chriſtianiſmum,) tempora ſua per Hebdomadas menſuraſſe; neque ipſos Judæos, ante exitum illum ex Ægypto. Nolim interim pertinaciter negare (propter illam retroſpectionem in Quarto Præcepto) quin forte fuerit à piis viris (in ætate prima) Sabbatum aliquandiu celebratum, quamvis illud non diſerte dicatur, (nec ſic fuiſſe conſtat.) Et metuo ut ſequentibus ſeculis in deſuetudinem abierit.

Concedo etiam, quod poſt Iſraelitarum exitum ex *Ægypto*, injunctum fuerit ipſis Hebdomadale Sabbatum obſervandum: Nempe, diem continue Septimum à primo deſcenſu *Mannæ*. Sed, an dies ille Septimus, fuerit item continue ſeptimus *a prima Creatione*; non liquet. Sed neque certum eſt, quod fuerit hic idem continue obſervatus uſque ad Chriſti tempora, & non (durante Captivitate Babilonica, aut alias) interruptus: & tandem à *Nehemia* reſtitutus; nempe vel eo ipſo die, ſi tum innotuerit; vel alio forte aliquo, ſi ipſius (neglecti) interceſſerat oblivio. Neque liquet, ullam aliam Gentem (exceptis Judæis) ante Chriſti tempora, diſtinxiſſe ſua tempora per *dierum Hebdomadas*, ut ſolitum erat, per Menſes & Annos; nedum quod Nomina dierum *Saturni*, *Solis*, *Lunæ*, &c. fuerunt ante nota, vel uſurpata; & quum (poſt Chriſtianiſmi tempora) fuerint admiſſa, non credo fuiſſe ab origine *Idololatrica*, ſed *Aſtrologica*, introducta; reſpectu habito ad ſeptem Planetas, non ad deos Ethnicos, eorumve cultum.

Concedo etiam in Decalogi *Præcepto Quarto* injunctum eſſe *Hebdomadale Sabbatum*; Nempe, *poſt ſex Laboris dies, quieſcendum* eſſe *die Septimo*. Sed, quod dies ille ſit (inde ad finem mundi) ſeptimus continue à primo *deſcenſu Mannæ*, (*nulluſque alius*,) non hic reperio; nedum quod ſit continue Septimus ab Orbe primum condito. Sed credo noſtrum *diem Dominicum*, non minus ſatisfacere tum *Verbis* tum *Intentioni* Quarti Præcepti; quam Judæorum illud Sabbatum à deſcenſu *Mannæ* continue numeratum. Eumque non minus ſpecificatum eſſe per praxin *Chriſti*, & *Apoſtolorum* ſuorum, totiuſque *Eccleſiæ Chriſtianæ*, (à *Reſurrectione Chriſti* continue numeratum;) quam erat ille per *Moſen*, à deſcenſu *Mannæ*. Quartum Præceptum exigit *Diem*; & Praxis Chriſti ſuorumque Apoſtolorum nobis indicat *Quem diem*. Neque minori conſtat evidentia, quod *noſter dies Dominicus* (diei noſtri Primi) idem ipſe ſit, qui continua ſerie ſequitur à *die Dominico Novi Teſtamenti*; quam, quod ipſius *dies Saturni* continua ſerie ſequitur à Judæorum *Sabbato* diei ſui Septimi. (Eadem ſiquidem communi Traditione conſtat utrumque.) Et multo quidem evidentius, quam quod noſter *dies Saturni* ſit ſeptimus in continua ſerie ab *Orbe primum Condito*.

Interim Suſcepti mei utramque partem me ſatis confeciſſe confido: Tum, Quod Dies Dominicus ſit à nobis obſervandus; Tum, Quod ad Sabbatum Judaicum non teneamur. Quod quamvis fuerit Judæis aliquandiu indultum (ut erat Circumciſio reliquique Ritus Moſaici) non erat Gentibus imponendum.

Denique hæc Diſceptatio (de obſervando Die Dominico) à me ſuſcepta eſt; non quod mihi gratum ſit cum hoc Scriptore contendere, (cui ego nil mali volui, aut etiamnum volo:) ſed quod doctrinam Chriſtianam (in re magni momenti) defendendam putaverim, ſcrupuloſque (nonnullorum injectos animis) amovendos; verumque Dei cultum promovendum. Faxit Deus, ut optatum finem ſortiatur.

FINIS.

DE
PÆDO-BAPTISMO,
DISSERTATIO. *Viz.*

Epiſtola cujuſdam Anti-pædo-baptiſtæ *ad D.* Walliſium *Scripta;* Feb. 25. 169$\frac{6}{7}$. *Hujuſque Reſponſoria,* Feb. 28. *Anno* 1697 *Anglice editæ; nunc factæ Latinæ.*

I. *Epiſtola Prior; Anti-pædo-baptiſtæ.*

LEgeram, Reverende Vir, Tractatus Tui de *Sabbato Chriſtiano* partem *Primam*: Quæ ita placuit, ut avide quærerem *Secundam.* Qua perlecta, non potui non mirari amplam illam Ingenii menſuram, quam tibi Deus, ex bonitate ſua, impertire dignatus eſt, præ aliis multis Piis Eruditiſque Viris; qui rem *Sabbati* antehac ita tractarunt, & contra *Judaicum Sabbatum* diſputarunt ea infirmitate, ut inde Sabbatariis facti potius ſint animi in eorum errore perſeverandi.

Cumque in ea verba inciderim, *pag.* 91. —*tantaque fores modeſtia, ut ſuſpiceris fieri poſſe, ex tua potius parte erratum eſſe, quam (pauciſſimis exceptis) totius mundi Chriſtianorum, qui Religioſe celebrant Diem Dominicum*; Cœpi de meipſo pariter cogitare; qui ſentio, *Fidelium Infantes non Baptizandos eſſe, durante Infantia ſua*; contra ſententiam tot Eruditorum *Pædo baptiſtarum*, & Chriſtianorum fere omnium. Cœpique cogitare, ex mea forſan parte Erratum eſſe, potius quam ex tota fere (pauciſſimis exceptis) Communitate Chriſtiana, qui (ex Conſcientia ſua) Pædo-baptiſmum retinent. Cumque te, Vir Clariſſime, (ex Communione Tua) putem, Pædo-baptiſmum approbare; auſus ſum ad te ſcribere, ſciſcitaturus, quænam ea ſint ex Sacris Literis fundamina, unde tibi ſatisfacias hac in re.

Præcipua ratio, qua contra Pædo-baptiſmum perſuaſus ſum, hæc eſt, Quod non inveniam (in Sacris Literis) vel diſertis verbis, vel per naturalem aliquam & neceſſariam conſequentiam, hanc eſſe Divinam Voluntatem, ut Fidelium Infantes ſint, in Infantia ſua, Baptizandi. Non invenio, vel Præceptum aliquod ut baptizentur; vel quod *Johannes Baptiſta*, aut ipſe *Chriſtus*, ejuſve *Diſcipuli* (quatenus apparet) Infantes Baptizaverint.

Scio quidem quod D. *Hammondus*, & D. *Lightfoot*, & (prout ſe jam dici volunt) *Athenienſis Societas*, de tali Inſtitutione præſumunt, ex Conſuetudine tunc inter Judæos, baptizandi Infantes Proſelytorum; quodque Chriſtus eatenus ſe accommodavit Judæorum praxi, quo ipſos alliceret; atque Infantes incluſit in eo de Baptiſmate Præcepto Generali, de Gentibus Baptizandis, cum & Infantes fuerint *pars Gentium.*

Verum ego non invenio talem Conſuetudinem in Sacris Literis memoratam, aut quod habuerit Inſtitutionem Divinam. Et quidem ſi Scripta illa, unde probatum eunt talem fuiſſe apud Judæos Conſuetudinem, tempore Servatoris noſtri, fuerint indubiæ Authoritatis; non tamen video, cur putem voluiſſe Chriſtum Pædo-baptiſmum inſtituere, ut Judæis Infidelibus gratificari vellet; cum illi ſint pars minima *Omnium Gentium*, (ſi quidem *Gentium* nomine ſint illic intelligendi.)

Ut Baptiſmus *Johannis* de *Cælo* fuit, fuitque res tam ſingularis, ut Judæi (*Joh.* 1. 25.) mirati ſint, interrogantes, *Cur Baptizas tu, ſi,* &c. Sic, quem Chriſtus inſtituit Baptiſmus, non erat ex Traditione Judaica, aut ex *Elementis Judaici Mundi*; ſed *de Cælo*, atque diverſus ab omni Baptiſmate Judaico.

Quod *Johannes Baptiſta*, ipſeque *Dominus noſter*, primo *faciebant Diſcipulos*, atque tum Diſcipulos (ſic factos) *Baptizabant*, liquere puto ex *Joh.* 4. 1. Sed, quod Diſcipulorum horum *Infantes* etiam Baptizaverint, non invenio; quaſi fuiſſent novorum Proſelytorum liberi.

Ut ſic fecit Dominus noſter, per Apoſtolos ſuos, inter Judæos; ſic per eoſdem inter Gentes: & nuſquam reperio in S. Scriptura, quod *Fideles Gentiles* cenſerentur aut dicerentur Proſelyti, eo quod eſſent Chriſtiani; aut quod eorum Infantes fuerint eo nomine Baptizati.

Poteris tu, credo, me certiorem facere, num in more fuerit apud *Judæos* aliaſve Gentes, quod Magiſtri celebres ſolebant Baptiſmate Diſcipulos ſuos initiare. Quod ſi fuerit, magis veriſimile videretur, quod Baptiſmum inſtituerit Chriſtus ex tali aliqua Conſuetudine

dine (ſiqua fuit.) Atque ut Diſcipulorum talium liberos non ante baptizabant quam ipſi etiam facti fuerint Diſcipuli; ſic nec liberi Diſcipulorum Chriſti, (magni Prophetæ Dei, noſtrique Magiſtri,) non ante baptizandi eſſent quam ipſi devenerint Diſcipuli.

Illud, *Ite & Docete Gentes omnes*, exponitur *Mar.* 16. 15. *Ite in univerſum mundum & Evangelium prædicate omni Creaturæ*; atque ſic à Patrum pluribus exponitur; *Baptizantes eos*, (viz. *omnes Gentes.*) Non neceſſe eſt ut intelligamus de baptizandis Perſonis abſolute Omnibus. Habemus hæc verba *Gentes omnes* in aliis S. Scripturæ locis, ubi non intelligitur de Perſonis abſolute Omnibus; ſed, de rite Capacibus; ut illud *Adorate eum Gentes*, & *Pſallite Deo omnes Nationes*, &c.

Et quidem ſi Baptiſmus fuerit modus *Diſcipulos faciendi*, quod volunt aliqui; non foret opus Apoſtolis, ut prius ab illis exigerent Reſipiſcentiam & Fidem, ut Conditiones ſeu Qualificationes Baptiſmo prævias; ſed potius eos incitarent ut Baptizarentur, in ordine ad doctrinam Fidei & Reſipiſcentiæ, cum reliquis quæ in Mandatis dedit Chriſtus Apoſtolis ſuis.

Sed (prout ex aliis conſtat S. Scripturæ locis) excluſit Chriſtus à Baptiſmate Homines illos *omnium gentium*, qui nondum erant rite Qualificati; hoc eſt, nondum facti Diſcipuli, ſeu Fideles Reſipiſcentes, utut fuerint Fidei & Reſipiſcentiæ capaces. Adeoque mihi nondum apparet, quod Diſcipulorum Infantes hic includerentur, quamvis nondum Conditionati nec quidem Capaces ut ſint Diſcipuli.

Sic quum *Col.* 2. dicit Apoſtolus Gentilibus Fidelibus, quod ſint completi in Chriſto, cum ſint in eo Circumciſi Circumciſione ſua, & cum eo ſepulti & ſuſcitati in Baptiſmo, &c. Sunt qui hinc aſſertum volunt, quod Baptiſmus ſucceſſerit in locum Circumciſionis; & conſequenter, Infantes nunc Baptizandos eſſe, ut ante fuerant Circumciſi.

Quod ego nullatenus video. Nec tale quid erat ab Apoſtolis allegatum contra Chriſtianos Judæos, qui erant, pro Circumciſione, zelo affecti.

Johannes, Chriſtuſque per Diſcipulos ſuos, Baptiſmum adminiſtrabant, dum adhuc remanebat Circumciſio Judæis incumbens & liberis ſuis.

Non nego quin hinc inferri poſſit, quod Circumciſio fuerit Figura illius Circumciſionis quæ ſine manibus fit, exuendo Corpus peccatorum Carnis; ſed non, quod Circumciſio fuerit Baptiſmi figura.

Quod ſi hinc probari poſſet; non inde tamen neceſſario ſequeretur, neceſſitas obſervandi hanc Ætatis circumſtantiam; non magis quam plures alias hujuſce Typi circumſtantias; ut, quod fiat *Octavo die*, & in *Solis Maribus*, &c. Sed ſic aptius quadrabit Analogia; ut Infantes quoad literam fuerint Circumciſi; ſic Spirituales Infantes, ſeu Infantes in Chriſto, (qui facti ſunt inſtar unius ex illis Parvulis,) ſint Baptizandi. Illud igitur Argumentum, ex Ætatis Circumſtantia, cum ſit mera conjectura, nihil probat.

Argumentum illud ex Actione Chriſti *benedicentis Infantibus*, non mihi videtur probare, Divinam voluntatem eſſe, ut Infantes ſint Baptizandi; ſed contrarium potius, cum inde conſtare non poſſit quin eos dimiſerit non baptizatos.

Ubi dicit Chriſtus, *Niſi quis fuerit regenitus*, &c. id non magis infert neceſſitatem Baptizandi Infantes; quam illud alterum *Niſi comedatis carnem Filii Hominis*, &c. probat neceſſitatem participandi ad Menſam Domini. Alloquitur Evangelium homines adultos, & judicii capaces; atque hi ſunt quos baptizandos obligat ad eorum Salutem: Atque Baptiſmus ille quo ſalvantur, eſt, Reſponſio bonæ Conſcientiæ erga Deum; obediendo eis omnibus quæ exigit Evangelium; ad quod præſtandum, Infantes ſunt plane incapaces.

Atque ad ſalvandos Infantes, potis eſt Deus Infantibus conferre Miſerationes ſalvificas immediate; prout ante fecit quam inſtitueretur aut Circumciſio aut Baptiſmus.

Prout eſt in caſu Fidei, *Qui non credit, damnabitur*. At vero, cum Infantes non magis poſſint Evangelio Aſſentire, quam inde Diſſentire, num inde concludenda eſt eorum Damnatio? Et quidem, ſi Defectus Fidei non eos damnet donec ſunt Fidei capaces; multo minus eoſdem tunc damnabit defectus Baptiſmi: adeoque rationabiliter differri poteſt eouſque.

Quod ſpectat *Promiſſum de Spiritu Sancto dando Judæis eorumque liberis*; non poſſum illud aliter intelligere quam *Conditionaliter*; viz. Ipſis ſi Reſipiſcant & Baptizentur (prout eos hortatur *Petrus*;) eorumque Filiis & Filiabus, (cum fuerint capaces Effectuum Spiritus Sancti in eorum Naturales Potentias,) præſtitis Reſipiſcentia & Obedientia Fidei. Nam vox *Liberi* in S. Scriptura, non ſemper innuit *Infantes*; (alioqui, nulli fuiſſent, in Iſraele, Homines Adulti.) Adeoque nullam hic video neceſſitatem ut de Infantibus hic loci intelligatur.

Quod ad *Sanctitatem* illam ſpectat *Liberorum ex Parente Fideli*, de qua agitur 1 *Cor.* 7. 14. Illa Sanctitas (quæcunque ſit) non magis probat neceſſario, Fidelium Infantes ob eam rationem Baptizandos eſſe, quam, quod Sanctitas illa, in reliquum Parentem Infidelem derivata, probet hunc Infidelem itidem ob eam rationem eſſe Baptizandum. Nam ea Liberorum Sanctitas, pariter à parente Fideli in eos derivatur atque in illum parentem Infidelem; non à Dono Spiritus Sancti.

Quod dicitur de Exemplo Apoſtolico; nempe, quod ille *Baptizaverit Stephanæ Familiam*;

liam; id ſola Conjectura nititur: primo quidem quod fuerint illic Infantes aliqui; & ſecundo, quod fuerint Baptizati. Dicitur de Præfecto *Capernaumi*, quod *Crediderit ipſe totaque ejus Familia*; non tamen inde ſequitur, quod fuerint in domo ſua Infantes, quodque Ipſi crediderint ſicut ille. Quod tamen pari probabilitate dicendum videtur atque illud alterum.

Cum itaque, Reverende Vir, nihil invenio Certitudinis aut Demonſtrationis (ne dicam Probabilitatis) in Argumentis his, quæ ex Scriptura produci ſolent pro Pædo-baptiſmo: ſi poſſis tu Argumenta producere quæ plus habeant Ponderis & Demonſtrationis, pro eo quod tu Verum putas; & contra id quod tu putas Erroneum; ſed ego (hactenus) Verum: obnixe peto & ſubmiſſe, ut in favorem Animæ meæ, & prout tu teneris officio Chriſtianitatis & Conſcientiæ in Deum, ea mihi digneris impertire, quo ab errore tali liberetur Anima mea. Quod, ut multum conducat meo tum Spirituali tum Temporali Beneficio; ita devinctum tibi obligabit,

Reverende Vir,

Londini, Feb. 25. 1696.

Humillimum tuum atque
Amantiſſimum ſervum
C. Chriſtianſon.

Oro, ut digneris, paucis lineis, Literas ad me mittere, ad D. B. .:. . . ferendas, in Cœmiterio Paulino; ubi ego eas, poſt tres Septimanas, exquiram. Vale.

II. *D.* Wallisii *Epiſtola Reſponſoria.* Oxoniæ, *Feb.* 28. 169$\frac{6}{7}$.

Accepi, Domine, heſterna nocte (ab ignoto quodam) De Pædo-baptiſmo Epiſtolam, Datam *Feb.* 25. & ſignatam *C. Chriſtianſon* Num hoc ſit Scriptoris nomen Verum, an Fictitium, haud certus ſcio. Fictitium puto; quia non memini me cujuſpiam hominis hoc Nomen ante audiviſſe.

Atque ut non ſciam, A Quo; ita nec, Quo animo ſcripta ſit. Num modeſte deſiderantis Satisfactum iri; an Cavillandi animo adverſus receptam Veritatem, ex præjudicio præconceptæ Opinionis in contrarium.

Si poſterius hoc; Reſpondere poſſem (ut ſimili caſu Apoſtolus) *Siquis volet contentioſus eſſe, nos non talem habemus Conſuetudinem, nec Eccleſiæ Dei.* Atque videntur mihi S. *Scripturæ* tali Stilo ſcriptæ, non ut curioſe Captioſis gratificarentur; ſed, ut modeſte quærentibus (ut par eſt) Satisfacrent, & diſcere volentibus. *Siquis ejus Voluntatem Præſtare volet; ſciet ille de Doctrina, num ſit ex Deo.* Et *Mites docebit ille viam ſuam.* Non video quod Chriſtus par eſſe duxerit, gratificari curioſe *poſcentibus ſignum de Cælo*, (quale & quando ipſis placuerit,) in confirmationem Doctrinæ ſuæ; Aut, *Diviti Gulosi*, petenti ut è *Mortuis mitteretur aliquis*, qui *Fratres ſuos moneret.* Sed, ſuo tempore, ſuoque modo procederet, ſatisfaciendo viris Diſcendi cupidis. Atque, in quæſtione *de Facto*, contentos nos eſſe oportebit *Morali* (quæ dicitur) *Certitudine*; non ſemper exigenda eſt ſevera *Demonſtratio Mathematica.* Et ſiquid adhuc ſuperſit Dubii in re Facti; contentos eſſe oportebit ea rationabili certitudine, quam nobis largitur Deus, Quid ſit Veri-ſimilius exiſtimandum.

Verum ego lubens putaverim, Scriptorem hunc alio animo ſcripſiſſe; & contentum fore (abſque cavillis) Rationabili certitudine.

Atque tum, in Quæſtione præſenti quæ *rem Facti* ſpectat, Num Chriſtus ejuſque Apoſtoli, vel Eccleſia Chriſtiana tum temporis, Baptizaverint Infantes: Omnino manifeſtum eſt, ex una parte, non poſſe nos certos eſſe quod non fecerint (cum nulla ſit uſpiam inſinuatio quæ huc ſpectet:) Et, contra, multum eſt unde ſumma cum ratione judicemus id factum fuiſſe; adeoque huic conformem reddendam eſſe Praxin noſtram.

Apponam Caſum huic Parallelum, in alia Quæſtione conſimilis naturæ, (ut ex altero de altero judicemus,) Num admiſſæ tum fuerint Fœminæ, & nunc admittendæ, participes Sacramenti Cœnæ Dominicæ.

Si objiciatur, Quod Chriſtus primitus hoc celebravit Sacramentum cum ſolis Viris, (duodecim Apoſtolis;) Monetque Apoſtolus *Probet homo ſeipſum* (non *ſeipſam*) *& ſic de pane hoc edat, & de calice bibat.* Nec uſpiam reperimus in S. Scriptura diſerte factam mentionem de Fœminis participantibus.

Interim mihi ſatis perſuaſum eſt, hac non obſtante Objectione, (credo, & Tibi,) quod Fœminæ tunc ad participandum admiſſæ fuerint, & nunc admittendæ. Quia nulla eſt in contrarium inſinuatio; eademque videatur ratio de admittendis Fœminis atque Viris; ſimileque ſperandum beneficium utriſque. Erantque Fœminæ (pariter ac Viri) Baptizatæ (utut olim non fuerint Circumciſæ;) Sed & (quod merito præſumamus, quamvis non

memini

memini id diſerte dictum) edebant de *Paſchate* (quamvis diſerte dictum ſit *Exod.* 12. 48. *Nemo non-circumciſus de ipſo edat.*) Quippe rationabiliter judicemus, voces illas *Domum* & *Familiam*, etiam includere *Fœminas Pueroſque*; quod tota *Familia* reputanda ſit *Familia Circumciſa*, ubi circumciſi ſint omnes *Mares*. Et Eccleſiæ perpetua Praxis (quod non leve eſt indicium) huic conſona, *Fœminas* pariter ac *Mares* admiſerit ad Menſam Domini.

Multiſque aliis in Caſibus, particulares Circumſtantiæ ſupplendæ præſumuntur (ex rationabilitate rei, & caſibus parallelis,) quamvis non diſerte memorentur in Narratione Facti; prout abunde poſſit oſtendi, ſi opus eſſet.

Jam vero (ut hoc præſenti caſui accommodemus,) Conſiderandum erit primo, Baptiſmus quid ſit. Eſt utique ritus ſolennis (à Chriſto inſtitutus) pro Baptizati ſolenni Admiſſione, & Incorporatione, in Eccleſiam Chriſtianam, (ut erat Circumciſio in Eccleſiam Judaicam;) Et, Baptizati, Conſecratio ſeu Dedicatio, in Cultum Servitiumque Patris, Filii & Spiritus Sancti. Et, conſequenter, qui jus habent ut ſic Admittantur & Conſecrentur, jus iidem habent ad ſolennem Ritum hujus Admiſſionis & Dedicationis.

Conſiderandum porro, quod Chriſtianorum Liberi, pariter jus habent ut reputentur membra Eccleſiæ Chriſtianæ; ac Judæorum Liberi, Eccleſiæ Judaicæ. Et, conſequenter, ut ſolenni formula in eam recipiantur; hoc eſt (utrobique) in Viſibilem Dei Eccleſiam. Et utrique pariter obligati, ut Offerantur & Dedicentur in Cultum Servitiumque Veri Dei.

Quippe ſi nihil ultra intenderetur, quam tale Promiſſum Conditionale, *Si Reſipiſcant & Credant*; hoc pariter verum eſſet de Liberis Profligatiſſimorum; ac Ethnicorum, pariter ac Judæorum aut Chriſtianorum. Quam grande ſit illud Privilegium, nolim hic diſputare; ſed quantæcunque tum fuerit Præferentia Judæorum, ea nunc eſt Chriſtianorum communis.

Quod ni eſſet; adventus Chriſti, reddidiſſet Infantium conditionem, deteriorem quam ante fuerit. Et, ſpeciatim, illi ipſi Infantes, qui tunc in Eccleſia Judaica erant Membra Viſibilis Eccleſiæ Dei, deſinerent ſic eſſe quum hujus loco Succeſſerit Eccleſia Chriſtiana.

Contra quam quod inſinuare videtur Chriſtus, *Sinite parvulos ad me venire, & ne prohibete, nam talium eſt Regnum Cœlorum*: Quod ſatis inſinuat, etiam Parvulos capaces eſſe Relationis ad Cœlum de futuro, adeoque ad Eccleſiam viſibilem in terris; (præſertim ſi, per *Regnum Cœlorum*, hic intelligenda ſit *Eccleſia Evangelica.*)

Item illud, *Alioqui impuri eſſent Liberi veſtri, nunc autem ſunt Sancti.* Quod manifeſto innuit Sanctitatem quandam competere Liberis, quorum ſaltem Unus Parentum ſit Fidelis; quæ non foret ſi Infidelis fuiſſet uterque. Quod mihi videtur tam evidens Indicium eujuſdam Relativæ Sanctitatis ſeu Intereſſe in Viſibili Eccleſia, & cujuſdam Dedicationis ad Cultum veri Dei, quod non facile excutietur.

Eaque tenuis Evaſio, quaſi intelligendum ſit de *Prole Spuria*, tam imbellis eſt, ut (quantum mihi videtur) ſit nullius omnino ponderis. Nam quamvis Parentum uterque ſit Infidelis, non tamen Proles inde foret Spuria.

Conjux *Infidelis* Sanctificari dicitur in conjuge *Fideli*; hoc eſt, cenſebitur (quantum ad liberos) *quaſi fidelis*; ita quidem ut hujus Infidelitas non impediat quin liberi cenſeantur Fideles (jure conjugis fidelis) atque ut tales Baptizentur. Petis tu; Si *Sanctificetur* parens Infidelis, quidni & *Baptizetur*? Omnino (inquam) modo ſua ſponte velit (non invitus.) Verum, exinde, non cenſebitur *Infidelis*; ſed, profeſſione *Chriſtianus.*

Conſiderandum item eſt, quod, in Religione qualibet, reputantur Liberi, ejuſdem Religionis cum Parentibus, dum ſub eorum cura; uſque dum ipſi actu ſuo proprio quicquam in contrarium oſtendant. Filius Judæi reputatur Judæus; Chriſtiani, Chriſtianus; Ethnici, Ethnicus; Papiſtæ, Papiſta; & de aliis pariter.

Jam vero, quicquid ad Eccleſiam quatenus Eccleſiam ſpectat; æque competit Eccleſiæ Judaicæ & Chriſtianæ; & non indiget nova Inſtitutione. Et conſequenter, quod eorum Liberi ſint ejuſdem Communionis Eccleſiaſticæ, cum Parentibus ſuis; eaque Benedictio ad eos extendatur quæ toti competit Eccleſiæ Viſibili, *Ero tibi Deus & Liberis tuis*; Illaque *Benedictio Abrahami*, nunc etiam *Gentilibus ſupervenit.*

Et quamvis omnino verum ſit, quod hæc Benedictio non ſtatim jus illis facit ad Cœlum, niſi eorum vita ſit conformis, (ut nec illud, quod ſint *Semen Abrahami*:) Eſt tamen reputandum celebre Privilegium, ut quod eos conſtituit in gratiori Proſpectu ad Cœlum, & majori Probabilitate obtinendi Gratiam Salvificam, quam ſi eſſent extra Eccleſiam.

Atque hæc *Præeminentia Judæorum præ Gentibus*, quam tunc habuerint, (narrante Apoſtolo,) eſt *omnino Magna*: (non ita tamen quin Fidelis, quamvis non Judæus, ſalutem poſſet per Fidem conſequi; atque Infidelis, quamvis Judæus, ſit abſque Fide damnandus.) Quæ autem tunc competebat Judæis Prærogativa (ut Eccleſiæ Dei Viſibili) eſt nunc Gentilium item communis.

Adeo ut Jus illud Fidelium Liberis, (ut ſint intra pomœria Viſibilis Eccleſiæ,) non eſt Nova Inſtitutio, (quaſi jam opus eſſet diſtincta Inſtitutione *Pædo-baptiſmi*, præter illam *Baptiſmi*;) ſed tam antiqua (quantum ego video) ac *Adamus* ipſe. Sed *ſolennis* in Eccleſiam Admittendi *Formula* (cui Jus habent Infantes ut admittantur) eſt Nova Inſtitutio;

olim per Circumciſionem (Abrahamo injunctam ;) nunc per Baptiſmum (ex Inſtitutione nova) Inſtituente Chriſto. Adeoque ego non tam ſolicitus inquiro Inſtitutionem *Pædo-baptiſmi*, vel *Andro-baptiſmi*, vel *Gynæco-baptiſmi*, quam Inſtitutionem *Baptiſmi* ; qua, qui cenſendi ſunt membra viſibilis Eccleſiæ Chriſtianæ, ſint in illam admittendi. Cardo igitur Quæſtionis, quo vertitur, hic eſt ; Num inferendi ſint Infantes in Eccleſiam Chriſtianam, ut hujus pars aliqua. Quippe, ſi inferendi ſunt, per Baptiſmum ſunt inferendi ; præcipiente Chriſto, *Diſcipulos facite* (facite Chriſtianos) *Baptizando, & Docendo.*

Eo quod ſint *Fidelium Liberi*, habent *Jus ad rem* ; eo quod *Baptizentur*, habent *Jus in re* ; ad illud quodcunque ſit Privilegium, ut includantur intra Parietes & Promiſſa Viſibilis Eccleſiæ. Et, quamdiu (culpa noſtra) nos eos à Baptiſmo detinemus, tamdiu (quantum in nobis eſt) nos eos privamus eo (quodcunque ſit) Beneficio.

Neque eſt ſolummodo *Privilegium* Liberorum (quod tam mature admittantur in Communionem Viſibilis Eccleſiæ, cum Beneficiis eo ſpectantibus ; Deique Servitio Cultuique dedicentur :) Sed Parentum *Officium* eſt (eorumque quos penes ſunt) ſic eos *Dedicare*, & (quantum in eis eſt) *Offerre* Deo. Nec eſt cur dubitemus quin habeant Parentes, in Liberos ſuos, Jus naturale ſic faciendi.

Et quidem neſcimus nos, Quam *cito* hujuſmodi Dedicatio (Deo acceptante) beneficos habeat, in Liberos, Effectus. *Samſonem*, nondum natum, devovit *Manoah* futurum *Nazaræum*. Eratque *Samuel*, à Matre ſua, dum nondum Natus, *Voto* dicatus ; &, dum adhuc Infans, actu *Deditus* ſeu *Præſentatus*, ſervitio Dei peculiari. *Jeremias* item dicitur *à matris utero Sanctificatus* : & *Paulus* item, & *Johannes Baptiſta*, nondum Nati : & *Timotheus*, *à Puero*.

Nec eſt cur dubitemus, quin *Infantes* multi valde Mature, aut etiam nondum Nati, habere poſſint, Habitus divinæ Gratiæ, ipſis *Infuſos* ; quorum beneficio Salvari poſſint, etiamſi moriantur nondum adepti *ætatem* (quam vocant) *Diſcretionis*. Quod volo, hoc eſt ; Poſſe Deum, gratia ſua, ſic animam præ-diſponere, inclinatione ad Bonum ; ut nos (ex naturali pravitate) dicimur Habitualiter propenſi in Malum, quamvis nondum capaces Operandi utrumvis.

Nam, ut Habitualis Corruptio (quam dicimus *Originale Peccatum*) per Propagationem ; ſic poſſunt Habituales Gratiæ, per Infuſionem, animo Inhærentes eſſe, diu antequam (pro defectu uſus Rationis) utrumvis poſſint Exerere : ſicut & Facultas Rationalis, prius ineſt quam ſint capaces exercendi Rationem.

Atque eſt cur inducamur ut Expectemus, ſaltem Speremus, gratioſam hujuſmodi Operationem Dei in Corde Infantis, ex noſtra tam matura ejuſdem Dedicatione Cultui Divino. Peculiaris autem *Formula* (ab ipſo Chriſto inſtituta) ſic Devovendi quempiam ſeu Offerendi Deo, eſt, Baptizatio in Nomen atque Servitium Patris, Filii, & Spiritus Sancti.

Nolim ego lubens imputare, ut juſtum Dei judicium, ob hunc neglectum ; quum videmus, Parentum culpabilium, liberos non-baptizatos, pravitati deditos & diſſolutis moribus : dum tamen eſt cur metuamus id (quadantenus) oriri poſſe ex neglectu ipſos (per Baptiſmum) Offerendi Deo, atque Educationis huic conformis. Nam, ut Corruptionem naturalem ſe cito exerentem videmus ; ſic poſſit (Divino beneficio) ſalutaris Gratia cito admodum incipere effectus ſuos edere. Et quidem, ſi ſic eos *liceat* offerre Deo, certe *debemus* id omnino facere ; ut non ſit res mere arbitraria.

Atque, ut, qui adulti ſunt, tenentur ipſi ſe Deo dedere, & quaſi cum Deo fœdus inire, (illudque de tempore in tempus renovare ;) ſic poſſunt Parentes (& quidem Debent, quantum in eis eſt) Liberos ſuos Deo dedere, eoſque fœdere cum Deo obligare.

Scimus utique (apud nos) poſſe Parvulum (præſentante Parente vel Tutore) recipi in poſſeſſionem Hæreditatis ſeu Patrimonii, (eoque obligari in clientelam ſuperioris Domini à quo dependet hæc hæreditas,) dum tamen ipſe Parvulus neſciat quid agatur.

Tale fœdus ineuntes videmus Iſraelitas (*Deut.* 29. 20.) tum ſuo nomine, tum *Uxorum* & *Parvulorum ſuorum* ; & quidem tum *Præſentium*, tum *Abſentium* illo die. Atque paris Tenoris rite putemus memorata Fœdera *Joſhuæ*, *Aſæ*, *Jehoiadæ*, & *Joſiæ* ; Nempe, *Quod Deus foret ipſis Deus* ; *iique ipſi Populus*. Atque hoc eſt (ſummam rei quod ſpectat) quod pro ſeipſo init Adultus, & pro Infante Parens, in Baptiſmo.

Et quidem ſi Capaces ſint Infantes, aut Parentes eorum nomine, tale cum Deo *fœdus ineundi* ; quidni & Capaces ſint *Sigilli* hujus Fœderis ? Et, Quidni nunc Baptiſmi, ut olim Circumciſionis ? Nam Infans, utrobique eſt pariter Paſſivus.

Quodſi *Capaces* ſint ; non neges ipſe quin hoc fieri *Debeat*. Quippe quod tu in contrarium objicis, hoc ſaltem eſt, Quod intelligendum ſit hoc de perſonis *in conditione Capaci*. Jam vero, quod *Capaces* ſint ut admittantur *Membra* viſibilis Eccleſiæ Dei ; ſintque *Capaces*, ut ſervitio cultuique veri Dei *dedicentur* ; non video cur quis dubitare debeat : quæ duo ſunt Negotia Baptiſmi.

Scio quidem Objici ſolere, quod dicitur *Mat.* 28. 19. *Docete omnes Gentes*, *Baptizantes eos*, &c. Adeoque *Docendos* prius eſſe quam *Baptizandos* ; cujus Infantes ſunt Incapaces. Aliique (qui majorem Emphaſin urgent in voce μαθητεύσατε) malint reddere, *Diſcipulos-facite*

-ite gentes omnes, Baptizantes eos, &c. Adeoque faciendos prius eſſe *Diſcipulos* (*per Fidem & Reſipiſcentiam*) quam Baptizentur.

Atque ego quidem facile admiſero, vocem μαθητεύσατε non male reddi poſſe *Diſcipulate* ſeu *Diſcipulos facite*, (& forte aptius quam *Docete*;) ſed eorum hinc Illatio eſt plane erronea. Nam, *Ite vos & Diſcipulos facite per fidem & pœnitentiam*, haud commodum ſenſum feret: Nam Fides & Reſipiſcentia ſunt opera eorum qui Baptizantur, non Baptizantium, ſeu eorum qui Baptiſmum adminiſtrant.

Atque omnino incongruum eſt exiſtimare *Fidem & Reſipiſcentiam* intendi in voce Μαθητεύσατε. Nam Chriſtus hic alloquitur *Apoſtolos* ſuos; indicans, Quid debeant *Ipſi* facere, in Conſtituendo & Propagando Eccleſiam Chriſtianam. Non, Quid debeat Chriſtianorum quiſque facere, in Eccleſia Conſtituta. Quippe hoc ſecuturum erat inter ea quæ erant *Docenda.*

Quippe hoc ordine occurrunt verba; *Profecti, Diſcipulos-facite Gentes omnes,* (hoc eſt, Diſcipulos Colligite ex omnibus Nationibus, vel indifferenter ex quavis natione; ſive Judæorum ſive Gentium, per univerſum Mundum;) *Baptizantes eos* (*in nomine* vel) *in nomen Patris, & Filii & Spiritûs Sancti*; *Docentes eos ſervare omnia quæ mandavi vobis.*

Vel ſic etiam, (quippe, qui hic vocantur *Diſcipuli*, poſt dicti ſunt *Chriſtiani*, Act. 11.26. *Diſcipuli, Antiochiæ, primum dicti ſunt Chriſtiani*;) *Chriſtianos facite apud omnes Gentes; Baptizantes eos*—*& Docentes eos.*—Ut (ſi vim aliquam urgere velimus ex ordine verborum) Baptizandi prius forent quam Docendi.

Vox μαθητεύσατε (*facite Diſcipulos*) eſt vox *Imperativa* ſeu Præceptiva; τὸ βαπτίζοντες καὶ διδάσκοντες (*baptizantes & docentes*) ſunt *Participia*; quaſi voces Exegeticæ ſeu Declarativæ, quomodo id quod Præceptum eſt exequi debeant.

In ſimili quaſi forma eum hacce, (ſiquis Grammaticalis Scholæ Fundator *Londini*, ſic Præceptorem alloqueretur,) *Latiniſtas facite ex quaque parochia, eos ut Diſcipulos in Scholam admittendo, eoſque docendo Linguam Latinam.* Vel etiam, ſtilo Academico (ſiquis Academiæ Præfectos alloqueretur). *Facite Philoſophos, ſeu viros doctos, ex quovis Angliæ Comitatu, eos in Academiam ſeu Collegiorum aliquod admittentes, eoſque docentes quæ ibi ſunt diſcenda*: Vel etiam, in ſtilo Civico, (ſiquis Præfectos rei Mercatoriæ ſic alloqueretur,) *Inſtituite vos Mercatores, de quacunque Gente, eos ut Diſcipulos, ſeu* (ut loquuntur) *Apprenticios admittentes, eoſque docentes artem Mercatoriam.* Nam vox μαθητὴς (*diſcipulus*) ſingulis his caſibus ſatis convenit, ubi Docendus quis eſt quæ *Diſcere* oporteat.

Numquis jam exiſtimet, oportere Puerum, prius Doceri Linguam Latinam (nedum hujus peritum eſſe) priuſquam in Ludum Literarium recipiatur? vel Philoſophiæ peritum (rerumque Academicarum) Juvenem, priuſquam in Academiam admittatur? vel, oportere artis Mercatoriæ peritum eſſe, antequam admittatur ut Apprenticius? Nullo modo: ſed plane contrarium. Pariter hic; admittendus eſt Diſcipulus in Scholam Chriſti, ut ibi Doceatur (pro gradu capacitatis ſuæ) quæ Virum Chriſtianum decent.

Sed; ſive quis ſeipſum tradat ut hujus Diſciplinæ Diſcipulum ſic inſtituendum (ſi adultus ſit & ſui juris;) ſive ſic à Parentibus tradatur ſeu Curatoribus (ſi puer ſit & in eorum poteſtate;) perinde eſt quantum ad illam Artem acquirendam. Et perinde eſt, ſive illius Artis aliquid ante ſciverit, quam ſic inſtituendus traditur diſcipulus; ſive ejus plane rudis ſit.

Atque hic pariter; perinde eſt, ſive ſit ea ætate (puta, ſi Chriſtiani proles non ſit, aut fuerit hactenus à baptiſmo impeditus,) ut Chriſtianiſmi aliquid jam didicerit; ſive jam Infans ſit, ejuſdem nihil edoctus. Item, ſive (ut caſu illo priore) ſeipſum Baptiſmo offerat; ſive (ut caſu poſteriore) à Parentibus (quos penes eſt) offeratur: Utrovis caſu, tum Baptizandus eſt, tum Inſtituendus, prout ea fert conditio qua jam eſt.

Sed, cur negligatur aut differatur Baptiſmus, ubi citius obtineri poſſit; nullam ego rationem video; præſertim, ſi concedamus rem eſſe deſiderabilem, & cum aliquo beneficio ſeu privilegio conjunctam.

Quod autem Apoſtolorum ætatem ſpectat; res, ut plurimum ſic ſe habebat, quando illi ſive Judæos ſive Gentiles ad Fidem converterent. Non expectandum erat ut Viri Adulti, quique ſui juris erant, fuerintque in alia Religione Educati, vellent ſe Chriſtianiſmo addicere, ſeque ut Chriſtianos exhibere Baptizandos, antequam hujus aliquid didicerant. (Adeoque nollem ego ordini verborum eam vim concedere, quaſi non liceat adultum (nondum baptizatum) ante docere, modo ſit diſcendi capax.)

Sed quamprimum fuerint ipſi eatenus perſuaſi, ut Baptiſmate Chriſtianiſmum amplecterentur; illos itidem (una cum ſeipſis) induxerunt, qui in eorum erant poteſtate: Sic *Lydia*, cum familia ſua; *Commentarienſis*, cum ſua; item Familia *Stephanæ*; & *Cornelius* cum ſuis; nec dubito quin idem aliis contigerit.

Atque ad hunc ſenſum ego intelligo illud *Act.* 2. *Reſipiſcite & Baptizemini, veſtrum quiſque*; ſive Judæi ſitis, ſive Gentiles; (erat enim hic mixtus Conventus ex pluribus Nationibus;) *in remiſſionem peccatorum,*—*Nam ad vos ſpectat promiſſio, & liberos veſtros,*

 (non

(non minus quam ad *Abrahamum* liberoſque ſuos,) *atque ad quotquot vocaverit Dominus Deus noſter*; Liberoſque ſuos, (hoc utique ſubintelligendum puto.)

Quamvis enim non ignorem, *Liberorum* nomine, non ſemper intelligendos eſſe ſolos *Infantes* parvulos: Attamen ſi nihil aliud hic intenderetur de *illorum liberis*, quam de toto Mundo; nulla foret occaſio *Liberos* nominandi; ſed plena foret, abſque hoc, ſententia.

Jam vero, non poteſt cum ulla ratione præſumi, quin fuerint Parvuli in harum familiarum aliquibus; ſaltem id multo videatur magis veriſimile quod in quibuſdam fuerint, quam quod non fuerint in earum ullis: fuerintque hic Parvuli una cum reliquis Baptizati; præſertim cum nulla ſit in contrarium inſinuatio.

Quippe tali caſu, ubi altum eſt ſilentium in *re Facti*; rationi congruum eſt ut putemus, id factum fuiſſe quod factu erit veriſimillimum: ſaltem cum nihil appareat in contrarium, magnaque ſit in eam rem præſumptio.

Scio quidem nonnunquam de Fide mentionem fieri in ordine ad Baptiſmum; ſed id eſt de perſonis Adultis.

Neque ſemper de Fide Salvifica intelligendum eſt, (ſeu Gratia Fidei:) ſed ſaltem de *Profeſſione* Fidei; Nempe, quod Conſentiant, ſeu Volentes ſint, Baptizari; eoque ſe profiteri *Chriſtianos*.

Dicitur enim (de *Simone* Mago) *Simon & ipſe Credidit, & Baptizatus erat.* Quod nequaquam intelligendum eſt de Fide Salvifica, veraque mentis in Deum converſione. Nam mox dicitur, quod *cor ejus non rectum fuerit in conſpectu Dei*, fueritque ipſe *in amaritudinis felle & nexu injuſtitiæ.*

Atque ego non video quod quiſquam fuerit à Baptiſmate repulſus, qui vellet ſponte ſua baptizari. Eoſque ipſos, quos *Johannes* vocat *Progeniem Viperarum*, Mat. 3. 7. monuit quidem, ut de Cætero *fructus ederent Baptiſmo dignos*; ſed non video quod à Baptiſmate repulerit volentes baptizari.

Cumque tot Mille homines fuerint eodem die Baptizati; non putandum eſt quod fuerint omnes ſingulatim Examinati, ut poſſint (ſaltem probabile) teſtimonium exhibere de Gratioſo mentis habitu: Sed, cum ſponte ſua Vellent Baptizari, id indicio erat ſe Chriſtianos cenſeri velle, ſeu *Chriſtianiſmi Profeſſores.*

Cumque *tota Hieroſolyma, & tota Judæa, & tota regio circa Jordanem*, (hoc eſt, magna hominum Multitudo ex illis Partibus,) dicuntur *ad Johannem Baptiſtam exiiſſe, atque ab ipſo Baptizari, peccata ſua confitentes*: Non putandum eſt, quod tanta hominum Multitudo fuerint ſingulatim Examinati, (de vera ſua Fide & Reſipiſcentia,) ſuaque particulatim confiterentur peccata: Sed, quod multorum diſerta Profeſſio, cum tacito reliquorum Conſenſu, omniumque Actio conſentanea, evidens cenſebatur Indicatio, quod in rem ipſam Conſenſerint omnes.

Et quidem vix putandum videtur, quin eorum aliquammulti ſecum duxerint Parvulos: Scimus enim quod apud eos invaluit Opinio, quod etiam Parvuli capaces fuerint Beneficii ex Benedictione Prophetarum, aliorumque Virorum Eximiorum. Quod liquet ex eo quod *Parvulos ad Chriſtum* duxerint (tales ut qui Brachiis geſtandi eſſent) ut *ipſis ille manus imponeret, eiſque benediceret*; neque hoc improbat ipſe, ſed laudat potius.

Conſiderationum harum omnium (è S. Scriptura depromptarum) ſi non ſingulæ cenſeantur, ſingulatim, Demonſtrativæ: Tot tamen junctim ſumptæ, quarum quæque ſit ſumme probabilis, nihilque (ne probabile quidem) pateat in contrarium; videntur (mihi ſaltem) tam evidens Indicatio ut fidem faciant (in quæſtione de Facto) quod *Parvuli* tum fuerint *Baptizati*; ut ego nullatenus dubitem, quin cenſere potius debeamus quod fidelium Infantes tunc *fuerint*, quam quod *non fuerint*, cenſendi membra Eccleſiæ Chriſtianæ (ut olim Judaicæ) non hinc exterminandi; adeoque Baptiſmate huic inſerendi, & (de Facto) inſerti.

Cui porro ſubjungenda eſt, continua Praxis Eccleſiarum omnium Chriſtianarum (quantum liquet) per quaſi Sexdecim annorum Centurias: quod, in quæſtione de Facto, eſt magni momenti Argumentum; ſeu (quod dici ſolet) violens Præſumptio.

Quippe ego non ſcio, quod in ulla Eccleſiarum ætate, res ea in Dubium ſeu Quæſtionem adducta fuerit (num liceat Chriſtianorum Infantes Baptizare,) uſquedum, in præterita Centuria (Avorum noſtrorum ætate) *Anabaptiſtæ* in *Germania* (inter alia enormia) cœperunt contra *Pædo-baptiſmum* inſurgere. Cum tamen in Eccleſiæ Chriſtianæ ſeculis omnibus præcedentibus, propius ad Apoſtolorum tempora, non ſcio quod ulla tradat Hiſtoria rem fuiſſe controverſam.

Cum tamen, res hujuſmodi in Quotidiana Praxi, ſi unquam in ulla Eccleſiæ Chriſtianæ parte notabilem aliquam paſſa fuerit Oppoſitionem; fieri haud potuerit quin foret ab aliquo Hiſtorico memorata.

Talique caſu, Perpetuum Silentium, mihi videtur Evidens Argumentum, quod in perpe-

tua

tua praxi fuerit Pædo-baptiſmus, jam inde ab Apoſtolorum temporibus ut res non controverſa. Quod ſi ſit; non dubitandum videtur quin & eorum temporibus obtinuit. Nec ſcio quicquam quod cum ulla probabilitatis ſpecie in contrarium obtendi ſolet, cur contra ſentiamus.

Siqui eorum, qui non fuerint Chriſtianorum liberi (ſed ab Ethnicitiſmo vel Judaiſmo ad Chriſtianiſmum converſi) Baptiſmum ſuum plus juſto diſtulerint; id ſua culpa factum eſſe puto.

Quod ſi quis pertinaciter ſentire velit, quod *Petrus*, *Pauluſque*, non habuerint, uterque, Duas Manus, atque in quaque manu, Quinque Digitos, eo quod nuſquam (quod ſciam) in S. Scripturis dicitur, quod ſic habuerint: adeoque putandum potius ſit, quod non habuerint, quam quod habuerint: non erit me penes huic ſatisfacere.

Hæc ſunt Cogitata mea, hac in re, raptim ſcripta. Det Deus ut (ipſo annuente) tibi ſatisfaciant.

Tuus,

JOHANNES WALLIS.

Pro Domino C. *Chriſtianſon*, apud D. B.... in Cœmiterio Paulino.

FINIS.

XXXI.III
41
20
A01 1468744

XXXVIII
11
22.